Ἰκετεύω, λάβε τὴν ψυχὴν μου, καὶ ἀπάλαξόν με τῆς ὀδύνης διὰ τοῦ θανάτου, οὐ γὰρ αἰώνιον με κατεσκέυασας, ἵνα νῦν μὲν ἐνέγκω τὰς ἀλγηδόνας, τὸν ὕστερον δὲ χρόνον ἐν ἀναπαύσει ζήσωμαι. Οὐδὲν οὖν αἰτῶ παρὰ τὸ σὸν δόγμα, Δέσποτα ἠθνητόν με ἐπλασας, καὶ οὐκ ἀθάνατον, ἐπάγαγέ μοι τὸν θάνατον, ἀνελέ με. Ἴδου τὰ φορτικὰ ῥήματα. Τί φορτικὴν ἔχει; Ἐἶπε τὴν συμφορὰν, καὶ ἤτησε τὸν θάνατον ὡς οὐκ ἄδικον, φησὶν, εἰ θνητὸς ὢν, θανάτου ἐρῶ. Τὸ ὅμοιον καὶ Μωϋσῆς ἰκέτευε, λέγων Ἐἰ οὕτω μοι μέλλεις ποιεῖν, ἀπόκτεινόν με.

« Ἀπόστα ἀπ' ἐμοῦ κενός γάρ μου ὁ βίος. »

Ὀλυμπιοδώρου καὶ Πολυχρόριου. Ὁ δὲ Σύμμαχος, Ὅτι ματαιότης αἱ ἡμέραι μου. Ἄλλος δὲ, Ἄτιμος γὰρ αἱ ἡμέραι μου. Παῦσαι, φησὶ, πλήττω με ἐν ματαιότητι ζῶντα, καὶ οὐδὲν ἀσφαλὲς κεκτημένον, ὅτι ἐκλείπω, καὶ οὐκέτι ἔχω ἰσχύον τοῦτο γὰρ ἐστὶ, τὸ Κενός μου ὁ βίος. Οὕτω καὶ ὁ Δαβὶδ ἠύχαστο, Ἀπόστησον ἀπ' ἐμοῦ τὰς μάστιγάς σου, ἀπὸ γὰρ τῆς ἰσχύος τῆς χειρὸς σου ἐγὼ ἐξέλειπον. Ἔθος δὲ τοῖς ἁγίοις, καὶ τὰς κατὰ συγχώρησιν Θεοῦ γινομένας πρὸς τῶν ἐχθρῶν πληγὰς, ἐπ' αὐτὸν ἀναφέρειν ὡς δυνάμενον μὲν παῦσαι, συγχωρεῦντα δὲ τέως. Οὐκ ἴσμεν γὰρ, φασὶ, τινὰ ἄλλον, οὐ πάντων ἔχεις τὴν ἐξουσίαν.

« Τί γὰρ ἐστὶν ἄνθρωπος, ὅτι ἐμεγάλυνας αὐτόν, ἢ ὅτι προσέχεις τὴν νοῦν εἰς αὐτόν; Ἡ ἐπισκοπὴν αὐτοῦ ποιήσῃ ἕως τὸ πρῶτον, καὶ εἰς ἀνάπαυσιν αὐτὸν κρινεῖς; »

Τὸ τῆς τοῦ ἀνθρώπου φύσεως εὐτελεῖς, καὶ τοῦ Θεοῦ περὶ αὐτὸν τὴν κηδεμονίαν, εἰς ἰκεσίαν προβάλλεται. Τί γὰρ ἐστὶν ἄνθρωπος, φησὶν; εἰς ἰδίαν φύσιν οὐδὲν ὡς δὲ διὰ πλήθος φιλανθρωπίας οὕτως ἐμεγάλυνας, ὅτι καὶ προσέχειν ἀξιοῖς αὐτῷ, καὶ ἐπισκέπτειν τὰ κατ' αὐτόν, μετὰ σπουδῆς, καὶ καθ' ἡμέραν τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ πρῶτον. Καὶ αὐτὸ δὲ τοῦτο, τὸ κολάζεσθαι τὸν ἄνθρωπον, τεκμηρίου τίθεται τῆς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ μεγαλοσύνης αὐτοῦ. Ὅπως γὰρ, φησὶν, ἄξιός ἐστιν ἄνθρωπος τοῦ κολάζεσθαι παρὰ σοῦ, ἢ τοῦ κἄν ἐνδianoία σου εἶναι ἄνθρωπον, τὸ δίκαιον ἰ ἀπατεῖν, ὡς ὄντος τῆς τοῦ ἀνθρώπου, τεκμηρίον ἐστίν. Ἡ, Ἐπισκοπὴν αὐτοῦ ποιήσῃ, τουτέστιν, Ἀντιλαμβάνη αὐτοῦ. Ὅρα δὲ μεμιγμένα τὰ ῥήματα τὰ μὲν ἐπιεικείας, τὰ δὲ ὀδύνης καὶ μοι δοκεῖ, κατὰ τὴν ἐπίστασιν τῶν ἀλγηδόνων ταῦτα λέγειν. Τί δὲ ἐστὶ, τὸ, Εἰς ἀνάπαυσιν κρινεῖς; ἀντὶ τοῦ, Ἀποθανεῖν κελεύεις^k, καὶ ἀναπαύεσθαι ὡς ἐπειδὴ τοῖνον κρίμα καὶ δόγμα σὸν ἐστὶ, τὸ διαναπαύειν τὸν ἄνθρωπον, τουτέστι, τὸ παρασκευάζειν ἡμᾶς τε-

A autem, Eligit suspendium anima mea.] Et a morte ossa mea. [Symmachus: Et mortem per ossa mea.] Non enim in sempiternum vivam, ut longanimiter agam. »

Supplex oro, vitam meam aufer, et a doloribus per mortem me libera (non enim immortalem me creasti), ut nunc quidem dolores patiar, in futuro autem saeculo quiete et tranquillitate fruar. Nihil igitur, Domine, decreto tuo contrarium postulo; mortalem, non autem immortalem me finxisti, mortem igitur mihi infer, eneca me. En verba atrociora: Quid autem atrocitatis et arrogantiae in se habent? Calamitatem enarravit, et mortem expetivit; non injustum, inquit, est, si mortalis cum sim, mortem diligam. Moses in eadem verba precabatur, dicens: Si sic mihi facturus es, interfice me⁶⁷.

B « Discede a me, vana est enim vita mea. »

Olympiod. et Polychr. Symmachus autem, Quoniam vanitas sunt dies mei. Alius autem interpres, Vapor enim sunt dies mei. Desine, inquit, plagas mihi amplius investigare, qui in vanitate vitam dego, et nihil tutum aut securum possideo; deficio enim, et vires non amplius suppetunt; hoc enim illud significat: Vana est vita mea. Sic etiam David precatus est: Amove a me plagas tuas, a fortitudine enim manus tuae ego defeci⁶⁸. Sanctis autem solemne est, plagas, quas Dei permissu ab hostibus accipiant, ad ipsum Deum, tanquam ad auctorem, referre; quippe qui finem illis imponere possit, interim tamen permittat; alium enim non novimus, inquit, in tua potestate et arbitrio sunt omnia.

VERS. 17, 18. « Quid enim est homo, quod magnificasti eum, aut quod adhibes mentem erga eum? Num visitationem ejus facies usque mane? et in requie judicabis eum? »

Humanæ naturæ vilitatem, et divinam erga hominem providentiam, pro supplicatione obtendit. Quid enim est homo, inquit? sua natura nihil; tu autem ex humanitatis et benignitatis tuae abundantia sic eum magnificasti, ut animum illi advertere, et rebus ejus prospicere diligenter et in dies digneris; illud enim significat, mane. Quin et hominem puniri, et suppliciis obnoxium esse, magnificentiae, qua Deo minor est, indicium facit: Prorsus, inquit, dignior est homo qui suppliciis a te coerceatur, quam vel ut in animo illum geras: quod enim poenas de illo sumas, hominem ipsum aliquid esse, argumentum est manifestum. Vel, Visitationem ejus facies, id est, opem illi feres. Vide autem, quemadmodum verba mista inter se sint, quaedam levitatis, alia vero doloris; et mihi quidem in excessu doloris videtur hæc dicere. Quid autem est illud, In requie judicabis? mori, scilicet, me jubebis, et requiescere. Cum igitur decretum et statutum tibi sit ut hominem requiescere facias, id est,

⁶⁷ Num. xi, 15. ⁶⁸ Psal. xxxviii, 11.

VARIE LECTIONES.

ἰ γρ. δίκαιον. ^k Ἰσ. κελεύσεις.

cum viam ad ejus mortem et exitum munias, noli dolores meos in longum producere; ideoque subjungit:

VERS. 19. « Usquequo non sinis me, neque dimittis me, donec deglutiam salivam meam? »

Olympiodori et Polychronii. Non hæc indignus profert, sed supplex scire desiderat, quousque dolores ejus prolongandi essent; num eousque donec neque spueret, neque loqui amplius posset? Quam brevissimum igitur mihi, inquit, spatium ad animi remissionem largire, et a doloribus me libera. Illud enim: *Donec deglutiam salivam meam*, ac si diceret, quod moribundis accidere solet, patior. Quale etiam est illud Davidis: *Dimitte mihi ut refrigerer, priusquam abeo et amplius non ero*⁴⁹. Idemque alibi: *Quousque, Domine, irascris? Exarscet, sicut ignis, ira tua*⁵⁰? — *Memento quæ est substantia mea*⁵¹; non vituperans, sed supplicans dicebat, et naturæ imbecillitatem, supplicationis argumentum faciebat: sicut et hoc loco Jobus, dolores suos non ad mortem usque produci, sed brevi respiratione frui postulat. Postea, Deum magis delinens, dicit:

VERS. 20. « Qui scis mentem hominum, quare posuisti me ut loquerer adversus te? sum autem super te onus. »

Non te fugit, inquit, Domine, cui aditus est ad intimas cogitationes, quod sæpe me servum tuum hæc patientem et neglectum intuentes, nomen tuum blasphemant; ita ut oneri quodammodo tibi sim, asperitatis verborum et blasphemiarum causa factus. Illud igitur: *Ut loquerer adversus te*, pro incusationis causa intelligendum est, non quod ipse de Deo quereretur.

VERS. 21. « Quare non fecisti iniquitatis meæ oblivionem, et purgationem peccati mei. »

Et hæc etiam verba supplicationem in se continent (illud enim, *quare*, ut sæpenumero ostensum est, per modum supplicationis usurpatur); justus enim hoc loco tentationum suarum causam intelligere, enixe petit. Verborum autem hic sensus est: An non benignus es, inquit, erga humanum genus? An non idoneus peccata condonare, et miserationum tuarum multitudine peccatorem ab omni labe purum reddere? Quare non etiam mihi benignitate tua frui conceditur? si non mea, at tua causa. Cur, cum magnus et immensus sis, meam vilitatem non contempsisti? Cur non, omisso examine, delicta mea propter misericordiam et clementiam tuam, neglexisti, aut plane oblitterasti? sed ad justos calculos cuncta exigens, delictorum poenas a ine petiisti; ac ut nimia loquendi libertate tibi gravis et molestus viderer, fecisti, cum plura quam per naturam licet, Domino meo locutus fuerim, imo et

λευτέον, μη μακρύνης μου τὰς ἀλγηδύνας· διὸ καὶ ἐπιφέρει·

« Ἔως τίνος οὐκ ἔξ με, οὐδὲ προΐη με, ἕως ἂν καταπίω τὸν πτύελόν μου; »

Ὀλυμπιοδώρου, καὶ Πολυχρονίου. Οὐκ ἀποδυσπετῶν ταῦτα λέγει, ἀλλ' ἰκετεύων μαθεῖν ἕως τίνος αὐτῷ τὰ τῶν ὀδυνῶν παρατείνεται· ἄρα μέχρι οὐ μὴδὲ πτύσαι, μὴδὲ φθέγγασθαι τι δυναθεῖη; Τοιγαροῦν, φησί, βραχυτάτον γοῦν ἔασας¹ με ἐν ἀνέσει, καὶ τῶν ὀδυνῶν ἐκτός με κατάστησον. Τὸ γάρ· *Ἔως ἂν καταπίω τὸν πτύελόν μου*, ἵνα εἴπῃ, τὸ τυχὸν γοῦν² οἶόν ἐστι καὶ τὸ τοῦ Δαβὶδ, *Ἄνεσ μοι ἵνα ἀναψύξω, πρὸ τοῦ με ἀπελθεῖν, καὶ οὐκέτι οὐ μὴ ὑπάρξω*. Ὁ δ' αὐτὸς καὶ τὸ· *Ἔως πότε, Κύριε, ὀργισθήσῃ, ἐκκαυθήσεται ὡς πῦρ ἡ ὀργή σου; Μνήσθητι τίς μου ἡ ὑπόστασις*· οὐ μεμφομένος, ἀλλ' ἰκετεύων ἔλεγε, καὶ τὸ τῆς φύσεως ἀσθενὲς εἰς ἰκετηρίαν προῦβάλλετο· καθὼ καὶ νῦν Ἰωβ, μὴ μέχρι θανάτου τὰ τῶν ὀδυνῶν ἐκταθῆναι, ἀλλὰ μικρὸν γοῦν ἐαθῆναι παρακαλεῖ. Εἶτα, καὶ μειζρόνως ἐκμειλισσόμενος τὸν Θεόν, φησὶν·

« Ὁ ἐπιστάμενος τὸν νοῦν τῶν ἀνθρώπων, διατί ἔθου με κατεντευκτήν σου; εἰμὶ δὲ ἐπὶ σοὶ φορτίον. »

Ὅϊσθα, φησὶν, ὦ Δέσποτα, οἷα ταῖς ἐννοιαῖς ἐμβατεύων, ὡς πολλάκις εἰς ἐμὲ τὸν σὸν ὀρώντες θεράποντα ταῦτα πάσχοντα, καὶ παρορώμενον, βίασφρ-μοῦσι τὸ σὸν δνομα, καὶ εἰμὶ σου τρόπον τινὰ φορτίον, βάρους ῥημάτων καὶ βλασφημίας αἰτίον καταδοήσεως νοητέον, οὐ μὴν ὅτι αὐτὸς κατεβόα τοῦ Θεοῦ.

« Διατί οὐκ ἐποίησω τῆς ἀνομίας μου λήθην, καὶ καθαρισμόν τῆς ἀμαρτίας μου; »

Ἰκεσίας καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα (τὸ γάρ, *διατί*, ὡς πολλάκις δέδεικται, ἰκετευτικῶς κεῖται), ποθοῦντος τοῦ δικαίου τὴν αἰτίαν μαθεῖν τῶν πειρασμῶν. Ὁ δὲ νοῦς οὗτος· Οὐκ εἰ, φησὶ, φιλόανθρωπος; οὐχ ἱκανὸς συγχωρεῖν ἀμαρτίας, καὶ καθαρὸν δεικνύουσι διὰ πλῆθους οἰκτιρμῶν, τὸν ἀμαρτήσαντα; Διατί μὴ κἀγὼ τῆς σῆς χρηστότητος ἀπολαύω; εἰ καὶ μὴ δι' ἐμὲ, ἀλλὰ διὰ σαυτὸν. Διατί, μέγας ὢν, οὐ κατεφρόνησάς μου τῆς εὐτελείας; Ὅτου δὲ ἔνεκον μὴ παρῆς τὴν ἐξέτασιν, φιλόανθρωπα ὑπερβόες τὰ παίσματα, ἢ καὶ παντάπασι ταῦτα ἐξήλειψας; ἀλλὰ πρὸς ἴσον ἐξεταζόμενος, εὐθύνας ἐπράξω τῶν πεπλημμελημένων, καὶ με πεποίηκας τῷ μεγέθει τῆς παρῆρσίας, φορτικόν σοι φαίνεσθαι, μέζονα ἢ κατὰ φύσιν πρὸς τὸν ἐμὸν Δεσπότην φεγγόμενον, καὶ οἷονεἰ καταντογγάχοντα, ὅτι μὴ ἔχαρισω μοι ἀμνηστίαν, εἴ τι καὶ ἡμαρτον, τρεπτῆς ὢν φύσεως, καὶ εὐολίσθου, καὶ ἀσθενοῦς;

⁴⁹ Psal. xl, 14. ⁵⁰ ibid. lxxviii, 5. ⁵¹ ibid. lxxxviii, 47, 48.

VARIÆ LECTIONES.

¹ Ἰσ. lxxv. ² Ἰσ. τοῖς θανούσι πάσχω. Sic enim Comitulus legisse videtur.

quasi, obtrectaverim quod sempiterna oblivione delicta mea sepelire nolueris; præsertim cum natura mea varia et mutabilis, ad lapsum proclivis et imbecillis sit?

« Νυνὶ δὲ εἰς γῆνάπελεύσομαι ὀρθρίζων δὲ οὐκ- Α
εἶ: εἰμί. »

Καὶ τὸ ὀλιγοχρόνιον τῆς ζωῆς ἐπλεξε ἢ τῇ ἱκετη-
ρίᾳ, πανταχόθεν εἰς οἶκτον τὸν Θεὸν ἐκκαλούμενος.
Ἦν δὲ, Ὁρθρίζων οὐκέτι εἰμί, τοιοῦτο ὑποβάλλει
νοεῖν ὅτι Ὁὐ γάρ ἐστι, φησὶν, ὡς περ ὕπνος ὁ θάνατος ὅ-
μετὰ γὰρ τὸν ὕπνον οἱ ἄνθρωποι πάλιν ὀρθρίζοντες,
ἐν τῷ βίῳ τυγχάνουσιν ὁ δὲ ἅπαξ ἀποθανὼν, οὔτε
ἐρθρον προσδοκᾷ, ὡς τε διυπνισθῆναι, οὔτε τὴν μετὰ
ἀνθρώπων διατριβὴν. Εἰ οὖν οὕτω πρόσκαιρος ἐγὼ
καὶ ὀκύμωρος, καὶ μικρὸν ὕστερον ἀποθανὼν, οὐκ-
εἶτι ὡς ἐξ ὕπνου ἀναστήσομαι ὁμοίως οὐδὲ τὸ βρα-
χύτατον τοῦ βίου τιμωρίας ἐκτός κατέλιπες; Ταῦτα
δὲ εἶπεν ὁ Ἰώβ, οὐδὲν μὲν ἑαυτῷ συνειδῶς ἀμάρτημα,
κατὰ δὲ συγχώρησιν λέγων, ὅτι Εἰ καὶ ἤμαρτον, μετὰ
πάντων ὄφελω τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας ἀπολαύ-
σαι. Δέδεικται τοίνυν διὰ πάντων ἡ εὐσεβής, καὶ φι-
λόθεος, καὶ δικαία, καὶ ἀμεμπτος τοῦ Ἰώβ γνώμη,
εἰ καὶ ἀσαφέστερον τῇ ἐπαγγελίᾳ τῶν λόγων ἐχρή-
σατο.

ΚΕΦΑΛ. Η'.

Προθεωρία.

Εἰς ἀντιλογίαν τῶν νῦν εἰρημένων ὑπὸ τοῦ Ἰώβ
καθιστάμενος ὁ Βαλδὰδ, μέμφεται μὲν αὐτὸν, ὡς
πολυρρήμονα ἔχει εἰς τοὺς αὐτοὺς δὲ τῷ Ἐλιφάζ καὶ αὐ-
τῷ ἐξεκυλισθῆ λόγους, ταῖς ἀμαρτίαις τὰς κακώσεις
ἀκολουθεῖν ὑπολαμβάνων. Ἐπει δὲ ᾄδει ἀντιπίπτοντα
αὐτῷ, ὅτι Εἰ καὶ Ἰώβ ἤμαρτε, διὰ τί οἱ καὶ οὐκ ἐτι-
μωρήθησαν; προκαταλαμβάνει, καὶ φησὶν, ὅτι καὶ
αὐτοὶ δι' ἀμαρτίας πεπόνθασιν ὁμοίως καὶ παραινέει μὲν
τῷ δικαίῳ Θεὸν ἱκετεῦναι. Πειρᾶται δὲ διὰ φυσικῶν
παραδειγμάτων αὐτὸν πείθειν, ὡς εἰ ἄμαρτίας πάν-
τως αἱ κολάσεις ἐπιφέρονται. Πέπονθε δὲ καὶ αὐ-
τὸς τὴν ὁμοίαν πλάνην ἢ τῷ Ἐλιφάζ, τὴν ὑπὲρ Θεοῦ
δῆθεν συνηγορίαν ἀναδεξάμενος. Καὶ ἀπλῶς τῶν
φίλων ὁ χορὸς παρεγένετο ἐν προσωπιῳ συμπα-
θείας, τὰ τῶν πολεμίων ἐπιδεικνύμενος ὁμοίως καὶ ἐν ἄλλοις
διεδοχόμενοι, καὶ μηδὲ ἀναπνεῖν ἔωντες, πολλοὺς
κύκλους κυκλοῦντες, καὶ χαλεπὴν τινα χορείαν χο-
ρεύοντες. Ἰδόμεν οὖν τί καὶ οὗτος φλέγγεται.

« Ὑπολαβὼν δὲ Βαλδὰδ ὁ Σαυχίτης, λέγει, Μέχρι
τίνος λαλήσεις ταῦτα, πνεῦμα πολυρρήμον τοῦ στό-
ματός σου; »

Ὁ δὲ Θεοδοσίω, βαρυτάτων, εἶπε. Παῦσαι, φησὶ,
τῷ πλήθει τῶν λόγων νικήσειν οἰόμενος, ὡς λίαν
φορτικὸς ἡμῖν εἶ καὶ βαρὺς, πληθύνων ῥήματα, καὶ
φθεγγόμενος ἄκριτα. Εἶτα, ὡς φλυαρήσαντα
μέμφεται τὸν Ἰώβ, καὶ οἴεται αὐτὸν ἐπιστομίζεῖν
ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ δικαιοκρισίας, λέγων ὅτι

« Nunc autem in terram abibo : mane autem
surgens ultra non ero. »

Vitæ brevitatem supplicationi intexuit, ut Deum
modis omnibus ad misericordiam moveret. Illud
autem : *Surgens mane ultra non ero*, hoc innuere
videtur : Mors, inquit, somno non est similis : ho-
mines enim post somnum diluculo rursus surgentes,
vitam ducunt et respirant; qui vero semel obiit,
neque matulinum tempus, ut ex somno expergeriat,
neque cum hominibus conversationem expectat.
Si igitur ego momentaneus adeo sum, et subitæ
morti obnoxius, brevique postea moriens, non am-
plius, tanquam ex somno, resurgam; cur paucillum
vitæ spatium a suppliciis non sinis esse immune?
Hæc autem Jobus nullius peccati sibi conscius, sed
per modum concessionis loquebatur : Licet, inquit,
peccavi, cum aliis tamen benignitatem et miseri-
cordiam tuam experiri debeo. Jobi igitur animus
pius, Dei amans, justus, et irreprehensibilis, in
omnibus apparet, etsi non adeo dilucida verborum
enuntiatione usus fuerit.

CAP. VIII.

Protheoria.

Quæ a Jobo nuper dicta sunt refutaturus Balda-
dus, tanquam multiloquum cum vituperat : in
eadem autem verba cum Eliphazo devolvitur, exi-
stimans calamitates et afflictiones peccatorum se-
quelam esse. Verum cum objici sibi posse intelli-
geret, cur liberi propter Jobi peccata supplicio
afflicti fuerint? per anticipationem dicit, etiam illos
ob peccatum passos fuisse; et justum hortatur, ut
supplex Deum veneretur. Exemplis autem a natura
petitis, propter peccata punitiones omnino infligi,
conatur ei persuadere. Dei autem patrocinium
suscepiens, in eundem errorem cum Eliphazo lapsus
est. Et sane amicorum chorus, sub larva communis
affectus et doloris, animum hostilem ostendens, a
cum accesserat : prostrato enim insiliunt, et alii
alios insequentes, et gyros innumeros ducentes, ac
chorem molestam saltantes, nec respirandi quidem
facultate ei concessa, uicera ejus redulcerant. Vi-
deamus igitur, quid etiam hic loquatur.

VERS. 1, 2. « Respondens autem Baldad Sauchi-
tes, ait : Usquequo loqueris hæc, spiritus multilo-
quus oris tui? »

Theodotio vero, gravissimus, dixit. Desine, in-
quit, in verborum multitudine spem victoriæ collo-
care; gravis nobis et molestus es valde, multiplicans
verba, et proferens ea quæ ratione et judicio carent.
Deinde Jobum, tanquam nugas agentem reprehendit,
et justum Dei judicium in medium afferens,
obturaturum sibi os arbitratur, et dicit :

VARIÆ LECTIONES.

ἢ Ἐπ. ἐνέπλεξε. ὁ γρ. εἰπών. Ρ γρ. προσφέρονται. ς γρ. πληγῆν. ζ γρ. ἀκίχρητα.

PATROL. GR. XCIII.

VERS. 3. « Nunquid Dominus injuste ager judicans? aut qui omnia fecit, turbabit justitiam? »

Chrysost., Polychron. et Olympiod. Nonne vides, inquit, quanta sit æquitas in creatura, et ordinata dispositio? An fieri potest ut Deus contra aliquem sententiam sine judicio et ratione ferat? An, qui omnia decenter et harmonice fecit, et in initio benignitate sua et clementia produxit, æquitatis jura in te uno pervertit, et contra jus et fas malis te afflixit? Tacite igitur sanctum ferit, tanquam jure, et propter peccata, adversa pateretur; in eadem opinione cum superiore existens, quod scilicet tribulationes et afflictiones ob peccatum omnino hominibus immittantur. Oportebat autem animo reputare, quod ejusmodi non tantum pravis, sed probis etiam contingant (quippe quæ adiaphora sint), et quod justus, tolerando ærumnas et dolores, admirabilior reddatur. Postquam autem illum peccati arguere non posset, ad liberos se convertit, et dicit:

VERS. 4. « Si filii tui peccaverunt coram eo, misit in manu iniquitates eorum. »

Sensus autem verborum hic est: Si liberi tui peccaverunt, nonne justo supplicio affecti sunt? Illud autem: *coram eo*, dixit, quia nihil Deum lateat. *In manu* autem, id est, in actione, quasi diceret: Secundum ipsorum actiones præmium reportarunt, et omnino delicta liberorum tuorum Deus mortis supplicio punivit; et misit in manu sua iniquitates eorum, id est, iniquitatum supplicia: innuit autem ædium ruinam, qua liberi interempti fuerunt. In hoc vero quod dicit (Si tu non peccasti, filii tamen tui peccaverunt), sermonem confundit, et opinionum multitudine circumagitur, secum minime perpendens, quod alter pro altero nequaquam plectatur.

VERS. 5-7. « Tu autem diluculo surge, ad Dominum omnipotentem deprecans. Si mundus es et verax, deprecationem exaudiet tuam; restituet autem tibi habitaculum justitiæ. Et erunt priora quidem tua pauca, novissima autem tua inenarrabilia. »

Consulo, inquit, tibi, ut cum omni studio et diligentia Deum ores, et precibus res alias omnes postponas; illud enim significat, *Surge diluculo*. Et si reipsa verus sis absque omni furore et fallacia, vitæ conditionem et statum viro justo dignum tibi restituet, tantaque rerum omnium felicitate frueris, ut priora tua bona posterioribus collata, exigua existimare oporteat.

VERS. 8, 9. « Interroga enim generationem primam, et investiga per genus patrum: hesterni enim sumus, et nescimus: umbra enim est nostra super terram vita. »

Antiqua; inquit, inquirito, et quæ patrum temporibus gesta sunt, investiga; nos enim heri et nudius tertius existimus, heri et hodie vivimus, et vita nostra universa, tanquam umbra, præterit; ac propter vitæ brevitate, neque scire, neque loqui

« Μὴ ὁ Κύριος ἀδικήσει κρίνων; ἢ ὁ τὰ πάντα ποιήσας ταραξεί τὸ δίκαιον; »

Χρυσοστόμου, Πολυχρονίου, καὶ Ὀλυμπιοδώρου. Οὐχ ὀρθῶς, φησί, πόση δικαιοσύνη ἐν τῇ κτίσει, πόση εὐταξία; Μὴ ἐνδέχεται τὸν Θεὸν ἀκριτον τὴν κατὰ τινος ἐξενεγκεῖν ψῆφον; Μὴ ὁ τὰ πάντα ποιήσας εὐκόσμως καὶ ἁρμονίως, καὶ φιλανθρωπίᾳ τὴν ἀρχὴν παραγαγὼν, ἐπὶ σοῦ μόνου τὴν τοῦ δικαίου διετάραξεν ἰσότητά, καὶ σὲ παρὰ τὸ δίκαιον ἐκάκωσεν; Ἡρέμα οὖν κληττεὶ τὸν ἅγιον, ὡς κατὰ τὸ δίκαιον, καὶ δι' ἁμαρτίας ὑπομένοντα, τῆς αὐτῆς τῶ φθάσαντι διαλήψεως ὑπάρχων καὶ οὗτος, ὅτι δι' ἁμαρτίας τὰ κακωτικὰ πάντως ἐπιπέμπεται. Ἔδει δὲ λογίζεσθαι, ὅτι τὰ τοιαῦτα οὐ μόνον φαῦλοις, ἀλλὰ καὶ σπουδαίοις συμβαίνει, ἀδιάφορα γὰρ, καὶ ὅτι θαυμαστότερός ἐστιν ὁ δίκαιος; ὑπομένων θλίψεις καὶ πόνους. Ἐπει δὲ μὴ ἔχειν αὐτὸν ἐλέγξει ἡμαρτηκότα, εἰς τοὺς υἱοὺς τρέπεται, καὶ φησιν·

« Εἰ οἱ υἱοὶ σου ἡμαρτον ἐναντίον αὐτοῦ, ἀπέστειλεν ἐν χειρὶ ἀνομίας αὐτῶν. »

Ὁ δὲ νοῦς οὗτος· Εἰ τὰ τέκνα σου ἡμαρτον, οὐ δικαίως ἐτιμωρήθησαν; Τὸ δὲ, *ἐναντίον αὐτοῦ*, εἶπε, διὰ τὸ μηδὲν λανθάνειν τὸν Θεόν. Ἐν χειρὶ ἰδὲ, ἐν τῇ πράξει· ἵνα εἴπῃ, ὅτι Κατὰ τὰς ἑαυτῶν πράξεις ἀπέλαβον, καὶ πάντως πλημμελημάτων δίκην παρὰ τῶν σῶν παίδων εἰσεπράξατο τὸν θάνατον· καὶ ἀπέστειλεν ἐν τῇ ἑαυτοῦ χειρὶ τὰς ἀνομίας αὐτῶν, τοῦτέστι, τὰς ὑπὲρ τῶν ἀνομιῶν τιμωρίας· ἀνιτέταται δὲ τὴν πῶσιν τῆς οἰκίας, καθ' ἣν τὰ τέκνα ἀπώλοντο. Πλην συγχεῖ καὶ αὐτὸς τὸν λόγον, καὶ τοῖς ὀδυμασί περιφέρεται, λέγων, ὅτι Εἰ καὶ μὴ αὐτὸς ἡμαρτες, ἀλλὰ οἱ υἱοὶ σου, μὴ προσοήσας, ὅτι ἕτερος ὑπὲρ ἑτέρου οὐκ ἂν κολάζοιτο.

« Σὺ δὲ θορβίζε, πρὸς Κύριον παντοκράτορα δεόμενος. Εἰ καθαρὸς εἶ καὶ ἀληθινὸς, δεήσεως ἐπακούσεται σου· ἀποκαταστήσει δὲ σου δίκαιαν δικαιοσύνην. Ἔσται οὖν τὰ μὲν πρῶτά σου ὀλίγα, τὰ δὲ ἔσχατά σου ἀμύθητα. »

Συμβουλεύω σοι, φησί, δέεσθαι τοῦ Θεοῦ μετὰ σπουδῆς, παντὸς προτιμωτέραν τὴν ἱκεσίαν ποιούμενον· τὸ γὰρ, *Ὀρβρίζε*, τοῦτο δηλοῖ. Καὶ εἰ δυνάως ἀληθινὸς εἶ, καὶ οὐκ ἐπίπλαστος, ἀποκαταστήσει σοὶ βίον καὶ διαγωγὴν πρέπουσαν δικαίῳ, ἵν' οὕτως εὐπράξῃς, ὡς ὀλίγα σου νομισθῆναι τὰ πρότερον ἀγαθὰ, τοῖς ὑστερον συγκρινόμενα.

« Ἐπερώτησον γὰρ γενεὰν πρώτην, ἐξιχνίασον δὲ κατὰ γένος πατέρων· χθιζοὶ γὰρ ἔσμεν, καὶ οὐκ οἴδαμεν· σκιά γὰρ ἐστὶν ἡμῶν ἐπὶ τῆς γῆς ὁ βίος. »

Ζήτησον, φησί, τὰ παλαιότερα, καὶ ἀνερεῦνῃσον τὰ ἐπὶ τῶν πατέρων· ἡμεῖς γὰρ χθῆς καὶ πρώην γεγόναμεν, χθιζοὶ τὲ ἔσμεν καὶ ἐφήμεροι, καὶ ὄλος ὁ βίος ἡμῶν, ὡς σκιά, παρατρέχει· καὶ διὰ τὸ τοῦ βίου ὀλιγοχρόνιον οὐδὲ γινώσκει τὸ ἀκριβὲς δυνάμεθα, οὐδὲ φθέγγασθαι. Ὅθεν οὐδ' ἀξιόπιστοι ἴσως δίχα

VARIE LECTIONES.

* ἴσ. εἶχεν. † ἴσ. ποιούμενῳ.

τῆς τῶν ἀρχαίων μνήμης, τὰ τοιαῦτα διηγούμενοι, ἂν οἱ μῆτε πρὸ πολλοῦ γεγονότες, καὶ μικρὸν ὑστερον οὐκ ἐσόμενοι. Τοιοῦτος γὰρ ὁ βίος ἡμῶν· μὴ ὄντες γεγόναμεν, καὶ γεγονότες λυθησόμεθα· καθάπερ σικιὰ κλινοῦσης ἡμέρας, οὕτως εὐσειστος ἡμῶν ἡ ζωὴ, καὶ εὐπαράγωγος. Ἐκ τῶν παλαιωτέρων δὲ πιστοῦσθαι τὰ καθ' ἑαυτὸν βουλόμενος, ταῦτα φησιν, ὡς ἂν ἐκείνων πλείστοις παρατυχόντων πράγμασιν, οἷς οὐ πάντες εἰς τὸν καιρὸν αὐτῶν^u παρ-
έτυχον.

« Μὴ θάλλει πάπυρος ἄνευ ὕδατος; ἢ ὑψωθῆσεται βούτομον ἄνευ πότου; »

Ἵσπερ, φησὶν, οὐκ ἐνδέχεται πάπυρον, ἢ βούτομον ἢ αὖξασθαι, ἢ θερίζεσθαι, τῆς τοῦ ὕδατος ἰκμάδος μὴ ἀπολαύσαντα, ἀλλὰ καὶ πᾶσα βοτάνη μὴ ἀρδουμένη ξηραίνεται· οὕτως ἄνευ εὐσεθείας ἀμήχανον ἀνθρώπων εὐθηνίαν διαμείναι· διὸ καὶ ἐπάγει, *Οὕτως κείναι τὰ ἔσχατα τῶν ἀσεβῶν*, τουτέστιν, οὐ μέχρι τέλους αὐτοῖς ἡ εὐημερία διαμένει, ἀλλὰ δίκην ἀράχνης τῆς μὴ ὑφισταμένης ἀφῆν, διαλύεται, καὶ πανέστιος ὁ τοιοῦτος ἀπόλλυται· τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ, *Ἄδικτος αὐτοῦ ὁ οἶκος*.

« Ἐάν ὑπερλίτη τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, οὐ μὴ σπῆ· ἐπιλαβομένου δὲ αὐτοῦ, οὐ μὴ ὑπομείνῃ. »

Κἂν γὰρ, ὡς οἶόν τε, ἀσφαλῶς δόξη πράττειν, καὶ ἰδραίως τὰ καθ' ἑαυτὸν διατίθεσθαι, ἐπιλάβηται δὲ αὐτοῦ ὁ Θεὸς, τουτέστι, πληκτικῶς περιδράξεται, οὐ μὴ ὑπομείνῃ, ἤγουν οὐ σταθῆσεται. Οὕτω καὶ ὁ Σύμμαχος, *Ἐρεισθήσεται ἐκ' οἴκου, καὶ οὐ στήσεται*.

« Ἵγρὸς γάρ ἐστιν ὑπὸ ἡλίου, καὶ ἐκ σαπρίας αὐτοῦ ὁ ῥάδαμος αὐτοῦ ἐξελεύσεται. »

Ὁ δὲ Ἀκύλας, *Ἐρικμὸς ἐστὶν εἰς πρόσωπον ἡλίου*. Ἵσπερ πάπυρος, φησὶ, καὶ βούτομος, κἂν ἰκμάδα ὕδατος ἔχουσιν, ἡλιακῶς καύσωνος ἐπιπεσόντος, ἀποξηραίνονται, καὶ αἱ παραφυάδες αὐτῶν σήπονται· οὕτω καὶ οἱ ἀσεβεῖς πάσχουσι, τῆς θείας ὀργῆς ἐπιπεσοῦσης. Ἔοικε δὲ διὰ τῶν ῥαδάμων, οἱ σημαίνουσι τὰς παραφυάδας, ἢ κλάδους, ἢ ἄνθη, τὴν ἀπώλειαν τῶν παιδῶν τοῦ Ἰὼθ εἰνέντασθαι. Νοήσεις δὲ τὸν στίχον καὶ οὕτως, ὅτι ἐν ὄσῳ Ἵγρὸς ἐστὶν ὑπὸ ἡλίου ὁ πάπυρος, τουτέστιν, ἀμέτοχος ἡλίου, αὖξει μὲν ἐκ τῆς ἰλύος· ὑπομείναι δὲ ἡλίου οὐ δύναται, ἀλλ' οἶονεὶ σήπεται, καὶ τῶ ἄνθος αὐτῷ ἀποκρίπτει, καὶ ἀπορῥέει· τοῦτο γὰρ τὸ, *Ὁ ῥάδαμος αὐτοῦ ἐξελεύσεται*, τουτέστιν, ἀπορῥύσσεται διὰ τὸ σαπῆναι.

« Ἐπὶ συναγωγῇν λίθων κοιμάται, ἐν δὲ μέσῳ χαλίκων ζήσεται· ἐν καταπίῃ, ὁ τόπος ψεύσεται αὐτόν. »

Ὡς περὶ φυτοῦ διαλεγόμενος ἐν μέσσοις λίθοις φωσμένου καὶ χάλιξι, μὴ διαρκούντος δὲ μέχρι παν-

de re aliqua perfecte possumus. Quare sino veterum memoria et testimonio talia narrantes, fide digni forsasse non habebimur, qui non multo ante nati sumus, et paulo postea amplius non erimus. Talis enim est vita nostra; cum non essemus, facti sumus, et facti dissolvemur: tanquam umbra die inclinante, ita vita nostra facile de statu suo dimovetur, et huc illuc inflectitur. Hoc autem dicit, fidem dictis suis ex ætate majoribus conciliare volens, quasi rerum experientiam assecuti, plurimis rebus illi interfuisent, quibus pauci sui sæculi et ætatis interfuerant.

VERS. 11. « Nunquid viret scirpus sine aqua? aut exallabitur carex sine potu? »

Quemadmodum, inquit, fieri nequit, ut scirpus aut carex incrementum capiant, et ad messeni perveniant, si humore aqueo destituantur, imo et omnis herba exarescit, quæ nequaquam irrigatur: sic homini rerum abundantiam sine pietate perdurare, impossibile est. Quare subjungit: *Sic igitur erunt novissima impiorum*, id est, prosperitas eorum ad finem usque non durat, sed instar aranearum telæ quæ tactum non sustinet, vir talis dissolvitur, et cum tota familia funditus perit; hoc enim significat: *Domus ejus erit inhabitabilis*.

VERS. 15. « Si suffulserit domum suam, non stabit, et cum cœperit, non permanebit. »

Licet vitam securissimam degere videatur, et in tuto res suas omnes collocatas habere, nihilominus, si Deus eum ceperit, id est, in ultione sua apprehenderit, non permanebit, id est, non consistet. Sic etiam Symmachus reddidit: *Innititur super domum, et non stabit*.

VERS. 16. « Humilis enim est sub sole, et de putredine ejus germen ejus ascendet. »

Aquila vero, *Humectus est in faciem solis*. Sicut, inquit, scirpus et carex, hæc aquæ humorum habeant, solis æstu flagrante, exarescunt, et surculi eorum putrescunt; idem improbi patiuntur, cum ira divina in illos irruit. Per rhadamnos autem (qui surculos, ramos, vel flores significant) liberorum Jobi interitum innuere videtur. Vel sic etiam versus hic intelligi potest, quod quædam scirpus humilis est sub sole, id est, solis expers, ex limbo crescat: solem autem sustinere non potest, sed corrumpitur quasi, et flos ejus decidit ac defluit: hoc enim sibi vult, *Germen ejus ascendet*, id est, putrefactum dilabatur.

VERS. 17, 18. « In congregatione lapidum dormit, in medio autem silicum vivet. Si absorberit, locus mittetur enim. »

Tanquam de planta disserens, quæ, inter lapides et silices crescens, non semper durat, sed subito

VARIÆ LECTIONES.

^u ἴσ. ἐν τῷ καιρῷ αὐτοῦ. ὕ γρ. διαβῆναι.

marcescit : Similes sunt, inquit, impii, stirpibus in terra plantatis, quæ altitudinem non habet, sed petrosa et dura est ; vel enim omnino radices nullas agunt, vel si egerint, quia terræ profunditate destituuntur, exarescunt, ita ut non amplius in eo loco appareant. Si absorberit enim, idem est ac si radices egerit, et firmiter stare visus fuerit. Illud vero : *Locus mentietur eum*, id est, præ calamitate obscurus et ignotus evadet ; quandoquidem arbor casa memoriam sui relinquit, herba vero nullam. Recte autem lapidum et silicium meminisse videtur, quia impii (de quibus dictum est : *Projicite de via lapides*⁶⁹) rerum pravaram æsperitati, inæquabilitati, et scandalis indormiunt ; et licet sermonem aliquem de Deo, ejusque cultu, amplecti videantur, profinus illum evomunt, quia anima fertili et frugifera præditi non sunt.

« Non vidisti talia, [Vers. 49] quoniam subversio impii talis ? »

Olympiodori et Polychronii. Hæc, inquit, etiam ex iis quæ aliis hominibus evenerunt, contemplari debes. Num eorum quæ dicta sunt quidquam in dubium a te vocatur? An non verè oratio impiorum interitum depinxit? Num ea te fugiunt, quæ cognitioni omnium obvia sunt?

« De terra autem alterum germinabit : [Vers. 20] Dominus enim non improbat innocentem. »

Alius est impius ab homine pio : idcirco dicit, quod virum pium Deus non omnino deseret et despiciet, licet adversitate aliqua affligatur. Quemadmodum enim impios prospera fortuna utentes Deus funditus evertit ac delet ; sic simplices et innocentes, licet ad tempus deflorescant, virere rursus facit, et in felici rerum statu collocat : neque enim innocens semper negligitur, neque impius perpetua felicitate fruitur.

« Non vero ullum munus impii accipiet. [Vers. 21] Veracium autem os implebit risu ; labia autem eorum confessione. »

Olympiodori et Polychronii. Postquam Dei erga pios providentiam enarrasset, odium ejus erga impios, et munera quæ ab eis offeruntur, docet : deinde lætitiã quam justis exhibet, et laudis argumenta scripto inserit, et impiorum cum dedecore interitum prædicat : Dona enim impiorum, inquit, Deo accepta non sunt, neque illorum honores admittit ; lætitiã vero et gaudio eos complet (ut rerum omnium copia abundantes, exsultent et Deum laudent), qui proposito recto et affectu pio eum venerantur. Videtur autem oratione figurata Jobum sic alloqui : Virtutem olim falso præ te tulisti ; quare Deus, condemnata tua hypocrisi, supplicium de te sumpsit : et quia verus nequaquam eras, nec honores specie apparentes, nec munera et sacrificia quæ obtulisti, admisit.

⁶⁹ Isa. Lxii, x.

VARIE LECTIONES.

* Ἰσ. ἐχούση. ὃ Ἰσ. λιθῶδει καὶ σκληρᾶ.

Α τὸς, ἀλλὰ μαραινόμενου Ἐοίκασι, φησὶν, οἱ ἀσεβεῖς τοῖς ἐν γῆ φυτευθεῖσι, μὴ ἔχουσι^x βάθος, ἀλλὰ λιθῶδη καὶ σκληρᾶ τυγχανούση· ἡ γὰρ οὐδὲ ὕψος βίζονται, ἢ κἄν βίζωθῶσι, διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς, ξηραίνονται, ὡς μὴδὲ φαίνεσθαι ἐτι ἐν τῷ τόπῳ ἐκείνῳ. Τὸ γὰρ, Ἐὰν καταπίη, ἀντὶ τοῦ, ἐὰν βίζωθῆ, καὶ βεβαίως ἐστάναι δοκῆ. Τὸ δὲ, Ὁ τόπος γρεύσεται αὐτὸν, ἀντὶ τοῦ, ἀφανῆς γίνεται καὶ ἀνεπίγνωτος ὑπὸ τῆς συμφορᾶς· ἐπεὶ καὶ δένδρον μὲν τεμνόμενον καταλιμπάνει μνήμην, χόρτος δὲ οὐδεμίαν. Καλῶς δὲ ἔοικε λίθων καὶ χαλίκων μεμνησθαι· οἱ γὰρ ἀσεβεῖς ἐπὶ τῇ τῶν φαύλων τραχύτητι καὶ ἀνωμαλίᾳ, καὶ τοῖς σκανδαλοῖς ἐπαναπαύονται, περὶ ὧν εἴρηται, *Τοὺς λίθους ἐκ τῆς ὁδοῦ διαψύψατε*· κἄν δόξωσιν τινα δέχεσθαι θεοσεβεῖας λόγον, εὐθέως ἐμῶσιν αὐτὸν, διὰ τὸ μὴ ἔχειν εὐγείων καὶ καρποφόρον ψυχῆν.

« Οὐχ ἑώρακας τοιαῦτα, ὅτι καταστροφή ἀσεβοῦς τοιαύτη ; »

Ὀλυμπιοδώρου καὶ Πολυχρονίου. Ταῦτα, φησὶ, καὶ ἐκ τῶν ἐτέροις συμβεβηκότων ὀφείλεις θεωρῆσαι. Μὴ τί σοι τῶν εἰρημένων ἀμφύβολον ; Οὐκ ἀληθῶς ὁ λόγος ὑπέγραψε τῶν ἀσεβῶν τὴν ἀπώλειαν ; Ἄρα οὖν ταῦτά σε λανθάνει, τὰ πᾶσιν εἰς γνῶσιν προκειμένα ;

« Ἐκ δὲ γῆς ἄλλον ἀναβλαστήσει· ὁ γὰρ Κύριος οὐ μὴ ἀποποιήσεται τὸν ἀκακόν. »

« Ἄλλος παρὰ τὸν ἀσεβῆ εἴη ἂν ὁ εὐσεβῆς· λέγει οὖν, ὅτι τὸν εὐσεβῆ, κἄν ἔν τινι δυσπραγίᾳ γένηται, οὐ περιόψεται καθάπαξ ὁ Θεός. Ἄσπερ γὰρ τοὺς ἐν εὐμερίᾳ ἀσεβεῖς ὁ Θεὸς ἀφανίζει· οὕτω καὶ τοὺς ἀκάκους, ἐὰν ἀπανθήσωσι πρὸς καιρὸν, παρασκευάζει πάλιν ἀναβλαστήσαι, καὶ ἐν εὐμερίᾳ καθίστησαι καὶ οὕτε εἰς τέλος ὁ ἀκακὸς περιορᾶται, οὕτε ὁ ἀσεβῆς εἰς τέλος εὐθηνεῖται.

« Πᾶν δὲ δῶρον ἀσεβοῦς οὐ δέξεται. Ἀληθινῶν δὲ στόμα ἐμπλήσει γέλωτος, τὰ δὲ χεῖλη αὐτῶν ἐξομολογήσεως. »

Ὀλυμπιοδώρου καὶ Πολυχρονίου. Εἰπὼν τοῦ Θεοῦ τὴν περὶ τοὺς εὐσεβεῖς πρόνοιαν, τῆς ἀποστροφῆς αὐτοῦ τὴν περὶ τοὺς ἀσεβεῖς, καὶ τὰ ὑπ' αὐτῶν προσφερόμενα, διδάσκει· εἶτα τὴν ὑπ' αὐτοῦ παρεχομένην εὐφροσύνην τοῖς δικαίοις, καὶ ὑμνῶδιαν ἐγγράφει, καὶ τῶν ἀσεβῶν τὴν μετ' αἰσχύνης κηρύττει ἀπώλειαν· Τὰ μὲν γὰρ δῶρα, φησὶ, τῶν ἀσεβῶν οὐ δεκτὰ παρὰ τῷ Θεῷ, τούτων γὰρ οὐδὲ τίς τιμὰς προσίεται· τοὺς δὲ γνησίᾳ τῇ διαθέσει αὐτὸν εὐσεβοῦντας εὐφροσύνης ἐμπλήψησιν, ὡς εὐθηνουμένους ἀγαλλιάσθαι καὶ δοξάζειν τὸν Θεόν. Ἔοικε δὲ ἐσχηματισμένως λέγειν πρὸς τὸν Ἰώβ, ὅτι· Πάλαι ἐσχηματίξου τὴν ἀρετὴν· διὰ τοῦτο ὁ Θεός καταγνοῦς τῆς ὑποκρίσεως, δίκην ἐπράξατο, οὐδὲ τὰς δοκούσας εἶναι τιμὰς προσείμενος, οὐδὲ τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας αὐς προσέφερες, ἐπεὶ μὴ ἦσθα ἀληθινός.

ΚΕΦΑΛ. Θ'.

Προθεωρία.

Τοῦ Βαλδὰδ εἰρηκότος, Μὴ ὁ Κύριος ἀδικήσει κριτῶν; ἢ ὁ τὰ πάντα ποιήσας ταραξεί τὸ δικαιοσύνη; συντρέχει καὶ ὁ Ἰώβ τῇ τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνη, φάσκων, Ἐπ' ἀληθείας οἶδα ὅτι οὕτως ἐστίν· ἀποφηνάμενος δὲ μετὰ πολλῆς τῆς πληροφορίας δίκαιον τὸν Θεόν, φησίν, ὅτι καὶ σοφός ἐστι, καὶ δυνατός, καὶ μέγας, καὶ χαλεπὸν παντὶ πρὸς Θεὸν ἀντιτείνειν. Εἶτα κατασκευάζει διὰ πλειόνων τοῦ Θεοῦ τὸ δυνατόν καὶ ἀκατάληπτον, καὶ φησιν, ὅτι οὐδεὶς δίκαιος παρὰ τῷ Θεῷ, εἰ μὴ κατὰ χάριν· καὶ ὅτι οὐδὲν μὲν συνοιδεν ἑαυτῷ, πλὴν οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωται. Εἶτα τοῦ βίου τὸ ὀλιγοχρόνιον εἰς ἰκετηρίαν προβάλλεται, καὶ φησιν, ὅτι εἰ ὡς ἀσεβῆς κολάζομαι, ἄμεινόν μοι ἦν τὸ ἀποθανεῖν. Ὑπὸ δὲ τῆς πολλῆς πρὸς Θεὸν ἀγάπης τὸν ἐμπαθῆ φόβον ὑπερβῆς, ἐπειδὴ μὴ πεῖθει τοὺς φίλους, ὅτι οὐ δι' ἀμαρτίας κολάζεται, πρὸς τὸν ἀδέκαστον Θεὸν ἠδέως τὴν ἑαυτοῦ λέγει δίκην, σφόδρα θαρρῶν τῇ τοῦ Θεοῦ δικαιοκρασίᾳ, εἰδὼς ὅτι οὐκ ἀνέξεται Κύριος ἀδικόν τι φθέγγασθαι. Ταῦτα οὖν οὐ τραχυνομένου τυγχάνουσι τὰ ῥήματα, ἀλλ' ὡς υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα παρῆρησιαζομένου, καὶ μονονοχὶ λέγοντος· Ἠδέως σοι, ὦ πάτερ, δικάζομαι· οἶδα γὰρ ὅτι ψεύσασθαι οὐκ ἀνέχῃ. Ὅ ἐξ ταῦτα λέγων ὑπερβαλλόντως τιμᾶ τὸν Θεόν, ὡς δίκαιον, καὶ ἀληθῆ, καὶ ἀπροσωπόληπτον· ἐκ τοιαύτης οὖν διαθέσεως τὴν πρὸς Θεὸν αἰτεῖ διαδικασίαν. Καὶ πάλιν, ἐπειδὴ ὄλως ἐτόλμησε λαλήσαι, Σύγγνωθι, φησίν, ὦ Δέσποτα, αἱ γὰρ περισταῖσαι ὀδύνας, καὶ ὄλως φθέγγασθαι με παρεσκευάσαν. Καὶ πάλιν, τὸ φιλόανθρωπον τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀμνησίκακον, καὶ μεγαλόδωρον προίχεται, καὶ ἰκετεύει ὡς ποιητὴν φέισασθαι τοῦ ποιήματος· καὶ τὸ δυνατόν τοῦ Θεοῦ παρίστησι, καὶ αἰτεῖ τινος ἀναψύξεως τυχεῖν πρὸς τελευτῆς, οὐχ οὕτως, οἶμαι, διὰ τὸ τῶν βιολίων ἀπαλλαγῆναι, ὡς ἴνα πληροφορηθῆσῶν, ὅτι οὐκ ὀργίζεται αὐτῷ ὁ Θεός, οὐδὲ ἀπορρίπτει αὐτὸν εἰς σκότος, ἐκ τῶν φωτεινοτάτου ἑαυτοῦ προσώπου.

« Ὑπολαθὼν δὲ Ἰώβ, λέγει, Ἐπ' ἀληθείας οἶδα ὅτι οὕτως ἐστίν. »

Οἶδα καὶ γὰρ, φησίν, ὅτι οὐκ ἀδικὸς ὁ Θεός, ἀλλὰ καὶ κολάζων τοὺς ἀσεβεῖς, κατὰ τὴν τοῦ δικαίου κολάζει λόγον. Δεικνύς δὲ, ὅτι τοῦτο τὸ δόγμα παρ' ἑαυτῷ πάριον ἔχει, οἶονεἰ μεθ' ὄρκου πιστοῦται τὸν λόγον, φήσας· Ἐπ' ἀληθείας οἶδα ὅτι οὕτως ἐστίν.

Οὕτω δὲ προσομιτάσαστο, τοὺς ἐφεξῆς ἑαυτοῦ λόγους προσασφαλιζόμενος, ἵνα ὅταν λέγῃ, Ἠδέως κρίνομαι πρὸς τὸν Θεόν, μὴ τις ὑπολάβῃ, ὅτι ὡς ἀδικα πάσχων ταῦτ' αὐτῷ φησίν, ἀλλ' ὅτι θαρρῶν τῇ τοῦ

⁸³ Job VIII, 3. ⁸⁴ Job IX, 1.

A

CAP. IX.

Protheoria.

Postquam Baldadus dixisset: *Nunquid Dominus injuste aget judicans? aut qui omnia fecit, turbabit justitiam* ⁸³? Jobus justo Dei judicio assensum præbet, dicens: *Vere scio quia ita est* ⁸⁴; cum multa autem confidentia Deum justum esse asseverans, sapientem, potentem et magnum eum esse prædicat, et quod difficile sit cuiquam eum contendere. Deinde Dei potentiam et naturæ incomprehensibilitatem pluribus astruit, et neminem coram Deo justum esse, nisi ex gratia, asserit; ac nullius sceleris sibi conscium se esse, non tamen propterea justificatum esse. Postea vitæ brevitatem pro supplicatione obtendit, dicitque, Si tanquam unus ex impiis punior, satius mihi esset emori. Eximia autem charitate erga Deum timorem cum perturbatione conjunctum superans, postquam amicis persuadere non poterat, propter peccata se punitum non fuisse, justo Dei judicio plurimum fretus, et probe sciens Dominum non passurum, ut vox aliqua injusta ex ore suo excidat, causam suam judici incorrupto libenter narrat. Hæc igitur non sunt hominis exacerbati verba, sed quasi filii libere patrem alloquentis, et ad hunc fere modum dicentis: Libenti animo, pater, judicio tecum contendo; novi enim quod mentiri non sustineas. Qui autem hæc dicit, Deum tanquam justum, verum, et personarum acceptio-nem abhorrentem, supra modum honorat: atque hoc animi affectu item cum Deo contestari postulat. Et rursus, quia es aperire ausus esset: Da veniam, inquit, Domine; dolores enim qui me undique circumstant, sermonem mihi extorserunt: Denique Dei benignitatem erga humanum genus, malorum oblivionem, et munificentiam in medium afferat; supplicique rogat, ut tanquam opifex et creator suo opificio parcere velit. Dei etiam potestatem proponit, et ante obitum requie et refocillatione aliqua potiri postulat; idque, ut autumno, non tam ut a tormentis liberari, quam ut vivus firmam persuasionem habere possit, Deum sibi minime exandescere, nec a lucidissimo suo vulu ad tenebras ablegaturum esse.

VERS. 2. « Respondens autem Job, ait: Vere scio D quia ita est. »

Novi, inquit, ego, quod Deus injustus non sit, imo vero impios puniens, juxta æquitatis normam supplicium de eis sumat. Ut autem dogma hoc ratum et firmum sibi esse ostenderet, quasi jurejurando sermonem confirmat, dicens: *Vere scio quia ita est.*

Ejusmodi veræ proœmio usus est, ut sermonem suum insequentem præmuniret, ne scilicet suspicetur quispiam (cum dicentem eum audit: Libenter cum Deo judicio decerno) tanquam iniqua passura

⁸⁵ ἴσ. ἀπορρίπτει. ⁸⁶ ἴσ. προσασφαλιζόμενος.

VARIE LECTIONES.

hæc loqui; sed quod justo Dei judicio, sua ipsius justitia et charitate erga Deum fretus, verba illa protulerit; juxta id quod dictum est: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*⁵⁵. Quod igitur nullius sibi peccati conscius fuerit, ex ipsius verbis perspicuum est. Verum cum intelligeret, districto et exacto Dei judicio neminem a peccati labe purum esse, subjungit:

« Quomodo enim erit justus mortalis apud Dominum? [Vers. 3, 4.] Si enim voluerit judicari cum eo, non obaudiet ei, ut non contradicat ad unum sermonem ejus de mille; sapiens est enim mente, robustusque, et magnus. »

Verum et hoc novi, inquit, districto Dei judicio neminem justum esse, neque in ejus conspectu justificatum iri omnem viventem, nisi mera sua gratia justificare quempiam voluerit; sin minus, contra eum os aperire non licet. Poterit quidem justus aliquis esse, si cum aliis hominibus conferatur; si autem cum Domino universi comparetur, *Quomodo justus erit mortalis?* (Deus enim judicando tyrannidem non exercet, sed judicatio persuadet, et ut sententiam ejus in bonam partem accipiat facit), vel quomodo Deo exæquabuntur qui terram incolunt, cum inter eos maximum sit discrimen? Nam si in jus descendere cum homine Deus voluerit, homo Dei vocem audire, et os suum contra aperire omnino non poterit; nec uni quidem e mille verbis, tanquam perperam a Deo prolato, contradicere valet. Impossibile enim est ut ipsa sapientia non omnia sciat, etiam ea quæ nos fugiunt; et ut sapiens (non verborum compositione, sed sensu) insipiens aliquod loquatur et reprehensione dignum, fieri nequit: præter sapientiam autem, omnipotentia et naturæ majestate ornatus est.

Rursus animadvertendum est, quod justus hæc præfatus sit, verba beati David fere usurpans: « Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens⁵⁶; » ut si audiverimus, velle eum judicio cum Deo contendere, ne suspicemur eum dicere: Iniqua patior, et si litem Deo movero, injustas ejus actiones redarguere possum (apage; hæc enim a magni Jobi, et Deum amantis, magnanimitate longe aberant), sed ut discamus hominum judicia illum devitare, tanquam imperite vel in gratiam alicujus loquentium: quod et ejus amici passi sunt, qui circa divinæ providentiæ rationem hallucinabantur, et Deo patrocinari se arbitrabantur, quia justum hominem conderunassent. Postulat autem et suppliciter precatur, ut Deus ipse, qui verax est, iudex sibi constituatur, ut propter peccata minime puniri, vero Dei judicio demonstrari possit.

« Quis durus factus contra eum permansit? »

Rursus vero Jobus præmunitione usus, hoc posuit, ut intelligamus, nequaquam eum exacerbatum,

⁵⁵ I Joan. III, 21. ⁵⁶ Psal. CXLII, 2.

Α Θεοῦ δικαιοκρισία, καὶ τῆ ἑαυτοῦ δικαιοσύνη, καὶ τῆ πρὸς Θεὸν ἀγάπη τοὺς λόγους προφέρει· κατὰ τὸ εἰρημένον, Ἐὰν μὴ ἡ καρδία ἡμῶν καταγινώσκη ἡμῶν, παρήρησιαν ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν. Ὅτι μὲν οὖν οὐδὲν ἑαυτῷ σύνοιδεν ἀμάρτημα, πρόδηλον ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων. Ἐπιστάμενος δὲ πάλιν, ὡς πρὸς τὴν θεῖαν ἀκρίθειαν οὐδεὶς ἐστὶν ἀναμάρτητος, ἐπιφέρει·

« Πῶς γὰρ ἔσται δίκαιος βροτὸς παρὰ Κυρίου; ἐὰν γὰρ βούληται κριθῆναι αὐτῷ, οὐ μὴ ὑπακούσῃ αὐτῷ, ἵνα μὴ ἀντίπη πρὸς ἕνα λόγον αὐτοῦ ἐκ χιλίων· σοφὸς γὰρ ἐστὶ διανοία, κραταῖός τε καὶ μέγας. »

Ἄλλὰ καὶ τοῦτο οἶδα, φησὶν, ὅτι οὐδεὶς πρὸς τὴν θεῖαν ἀκρίθειαν δίκαιος, οὐδ' οὐ μὴ δικαιοῦσθ ἐνώπιον αὐτοῦ πᾶς ζῶν, εἰ μὴ γὰρ μόνον κατὰ χάριν ἐθέλησθ δικαιῶσαι· εἰ δὲ μὴ, οὐκ ἐστὶ πρὸς αὐτὸν διῆραι. Δύναται μὲν γὰρ γενέσθαι τις δίκαιος συγκρίσει ἀνθρώπων, ὡς δὲ πρὸς τὸν τῶν ὄλων Κύριον, Πῶς ἔσται δίκαιος βροτὸς; οὐ γὰρ τυραννεῖ κρινὼν ὁ Θεὸς, ἀλλὰ πείθει τὸν κρινόμενον, καὶ ποιεῖ αὐτὸν θελήσαι παραδέξασθαι αὐτοῦ τὴν ἀπόφασιν· ἢ πῶς οἱ ἐπὶ γῆς πρὸς Θεὸν ἰσωθῆσονται, ὧν πλείστη δὴπου διαφορὰ; Ἐὰν γὰρ ἐθέλησθ ὁ Θεὸς κρῖνεσθαι μετ' ἀνθρώπου, ἀμχανεῖ ὅλος ὁ ἄνθρωπος ὑπακούσαι, καὶ διῆραι τὸ στόμα· οὐ γὰρ δύναται, χιλίους λόγους λέγοντος τοῦ Θεοῦ, καὶ πρὸς ἕνα γοῦν μόνον ἀντεπεῖν, ὅτι κακῶς ἐβρέθη. Τὴν γὰρ αὐτοσοφίαν ἀμχανον μὴ πάντα εἶδεναι, καὶ τὰ ἡμᾶς διαλανθάνοντα· ἀμχανον δὲ καὶ ἀσοφὸν τι λαλῆσαι, ἢ ἐπιλήψιμον, τὸν σοφόν, οὐ συνθέσει λόγων, ἀλλὰ τῆ διανοίᾳ· μετὰ δὲ τοῦ σοφοῦ, ἔχει καὶ τὸ παντοδύναμον, καὶ τὸ τῆς φύσεως μεγαλεῖον.

Πάλιν δὲ σημειωτέον, ὡς ταῦτα προεῖπεν ὁ δίκαιος, μονονοχὶ λέγων τὸ τοῦ μακαρίου Δαβὶδ· Καὶ μὴ εἰσέλθῃς εἰς κρίσιν μετὰ τοῦ δούλου σου, ὅτι οὐ δικαιωθῆσεται ἐνώπιόν σου πᾶς ζῶν· ἵνα ἐὰν ἀκούσωμεν αὐτοῦ βουλομένου κρῖνεσθαι πρὸς τὸν Θεόν, μὴ ὑπολάβωμεν, ὅτι φησὶν, Ἄδικα πάσχω, καὶ δύναμαι, κρινόμενος πρὸς Θεόν, ἀπελέγξει αὐτὸν οὐ δίκαια ποιοῦντα· ἀπαγε, πόρρω γὰρ ταῦτα τῆς τοῦ μεγάλου καὶ φιλοθέου Ἰωὼ μεγαλονοίας· ἀλλ' ἵνα μάθωμεν, ὅτι τὰς μὲν παρὰ ἀνθρώποις κρίσεις φεύγει, οἷα ἢ κατὰ ἀγνοίαν λαλοῦντων, ἢ πρὸς χάριν τινός· ὃ δὲ πεπόνθασιν οἱ αὐτοῦ φίλοι, πεπλανημένοι περὶ τοὺς τῆς Ἱερονοίας λόγους, καὶ οἰόμενοι Θεῷ συνηγορεῖν, νήμεν, διὰ τοῦ καταψηφίζεσθαι τοῦ δικαίου. Ἄξιοί δὲ καὶ ἰκετεύει αὐτὸν αὐτῷ καταστῆναι τὸν ἀψευδῆ Θεὸν εἰς κρίσιν, ὡς ἀντὶ τῆς τοῦ Θεοῦ ἀληθείας ἀποδειχθῆ μὴ δι' ἀμαρτίας κολαζόμενος.

« Τίς σκληρὸς γενόμενος ἐναντίον αὐτοῦ ὑπέμεινε; Πάλιν δὲ καὶ τοῦτο προασφαλιζόμενος τέθεικεν ὁ Ἰωὼ, ἵνα γνῶμεν, ὅτι οὐδαμῶς τραχυνόμενος, ἀλλ'

VARIÆ LECTIONES.

¹ ἴσ. suppl. τὸ στόμα.

ἰκετεύων, καὶ θαρβῶν τῇ τοῦ Θεοῦ ἀληθείᾳ, τοὺς λόγους προφέρει. Ὁ γὰρ εἰδὼς, μὴ συμφέρον εἶναι σκληρὸν φαίνεσθαι κατὰ τοῦ Θεοῦ, πῶς ἂν αὐτὸς ἐτραχύνετο; καίτοι, μηδὲ πολλοῦ παρελθόντος χρόνου, ἀλλ' ἐν αὐτοῖς τοῖς ἐφεξῆς λόγοις, οὕτω προομιμασάμενος, καὶ ἰκανῶς ἡμῶν τὴν γνώμην ἀσφαλίσάμενος, τὴν τοῦ Θεοῦ δύναμιν ἐξηγεῖται· μονοουχὶ ἐκάστῳ παραινῶν, μηδὲως τολμᾶν ἀντιφθέγγεσθαι τῷ τοσοῦτῳ μὲν τὴν δύναμιν, τοσοῦτῳ δὲ τὴν ἰσχύν, καὶ τὴν μεγαλειότητα, καὶ μὴ ἀνεχομένῃ κατὰ μηδὲν ταρβᾶει ἢ σκεῖσθαι τὸν ὁ δίκαιον.

« Ὁ καλαιῶν ὄρη, καὶ οὐκ οἶδασιν, ὁ καταστρέφων αὐτὰ ὄρη. »

Τοῦτο σαφέστερον ὁ Σύμμαχος ἠρμήνευσεν, Ἐξαιρων ὄρη, καὶ ἀδηλοποιῶν αὐτά. Τίς δὲ ἡ τοῦ στήχου δύναμις; Πρὸς μὲν τὸ ῥητόν· Ὁ τὰ ὄρη, φησὶν, ἐξαφανίζων μετ' εὐκολίας· κατὰ τὸ, Ὁ ἀπτόμενος τῶν ὄρων, καὶ καπνίζονται· πρὸς δὲ διάνοιαν, Ὁ παραφέρων τὰς ὑπερεχούσας τοῦ πονηροῦ, ἐκ τῶν ἀνθρώπων ἐπιθουλὰς, καὶ ἀγνοούντων αὐτῶν.

« Ὁ σείων τὴν ὑπ' οὐρανὸν ἐκ θεμελιῶν, οἱ δὲ στύλοι αὐτῆς σαλεύονται. »

Στύλους τὰ στηρίγματα φησὶν· ἐν αὐτῷ γὰρ ἐστὶ τῷ θεμελιώσαντι, καὶ στηρίζαντι, ὡς αὐτὸς οἶδε, καὶ σαλεύσει. Ὅμοιον τὸ ἐν ψαλμοῖς, Ὁ ἐπιβλέπων ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ποιῶν αὐτὴν τρέμειν.

« Ὁ λέγων τῷ ἡλίῳ, καὶ οὐκ ἀνατέλλει. »

Οὐχ ὡς ἀκούοντος τοῦ ἡλίου, φησὶν, ἀλλὰ τὸ μεταλείπον τῆς ἐξουσίας ἐμφανῶν.

« Κατὰ δὲ ἄστρων κατασφραγίζει. »

Τουτέστιν, ἀποκλείει. Δύναται, φησὶ, καὶ τῷ ἡλίῳ ἐπιτάττειν κατὰ χώραν μένειν, καὶ μὴ ἀνατέλλειν, καὶ τὰ ἄστρα ἀποκλείειν, ὥστε μὴ φωτίζειν τὴν γῆν.

« Ὁ ποιῶν Πλειάδα, καὶ Ἑσπερον, καὶ Ἀρκτουρον, καὶ ταμεῖα Νότου. »

Ἀπὸ μὲν τῶν περιφανεστέρων ἀστέρων τοὺς λοιποὺς περιέλαβε, καὶ οἰοῦναι εἶπεν, Ὁ πάντα τὸν οὐρανὸν ὁ ποιητὴς κόσμον. Ἀπὸ δὲ τοῦ Νότου καὶ τοὺς ἄλλους ἀνέμους ἐσήμανε· ταμεῖα δὲ τοὺς θησαυροὺς τῶν ἀνέμων ἐκάλεσεν, ἵνα γινώμεν, ὅτι ἀνέφικτοί εἰσιν οἱ περὶ τῶν ἀνέμων λόγοι. Ὁ δὲ Ἑβραῖος, Καὶ πάντα τὰ ἄστρα τὰ κυκλῶντα Νότον, φησὶν, ὡς δηλοῦσθαι τὸ πλῆθος τῶν αὐτῶθι φαινομένων ἄστρων, ἐν τῇ τοῦ ταμεῖου προσηγορίᾳ, τουτέστι, τὰ ἄστρα ταμειούμενα ἐν τῷ νοτίῳ μέρει τοῦ οὐρανοῦ. Διαφέρει δὲ ἄστρον ἀστέρος, ὅτι τὸ ἄστρον ἐξ ἀστέρων σύγκειται· ὡς ἀνεγκλήτως ὁ μέντοι τούτους

⁶⁷ Psa. ciii, 33. ⁶⁸ Psal. ciii, 32.

VARIAE LECTIONES.

« Ἰσ. τό. ὁ Ἰσ. τοῦ οὐρανοῦ. ὁ Ἰσ. ὁ ἀνεγκλήτως.

NOTÆ.

(1) In Græco aliquid desiderari videtur, ut veteris cuiusdam auctoris nomen, forte Aristotelis, sic:

A sed supplicem, et divina veritate nixum, verba sua proferre. Qua enim ratione animo exasperato esse potest, qui nihil homini prodesse novit, si contra Deum duriores se præbeat? Et quidem, non multo post tempore, sed in ipsis quæ statim sequuntur verbis, postquam ejusmodi proœmio usus fuisset, et mentem nostram sufficienter munisset, Dei potestatem explicat; unicuique prope modum suadens ne ei obloqui audeat, qui tanta potestate, tanto robore, et majestate præditus est, et qui justitiam in nullo perturbari aut supplantari sinit.

VERS. 5. « Qui in vetustatem perducit montes, et nesciunt; qui subvertit eos in ira. »

Hoc Symmachus apertius interpretatus est: *Qui aufert montes, et a conspectu removel eos.* Quænam vero vis est hujus versus? Ad litteram quidem, Qui nullo, inquit, negotio montes evanidos reddit; secundum illud: *Qui tangit montes, et fumigant*⁶⁷; ad sensum vero, Qui ab hominibus, illis etiam insciis, diaboli insidias, quæ eorum vires exsuperant, transfert et amolitur.

VERS. 6. « Qui commovet eam quæ sub cælo a fundamentis: columnæ autem ejus quatiantur. »

Columnas fulcimenta dicit; est enim in potestate illius qui fundavit et stabilivit, prout ipsi libitum est, eam commovere. Par huic illud in Psalmis: *Qui respicit terram, et facit eam tremere*⁶⁸.

VERS. 7. « Qui dicit soli, et non oritur. »

Non tanquam sol audiret, inquit; sed magnificentiam potestatis ejus ostendit.

VERS. 8. « Contra sidera autem signaculum ponit. »

Hoc est, intercludit. Potest, inquit, soli imperare, ut in loco permaneat, nec exoriat, astra etiam prohibere, quominus terram illustrent.

VERS. 9. « Qui facit Pleiada, et Hesperum, et Arcturum, et penetralia Noti. »

Sub nomine celebriorum siderum reliqua complexus est, ac si diceret: Qui omnem cæli ornatum distinxit. Per Notum autem alii etiam venti significuntur: ventorum autem thesauros, promptuaria vocavit, ut intelligamus causam et rationem ventorum captum nostrum transcendere. Hebræus vero inquit: *Et omnia astra circumdantia Notum* (ut promptuarii nomine astrorum multitudo in ea plaga apparentium indicetur), hoc est, astra quæ in australi parte cæli, tanquam in promptuario recondita sunt. Differt autem astrum a stella, eo quod astrum constet ex stellis (1): sine repreh-

sione quidem promiscue hæc vocabula usurpavit. Quæ in re igitur sanctam Scripturam lædunt, si ita ab ea nuncupentur, ut ab hominibus audientibus intelligi queant?

Vers. 11. « Si transgressus me fuerit, non videbo; si præterierit me, neque sic novi. »

Natura, inquit, invisibilis et incomprehensibilis est, adeo ut nos lateat, quemadmodum in omnibus, extra omnia, et super omnia sit. Quid autem de illo verba facio? cum judicia etiam ejus nulla creatura mentis conceptu comprehendere valeat: omnia enim invisibili potentia operatur, ut non tantum sensus apprehensionem, sed et mentis etiam aciem lateant. Ego igitur nec clementem eum agnosco, nec iratum contemplari possum; ac licet supergressus me fuerit et præterierit, non sentio.

Vers. 12. « Si removerit, quis restituet? aut quis dicet ei: Quid fecisti? »

Ecce, inquit, aliquid e mundo abripuit, quis abreptum referet? Quid autem dico: Quis referet? quis est omnino, qui iis quæ ab illo fiunt, poterit contradicere? si omnia funditus delere voluerit, quis illius decretum rescindet?

Vers. 13. « Ipse enim avertit a se iram. »

Unum, inquit, scimus, quod rebus nostris omnibus utiliter consulens, sine animi perturbatione puniat, et sine ira supplicia irroget. Synecdochice vero per iram improbitatem omnem expressit; non enim iram tantum avertit, sed cæteras etiam perturbationes. Symmacho vero dicente: *Deus cuius ira est inflexibilis*, divinus motus ac impetus inevitabilis esse ostenditur: quis enim vindicem Dei manum avertet?

Vers. 14-16. « Si vero me audierit, vel dijudicaverit verba mea; quod si etiam fuero justus, non exaudiet me, iudicium ejus rogabo: si vero invocavero, et me exaudierit, non credam quod exaudiverit vocem meam, ne caligine me conterat. »

Salehrosus hic locus est et abruptus, quem sine fatigatione nemo expedire poterit: Deo tamen duce, et sancto Jobo locum testa illa qua tabem abatergebat complanante, tentandus est ascensus. Quis igitur horum versuum est sensus? Dixerat Baldus: *Nunquid Dominus injuste ager judicans*⁵⁹? addiditque: *Surge diluculo ad Deum deprecans; et si mundus es, precationem exaudiet tuam, et vitæ statum meliorem priore tibi tribuet*⁶⁰; ad hæc Jobus respondet: Qui sciam, o amice, utrum me Deus audierit, et precationis meæ verba perponderit? licet enim iudicio cum eo contendens justificatus fuerim, mihi tamen non respondebit; hoc enim valet: *Non exaudiet me*. Illius enim iudicium et calentium libenter implorarem, si modo responde-

⁵⁹ Job viii. 5. ⁶⁰ ibid. 5, 6.

Α τοῖς ὀνόμασιν ἐχρήσατο. Τί γάρ ἰ ἀδικοῦσι τὴν Γραφὴν ὀνομαζόμενα παρ' αὐτῆς οὕτως, ὡς ἀκούοντες; οἱ ἀνθρώποι δύνανται νοεῖν;

« Ἐάν ὑπερβῆ με, οὐ μὴ ἴδω· ἐάν παρέλθῃ με οὐδ' ὡς ἔγνω. »

Ἄρατος, φησὶ, καὶ ἀκατάληπτος τὴν φύσιν τυγχάνει, ὥστε ἀγνωστον ἡμῖν εἶναι, πῶς τε ἐν πάσῃ, καὶ ἔξω πάντων, καὶ ὑπὲρ πάντα τυγχάνει. Καὶ τί λέγω περὶ αὐτοῦ; ὅπου καὶ τὰ κριματά αὐτοῦ πάσῃ γεννητῇ φύσει δι' ἐπιβολῆς καταλαβεῖν ἀμήχανον· πάντα γὰρ ποιεῖ ἀράτῳ δυνάμει ταῦτα ἐργαζόμενος, ὡς μὴ μόνον λανθάνειν τὴν αἰσθησίν, ἀλλὰ καὶ αὐτοῦ τοῦ νοῦ τὴν κατάληψιν. Ἐγὼ γοῦν οὔτε εὐμενῆ ὄντα ἐπιγινώσκω, οὔτε ὀργιζόμενον νοῆσαι δύναμαι· κἄν ὑπερβῆ με, κἄν παρέλθῃ, οὐκ αἰσθάνομαι.

« Ἐάν ἀπαλλάξῃ, τίς ἀποστρέψει; ἢ τίς ἐρεῖ αὐτῷ, Τί ἐποίησας; »

Ἰδοῦ, φησὶν, ἀνῆρπασεν ἐκ τοῦ κόσμου, τίς ἀνακομίσει τὸ ἀρπαγὲν; Τί λέγω, ἀνακομίσει; τίς ὅλως ἐπὶ τοῖς γενομένοις ἀντειπεῖν αὐτῷ δυνήσεται; ἐάν τελεῖαν συντέλειαν ποιήσασθαι θελήσῃ, τίς ἀνασκευάσει τὰ αὐτῷ δοκούντα;

« Αὐτὸς γὰρ ἀπέστραπται ὀργῆν. »

Ἐν, φησὶν, οἰδαμεν, ὅτι ἀπαθῶς κολάζει, καὶ ἀοργήτως τιμωρεῖται, πάντα συμπερόντως οἰκονομῶν τὰ καθ' ἡμᾶς. Συνεχδοχικῶς δὲ διὰ τῆς ὀργῆς πάσαν κακίαν δεδηλωκεν· οὐ γὰρ δὴ μόνον ὀργὴν ἀπέστραπται, ἀλλὰ καὶ τὰ ἄλλα πάθη. Κατὰ δὲ τὸν Σύμμαχον εἰπόντα, Ὁ θεὸς οὐ ἀναπόστραπτος ἢ ὀργῆ, τὸ ἀφυκτον δηλοῦται τῆς θείας κινήσεως· τίς γὰρ ἀποστρέψει χεῖρα Θεοῦ κολάζουσαν;

« Ἐάν δὲ μου ὑπακούσεται, ἢ διακρίνει τὰ ῥήματα μου· ἐάν γὰρ ὡ δικαίος, οὐκ εἰσακούσεται μου, τοῦ κριματος αὐτοῦ δεηθῆσομαι· ἐάν τε καλέσω, καὶ μὴ ἰπακούσῃ, οὐ πιστεύω ὅτι εἰσακλήκοί μου τῆς φωνῆς, [17] μὴ γνώψῃ με ἐκτρέψῃ. »

Τραχὺ τὸ χωρίον τοῦτο καὶ ἀναντες, καὶ οὐδαὶς ἀν ἀκμητὶ παρέλθοι δι' αὐτοῦ· θαρρῆτέον οὖν ὁμῶς τὴν ἐνοδοῦν, Θεοῦ ἡμῶν ἡγουμένου, καὶ τοῦ ἁγίου Ἰωὺ τὸν τόπον ἐξομαλιζόντος τῷ ὀστράκῳ ἐκείνῳ, ὃ καὶ τοὺς ἰχώρας ἀπέχεε. Τίς οὖν ἢ τῶν στίχων δύναμις; Εἶπεν ὁ Βαλδάδ, ὅτι Ὁ Κύριος οὐκ ἀδικήσει κρῖνων; καὶ προσέθηκεν, ὅτι Ὁρθοῖς πρὸς τὸν Θεὸν δεόμενος· καὶ, εἰ καθαρὸς εἶ, τῆς δεήσεώς σου ἐπακούσεται, καὶ ἀποπέμψῃ σοι διαγωγὴν κρείττονα τῆς πρώτης. Πρὸς ταῦτα ὁ Ἰωὺ ἀποκρίνεται, Πόθεν γνώσομαι, ὦ φίλε, ἐάν ὁ Κύριος ἐπακούσῃται, καὶ τὰ τῆς ἐμῆς εὐχῆς διακρίνη βήματα; ἐάν τε γὰρ δικαιοθῶ δικαιολογούμενος πρὸς αὐτὸν, οὐκ ἀποκριθῆσεται μοι· τοῦτο γάρ, τὸ, Οὐκ εἰσακούσεται μου· ὡς εἶγε ἀπεκρίνατο, ἡδέως ἀν

VARIE LECTIONES.

ἰ ἴσ. οὖν. ὁ ἴσ. διακρίνει. ἰ ἴσ. μου.

τὸ κρίμα αὐτοῦ καὶ τὴν ψῆφον ἐπεκαλεσάμην, ἐάν τε A
καλοῦντός μου εἰσακούσῃ, πληροφοροῦμαι J. Οὕτε
γὰρ ὄραται Θεός, οὕτε φωνὴν ἀφίησι· μᾶλλον μὲν
οὖν δέδοικα, μὴ ἀοράτως ἐκτρέψῃ με διὰ γνώφου
καὶ καταγίγδος, ὅτι ὅλως, δικαιολογηθῆναι αὐτῷ
ἐθάρβησα. Τινὲς δὲ οὕτως ἐνόησαν· Ἐάν ἐμαυτὸν
δικαιώσω, ὁ Θεός ἀποστραφῆσεται με· ἐπειδὴ μὴ
κατὰ τὸν ἡμέτερον νοῦν ὁ Θεός κρίνει· ἀνεφικτα γὰρ
τὰ κρίματα αὐτοῦ τῆς ἀποφάσεως· διὸ μᾶλλον τοῦ
κρίματος αὐτοῦ δέομαι· ἐάν δὲ καὶ ἐπικαλέσωμαι
τὸν Θεόν, καὶ θελήσῃ ἀκούσαι μου τῆς δικαιολογίας,
καὶ δικαιώσῃ με, οὐ πιστεύω ὅτι ἐδικαίωσέ με·
ἀόρατος γὰρ ἐστι, καὶ ἀγνοῶ τὴν κρίσιν· ὥστε δέ-
δοικα μὴ ἐξ ἀφανοῦς ἀνέλθῃ με τελείως, ὡς καταγίγς,
ἥτοι γνώφος. Ὁ δὲ λέγει τοιοῦτόν ἐστιν, Ὁ γνώφος
κυκλοτερῆς πανταχόθεν περιλαμβάνων ἐστί· κἄν δι' B
tribulationes immitat), praedentior evaderes; et, discrimine inter te et Deum perpenso, quodque homo cum Domino in iudicio descendere volens, cum ne rationem quidem eorum quæ ab eo fiunt intelligas, natura tua et viribus majora ausus fueris, supercilium deprimeres; et divinæ sapientiæ ac potestatis magnitudine cognita, meritas te peccatorum pœnas luisse agnosceres.

VERS. 7. « Aut vestigium Domini invenies? aut ad ultima pervenisti quæ fecit Omnipotens? »

Quæ Dei, inquit, sunt, vires tuas excedunt, nec illius providentiæ rationes invenire, aut consiliorum actionumve ejus fines assequi potes. Sed ne dixeris quidem, te principium ejus et finem inventurum (eventa enim *ultima* vocat); neque principium quidem te invenire non posse, finem autem assecuturum affirmaveris; Dei enim interminabile et semperiternum intellectu comprehendere non potest.

VERS. 8, 9. « Sublime est cœlum, et quid facies? profundiora autem iis quæ in inferno; quid nosti? nonne longiora quam mensura terre, vel latitudo maris? »

Olympiodori et Polychronii. Qui autem, inquit, quanta sit cœli sublimitas assequi poteris? (hoc enim significat: *Et quid facies?* id est, invenire nequaquam poteris) aut quænam illa sint quæ sub inferno posita sunt? Quorsum autem mentionem eorum facio, quæ supra cœlum elata sunt, vel infra terram depressa? Nosti maris latitudinem, quantum sit terræ mensura, aut quemadmodum ipsa fabricata fuerit, et cui fundamento immitatur? profecto nullius harum rerum scientiam insolenter tibi ipsi arrogaveris. Si igitur quæ cernuntur, et quæ a Deo facta sunt, nostrum intellectum fugiant, neque quibus limitibus terra et mare circumscribantur, explicari possit; quomodo non summæ audaciæ fuerit, contra Deum ipsum linguam stringere?

VERS. 10. « Si autem subverterit omnia, quis dicet illi: Quid fecisti? »

Olympiodori et Polychronii. Quasi diceret: Natura ejus captum humanum superat, et particularis providentia erga singulos incomprehensibilis est. Si igitur cuncta etiam subvertere voluerit, quis ejus nitibus tantæque potestati contradixerit? Et hoc quidem reete dicit, et ad rem apposite: *Voluntati enim Dei quis resistat?* Hoc cum illo congruit: *Numquid dicet figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic?* Postquam vero dixerat, *Si subverterit omnia, quis contradicet?* ne videretur dicere, quod te etiam pro potestate sua supplicio afflucerit, confestim subjungit:

VARIÆ LECTIONES.

ἢ γρ. τὴν γνῶσιν. ἰ ἴσ. ἀλλ' οὐδ' ἂν λέγοις, vel, πολλοῦ δεῖ λέγειν. ἰ ἴσ. κατώτερω. ἢ ἴσ. ἀντε-
τείνειν.

VERS. 11. « Ipse enim novit opera iniquorum ; A videns autem absurda, non despiciet. »

Eorumdem. Hæc, inquit, actiones uniuscujusque, et eorum quæ geruntur causam cognoscens, et res humanas sine indagatone non relinquens, nec peccatores impunitos dimittens, facit : tanquam potens ergo, et sapiens, et justus, te peccantem non neglexit, sed punivit. Manifestum igitur est, Jobi causa Sopharum dixisse : Si subverterit ; cumque Deum inevitabilem esse ostendisset, subjunxit, quod hominum opera explorata habeat, nec eorum delicta negligat.

VERS. 12. « Homo autem aliter natus sermonibus, et vir natus mulieris tanquam onager solitarius. »

Olympiodori et Polychronii. Ab asino autem solitario, animali immorigero, similitudinem sumpsit, B ut Jobum in rebus divinis immorigerum et effrenatum esse innueret : tantus enim talisque est Deus, et quæ Dei sunt talia existunt, ut de eis vel mente cogitare tremendum sit. Homines autem frustra ac temere nugantur, vilitate naturæ, si cum divina sapientia et excellentia comparentur, nihil ab asino distantes, et in rebus divinis Dei naturæ contraria sentientes, frustra hallucinantur, neque quidquam a pecudibus discrepant, quæ, præter ea quæ ante pedes posita sunt, nihil intelligunt ; quemadmodum asinus in deserto viæ exitum non habet, quia invia est, neque ad deserti litem extremum pervenire potest, prout neque ad maris terminum is qui in eo natus ; ac si diceret, quod tanquam rationis participes, ex visibilibus Dei sapientiam et potestatem, non intelligant, sed pecudum more circa res præsentibus volutati, nihil rationali natura dignum sapiant.

VERS. 13, 14. « Nam si tu mundum posuisti cor tuum, et extendis manus ad eum, si iniquum quid est in manu tua, longe facio illud a te, et iniquitas in domo tua non maneat. »

Symmachus vero pro, *Extendis ad Deum manus, reddidit, Expandes ad eum palmas tuas* : tempora igitur hic mutantur. Sensus autem hic est : Si qua in re, inquit, mihi optima consulenti obtemperare volueris, cor tuum purga, et repudiatis eis quæ nefarie gessisti, mente sincera ad Deum accede, ac expansis in precatione inculpatis manibus, Deum D suppliciter invoca, finemque peccandi facito, nihil injustum vel iniquum amplius perpetrato, nec impunitatis ullæ reliquias in te remaneant ; et si contigerit quidem te injustam aliquam actionem moliri, at in vita tua nulla improbitas perduret. Si enim hac ratione Deum propitium reddideris, purusque in omnibus videberis, ea tibi contingent, quorum postea mentionem facit ; et (ut uno verbo dicam) sublato omni infortunio, ad pristinam felicitatem redibis.

« Αὐτὸς γὰρ οἶδεν ἔργα ἀνόμων· ἰδὼν δὲ ἄτοπα, οὐ παρόφεται. »

Ἐν αὐτῶν. Ταῦτα, φησὶ, ποιεῖ τὰς ἐκάστου πράξεις εἰδὼς, καὶ τὴν τῶν γινομένων αἰτίαν, καὶ οὐκ ἀνεξέταστα καταλιμπάνων τὰ ἀνθρώπεια, οὐδὲ τοὺς ἀμαρτάνοντας ἐκτὸς τιμωρίας ἀφιεῖς· ὡς δυνατὸς τοίνυν, καὶ σοφὸς, καὶ δίκαιος, ἀνομοῦντά σε οὐ παρῆθεν, ἀλλ' ἐτιμωρήσατο. Σαφὲς δὴ, ὅτι δι' αὐτὸν εἶπε τὸ, Ἐὰν καταστρέψῃ· καὶ δεικνὺς τοῦ Θεοῦ τὸ ἀναπόδραστον, ἐπήγαγεν, ὅτι οἶδε τὰ τῶν ἀνθρώπων ἔργα, μὴ παροῶν τὰ πταίσματα.

« Ἀνθρώπος δὲ ἄλλως ἢ νήχεται λόγοις, βροτὸς δὲ γεννητὸς γυναικὸς ἴσα ὄνῃ ἐρημίτῃ. »

Ὀλυμπικδώρου καὶ Πολυχροτίου. Τὸν ἐρημίτην ὄνον διὰ τὸ ἀνυπότακτον παρέλαβεν, αἰνιτιζόμενος τὸν Ἰὼβ ὡς τὰ πρὸς Θεὸν ἀνυπότακτον· ὁ μὲν γὰρ Θεὸς, φησὶ, τοσοῦτός ἐστι, καὶ τοιοῦτος, καὶ τὰ κατ' αὐτὸν τοιαῦτα, ὅσα καὶ λογίσασθαι φοβερόν. Οἱ δὲ ἄνθρωποι εἰκὴ καὶ μάτην φλυαροῦσιν, οὐδὲν ὄνου, κατὰ τὸ εὐτελὲς τῆς φύσεως, ὅσον πρὸς τὴν θείαν σοφίαν καὶ ὑπεροχὴν, διαφέροντες, τὴν ἄλλως τε πλανῶνται περὶ τὰ θεῖα, ἐναντία τῆς τοῦ Θεοῦ φύσεως δοξάζοντες, καὶ οὐδὲν τῶν βροσκημάτων διανοήσασθαι, τῶν ἐν ποσὶ πλέον εἰδότες οὐδὲν· καθάπερ καὶ ὄνος ἐν ἐρήμῳ, τῆς ὁδοῦ διεξοδὸν οὐκ ἔχων διὰ τὸ ἄσβατον, μὴδὲ δυνάμενος εἰς πέρας ἀφικέσθαι τῆς ἐρήμου, ὡς περ οὖν οὐδ' ὁ νηχόμενος εἰς πέρας τῆς θαλάσσης· ἴνα εἴπῃ, ὅτι οὐχ ὡς λογικοὶ συνιᾶσιν ἀπὸ τῶν ὁρωμένων τοῦ Θεοῦ τὴν τε σοφίαν καὶ τὴν δύναμιν, ἀλλὰ θρημμάτων εἰκην περὶ τὰ παρόντα εἰλούμενοι, οὐδὲν ἄξιον λογικῆς φρονουσί φύσεως.

« Εἰ γὰρ σὺ καθάρῃν ἔθου τὴν καρδίαν σου, ὑπετίλξεις δὲ χεῖρας πρὸς αὐτόν, εἰ ἀνομόν τί ἐστιν ἐν χειρὶ σου, πόρρω ποιήσον αὐτὸ ἀπὸ σοῦ, ἀδικία δὲ ἐν διαίτῃ σου μὴ αὐλισθήτω. »

Ὁ δὲ Σύμμαχος ἀντὶ τοῦ, Ἰπτιάζεις χεῖρας πρὸς Θεόν, Ἀπλώσεις πρὸς αὐτόν τὰς παλάμας σου, ἐκδέδωκεν· οἱ οὖν χρόνοι ἐνταῦθα ἐνηλλαγμένοι εἰσίν. Ὁ δὲ νοῦς οὗτος, Εἰ τί μοι πείθῃ, φησὶ, τὰ κάλλιστα συμβουλεύονται, καθάρῃν σου τὴν καρδίαν, καὶ τῶν ἀθέσμων σοι πεπραγμένων ἀποβολὴν ποιησάμενος, εἰλικρινεῖ πρότελθε τῷ Θεῷ διαθέσει, καὶ τὰς χεῖρας ἀμώμους εἰς εὐχὴν ἐκπέτασον, δεήθητί τε τοῦ Θεοῦ, καὶ παῦσαι παρανομῶν, καὶ μηκέτι ἀδικήσης ἢ παρανομήσης, μὴδέ τι φαῦλον λείψανον ἐν σοὶ ἀπομεινάτω· ἀλλὰ κἂν συμβῆ σε ἐν ἀρχῇ τοῦ ἀδικεῖν γενέσθαι, μὴ παραμενέτω ἐν τῷ σῶ βίῳ ἡ κακία. Εἰ γὰρ οὕτως ἴδωσιν ποιήσῃ τὸν Κύριον, καὶ καθαρὸς ἐν πᾶσι δειχθήσῃ, ἔσονται σοι τάδε ἅπερ ἐφεξῆς φησὶ· καὶ τὸ ὅλον, πᾶσαν δυσπραγίαν ἀποδυσάμενος, εἰς τὴν προτέραν ἐπανήξει· εὐδαιμονίαν.

VARIÆ LECTIONES.

¹ ἴσ. τὴν ἄλλως. ^m ἴσ. ἀθέσμος.

« Καὶ τὸν κόπον ἐπιλήθη, ὡσπερ κύμα παρελθὸν, A καὶ οὐ μὴ πτοηθήσῃ. »

Ἄλλ' οὐδὲ ἴχνος ὑπολειφθήσεται σοι τῶν κόπων, οὐδὲ μνημόσυνον τῶν συμφορῶν, ὡσπερ οὐδὲ κύματος παρελθόντος ἴχνη καταλιμπάνεται· ἄφθορος δὲ ἔσῃ λοιπὸν, γαληνιασάντων ἐπὶ σοὶ τῶν κακῶν. Ἡδὺ δὲ πάντως ὡσπερ γαλήνη μετὰ χειμῶνα, οὕτως εὐκληρία μετὰ τὴν δυσκληρίαν.

« Ἡ δὲ εὐχὴ σου ὡσπερ ἑσφόρος. »

Ὀλυμπιοδώρου καὶ Πολυχρονίου. Ἄντι τοῦ, καθαρά καὶ ἀνούσσα^a, ἢ φωτίζουσα τῆς ψυχῆς σου τὴν ἐκ τῶν κακῶν σκοτομηνίαν· εἴτου ἀγγελος τῆς περιφανοῦς ζωῆς.

« Ἐκ δὲ μερίμνης καὶ φροντίδος ἀναφανεῖται σοι εἰρήνη. »

Ὀλυμπιοδώρου καὶ Πολυχρονίου. Τὰς δὲ, νῦν ἐχούσας μερίμνας ἐπωδύνους, φροντίδας, γαληνιατά τις καὶ εἰρηνικὴ κατάστασις διαδέξεται· πάσης γὰρ ταραχῆς καὶ φροντίδος ἢ κατὰ Θεὸν φροντίς ἡλευθέρωται· φροντιστίον οὖν τῶν εἰς εὐσέβειαν ἠκόντων.

« Μεταβαλλόμενοι δὲ πολλοὶ σοῦ δεηθήσονται· σωτηρία δὲ αὐτοὺς ἀπολείψει· ἢ γὰρ ἐλπίς αὐτῶν, ἀπώλεια· ὀφθαλμοὶ δὲ ἀσεβῶν τακῆσονται. »

Πολυχρ. καὶ Ὀλυμπ. Οἱ δὲ νῦν, φησὶ, περι-
ορῶντές σε διὰ τὰς συμφορὰς, καὶ ἐπεμβαίνοντές σοι, ὑστερόν σου δεηθήσονται, ὅταν αὐτοὺς ἢ παρὰ Θεοῦ σωτηρία καταλίπη, καὶ μηδεμίαν ἔχωσιν ἐλ-
πίδα· τότε δὴ καὶ τακῆσονται αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοὶ ἐπὶ τῇ σῇ εὐημερίᾳ, ὑπὸ τοῦ φθόνου δηλονότι. Ἐκ
δὲ τούτων τῶν λόγων ἔστι συνιδεῖν, ὅτι πρὸς πᾶσι τοῖς κακοῖς καὶ τινὰς ἐπέστησεν ὁ διάβολος ἐπιγε-
λᾶν, καὶ ἐπεμβαίνειν ἐν ταῖς τοῦ Ἰὼβ συμφοραῖς.
Ἄλλ' οὗτοι, φησὶ, μετὰ τοῦτο ἐν συμφοραῖς ἐξεταζό-
μενοι, τῆς παρὰ σοῦ ἐπικουρίας τυχεῖν σπουδάσου-
σιν, οὐ μὴν καὶ ἐπιτευξόνται ὡς προσεδόκησαν, ἀλλ'
αἱ ἐλπίδες αὐτῶν ἀπολοῦνται μὴ ἐπιτυγχάνουσαι·
οὐδὲ γὰρ ἐνδέχεται τοὺς παρανόμους πράττειν ἀσφα-
λῶς, ἀλλὰ τοῖς δεινοῖς περιπεπωκότες, ἐν ὅσῳ με-
ταβολὴν ἐλπίζουσιν, ὑπὸ τῶν συμφορῶν φθάνουσι
διαφθαρῆναι, ἢ τινος ἀγαθοῦ τυχεῖν. Ἐνταῦθα μέν-
τοι πονηρὸς τινὰς ἀνίττεται, καὶ τὴν λύπην αὐτῶν
τὴν γινομένην ἐπὶ μεταβολῇ τοῦ· ἀνιάρως περιπε-
πωκότος· περὶ ὧν καὶ ἀποφαίνεται, ὅτι νεκρωθή-
σονται, τῶν ἐπὶ σοὶ πονηρῶν ἐλπίδων ἐκπεπωκότες,
καὶ τῷ φθόνῳ τακῆσονται, τὴν σὴν εὐπραγίαν θεω-
ροῦντες· ἢ, κατὰ Θεοδοτίωνα, *Οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν*
ἐκλείψουσι, τοῦτέστι, Ἀποκαμοῦσιν ἐν τῷ ὄρῳ ἐπι-
πολύ, καὶ προσδοκᾶν τὴν σὴν πάλιν εἰς ἀτυχίαν με-
ταβολὴν, μὴ ἔχειν δὲ ταύτην ἰδεῖν. Ταῦτα δὲ πρὸς
ἕτερον μὲν λεγόμενα δι' ἀμαρτίας κακῶς πάσχοντα,
καλῶς ἐλέγετο· οὐδὲ γὰρ ἀπόβλητοι τῶν φίλων τοῦ
Ἰὼβ οἱ λόγοι, ἐὰν ἕτερον ἦν πρόσωπον τὸ νοουθετοῦ-

VERS. 16. « Et laborem oblivisceris tanquam fluctum qui præterit, et non terreberis. »

Sed ne vestigium quidem molestiarum, aut calamitatum memoria ulla exstabit, prout nec fluctus præterlapsi vestigia ulla relinquuntur : reliquum vero vitæ, sedatis omnibus malis, intrepide transiges. Sicut autem grata est omnino post tempestatem tranquillitas, ita post adversam prospera fortuna.

VERS. 17. « Et oratio tua tanquam lucifer erit. »

Olympiodori et Polychronii. Id est, pura et exoriens; vel, tenebrosam animæ tuæ noctem ex malis contractam illustrans; sive, vitæ conspicuæ nuntia.

VERS. 18. « De cura vero ac sollicitudine apparebit tibi pax. »

Olympiod. et Polychr. Curas vero, quæ cum anxiis et laboriosis sollicitudinibus nunc conjunctæ sunt, tranquilla quædam et pacata conditio excipiet. Cura enim quæ secundum Deum est, ab omni sollicitudine et perturbatione libera est : res igitur quæ ad religionem et Dei cultum spectant, diligenti studio curandæ sunt.

VERS. 19, 20. « Transmutati autem multi rogabunt te ; salus autem eos deseret ; spes enim eorum, perditio ; et oculi impiorum tabescent. »

Polychronii et Olympiodori. Qui vero nunc, inquit, te propter calamitates tuas despiciunt, tibi que insultant, postea, cum divina salus eos deseruerit, et spes omnis decollaverit, opem tuam implorabunt : tunc etiam oculi eorum, præ invidia, scilicet, prosperam tuam sortem intuentes, liquescent. Ex his autem verbis intelligere licet, quod diabolus, præter cætera mala, quosdam etiam instigaverit, qui Jobum ludibrio haberent, et in calamitatibus ejus insultarent. Hi autem, inquit, postea calamitatibus vexati, auxilio tuo potiri sedulo contendent, exspectatione autem frustrabuntur, et spes illorum irritæ et inanes peribunt; fieri enim non potest, ut improbi secure degant, sed in casus adversos incidentes, quatenus rerum mutationem exspectant, priusquam boni alicujus participes fiant, calamitatibus obruti extinguuntur. Itaque hoc in loco imperos quosdam intelligit, et mœrorem quem conceperant pro mutatione tui status, qui in molestias et difficultates incideras; de quibus etiam pronuntiat, quod de spe improba, quam de te fovebant, excidentes, enecabuntur, et prosperam tuam sortem intuentes, invidia contabescent; vel, secundum Theodotionem : *Oculi eorum deficient*; id est, Multum intuenso, et fortunæ tuæ in pejus rursus mutationem exspectando, quam videre tamen non possint, fatiscunt. Hæc vero si alteri dicta fuissent, qui propter peccata adversa pateretur, non inepte dicta fuissent (neque enim amicorum Jobi sermones

VARIE LECTIONES.

^a Ἰσ. ἀνούσσα. * Ἰσ. σοῦ.

rejiciendi erant, si alius quispiam commonefaciendus fuisset, et debita adhibita distinctione habitus fuisset); justus vero eo magis dolet, quod improbitatis nullius sibi conscius, tanquam impius ad agendam poenitentiam moneretur.

CAP. XII.

Protheoria.

Postquam Sopharus vehementiore usus fuisset oratione, et divina sapientia et potestate in medium allata, justo partim metum incutere, partim quod non injuste pateretur, ostendere conatus fuisset; Jobus Sopharum, quod manifesta et ab omnibus confessa demonstrationibus astruere vellet, subsannat. Deinde, in rebus divinis se plus amicis sapere ostendens, magnifice de Dei sapientia et potestate loquitur; illosque vituperat quod sermones ad medendum idoneos proferre non potuerint: ipse vero, coram justo Deo quænam pateretur, justo ejus judicio multum fretus, libenter narrat. Amicos etiam causatur, quod Dei patrociniū contra jus et fas in se recepissent, dicitque: Licet milles pro Deo loqui videamini, si dolose tamen et juste locuti fueritis, Deus qui veritatem diligit, vos nequam probabit. Ipse vero e contrario, quia sine dolo et sincere, quæ animo habebat, coram Deo cum fiducia dissereret, salutem assequi sperat, et dicit: Novi ego quod in veritate loquens, apud verum et justum Deum, justus apparebo. Deinde ad preces convertitur, et veniam, si in aliquo offendisset, a Deo deprecatur, naturæque imbecillitatem pro supplicatione in medium proponit, nullum hominem purum esse asserens, quanvis uno tantum die in vitam p̄odeat. Comparatione autem facta, hominem plantis imbecilliorē esse ostendit, et Deum tanquam opificem, ut suo opificio parcere velit, suppliciter precatur, nolitque ad accuratam examinationem et inquisitionem descendere, enixe rogat. Admiratione autem dignum est, quomodo tantis calamitatibus et cruciatibus vexatus, stupore percussus non fuerit, nec animum desponderit; quomodo eorum, quæ ab amicis dicebantur, nihil eum latuerit, sed omnibus obviam iverit, dogmata protulerit, de Deo opiniones dignas habuerit, et in mediis tormentis, tanquam non in carne, sed totus in spiritu, philosophatus fuerit.

VERS. 1, 2. « Respondens autem Job, ait: Itaque vos estis homines? aut vobiscum morietur sapientia? »

Vos solos, inquit, homines esse judicatis, qui Dei magnalia cognita habeatis, et rationis facultatem diligenter custodiatis; neque quemquam ante vos sapientem fuisse, vel postea evasurum, sed sapientiam omnem vestra ætate exitum habituram, ita ut nemo alius particeps ejus fiat, existimatis. Id est: Vobiscum finem sortietur, neque ad alium transibit, sed in vobis solis sapientia perfectio limitibus

Λ μενον, και μετά τῆς προσηκούσης λέγωνται διαρέσσω· ὁ δὲ δίκαιος καὶ μᾶλλον ἀλγεῖ, οὐδὲν μὲν ἑαυτοῦ συνειδώς, ὡς ἀσεθῆς; ἐξ νοουθετούμενος εἰς μετάνοιαν.

ΚΕΦΑΛ. ΙΒ΄.

Προθεωρία.

Σφοδρότερον τοῦ Σωφάρ χρησαμένου τοῖς λόγοις, καὶ διὰ τῆς τοῦ Θεοῦ σοφίας καὶ δυνάμεως πειρασθέντος, τοῦτο μὲν φοβῆσαι τὸν δίκαιον, τοῦτο δὲ καὶ δεῖξαι, ὅτι οὐκ ἀδίκως πάσχει· χλευάζει ὁ Ἰώβ τὸν Σωφάρ, ὡς τὰ ὁμολογημένα δι' ἀποδείξεων βουληθέντα κατασκευάσαι. Εἶτα καὶ αὐτῆς μεγαλοπρεπῶς ἐξηγεῖται τὰ περὶ τῆς τοῦ Θεοῦ σοφίας καὶ δυνάμεως, δεικνύς ὅτι συνετώτερος αὐτῶν ἐστὶ περὶ τὰ θεῖα· καὶ μέμφεται μὲν τοὺς φίλους, ὡς οὐ δυναθέντας θεραπευτικούς λόγους εἰπεῖν· αὐτῆς δὲ, ἐπὶ τοῦ δικαίου Θεοῦ ἡδῶς λέγει τὰ προσόντα αὐτῷ, σφόδρα θαυρῶν τῆ τοῦ Θεοῦ δικαιοκρασία, καὶ αἰτίσται τοὺς φίλους, ὡς παρὰ τὸ δίκαιον τὴν ὑπὲρ Θεοῦ δικαιολογίαν ἀναλαθόντας, καὶ φησιν, ὅτι Κἂν μυριάκις δόξητε ὑπὲρ Θεοῦ λαλεῖν, καλῆτε δὲ μετὰ ὄλου καὶ παρὰ τὸ δίκαιον, οὐκ ἀποδέξεται ὑμᾶς ὁ φιλαλήθης Θεός. Τὸ δὲ ἐναντίον, αὐτῆς σωτηρίας ἐλπίζει τεύξεσθαι, ὡς ἀδύλως καὶ καθαρῶς ἂ φρονεῖ μετὰ παρρησίας ἐπὶ τοῦ Θεοῦ διαλεγόμενος, καὶ φησιν· Οἶδα ἐγὼ ὅτι δίκαιος ἀναφανοῦμαι πρὸς ἀληθῆ Θεὸν καὶ δίκαιον σὺν ἀληθείᾳ φησαγγόμενος. Εἶτα τρέπεται καὶ εἰς αἰτίησιν πρὸς Θεὸν, καὶ παρακαλεῖ συγγνώμης τυχεῖν, εἰ τι καὶ ἤμαρτε, καὶ τὸ τῆς φήσεως ἀσθενὲς εἰς ἰκεσίαν προβάλλεται, φάσκων, μηδένα ἀνθρώπων εἶναι καθαρὸν, κἂν μίαν ἡμέραν εἰς τὸν βίον παρέλθῃ ρ. Δείκνυσι δὲ κατὰ παράθεσιν, ὡς τῶν φυτῶν ἀδρανέσι· ἐρός ἐστὶν ὁ ἀνθρώπος, καὶ ἰκετεύει τὸν Θεὸν ὡς ποιητῆ, φείσασθαι τοῦ ἰδίου δημιουργήματος, καὶ ὅξιοι, μὴ πρὸς ἀκριβεῖς ἐλθεῖν ζητήσεις καὶ ἐλεγμούς. Θαυμάζει δὲ ἄξιον, πῶς ἐν τοσαύταις συμφοραῖς καὶ βασάνοις οὐκ ἐξεπλάγῃ, οὐ κατέπεσε· πῶς οὐδὲν αὐτὸν τῶν ὑπὲρ τῶν φίλων λαληθέντων διέλαθεν, ἀλλὰ καὶ πρὸς πάντα ἀπαντᾷ, καὶ δόγματα λαλεῖ, καὶ ἀξίως Θεοῦ τὰς περὶ αὐτοῦ κέκτηται ὑπολήψεις, καὶ ἐν μέσαις ταῖς βασάνοις, ὡς μὴ ὢν ἐν σαρκί, ἀλλ' ὄλος ἐν πνεύματι, φιλοσοφεῖ.

« Ἰπολαβῶν δὲ Ἰώβ, λέγει, Εἶτα ὑμεῖς ἐστὲ ἀνθρώποι; ἢ μεθ' ὁμῶν τελευτῆται σοφία; »

Μόνους, φησιν, ἑαυτοὺς κρίνεται ἡ ἀνθρώπους, εἰδὸτας τὸ μεγαλεῖον τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ λογικὸν ἀκριβῶς διασώζοντας· καὶ οἰεσθε μήτε τινὰ τῶν πρὸ ὑμῶν γεγενῆσθαι σοφόν, μήτε ἔσεσθαι μεθ' ὑμᾶς, ἀλλ' εἰς ὑμᾶς ἡ πᾶσα τελευτᾷ σοφία, ὡς μηδένα ἄλλον μετέχειν αὐτῆς. Τουτέστι, Πέρας σὺν ὑμῖν λήφεται, ἐφ' ἕτερον δὲ οὐ μεταθίσταται, ἀλλ' ἐν ὑμῖν μόνους ἡ τελειότης τῆς σοφίας περιγραφῆσεται. Ταῦτα δὲ λέγει,

VARIAE LECTIONES.

ρ ἰσ. προέλθῃ. ρ ἰσ. κρίνετε. ρ ἰσ. ἐφ' ὁμῶν τὴν πᾶσαν τελευτῆσιν σοφίαν.

οὐ κατεπαίρδμενος αὐτῶν, ἀλλ' ἀχθόμενος ἐφ' οἷς ἄρα παρὰ τὴν ἀλήθειαν λαλοῦσιν· ἐπάγει γοῦν·

« Κάμοι μὲν καρδία καθ' ὁμᾶς ἐστίν. »

Τὴν αὐτὴν ὕμιν, φησίν, εἰμὶ ἔχων φύσιν, οὐδ' αὐτὶς ἀγνοεῖ τὰ τοιαῦτα δύναμαι· ἄνθρωπος γάρ εἰμι κτήν, καὶ πάντως οὐκ ἀκάρδιος. Βούλεται δὲ εἰπεῖν, ὅτι Συνέσει μὲν ὑμῶν οὐ λείπομαι· ἀλλὰ συνήμι κτήν ὡσπερ ὑμεῖς, καὶ οὐκ ἀπολώλεκα τὴν καρδίαν, ὡς περὶ τινῶν λέγεται τὴν καθήκουσαν ἐνέργειαν ἀποβαλόντων τῆς ψυχῆς, τῷ δὲ μεγέθει τῶν κακῶν βεβλημένος, πρὸς τὸ λαιδρεῖσθαι πρόκειται.

« Δίκαιος γὰρ ἄνθρωπος καὶ ἀμεμπτος ἐγενήθη εἰς χλευάσμα. »

Καὶ εὖτις μὲν περὶ ἑαυτοῦ λέγειν, καθολικὴν δὲ ἐκτίθεται λόγον, ὅτι οἱ σαρκικοὶ τὰ τῶν δικαίων καὶ πνευματικῶν μωρίαν ἠγοῦνται· κατὰ τὸ εἶρημένον, *Ψυχικὸς ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ Πνεύματος*. Δίκαιον δὲ ἑαυτὸν ἐνταῦθα λέγει, οὐχὶ τὴν τελείαν ἀρετὴν ἑαυτῷ μαρτυρῶν, ἀλλὰ τὸ μηδένα ἠδικηκέναι, τὸ μηδένα τῶν ἄλλων ἔχειν ἐγκαλεῖν αὐτῷ. Καὶ εἰ ἐγὼ, φησὶ, μηδὲν ἠδικηκῶς τοιαῦτα πάσχω, πόσῳ μᾶλλον ὁ πονηρὸς;

« Εἰς χρόνον γὰρ τακτὸν ἠτοίμαστο πεσεῖν ὑπὸ ἀλλῶν, οἴκους τε αὐτοῦ ἐκπορευεῖσθαι ὑπὸ ἀνόμων. »

Ἐνταῦθα οἱ τὴν εἰμαρμένην δοξάζοντες, φασίν, ὅτι Ἰδοὺ καὶ ἡ Γραφή λέγει ὅτι εἰμαρτὴν αὐτὸν παθεῖν καὶ ὅτι ὠρσθη ὑπὸ Θεοῦ ἐλάττονα τοῦτον ὀφθῆναι τῶν πρότερον ὑποδεεστέρων. Ἄλλ' οὐ τοῦτο ἡ Γραφή λέγει, μὴ γένοιτο· οὐ γὰρ ὑπ' ἀνάγκην τὰ ἡμέτερα πάθη, εἴτε φυσικὰ εἴεν, εἴτε προαιρετικά, εἴτε πειραστικά· τὰ μὲν γὰρ τῇ τῆς φύσεως ἀσθενείᾳ προσαπτέον, τὰ δὲ τῇ αὐτεξουσίᾳ προαιρέσει, τὰ δὲ τῇ τοῦ Θεοῦ κυβερνήσει, πρὸς τὸ συμφέρον ἐπὶ τινὰ χρόνον ἡμῖν ἐπιφέρεισθαι συγχωροῦση· ἀλλ' ὅτι ἐν μέτρῳ διοικῶν τὰ καθ' ἡμᾶς ὁ Θεὸς τοῖς τῆς ἑαυτοῦ προνοίας λόγοις, οἷδε καὶ μέχρι πόσου συμφερόντως δεῖ πάσχειν ἡμᾶς, καὶ κατὰ μέτρον ἐπάγει τοὺς πειρασμούς.

« Οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ μηδεὶς πεποιθῆτω πονηρὸς ὢν ἀθῶος ἕσεσθαι, ὥστε παροργίζουσι τὸν Κύριον, ὡς οὐχὶ καὶ ἔτασις αὐτῶν ἔσται. »

Πολυχρονίου καὶ Ὀλυμπιδοῦρου. Οἰεσθέ με, φησίν, ἀγνοεῖν τοὺς τῆς Προνοίας λόγους, καίτοι καὶ τοῦτους οὐκ ἔλαττον ὑμῶν γινώσκω· καὶ οἶδα ὡσπερ καὶ ὑμεῖς, ὡς οὐκ ἔνεστιν εἰς Θεὸν ἡμαρτηκότα μὴ δοῦναι δίκην. Δῆλον γὰρ τοῦτο καὶ ὠμολογημένον, ὡς οὐκ ἀτιμώρητος ἡ ἀμαρτία, οὐδὲ ἀνεξέταστοι μένουσιν οἱ τὸν Θεὸν παροργίζοντες· καὶ χλευάζη τις τὸν δίκαιον, καὶ καταδυναστεύη, οὐκ ἔσται ἀθῶος, καὶ ἐκνικήσῃ αὐτὸν τῷ δοκεῖν· παροργίσει γὰρ ὁ

* I Cor. II, 14.

circumscribetur. Hæc autem nulla animi elatione contra eos dicit, sed moleste ea ferens quæ contra veritatem dixerant; quare subjungit :

VERS. 3. « Et mihi quidem cor juxta vos est. »

Eadem, inquit, vobiscum natura præditus sum, neque hæc ignorare possum; homo enim ego sum, nec omnino excors. Dicere autem vult: Rerum intelligentia vobis inferior non sum, sed periunde ut vos sapio, neque cor perdidit, quod de quibusdam dicitur qui debitum animi usum amiserunt; malorum autem magnitudinis ictus, aliorum contumeliis expositus sum.

VERS. 4. « Sed justus vir et sine crimine venit in derisum. »

Videtur quidem de seipso verba facere; dictum autem catholicum profert, quod homines, scilicet, carnales, ea quæ ab hominibus justis et spiritualibus fiunt, stultitiam existiment; juxta illud: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus* ⁷⁵. Justum autem se hoc loco dicit, non quod perfectam virtutem hoc testimonio sibi arroget; sed quod nemini injuriam fecerit, nec quisquam sit, qui criminari eum posset. Quod si ego, inquit, qui nihil injustum perpetravi, talia patior, quanto magis improbus?

VERS. 5. « In tempus autem statutum paratus fuerat, ut caderet ab aliis, et domus ejus ut devastarentur ab iniquis. »

Qui opinionem fati tuentur, ex hoc loco dicunt: Ecce ut Scriptura ipsa asserat fato decretum ut pateretur, et a Deo constitutum fuisse, ut minor eis appareret, qui prius ipsi inferiores erant. Scriptura autem hoc non dicit, absit. Mala enim quæ patimur, sive naturalia, sive voluntaria sint, sive a tentatione procedant, fatali necessitati obnoxia non sunt (quædam enim naturæ imbecillitati, alia vero voluntatis libero arbitrio, et alia divinæ gubernationi, quæ propter commodum nostrum ad tempus aliquod nobis inferri ea sinit, ascribenda sunt); Deus vero qui secundum modum et mensuram, providentiæ suæ rationibus nostra gubernat, quatenus cum utilitate pati nos mala oporteat novit, et tentationes certo modo et debita mensura hominibus infert.

« Verumtamen nemo confidat, cum malignus sit, futurum se insontem, [VERS. 6] quicumque irritant Dominum, tanquam inquisitio in eos non sit futura. »

Polychronii et Olympiodori. Arbitramini, inquit, me Providentiæ rationes ignorare, quæ mihi tamen non minus quam vobis cognitæ sunt: quin et illud non secus ac vos novi, quod supplicium effugere non possit, qui in Deum peccaverit. Quod peccatum enim non evadat impunitum, neque sine exploratione maneat qui Dei iram accendunt, manifestum et in confesso est: etsi justum aliquis ludibrio habuerit et potestate sua oppresserit, licet externa ap-

VARIE LECTIONES.

* Ισ. εἴμαρτο.

parentia exsuperare eum videatur; insons non erit; A talis enim Dei iram provocat: eorum autem quæ geruntur, sine dubio examinatio futura est et iudicium.

Vers. 7-11. « Sed tamen interroga quadrupedia, si tibi respondeant; volatilia autem cæli, si tibi annuntient; enarra terræ si tibi dicat, et exponat tibi pisces maris. Quis igitur non cognovit in omnibus his, quod manus Domini fecit hæc? si non in manu ejus est anima omnium viventium, et spiritus omnis hominis? Nam auris quidem dijudicat verba, fauces autem cibos gustant. »

Chrysostomi et Olympiodori. Quandoquidem Dei notitiam se habere gloriabantur, ideo omnem creaturam suam opificem nosse demonstrat, quod non tantum hominibus compertum est, sed etiam brutis animantibus, et terræ quæ sensus expers est. Cur igitur, inquit, quasi magnum aliquid et admirandum dixissetis, sic affecti estis? Oportet enim omnino improbum interire, neque quisquam est, qui hoc ignoret. Ut Sopharo autem majorem pudorem incuteret, hyperbolice dixit: Interroga irrationalia et inanimata, quæ etiam, licet non loquantur, eo quod vocem talem edere videantur, Dei gloriam enarrant; cum itaque divinæ potentiæ vim sentiant, si sermone prædita essent, Deum universi creatorem profiterentur, cujus sapientia captum humanum superat, qui de improbis supplicium sumit, in cujus manu viventium omnium vita et mors sita est, qui quidquid de singulis statuerit, facili negotio præstat, quique brutorum animam, et hominis spiritum, et omnia alia fovet ac conservat. Si igitur bruta animantia ita de Deo prædicarent, si sermone prædita essent, quanto magis homo qui natura ratione imbutus est, quemadmodum nimirum guttur vel palatum gustabilia, et auris discernendi sonos facultate pollet. Quædam autem exemplaria, pro *aure, mentem* habent; dicit igitur: Quemadmodum ad dijudicandum esculenta, guttore omnes præditi sumus, et commune est omni homini cibum sumere: ita et ad Dei notitiam mentem accepimus, quæ sapientiam ejus et potentiam percipere posset (mens enim intelligibilia, sensus autem ea quæ sub sensum cadunt, discernit), nobisque etiam omnibus commune est, Deum universi opificem agnoscere.

Vers. 12. « In multo tempore sapientia est, et in multa vita est scientia. »

Chrysostomi et Olympiodori. Mihi videtur his verbis illos perstringere: Nolite, inquit, vos omnia invenisse existimare; licet enim mente imbuti simus quæ vim dijudicandi habet, ut inveniamus tamen, longo tempore egeinus; sapiens enim senescens in sapientia progressus facit. Hoc etiam fortasse dicere vult: Quæ audio scio, et tempus ad scientiam adipiscendam impendi. Aquila autem et Symmachus, hic quidem: *In antiquis sapientia*; ille vero, *In longævis*, reddidit; quæ apud homines quidem labore perficitur, et tempore acquiritur, apud Deum vero sola voluntate.

Vers. 13. « Apud eum sapientia et virtus. »

Α τοιοῦτος τὸν Θεόν· ἔσται δὲ πάντως ἐξέτασις τῶν πραττομένων καὶ κρίσις.

« Ἀλλὰ δὴ ἐρώτησον τετράποδα, ἂν σοι εἰπωσι· πετεινὰ δὲ οὐρανοῦ, ἂν σοι ἀπαγγείλωσιν· ἐκδιήγησαι γῆ ἂν σοι φράση, καὶ ἐξηγήσονται σοι οἱ ἰχθύες τῆς θαλάσσης. Τίς οὖν οὐκ ἔγνω ἐν πᾶσι τούτοις, ὅτι χεὶρ Κυρίου ἐποίησε ταῦτα; εἰ μὴ ἐν χειρὶ αὐτοῦ ψυχὴ πάντων ζώντων, καὶ πνεῦμα παντὸς ἀνθρώπου; Οὐς μὲν γὰρ ῥήματα διακρίνει, λάρυγξ δὲ σῖτα γεύεται. »

Χρυσοστόμου καὶ Ὀλυμπιόδωρου. Ἐπειδὴ μέγα ἐκείνοι ἐφρόνου, ὡς τὴν τοῦ Θεοῦ ἔχοντες γνώσιν, τούτου χάριν ἀποφαίνεται, ὅτι πᾶσα ἡ κρίσις οἶδε τὸν Δημιουργόν, καὶ οὐκ ἀνθρώποις τούτο δῆλον μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀλόγοις, καὶ αὐτῇ τῇ ἀναισθητῷ γῆ. Τί τοίνυν ὡς μέγα τι καὶ θαυμαστὸν εἰρηκίτες, οὕτω διάκεισθε; Δεῖ γὰρ πάντως τὸν πονηρὸν ἀπολέσθαι, καὶ οὐδεὶς ἀγνοεῖ. Πρὸς πλείονα δὲ ἐντροπήν τοῦ Σωφᾶρ, ὑπερβολικῶς εἶπεν, Ἐπερώτησον τὰ ἄλογα καὶ ἄψυχα, ἃ καὶ αὐτὰ διηγείται δόξαν Θεοῦ, τῷ φαίνεσθαι οὕτω φθέγγεσθαι, κἂν μὴ λαλώσι· τῆς γούν τοῦ Θεοῦ δυνάμει; ἐπαισθάνοντα, κἂν φωνῆν λάβωσιν, ἐρουσῖν, ὅτι δημιουργός ἐστι τῶν ὄλων Θεός, καὶ τὴν σοφίαν ἀνέφικτος, καὶ τῶν πονηρῶν τιμωρός, καὶ ὅτι ὑπὸ τὴν χεῖρα αὐτοῦ πάντα ἐστὶ, καὶ ἡ ζωὴ τῶν ζώντων, καὶ ὁ θάνατος, καὶ ἐισίμωμος ἔχει ποιεῖν, ὃ ἂν περὶ ἐκάστου βουλευσῆται, καὶ πάντα συνέχει καὶ διακρατεῖ, τὴν τε ψυχὴν τῶν ἀλόγων, καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου. Εἰ τοίνυν τὰ ἄλογα, εἰ ἐφθέγγατο, οὕτως ἂν ἀπήγγελε περὶ Θεοῦ, πόσῃ γε μᾶλλον ὁ ἄνθρωπος, ὃ ἐμφυτον ἔχων τὸ λογικόν, ὡσπερ ἀμέλει καὶ ὁ λάρυγξ διακριτικὸς ἐστὶ τῶν γευστῶν, καὶ τὸ οὐς τῶν φωνῶν. Τινὰ δὲ τῶν ἀντιγράφων, ὄντι τοῦ οὐς, νοῦν ἔχουσι· λέγει οὖν, ὅτι Ὡσπερ λάρυγγα ἐπὶ διακρίσει βρωμάτων ἅπαντες ἔχωμεν, καὶ κοινὸν ἀνθρώπων, τὸ τῆς τροφῆς μεταλαμβάνειν· οὕτω καὶ νοῦν εἰς γνώσιν Θεοῦ εἰλήφαμεν, δυνάμενον εἰδέναι τὰ περὶ τῆς αὐτοῦ σοφίας καὶ δυνάμει; νοῦς μὲν γὰρ νοητὰ, αἰσθησις δὲ τὰ αἰσθητὰ διακρίνει· καὶ κοινὸν ἡμῖν τὸ καὶ δημιουργόν εἰδέναι τὸν τῶν ὄλων Θεόν.

« Ἐν πολλῷ χρόνῳ σοφία, ἐν δὲ πολλῷ βίῳ ἐπιστήμη. »

Χρυσοστόμου καὶ Ὀλυμπιόδωρου. Ἐμοὶ δοκεῖ καθάπτεσθαι αὐτῶν· Μὴ γὰρ νομίζητε, φησὶ, τὸ πᾶν εὐρηκέναι· εἰ γὰρ καὶ νοῦν ἔχομεν διακρίνοντα, ἀλλ' ὁμῶς καὶ χρόνου δέομεθα πολλοῦ ὥστε εὐρεῖν· ὁ γὰρ φρόνιμος παλαιούμενος προκόπτει τῇ σοφίᾳ. Καὶ τάχα τοῦτο θέλει εἰπεῖν, ὅτι Καὶ οἶδα ἃ ἀκούω, καὶ χρόνον εἰς ἐπιστήμην προσέλαβον. Ἀκύλας δὲ, καὶ Σύμμαχος, ὁ μὲν, Ἐν παλαιαῖς σοφία· ὁ δὲ, Ἐν μακροχρονήσασιν, ἐξέδωκε, παρὰ ἀνθρώποις πόνῳ ἀνομόνη, καὶ χρόνῳ ἐγγινομένη, παρὰ δὲ Θεῷ, θελήσει.

« Παρ' αὐτῷ σοφία καὶ δύναμις. »

Παρ' αὐτῶ, τῷ Θεῷ δηλονότι· αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ πηγή τῆς σοφίας καὶ δυνάμεως, ὁ καὶ τοῖς ἄλλοις ταῦτα διδούς. Καὶ τὸ μὲν περὶ Θεοῦ τὰ μέγιστα φρονεῖν, πάντες ἄνθρωποι κέκτηνται· τὴν δὲ ἀκριθεῖ τῶν ἐν τῇ κρίσει γνώσιν, καὶ τὴν κατὰ πάντων δύναμιν ἔχει ὁ μόνος Θεός, καὶ πάντα οἰκονομεῖ, οὐκ εἰκασίᾳ καὶ ἄγνοια τοῦ μέλλοντος, ἀλλ' ἀκριθεῖ ἐκάστου τὴν γνώσιν ἔχων.

« Ἐὐν καταβάλλῃ, τίς οἰκοδομήσει; ἐὼν κλεισθὴ κατ' ἀνθρώπων, τίς ἀνοίξει; »

Τῷ παντοδυνάμῳ προστέθεικε καὶ τὸ ἀναμφήριστον, κατὰ τὸν ψάλλοντα, *Σὺ φοβερός εἶ, καὶ τίς ἀντιστήσεται σοι;* Οὐδεὶς ἄγνοεῖ, φησὶν, ὅτι καὶ σοφός ἐστιν ὁ Θεός καὶ δυνατός, καὶ πάντα μετ' εὐκολίας ποιεῖ ὅσα καὶ βούλεται, καὶ οὐδεὶς ἱκανὸς ἀνατρέψαι τὰ αὐτῷ δοκούντα. Ἀπόδειξις δὲ τῆς δυνάμεως τὰ πρᾶγματα. Εἰ γὰρ τινοσ ὀνόματον καταψήφισται, τίς τοῦτον ἐπελθεῖν κωλύσει δύναται; εἰ δὲ ἀποκτείναι μὲν οὐ βουληθεῖν, ἐπώδυνον δὲ τὴν ζωὴν κατασκευάσαι τινί, τίς ἀρκεῖ παραμυθησασθαι; Ἄ γὰρ ἂν ποιῆ καὸ' ἡμῶν διὰ τὰς ἡμῶν ἀμαρτίας, ἀναντιρρόπως ἐκδύσεται.

« Καθιζάνων βασιλεῖς ἐπὶ θρόνους, καὶ περιέδησε ζώην ὄσφύας αὐτῶν. »

Ἄλλὰ καὶ αὕτη τοῦ Θεοῦ ἐξουσία, τὸ μηδένα χωρὶς αὐτοῦ βασιλεύειν. Καὶ περιέδησε ζώην ὄσφύας αὐτῶν. Ὁ δὲ Σύμμαχος, *Καὶ περιζωννύων αὐτοὺς σχοιρίῳ κατὰ λαρόνων*, ἀντὶ τοῦ, καὶ μεταβάλλων αὐτοὺς εἰς οἰκέτας.

« Ἐξαποστέλλων ἱερεῖς αἰχμαλώτους, δυνάστας δὲ γῆς κατέστρεψε. »

Οὐδὲ γὰρ τῶν ἱερέων φείδεται παρανομούντων, ἀλλὰ τοῖς κακῶς ἄρχουσιν αὐτοὺς συναπόλλυσιν· ἵνα εἴπῃ, ὅτι καὶ οἱ μέγιστοι παρὰ ἀνθρώποις εἰς οὐδὲν αὐτῶ εἰσιν. Εἰ μὲν οὖν τοὺς οὐκ ὀρθῶς χρωμένους τῇ ἱερωσύνῃ λέγει, δηλοῖ ὅτι οὐδὲ ἐκείνων φείδεται, κειροῦ καλοῦντος· εἰ δὲ τοὺς εἰς δέον χρωμένους τῷ πρᾶγματι, σημαίνει ὅτι καὶ τοὺτους πολλὰκις, ὡς τοὺς περὶ Δανιὴλ καὶ Ἰησοῦν τὸν τοῦ Ἰωσεδέκ, εἰς αἰχμαλωσίαν ἐξαποστέλλει Θεός, καὶ διὰ τὸ χρῆσιμον τοῦ ἄλλου πλήθους· ὅσον γὰρ ἐφ' οἷς ἔπραττον οὗτοι, οὐκ ἦσαν ἄξιοι αἰχμαλωσίαν ὑποστῆναι. Τὸ δὲ, *Δυνάστας γῆς κατέστρεψεν*, ὅμοιον τῷ πρὸ αὐτοῦ, *Κριτὰς δὲ γῆς ἐξέστησε*.

« Διαλλάσσων χεῖλη πιστῶν. »

Πιστοὺς ἐνταῦθα λέγει, τοὺς ὀφειλοντας ὡς ἀληθεύοντας πιστεῦσθαι· ὅπερ ὁ Σύμμαχος ἐσαφήνισεν, ἐκδοὺς, *Περιτρέπων χεῖλη ἀπλανήτων*, τουτέστι, καὶ τῶν δοκούντων εἶναι ἀπλανεστάτων τὰς βουλὰς εἰς τοῦναντίον μεθίστησιν, ὡς ἐπὶ τὸν Βαλαάμ ἐπιπέπηκε.

« Ἀνακαλύπτων βαθέα ἐκ σκότους, ἐξήγαγε δὲ εἰς φῶς σκιὰν θανάτου. »

Πρὸς μὲν τὸ ῥητόν· Ὁ καὶ τὰ πᾶσιν ἄδηλα φανε-

⁷⁸ Psal. LXXV, 8.

Apud eum, Deum scilicet; ille enim sapientiæ et potentia fons est, qui hæc etiam aliis largitur. Et quidem de Deo magnificenter sapere, omnibus hominibus datum est; rerum autem creaturarum exactam cognitionem et potestatem super omnes solus Deus habet, omniaque gubernat, non conjectura et ignorantia futuri, sed perfecta uniuscujusque cognitione præditus.

VERS. 14. « Si destruxerit, quis ædificabit? si clauserit contra homines, quis aperiet? »

Omnipotentia divinae ejus certitudinem ratam et indubitatum addidit, juxta Psalmistam: *Tu terribilis es, et quis resistet tibi* ⁷⁸? Quod Deus, inquit, sapientia et potestate præditus sit, quod summa cum facilitate cuncta quæ vult operetur, et quod nullus ejus benèplacita irrita facere possit, nemo est qui ignorat. Rerum autem eventus potestatem ejus demonstrant. Si enim mortem alicujus decreverit, quis, quominus illa superveniat, impedire potest? si autem interimere noluerit, sed vita doloribus plena affigere, quis ad solandum idoneus erit? Quæ enim propter peccata nostra contra nos molitus fuerit, absque omni controversia effectum sortientur.

VERS. 18. « Qui collocat reges super sedes, et circumdedit baltheo lumbos eorum. »

Sed et hæc etiam Dei potestas est, quod sine eo nemini regnare concedatur. *Et circumdedit baltheo lumbos eorum*. Symmachus vero: *Et circumcingens eos fune super lumbos*, id est, ex dominis servos eos reddens.

VERS. 19. « Qui emittit sacerdotes captivos, dynastas autem terræ evertit. »

Neque enim improbis sacerdotibus parcit, sed una cum imperium male gerentibus eos perdit; ac si diceret: Qui in summa auctoritate apud homines sunt, in nullo pretio apud eum sunt. Si igitur eos intelligit, qui sacerdotio abutuntur, Deum ostendit neque iis quidem parcere, si temporis ratio postulet: si vero eos qui prout par est munere funguntur, illos etiam significat sæpenumero Deum solere, et quidem propter reliqui populi commodum, in captivitatem ablegare; quod in Daniele et Jesu Josedechi filio factum est, qui propter suas actiones, ut in captivitatem ducerentur non sunt meriti. Illud autem: *Dynastas terræ evertit*, par illi est quod supra dixit: *Judices autem terræ semovit*.

VERS. 20. « Qui permutat labia fidelium. »

Fideles eos hoc loco vocat, quibus tanquam vera dicentibus fides habenda est; quod Symmachus sua interpretatione evidentius sic expressit: *Qui subvertit labia non errantium*, id est, eorum, qui minime omnium videntur errare, consilia in contrarium convertit, sicut fecit in Balaamo.

VERS. 22. « Qui revelat profunda de tenebris, et produxit in lucem umbram mortis. »

Ad litteram quidem: Qui manifesta facit quæ

omnibus sunt obscura, et qui in apertum producit, quæ tenebris involuta erant; vel, qui homines in periculis et morti vicinos conservat; periculum enim *umbra mortis* vocat. Ad sensum vero magis reconditum, prophetice videtur Domini adventum annuntiare, qui *iis qui in vinculis sunt, dixit: Exite, et his qui in tenebris, Revelate vos*⁷⁶; et *apparuit iis qui in tenebris et umbra mortis sedebant*⁷⁷.

Vers 25. « Decipiens gentes, et perdens eas; sternens gentes, et in viam ducens eas. »

Hoc Israelitis fecit, a recto itinere abducens eos qui ex Ægypto egressi sunt, et mandatis ejus obtemperare noluerunt, quorum cadavera in deserto ceciderunt⁷⁸: filios autem eorum, viam quasi iis sternendo et complanando, in terram promissionis deduxit.

Vers. 24. « Permutans corda principum terræ, errare fecit eos in via quam non noverant. »

Olymp. et Polychr. Simile quiddam etiam in Psalmis dictum est: *Reprobat cogitationes populorum, et reprobat consilia principum*⁷⁹. Theodotio vero, pro *permutans*, reddidit, *transferens*; Symmachus, *vertens*; et Aquila, *removens*, in uno sensu omnes tres convenientes, ac si diceret: Non tantum plehem in fugam vertit, sed viros etiam fortes, et qui reliquis imperare videntur: quod et Sedechiæ contigerat, qui manus contra barbarum attollere non poterat, sed in primo congressu terga dedit. Horum autem meminit, tanquam quæ rebus præsentibus accommodari possent; ita enim et vocum harum commodus et opportunus usus melius elucescet. Deinde enarrans ea, quæ necessario fuga sibi consulentibus evenire solent, subjungit:

« Palpent tenebras, et non lucem; errent autem tanquam ebrius. »

* Ac si diceret, *Hi*, quod ad res propositas agendas attinet, nihil ab iis differunt, qui luce orbati in tenebris et caligine versantur; et calamitatum magnitudine victi, ab iis qui crapula circumaguntur, in nullo discrepant. Illud enim, *Palpent tenebras*, et, *Errent*, optantis non est, sed eventum innuit, hoc est, palpant et oberrant.

CAP. XIII.

Vers. 1. « Ecce hæc vidit oculus meus, et audivit auris mea, et novi quæcunque et vos scitis, et non sum minus intelligens quam vos. »

Olympiodori et Polychronii. Πᾶς, inquit, ipsa experientia didici, et aliis dicentibus audivi, id est, de Deo ex rebus ipsis intellexi, et doctrina accipi, et institutus sum: et licet ætate minor vobis videar, prudentia tamen, et maxime rerum divinarum cognitione, nequaquam superior, nec vobis in his ulla ratione inferior sum.

⁷⁶ Isa. XLIX, 9. ⁷⁷ Luc. I, 79. ⁷⁸ Num. XIV, 29. ⁷⁹ Psal. XXXII, 10.

Α ροποιῶν, καὶ τὰ συνεσκιασμένα ἐξάγων εἰς τοῦμφανές· ἢ καὶ τοὺς ἐν κινδύνοις, καὶ πλησίον ὄντας θανάτου διασώζων· σκιὰν γὰρ θανάτου τὸν κίνδυνον καλεῖ. Πρὸς δὲ διάνοιαν ἔοικε προφητικῶς τῆν τοῦ Κυρίου παρουσίαν καταγγέλλειν, ὃς εἶπε τοῖς ἐν δεσμοῖς, Ἐξέλθατε, καὶ τοῖς ἐν τῷ σκότει, Ἀνακαλύφθητε· καὶ ἐπεφάνη τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιῇ θανάτου καθήμενοις.

« Πλανῶν ἔθνη, καὶ ἀπολλύων αὐτὰ· καταστρουγύων ἔθνη, καὶ καθοδηγῶν αὐτὰ. »

Τοῦτο πεποίηκε τοῖς Ἰσραηλιταῖς, τοὺς μὲν ἐξελθόντας ἐξ Αἰγύπτου καὶ ἀπειθήσαντας· πλανήσας, ὧν τὰ κῶλα ἔπεσον ἐν τῇ ἐρήμῳ· τὰς δὲ τοῦτων υἱοὺς καθοδηγήσας ἐν τῇ γῆ τῆς ἐπαγγελίας, ἐν τῷ ὅσῳ καταστρωσάσαι καὶ ἐξομαλίσει· αὐτοῖς τὴν ὁδόν.

« Διαλλάσων καρδίας ἀρχόντων γῆς, ἐπλάνησε δὲ αὐτοὺς ἐν ὁδῷ ἧ οὐκ ᾔδεισαν. »

Ὀλυμπιοδώρου καὶ Πολυχρονίου. Ὅμοιον τι καὶ ἐν Ψαλμοῖς εἶρηται, Ἀθετεῖ δὲ λογισμοὺς λαῶν, καὶ ἀθετεῖ βουλὰς ἀρχόντων. Ὁ μόνος Θεοδοτίων τὸ, διαλλάσων, μεθιστῶν, φησὶν ὁ δὲ Σύμμαχος, παρατρέπων· ὁ δὲ Ἀκύλας, ἀφιστῶν, εἰς μίαν οἱ τρεῖς ἐρχόμενοι ἔνοιαν· ὡς εἰ λέγει, Οὐ μόνον τοὺς πολλοὺς εἰς φυγὴν τρέπει, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀνδρείους, καὶ τῶν λοιπῶν ἀρχεῖν δοκούντας· ὅσῳ δὲ τι καὶ ἐπὶ Σεδεκίου γέγονεν, οὐδ' ἀνδραὶ χεῖρα· τῷ βαρβάρῳ δυνθηθέντος, ἀλλὰ διαδρόντος καὶ πρὸς τὴν ἐφοδὸν μόνην. Μείνεται δὲ τοῦτων, ὡς δυναμένων ἐπὶ πραγμάτων ἀρμοσθῆναι· οὕτω γὰρ καὶ τὸ καλύτερον τῶν φωνῶν τοῦτων δευχθήσεται. Ἐἶτα καὶ τὰ τοῖς φεύγουσιν ἐξ ἀνάγκης συμβαίνοντα διηγούμενος, φησὶ·

« Ψηλαφῆσαισαν σκότος, καὶ μὴ φῶς· πλανηθεῖσαν δὲ ὡσπερ ὁ μεθύων. »

* Ἴνα εἴπῃ, Οὐδὲν οἱ τοιούτοις διαλλάττουσι, τῶν ἐν ζοφερῷ σκότει ἀφαρουμενων τὸ φῶς, πρὸς τὴν τῶν προκειμένων πρᾶξιν· καὶ ὑπὸ τοῦ μεγέθους δὲ τῶν συμφορῶν, οὐδὲν τῶν ὑπὸ κραυπάλῃς περιτρεπομένων διοίσουσι [Ἰσ. διαφέρουσι]. Τὸ γὰρ, *Ψηλαφῆσαισαν σκότος*, καὶ, *Πλανηθεῖσαν*, οὐκ εὐκτικῶς λέγει, ἀλλὰ τὸ συμβαῖνον [Ἰσ. add. δηλοῖ], τούτῃ ἐστι, *Ψηλαφῶσι*, καὶ *πλανῶνται*.

ΚΕΦ. ΙΓ'.

« Ἴδού ταῦτα ἐώρακέ μου ὁ ὀφθαλμὸς, καὶ ἀκήκοέ μου τὸ οὖς, καὶ οἶδα ὅσα καὶ ὑμεῖς ἐπίστασθε, καὶ οὐκ ἀσυνετώτερός εἰμι ὑμῶν. »

Ὀλυμπιοδώρου καὶ Πολυχρονίου. Ταῦτα, φησὶ, καὶ αὐτῇ τῇ πείρᾳ ἔγνων, καὶ λεγόντων ἐτέρων ἤκουσα, τουτέστι, καὶ ἐκ τῶν πραγμάτων κατέλαθον, καὶ διδαχῇ παρέλαθον, καὶ ἐπαιδεύθην περὶ Θεοῦ· καὶ εἰ τῇ ἡλικίᾳ ἐλάττων ὑμῶν εἶναι δοκῶ, ἀλλ' οὐδὲν εἰς σύνεσιν λαίνομαι, καὶ οὐκ ἤκιστα εἰς τὴν τῶν ὁσίων εἶδῃσιν, καὶ οὐδὲν ὑμῶν εἰμι· περὶ ταῦτα καταδεέστερος.

« Οὐ μὴν δὲ ἄλλ' ἐγὼ πρὸς Κύριον λαλήσω. »

A VERS. 3. « Verumtamen ego ad Dominum loquar. »

Ἵσθ' ὡς ἐπὶ τοῦ δικαίου χριτοῦ, καὶ τοῦ τῶν ψυχῶν ἱατροῦ, βούλεται τὰ καθ' ἑαυτὸν ἐξετασθῆναι, θαρρῶν τῇ τοῦ Θεοῦ δικαιοκρίσει, ὡς τῶν φθίων καὶ σφαλλομένων, καὶ ἀντὶ θεραπείας φαρμάκων καὶ λόγων παρακλήσεως, ἐπιτριβόντων αὐτῷ τῷ τραῦμα.

« Ἐλέγξω δὲ ἐναντίον αὐτοῦ, ἐὰν βούληται. »

Ἀντὶ τοῦ, Ἀποδείκνυμι τὰ κατ' ἐμαυτὸν, εἰ καθ' ὑπόθεσιν τοῦτο θέλει καὶ ἐπιτρέπει· οἶδα γὰρ ὅτι αὐτὸς τὴν αἰτίαν τῆς κακώσεως ἐπίσταται. Ὅμοιον τοῦτω τὸ, Ἄρτι γὰρ ἀνθρώπου πεῖθω; καὶ τὸ, Ὁ δὲ ἀνακρίων με Κύριός ἐστιν. Ἐὰν οὖν ὁ Θεὸς, φησὶν, ἐπιτρέψῃ μοι, αὐτοῦ δικάζοντος, ἐλέγξω ὑμᾶς ψευδομένους, οἳ τὰς νότους τῶν καμνόντων ἐπιτρέψετε, ψευδομένοι παρουσίας τὴν ἐπαγγελίαν· ἀλλὰ καὶ τὴν πρὸς ὑμᾶς ἀμίλλαν παρήσω· εἰ δὲ Θεὸς βούλοιο κρίνειν τὰς ἐμὰς πράξεις, ὑποστήσομαι τὴν δικαιολογίαν.

« Εἴη δὲ ὑμῖν κωφεῦσαι, καὶ ἀποθήσεται ὑμῖν σοφία. »

Χρυσόστομος καὶ Ὀλυμπιόδωρος. Ὅταν γὰρ τις τὰ μὴ λόγον ἔχοντα φθέγγηται, βέλτιον σιγᾶν, καὶ σιωπῶν μᾶλλον ἔσται σοφός, ἢ λέγων. Καλὸν γὰρ τοὺς τοιοῦτους σιωπᾶν, ἢ τοιοῦτοις ἐνάλλεσθαι ῥήμασιν· ἢ μὲν γὰρ σιωπῇ τούτων ὑπόνοιαν ἔχει σοφίας· ἐννεῖν γὰρ τις ἑαυτὸν ποιήσας, δόξει φρόνιμος εἶναι· ἢ δὲ λαλιᾷ παροξύνει τὸν πάσχοντα. Καὶ σὺ τοίνυν, ὦ φιλόθεε, ἐν τοῖς τοιοῦτοις λόγοις μὴ σαλεύου, μιμοῦ δὲ μᾶλλον τοὺς ἀγίους, εἰδὼς ὅτι σατανικαὶ εἰσιν αὗται· ὑποβολαί, καὶ διάβολός ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν τοῖς ἐνεδιόξουσιν, ἵνα σε τῆς πίστεως ἀφελκύσῃ, καὶ τῆς προθέσεως παύσῃ τῆς ἀγαθῆς. Οἶδε γὰρ ὁ πανουργός, ὅτι ὁ μὲν πόνος οὐδὲν σε βλάπτει, ἀλλὰ μᾶλλον συνίστησι παρὰ τῷ Θεῷ· τὸ δὲ παύσασθαι τῆς προθέσεως, τοῦτο μεγάλως βλάπτει. Ὅσω οὖν μεγάλως σε πειράζει, τοσοῦτω μᾶλλον πρόκοπτε τῇ ἀρετῇ· καὶ ὅση ἕλιγωρεῖν σε βιάζεται, τοσοῦτω μᾶλλον μακροθύμει, καὶ ὑπόμεινε, καὶ λέγε, Ταῦτα πάντα ἤλθεν ἐφ' ἡμᾶς, καὶ οὐκ ἐπελαθόμεθά σου. Ἄν οὕτω κραταιωθῆς πρὸς τοὺς πειρασμούς, ὁ μὲν διάβολος ἀποστραφήσεται· εἰς τὰ ὀπίσω κατησχυμμένος, μνημονεύσει δὲ σου ὁ τῶν ὀλων Δεσπότης, καὶ ἀναψύξει μὲν ὡς διττῶς, ἀκούσῃ δὲ μετὰ ταῦτα. Εὖ, δοῦλε ἀγαθὸ καὶ πιστὸ, ἐπὶ ὀλίγα ἦς πιστός, ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω. Μνήσθητι τῆς ὑπομονῆς τοῦ Ἰὼβ, τοῦ μήτε ἐν εὐθηνίᾳ^α, μήτε ἐν πειρασμῷ περιτριπέντος, τοσαῦτα ἐν ἐκάστῳ πράγματι μακροθυμήσαντος καρτερῶς, ἕως ἀν' ἀπολάβῃ διπλὰ παρὰ Θεοῦ, καὶ μαρτυρηθῇ μέχρι νῦν, ὅτι πέπονθεν, ἵνα φανῇ δίκαιος τοῖς πᾶσι.

tulit, donec a Deo dupla recepisset, et testimonium hoc in hodiernum diem ei datum fuisset, quod ærumnas passus fuerit, ut justus omnibus appareret.

Vides quemadmodum amicis errore lapsis, et pro pharmacorum medela ac verbis consolatoriis, vulnus refricantibus, justo Dei judicio fretus, a justo iudice et animarum medico, causam suam examinari velit.

« Et arguam in conspectu ejus, si voluerit. »

Id est : Causam meam plane aperiam, hoc supposito, quod ille voluerit et permiserit : novi enim quod afflictionis meæ causa illi non incognita sit. Simile huic est illud : *Modo hominibus suadeo*⁸⁰ ? et, *Qui autem judicat me, Dominus est*⁸¹. Si Deus igitur, inquit, permiserit, illo iudice, mendacii vos arguam, qui adventus vestri professionem ementiti laborantis ægritudines vehementius irritatis : sed vobiscum contendere desinam ; Dei autem justum iudicium, si actiones meas judicare voluerit, libens subibo.

VERS. 5. « Sit autem vobis obmutescere, et evadet vobis sapientia. »

Chrysost. et Olymp. Quando quis ea quæ a ratione aliena sunt loquitur, silere melius est, et tacendo potius quam loquendo sapiens erit. Tacere enim id genus hominibus melius est, quam ejusmodi verbis aliis insultare : eorum quippe silentium sapientiæ opinionem præbet : sapiens enim videbitur, qui mutum se præstiterit : loquacitas autem cum qui adversa patitur exacerbatur. Tu igitur qui Deum amas, noli his verbis labefactari, sed sanctos potius imitare, suggestiones has Satanæ esse certo tibi persuadens ; et quod diabolus sit qui in calumniatoribus operetur, ut te a fide avellat, et de recto instituto dimoveat. Novit enim veterator callidus, dolorem et molestiam te non lædere, sed Deo magis commendatum reddere ; a bono autem proposito desciscere, illud esse quod summopere tibi officiat. Quanto igitur magis tentationibus te adoritur, tanto majores in virtute progressus facito ; quantoque magis ad socordiam te compellit, tanto magis cum animi tolerantia et patientia ferto, ac dicito : *Hæc omnia venerunt super nos, nec oblitus sumus te*⁸². Si hac ratione contra tentationes animum obfirmaveris, diabolus quidem pudore suffusus retro abit, Dominus autem universi tui recordabitur, et in hac vita dupliciter te refrigerabit ; posthæc autem audies : *Euge, serve bone et fidelis ; super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam*⁸³. Jobi patientia in mentem tibi veniat, qui neque in prospera fortuna, neque in tentationibus percussus fuit ; sed in utraque sorte multa et gravia forti animo patienter

⁸⁰ Galat. 1, 10.

⁸¹ I Cor. iv, 4.

⁸² Psal. XLIII, 18.

⁸³ Matth. xxv, 21.

VARIE LECTIONES.

¹ Ἰσ. τοῦ κἀμνοντος. ^α γρ. εὐθηνίᾳ.

VERS. 7, 8. « Nunquid non coram Domino loqui- A mini? et ante conspectum ejus profertis dolum? an subtrahetis vos? »

Docendo eos quomodo Deus omnia intueatur quæ profertur, initium reprehensionis facit; imo ut a sanio- rem mentem redeant, ac talem affectum deponant, quippe qui Dominum inspectorem habeant, dolum etiam quem animo versant, illo inspectante adhiberi narrat, dicitque: Nonne animo vobiscum reputatis, Deum sermones vestros audire? Quomodo igitur, audiente illo, quod falsum est eloqui audetis? An subdole et mala fide agentes, eum latebitis? Hoc enim vult illud: *An subtrahetis vos?* id est, Num cum celare potestis? Theodotio vero reddidit: *An personam ejus sustinetis?* Hebraeus autem dixit: *Verecundamini*, id est, Contra Deum loqui B veremini, ac proinde in gratiam ejus dicitis. Vos igitur qui Deo patrocinari videmini, vobis ipsis attendite, ne alia et diversa ab eis quæ de me notis, falso mihi affingentes, sermonibus vestris contraria decernatis; pro Deo enim loquimini veritatem simulantes: hypocrisin enim et simulationem *dolum* hoc loco vocavit.

« Vos autem ipsi iudices sitis: [VERS. 9, 10] bonum enim si investiget vos: si enim omnia facientes adjiciemini ei, nihilominus arguet vos. »

Olympiod. et *Polychr.* Vos iudices estote, annon vera sint quæ dico, quod Deus, scidicet, qui iudex est incorruptus, si diligentius in vos inquisierit, quamvis millies pro eo loqui videamini, et licet C multo plura quam quæ adhuc dicta sunt in medium afferatis, ac ulterius verbis illi gratificari pergatis, subdolum animi vestri affectum arguendo, et mendaces vos, non secus ac si contra eum verba fecissetis, ostendendo, calculo suo vos condemnaturus sit: ita ut mihi prosit vestra exploratio, vobis autem non item. Vide autem, quemadmodum ubique justus mendacium vituperet, licet etiam pro Deo quispiam loqui videatur. Quare ipse quæ mente concipit, cum veritate et libertate effatur; unde et Deus, qui est ipsa veritas, eum laudat et probat. Amicos igitur mentientes alloquitur: Vos iudices statuo; dicite, an lucrum aliquod reportaturi sitis, si Deus sermones vestros examinaverit? an potius non in damnum vestrum res cessura sit, siquidem ille D simulationem et mendacium abominatur?

« Quod et si occulte personam mirati fueritis, [VERS. 11, 12] nonne turbo ejus versabit vos? » [*Symmachus autem*, « An occulte personam ejus verebimini? nunquid non commotio ejus exterret vos? »] Timor autem ab eo cadet super vos, evadet autem elatio vestra tanquam cinis, corpus autem luteum. »

Sensus verborum Jobi hic est: Licet, inquit, Deo gratificantes, et tanquam personam ejus reveriti,

« Πότερον οὐκ ἔναντι Κυρίου λαλεῖτε; ἔναντι δὲ αὐτοῦ φθέγγεσθε δόλον; ἢ ὑποστελεῖσθε; »

Ἀπάρχεται τοῦ ἐλέγχου, διδάσκων αὐτούς, ὅτι πᾶν δ προσφέρουσιν, ὁρῶντος τοῦ Θεοῦ φθέγγονται, ἀλλὰ καὶ τὸν δόλον ὡς κατέναντι αὐτοῦ προσφερόμενον αὐτοῖς ἀπαγγέλλει διορθώσεως ἕνεκεν, ἵνα παύσωνται τῆς τοιαύτης διαθέσεως, ὡς ἔχοντες τὸν ἐφορῶντα Κύριον, καὶ φησιν Ὅχι ἐννοεῖτε ὅτι ὁ Θεὸς ἐπακούει τῶν λόγων ὑμῶν; Πῶς οὖν τολμάτε εἰς ἐπήκον αὐτοῦ παρὰ τὸ ἀληθὲς φθέγγεσθαι; ἢ λήσετε ἢ αὐτὸν βῆδιουργοῦντες; Τοῦτο γὰρ τὸ, Ἡ ὑποστελεῖσθε; τουτέστιν, Ἄρα δύνασθε κρύψαι αὐτόν; Ὁ δὲ Θεοδότηϊον, Ἡ πρόσωπον αὐτοῦ λαμβάνετε; Ὁ δὲ Ἐθροῖος, Δυσωπείσθε, λέγει, τουτέστι, δεδολικατα κατὰ Θεοῦ λέγειν, καὶ διὰ τοῦτο πρὸς χάριν λέγεται. Σκοπήσατε οὖν τὰ καθ' ἑαυτοῦς ὑμεῖς; οἱ δοκοῦντες Θεῷ συνηγορεῖν, εἰ μὴ τὰ ἐναντία τοῖς λόγοις τῆ γνώμῃ ψηφίσθητε, ἀλλὰ μὲν περὶ ἐμοῦ εἰδότες, ἕτερα δὲ καταψευδόμενοι ὑπὲρ γὰρ τοῦ Θεοῦ λαλεῖτε σχηματιζόμενοι τὸ ἀληθές. δόλον γὰρ τὴν ὑπόκρισιν ἐκάλεσεν.

« Ὑμεῖς δὲ αὐτοὶ κριταὶ γίνεσθε· καλὸν γὰρ ἐάν ἐξιχνιάσῃ ὑμᾶς; εἰ γὰρ τὰ πάντα ποιοῦντες προσεθῆσεσθε αὐτῷ, οὐθὲν ἤττον ἐλίγξει ὑμᾶς. »

Ὁλυμπιοδώρου καὶ Πολυχρονίου. Ὑμᾶς, φησὶ, κρίνατε εἰ μὴ ἀληθῆ λέγω, ὅτι ἐάν τὰ καθ' ἡμᾶς ἄναζητήσῃ Θεός, κἂν μυριάκις ὑπὲρ αὐτοῦ λαλεῖν ἰσχήτε, κἂν πολυπλασίονα τῶν εἰρημένων, κἂν πέρα τούτων προσχαρήσθησθε αὐτῷ, ἀδέκατος ὢν τὴν κρίσιν, οἷσι τὴν καθ' ὑμῶν ψῆφον, ἐλέγχων τῆς γνώμης τῆ ὑπουλον, καὶ δεικνύς ψευδομένους οὐδὲν ἐλαττον, ἢ εἰ κατ' αὐτοῦ ἐλέγετε ὥστε συμφέροι μὲν τὸ ἐξετασθῆναι ὑμᾶς, ὑμῖν δὲ οὐκ ἀγαθόν. Ἐπιτρεῖ δὲ, ὡς πανταχοῦ μέμφεται τὸ ψεῦδος ὁ δίκαιος, κἂν ὑπὲρ Θεοῦ τις λέγειν δοκῇ. Διόπερ αὐτὸς ἄφρονεζ, σὺν ἀληθείᾳ καὶ μετὰ παρῆρησίας διαλέγεται ἐφ' ᾧ καὶ Θεὸς αὐτὸν ἀποδέχεται, αὐτὸς ὢν ἡ ἀλήθεια. Φησὶ γοῦν πρὸς τοὺς φίλους ψευδομένους Ὑμᾶς αἰροῦμαι κριτὰς, εἴπατε, μὴ τι ἀγαθόν ἐστίν, ἐάν τοὺς ὑμετέρους λόγους ὁ Θεὸς ἐξετάσῃ; ἢ πάντως, οὐ πρὸς καλοῦ ἢ ὑμῖν ἐστὶ ἢ τὸ πρᾶγμα, εἴπερ αὐτὸς μισεῖ τὴν ὑπόκρισιν καὶ τὸ ψεῦδος;

« Εἰ δὲ καὶ κρυφῆ πρόσωπα θαυμάσεσθε, πότερον οὐχ ἡ δίκη αὐτοῦ στροβίσει ὑμᾶς; » [Ὁ δὲ Σύμμαχος, « Μὴ κρύφα πρόσωπον αὐτοῦ δυσωπείσθησθε; μὴ οὐχὶ ἡ κίνησις αὐτοῦ ποτῆσει ὑμᾶς; »] « Ὁ φόβος δὲ παρ' αὐτοῦ ἐπιπεσεῖται ὑμῖν, ἀποθήσεται δὲ ὑμῶν τὸ γαυρίασμα ἴσα σποδῷ, τὸ δὲ σῶμα πηλινον. »

Ὁ δὲ νοῦς τῶν τοῦ Ἰωβ βῆμάτων τοιοῦτος· Εἰ καὶ χαριζόμενοι, φησὶ, τῷ Θεῷ, καὶ ὡσπερ αἰδοῦμενοι

VARIÆ LECTIONES.

▼ ἴσ. λαλεῖσθε. ἴσ. λέγετε. ὕσ. ὑμᾶς. ἴσ. συμφέροι. ἴσ. ἐστίν. ἴσ. καλοῦ. ἴσ. ἐστίν.

αὐτοῦ τὸ πρόσωπον, κρυφίως λαλεῖτε, ἀλλὰ μὲν ἔχοντες κατὰ δίκαιον, ἕτερα δὲ φθεγγόμενοι, ἄρα οὐχὶ ἡ συστρόφη καὶ ἡ ἔτασις (τοῦτο γὰρ ἐστὶν ἡ δίκη αὐτοῦ) περιτρέψει ὁ ὑμᾶς καὶ φοβήσεται, καὶ ἡ μεταλαυχία ὑμῶν καὶ τὸ οἶγμα ταπεινωθήσεται, καὶ ἡ μετὰ τὴν ὀργὴν ὑμῶν κατάστασις τῶν λαθραίων κρινόντων, καὶ διὰ τοῦτο εὐτελιζομένων, οὐδὲν ἕτερον ἀποδείξει ἡ σποδός, καὶ ὅτι οὐδὲν ἄλλο, ἢ πηλὸς τυγχάνετε; ἀντὶ τοῦ, Ἄλαζονεῦθε τέφρα ὄντες, καὶ πηλός, καὶ ἀσύγγνωστοὶ πρὸς τὰ ἐπιπευχθέντα μοι ἵκινά καθεστήκατε, ἐκτὸς ὑπάρχοντες συμφορῶν, καὶ οὐδὲ τὸ πολλοστὸν τῶν ἐμῶν παθημάτων ὑπομεῖναι δυνάμενοι.

« Κωφεύσατε ἵνα λαλήσω, καὶ ἀναπαύσωμαι θυμοῦ, ἀναλαβὼν τὰς σάρκας μου τοῖς ὀδοῦσιν. »

Ἄγαστε, φησὶν, ἡσυχίαν, καὶ σιωπῶντες ἀκούσατέ μου, ὡς ἂν φθεγγόμενος λάβω τινὰ πραιψυχὴν τῆς ἐπιπευμένης, ὀδύνης, καὶ ἀναπαύσωμαι, παραμυθούμενος διὰ τῶν λόγων τὸ πάθος. Τοῦτο γὰρ ἴσως δηλοῖ τὸ, Ἀναλαβὼν τὰς σάρκας μου τοῖς ὀδοῦσι, τουτέστι, Στένων μὲν καὶ ὀδυνώμενος διαλεχθήσομαι. Λαλήσω δ' ὁμῶς, μίαν παραμυθίαν τῶν πόνων ἡγούμενο, τὸ περὶ τῶν κατ' ἐμαυτὸν μετὰ παθήσεως διαλεχθῆναι, τὸ τὰ παθήματά μου ἐξαγορεύσαι τῷ στόματι μου.

« Ψυχὴν δέ μου θήσω ἐν χειρὶ. Ἐάν με χειρώσεται ὁ δυνατός, ἐπεὶ καὶ ἤρκαται, ἢ μὴν λαλήσω, καὶ ἐλέγξω ἐναντίον αὐτοῦ. »

Τίθῃμι, φησὶ, τὴν ἐμὴν ψυχὴν εἰς ἐνέχυρον, ἔτοιμος ὡν ἠδέως τὴν ὑπὲρ τῶν λόγων ὑπομένειν δίκην, καὶ ἀνελεῖν θέλῃ ὁ ἀρξάμενός με βασανίζειν Θεός· εἰ μὴ γὰρ τ' ἀληθῆ φθέγγομαι, ἔτοιμός εἰμι ὑπομένειν ὅτι ἂν τῷ Θεῷ δοκεῖ· πλὴν οἶδα ὅτι διελέγξω ψευδομένους.

« Ἰδοῦ, ἐγὼ ἐγγύς εἰμι τοῦ κρίματός μου, οἶδα ἐγὼ ὅτι δίκαιος ἀναφανοῦμαι. Τίς γὰρ ἐστὶν ὁ κρινομένης μοι, ὅτι νῦν κωφεύσω καὶ ἐκλείψω; »

Id est, Quæ vidi non concupiscebam, neque affectu vehementiore ad ea commovebar. Non dixit: Oculus meus, sed ne cor quidem meum: Neque animum meum, inquit, nedum corpus, corrumpi aliquando passus sum. Divus Joannes ait: Quid quid est in mundo, cupiditas carnis, et libido oculorum, et fastus vitæ⁸³. Dicit igitur Jobus quod, nun-

⁸¹ Ephes. v, 4. ⁸² Job 1, 1. ⁸³ 1 Joan. 11, 16.

quam animum ad rem aliquam adjiciens, eamque laudans, concupiverit : laudare autem ea quæ in mundo laude digna sunt (corporum, scilicet, symmetriam, colorum proportionem et temperaturas, lapidum splendorem, et gratiam ac venustatem), cupiditate autem eorum minime capi, animi a perturbationibus liberi indicium est.

« Vel si manibus meis tetigi dona ; [Vers. 8] seram igitur, et alii edant, et sine radice sim super terram. »

Symvachus autem apertius : *Et posteri mei eradicentur.* Hæc Jobus, pauper nunc factus, et liberis orbatus, dicere non potest. Quid igitur dicendum est? quod ante calamitatem scilicet hæc dixerit? vel quod tanquam justus, prospera quodammodo fortuna rursus uti speraverit? ac divina dispensatione ad nostram instructionem sic locutus fuerit, ut nos legentes, nobis ipsis in hæc verba imprecemur : Si dona accepimus, si hoc admisimus, tala patiamur,

Vers. 9, 10. « Si secutum est cor meum mulierem viri alterius, aut si obsedi januas ejus ; placeat quoque uxor mea alteri, et filii mei humiliantur. »

Pro, *obsedi*, reliqui, *insidiatus sum*, dixerunt. Quoniam *concupiscentia postquam conceperit, peccatum parit* ⁸⁵, ipsam, inquit, concupiscentiam, ne peccato via pateret, radicatus e corde evellebam. Illud autem : *Placeat quoque uxor mea alteri*, æqualitatis causa, et lege talionis dixerat : *Mihi enim ipsi*, inquit, ante calamitatem suadebam quod, si malo animo erga alterum affectus essem, in eadem quæ illi cuperem inciderem, et paria iis quæ commissem, reciperem. Quod autem hæc ad tempora ante ejus ægritudinem referantur, manifestum est ex iis quæ dicit : *Et filii mei humiliantur* ; jam enim liberi ejus morte extincti erant. Quo autem pacio humiliantur liberi? manifestum est scilicet, cum adulteræ matris spurii vocantur, et propterea se abduunt et occultant : filium autem subjugat, animumque ejus frangit, cum in matris turpitudinem et scelus oculos conjecerit.

Vers. 11. « Furor enim iræ indomitus commaculare viri uxorem. »

Adulterium enim Dei iram accendit, et committenti inevitabile supplicium conciliat. Verum hoc loco, non tam illud supplicium quod postea futurum est intelligit, quam mariti zelotypiam, quæ in hoc sæculo accidere solet, et quam Salomon in Proverbiis innuit, dicens ⁸⁶, quod neque muneribus inimicitias dissolvere sustinet vir qui in uxore injuria affectus fuerit, cujus torum alius maculaverit. Hoc etiam quæ mox subjunguntur manifestum faciunt.

Vers. 12. « Ignis enim est ardens super omnes partes »

⁸⁵ Jac. i, 15. ⁸⁶ Prov. vi, 35.

VARIAE LECTIONES.

⁸ *Ισ.* ἐπιθύμησα. ⁹ *Ισ.* εὐθηνίαν. ¹⁰ *Ισ.* περὶ ἕτερον κακῶς. ¹¹ *Ισ.* del. ἦ.

Α ὅτι οὐδέποτε προσχῶν, καὶ ἐπαινέσας, ἐπιθυμήσας ρ. Ἀπαθείας δὲ τοῦτο, ἐπαινέειν μὲν τὰ ἐν κόσμῳ ἐπαινοῦ δέξια, οἷον συμμετρίαν σωμάτων, καὶ ἀναλογίας καὶ μίξεις χρωμάτων, καὶ λίθων αὐγὰς καὶ χάριτα, μὴ πίπτειν δὲ αὐτῶν εἰς ἐπιθυμίαν.

« Εἰ δὲ καὶ ταῖς χερσὶ μου ἠψάμην δώρων· σπειραίμι ἄρα, καὶ ἄλλοι φάγοισαν, ἄρριζος δὲ γενομένη ἐπὶ γῆς. »

Ὁ δὲ Σύμμαχος σαφέστερον, *Καὶ τὰ ἐκγοῦνὰ μου ἐκρίζωθήσῃ.* Ταῦτα νῦν ὁ Ἰωβ λέγειν οὐ δύναται, πίνης ὄν, καὶ τὰ πύλα ἀποθεθῆκώς. Τί οὖν ἔστιν εἰπεῖν; ὅτι περὶ τῆς συμφορᾶς ταῦτα ἔλεγεν; ἢ καὶ ὡς δίκαιος πάλιν ἠλπίζει πως τὴν εὐθυμίαν; πρὸς δὲ διδασκαλίαν ἡμετέραν οὕτως εἰπεῖν ὑπονομήθη παρὰ Θεοῦ, ἵνα ἡμεῖς ἀναγινώσκοντες, ἑαυτοῖς ἐπαρώμεθα, λέγοντες· Εἰ δῶρα ἐλάβομεν, εἰ τότε ἐποίησαμεν, εἶπά πάθειμεν;

« Εἰ ἐξηκολούθησεν ἡ καρδία μου γυναίκε ἀνδρὸς ἑτέρου, εἰ καὶ ἐγκάθστος ἐγενόμην ἐπὶ θύραις αὐτῆς· ἀρῆσαι ἄρα καὶ ἡ γυνὴ μου ἕτέρῳ, τὰ δὲ νῆπιά μου ταπεινωθήσῃ. »

Οἱ λοιποὶ ἀντὶ τοῦ, *ἐγκάθστος, ἐπιθυμῶσα*, εἶπον. Ἐπειδὴ ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίθει ἀμαρτίαν, καὶ αὐτὴν, φησὶν, ἐκ τῆς καρδίας τὴν ἐπιθυμίαν ἐξέκοπτον, ἐφ' ᾧ μὴ λαβεῖν ὄδον τὴν ἀμαρτίαν. Τὸ δὲ, *Ἀρῆσαι ἄρα καὶ ἡ γυνὴ μου ἕτέρῳ*, ἰσότητος ἔνεκον λέγει· Ἐμαυτῶν γὰρ, φησὶν, παρῆνον περὶ τῆς συμφορᾶς, ὅτι εἰ ἕτερον κακὰ ἔδιαθείμην, τοῖς αὐτοῖς καὶ αὐτὸς ὑποπέσομι, καὶ ἀπολάβοιμι πρὸς ἃ ἐπραξα. Ὅτι δὲ περὶ τῶν περὶ τῆς νόσου λέγει, δῆλον ἐξ ὧν φησι, *Τὰ δὲ νῆπιά μου ταπεινωθήσῃ*· καὶ γὰρ ἦσαν ἤδη τεθνηκότες οἱ παῖδες αὐτῶν. Πῶς δὲ ταπεινοῦνται τὰ νῆπια; ἢ ὅτι δῆλον ὅτι μοιγαλίδος μητρὸς ὀνομαζόμενα, καὶ διὰ τοῦτο ἐγκαλυπτόμενα· δούλοὶ γὰρ τὸν παῖδα, ὅταν εἰς τὰ μητρὸς ἴδοι κακὰ.

« Θυμὸς γὰρ ὀργῆς ἀκατάσχετος τὸ μῖσθαι ἀνδρὸς γυναίκα. »

Ἡ γὰρ μοιχεία, φησὶ, τὸν Θεὸν παροργίζει, καὶ ἀφυκτον ἐπάγει τιμωρίαν τῷ δεδρακότι. Μᾶλλον δὲ οὐ τὴν ἐκεῖ φησὶν ἐνταῦθα κόλασιν, ἀλλὰ τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἐνταῦθα ζηλοτυπίαν, ἣν καὶ Σαλομὼν ἐν Παροιμίαις αἰνείττεται λέγων, ὅτι οὐδὲ ἐν δώροις τὴν ἔχθραν ἀνέχεται λύσει, ὁ περὶ τὴν γυναίκα ἀδικηθεὶς ἀνὴρ, οὐ τὴν εὐθὴν ἄλλος ἐμίανε. Τοῦτο καὶ νῦν τὰ ἐπαγόμενα δηλοῖ.

« Πῦρ γὰρ ἐστὶ κατώμενον ἐπὶ πάντων τῶν μερῶν. »

• Τοῦτο μῦθος, τοῦτο ὑπερβάλλουσα ἀδικία. Ὁ γὰρ Α ἀλλέτριον δορυῦτων γάρμον, φλόγα μεγάλην ἐξάπτει κακῶν, ἄνδρα ἀδικεῖ, μαινεῖ γυναίκα, ὑπόπτους ποιεῖ τοὺς παῖδας καὶ ἀμφιβδουλοῦσι, μάχεται τῇ Προνοίᾳ, διαιρεῖ τὴν σχέσιν, ἐπιβουλὰς ἀρτύνει κατὰ τοῦ ἀνδρός. Τοσοῦτος ἰσμός κακῶν ἐκ τῆς ἀκαλάστου φύεται μοιχείας.

• Οὐδ' ἂν ἐπέλθῃ, ἐκ ριζῶν ἀπώλεσε. »

• Ἥθειν, φησὶ, τῆς ἀδικίας τὸ μέγεθος· ἐκρίζει γὰρ τὴν οἰκίαν οὐδ' ἂν εἰσέλθῃ τὸ πάθος. Εἶδες σωφροσύνην, ὄρα καὶ ταπεινοφροσύνην, καὶ ἐνόησον ἡλίκη καὶ αὐτή.

• Εἰ δὲ καὶ ἐφάυλισα κρῖμα θεράποντός μου, ἢ θερραπαίνης, κρινόμενον αὐτῶν πρὸς μέ. Τί γὰρ ποιήσω, ἐάν ἑτασίν μου ποιῆται ὁ Κύριος; Ἐάν δὲ καὶ ἐπισκοπήν τινα, ἀπόκρισιν ποιήσωμαι; Πότερον οὐχ ὡς καὶ ἐγὼ ἐγενόμην ἐν γαστρὶ, καὶ ἐκείνοι γεγόνασι; γεγόναμεν δὲ ἐν τῇ αὐτῇ κοιλίᾳ. »

Εἶδες συντετριμμένην διάνοιαν, καὶ τῶν ἀνθρώπων τὴν φύσιν ἐπισκεπτομένην μετὰ ἀκριθείας, καὶ εἰδύσαν τί δούλος, τί ἐλεύθερος, τοῦτο τὸ ὑπὸ πολλῶν περιφερόμενον. Ταύτην οὖν ἐκβαλὼν τὴν ἀνωμαλίαν, ἀπὸ τῆς ὁμοιότητος τῆς κατὰ τὴν γέννησιν, τὸν περὶ τῆς φιλοσοφίας εἰσάγει λόγον. Καὶ τὸ δὴ θαυμαστὸν αὐτοῦ, ὅτι ταῦτα ποιῶν, οὐδὲ ταπεινοφρονεῖν ἐνόμωζεν, ἀλλ' ὀφειλὴν πληροῦν. Διὸ καὶ λογισμὸν ἔθηκε, τὸν ἀπαντας ἀνθρώπους πελθοντα, καὶ μηδὲν πλέον φρονεῖν τῶν οἰκετῶν, κἂν μυριάκις ὡς δεσπότηαι· τὰ γὰρ ὀνόματα ταῦτα, ὁ δούλος, καὶ ὁ ἐλεύθερος, ὀνόματά ἐστι μόνον ψιλὰ, πραγμάτων ἔρημα· ἡ δὲ δουλεία ἐν ἀμαρτίᾳ, καὶ ἡ ἐλευθερία ἐν δικαιοσύνῃ ὀρίζεται. Ὅρα δὲ, πῶς ὑποτίμνεται αὐτοῦ τὰ ἐγκώμια πανταχοῦ, καὶ καθαιρεῖ τὰ κατορθώματα. Οὐδὲν μέγα ἐποίησα, φησὶ· τοῦτο αὐτῇ ἢ φύσιν βούλεται, κωινωνοῦμεν ἀλλήλοις, ἀπάντων ἢ αὐτῇ γέννησις, ἢ αὐτῇ εἰς τὸν βίον εἰσόδος, πάντα κοινὰ, οὐ σεμνότερος ἐγὼ τῆς ἐκείνων φύσεως. Ἐν τῇ αὐτῇ κοιλίᾳ γεγόναμεν, τουτέστιν, ἐν ὁμοίᾳ τρόπῳ, κατὰ Σύμμαχον· διὰ τοῦτο οὕτως δούλος, οὕτως ἐλεύθερος παρ' ἐμοῦ ἡδίσχεται. Ἀλλὰ καὶ τοῖς οἰκέταις τοῖς ἐμοῖς παρῆρησιαν ἐδίδδον δικαιολογεῖσθαι πρὸς με, εἴ τι ὑπώπτευσον μὴ δίκαιον πάσχειν ὑπ' ἐμοῦ· καὶ οὐκ ἐφάυλισα, ἢ κατὰ τὸν Ἀκύλαν, ἀπέβριψα, ἢ ὑπερεφρόνησα τὸ κρῖμα αὐτῶν, τουτέστι, τὴν δικαιοσύνην. Ἐν γὰρ ἐν τῷ οὐτῶ ποιεῖν ὑπὸ τῆς φύσεως, κατ' ἐμαυτὸν λογιζόμενος, ὡς πάντες ἄνθρωποι, εἴτε δούλοι, εἴτε δεσπότηαι, μίαν ἔχομεν γενέσεως ἀρχὴν, καὶ ἓνα πάντες κύριον ἐν οὐρανοῖς, ὃς γε ἀπροσωπολήπτῃ ὦν, ἕκαστον ἀπαιτεῖ τὴν πρὸς τὸν πέλας ἰσότητα. Ἐάν οὖν ἑτασιν ποιήσῃται, ἢ, κατὰ Σύμμαχον, ἐάν ἐπιζητῇ, τί ἀποκρινοῦμαι αὐτῷ; ἑτασιν γὰρ τὴν ἐξέτασιν, ἐπισκοπήν δὲ θέλει τοὺς ἐλέγχους καλεῖ. Ἐκ ταύτης τῆς ἰσότητος ἰρμώμενος, ἐπὶ Θεοῦ κρίνεσθαι ἐπόθει, τῇ αὐτοῦ πεποιθὼς δικαιοκρατία. Εἶδες αὐτοῦ ἑτέραν ἰσότητα, καὶ θαυμασίαν δικαιοσύνην· ὄρα καὶ τὴν συμπάθειαν καὶ φιλοπρωσίαν.

Hoc scelus detestandum, hoc summa iniquitas est. Qui enim torum alienum violat, malorum flammam ingentem accendit, maritum injuria laedit, uxorem pollutat, liberos suspectos et spurios reddit, contra Providentiam bellum gerit, affectionem conjugalem dissecat, et marito insidias struit. Tentum malorum examen ex libidinoso adulterio pullulat.

• Quocumque supervenerit, a radicibus perdidit. »

Noveram, inquit, sceleris et iniquitatis magnitudinem; domum enim, in quam malum hoc ingreditur, radicitus exstirpat. Temperantiam Jobi vidisti; vide etiam humilitatem, et quanta fuerit, diligenter considera.

VERS. 13. • Quod si et despexi judicium famuli mei, aut ancillae, cum ipsi litigarent mecum. Quid enim faciam, si inquisitionem mei faciat Dominus? Quod si et visitationem aliquam, responsum dabo? Nonne sicut ego factus sum in utero, et illi facti sunt? facti autem sumus in eodem ventre. »

Animum contritum vidisti, qui hominum naturam accurate perspexit, et quid servus, quid liber sit, de quibus inter multos frequens sermo est, perfecte cognovit. Hanc igitur inaequalitatem rejecturus, a pari dignitate omnium quae in partu conspicitur, sermonem de philosophia et animi aequitate introducit. Atque hoc in eo admirandum erat, quod, cum haec faceret, non humilitatem se exercuisse, sed debitum adimplevisse existimaret. Idcirco rationem attulit, qua cunctis hominibus persuaderet, ne plus de se quam de servis sentirent, licet millicies domini forent; nomina enim servi et domini nuda tantum sine re nomina sunt; servitus enim in peccato, libertas autem in justitia censetur esse. Considera autem quemadmodum ubique laudes suas succedat, et egregia sua facinora imminuat. Nihil magnum, inquit, praestiti; natura ipsa hoc a me requirit; communionis vinculo aliis nexi sumus, omnium eadem est generatio, et idem in vitam introitus, omnia sunt communia; ego eorum natura praestantior et veneratione dignior non sum. In eodem utero facti sumus, id est, juxta Symmachi versionem, eodem modo: ac proinde nec servus, nec liber a me injuria laesus est. Imo vero, famulis meis, si injuriam ullam a me illis illatam suspicarentur, judicio mecum contendendi liberam potestatem concessi, neque despexi, vel, secundum Aquilam, abjeci, vel contempsi eorum judicium, id est causae suae defensionem. Hoc autem, cum animo mecum reputarem quod omnes homines, sive servi, sive domini simus, unum generationis principium, et unum in caelis dominum habeamus, qui, cum personarum acceptor non sit, id ab unoquoque postulat, ut vicino suo aequalem se praebat, natura ipsa, ut facerem, me impellebat. Si igitur inquisitionem faciat (vel, juxta Symmachi interpretationem, si inquirat), quid respondebo ei? Inquisitionem enim, explorationem, et visitationem divinam, redargutionem et castigationem vocat. Ab hac aequa-

litate sermonis initium faciens, justo Dei iudicio fretus, ab eo iudicari desiderat. Aliam ejus aequalitatem, et justitiam admirandam vidisti; vide etiam commiserationem ejus, et amorem erga pauperes.

Vers. 16. « Et viduæ oculum non tabefeci. »

Meminit Dei Psalmista in Psalmis *Patris pupillorum et judicis viduarum* 87. Et alibi: *Orphano tu fuisti adjutor* 88. Jobus igitur, tanquam qui imaginem intactam et illibatam servat, archetypum imitatus est. Illud autem, *non tabefeci*, egestate scilicet, vel lacrymis, vel assiduo oculorum intuitu sine fructu ullo et cum contemptu, tabescere non sum passus.

Vers. 17. « Quod si et buccellam meam comedi solus, et pupillo non communicavi: quoniam a juventute mea enutriebam ut pater, et de ventre matris meæ dux iis fui. »

Misericordiæ abundantiam observa, qua frustum etiam panis indigentibus distribuit. Illud autem, *De ventre dux fui*, idem est ac si diceret: *Infantes parentibus orbatos, admodum teneros suscipiens, quoad adolevisent nutriebam, educabam, artium disciplinis erudiebam, et donec ope mea non multum egerent, quasi manu ducebam. Intelligere autem potes quod juvenilibus, antequam vitio adhaerent, viam virtutis monstravit; sic enim illud verum erit, Ab utero matris dux fui. Quod autem supra diximus, attendendum est: Injuriam facere, et beneficio non afficere, apud Jobum eodem loco esse; et quod non tantum a vitio abstinere, sed virtutem etiam sectari oporteat. Non enim solum dixit: Orphanis injuriam non intuli, quod a mulo est abstinere; sed, patris instar, curam illorum suscepi, quod est bonum capessere.*

Vers. 19, 20. « Aut si desepxi nudum pereuntem, et non operui eum; et si non benedixerunt me impotentes. »

Non solum, inquit, egenos alebam, sed nudos etiam, qui frigore fere encabantur, vestimentis operiebam; et impotentem, quorum curam idoneam gerebam, fausta acclamatione et benedictione fruebar.

Vers. 20. « Et de tonsura agnorum meorum calefacti sunt humeri eorum. »

Per *humeros* corpus universum designavit; ex illis enim tota vestis dependet: videntur etiam humeri frigore quodammodo facilius affici, atque idcirco illorum meminit. Cum autem studium suum singulare et laborem in collocandis beneficiis, et quod non obiter nec perfunctorie illam exerceret, ostenderet, e gregum suorum lanis, ut totum corpus calefieret, vestimenta iis præparasse se asserit.

Vers. 21, 22. « Si levavi super pupillum manum, [*Symmachus autem*, contra pupillos], confidens quia mihi est adjutorium multum, discedat humerus meus a clavicula, et brachium meum a cubito confringatur. »

87 Psal. LXXVII, 6. 88 Psal. IX, 34.

1 Ἰσ. ἀπήλυσον.

A « Χήρας δὲ τὸν ὀφθαλμὸν οὐκ ἐξέτηξα. »

Ἐφη περὶ Θεοῦ ψάλλων ὁ Μελιπῆδης, *Τοῦ πατρὸς τῶν ὀρφανῶν, καὶ κριτοῦ τῶν χηρῶν*· καὶ πάλιν, *Ὀρφανῶ σὺ ἦσθα βοηθός*. Οἷα τοίνυν τὴν εἰκόνα σώζων ἀκέραιον, ὁ Ἰωβ ἀπεμιμῆτο τὸ ἀρχέτυπον. Τὸ δὲ, *οὐκ ἐξέτηξα*, ἦτοι οὐκ εἶσατο ὑπὸ πενίας ἐκτῆκεσθαι, ἢ ὑπὸ τῶν δακρύων, ἢ ὑπὸ τοῦ συνεχῶς ἀτενίζεσθαι, καὶ μὴ ἐπιτυγχάνειν, ἀλλ' ὑπερορᾶσθαι.

« Εἰ δὲ καὶ τὸν ψωμὸν μου ἐφαγον μόνοι, καὶ οὐχὶ ὀρφανῶ μετέδωκα· ὅτι ἐκ νεότητός μου ἐξέτρεφον ὡς πατήρ, καὶ ἐκ γαστρὸς μητρὸς μου ὠδήγησα. »

Ἦ Ὅρα τῆς ἐλεημοσύνης τὸ δαψυλὲς, ὅτι καὶ τὸν ψωμὸν ἐπεμέριζε τοῖς δεομένοις. Τὸ δὲ, *Ἐκ γαστρὸς ὠδήγησα*, ἵνα εἴπῃ, ὅτι Κομιθῆ νῆπια τὰ ἀπορφανισθέντα παραλαμβάνων, μέχρις ἡλικίας ἐξέτρεφον, καὶ ἀνήγον, καὶ τέχνας ἐπαίδευον, ἕως ὅτε τῆς ἐμῆς ἐπικουρίας μὴ σφόδρα δεοίντο, μέχρις ἐκείνου χειραγωγῶν. Νοήσεις δὲ, ὅτι καὶ πρὶν ἐφάσασθαι τῆς κακίας, ἐπὶ τὴν ἀρετὴν ὠδήγει τοὺς νέους· οὕτω γὰρ ἀληθὲς ἔσται τὸ, *Ἀπὸ γαστρὸς ὠδήγησα*. Ὁ δὲ καὶ ἀνωτέρω ἐλέγομεν ἐπισημαίνεσθαι χρεῶν, ὅτι τὸ μὴ εὐεργετεῖν μετὰ τοῦ ἀδικεῖν τάττει· καὶ δαί μὴ μόνον κακίας ἀπέχεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἀρετῆς ἀντέχεσθαι· οὐ γὰρ μόνον εἶπεν, ὅτι οὐκ ἠδίκουν τοὺς ὀρφανούς, ὅπερ ἔστιν ἀποχὴ κακοῦ· ἀλλ' ὅτι καὶ δίκην πατρὸς τὴν αὐτῶν κηδεμονίαν ἀνελάμβανον, ὅπερ ἔστιν ἀνάληψις τοῦ ἀγαθοῦ.

C « Εἰ δὲ καὶ ὑπερεῖδον γυμνὸν ἀπολλύμενον, καὶ οὐκ ἠμφίασα αὐτόν· ἀδύνατοι δὲ εἰ μὴ εὐλόγησάν με. »

Οὐ μόνον, φησὶ, ἔτρεφον τοὺς ἔνδεεις, ἀλλὰ καὶ περιεστειλον τοὺς γυμνοὺς, καὶ ἀπολέσθαι τῷ ψύχει κινδυνεύοντας· καὶ τῆς παρὰ τῶν ἀδυνάτων δὲ εὐφημίας ἀπήλασον¹, τὴν δεούσαν αὐτῶν προμήθειαν ποιούμενος.

« Ἀπὸ δὲ κουρᾶς ἁμῶν μευ ἐθερμάνθησαν οἱ ὦμοι αὐτῶν. »

Ἀπὸ τῶν ὤμων τὸ πᾶν ἐσήμανε σῶμα· ἐξ αὐτῶν γὰρ τὸ ὅλον ἰμάτιον ἤρτηται· τοῖασι δὲ πως καὶ εὐπαθέστεροι πρὸς τὸ κρύος τυγχάνειν οἱ ὦμοι, διὰ τοῦτο αὐτῶν ἐμνημόνευσε. Δεικνύς δὲ τὸ περὶ τὴν εὐποίαν περισπούδαστον ἅμα καὶ ἐπίπονον, καὶ ὅτι οὐ παρέργως οὐδὲ ἀμελῶς ταύτην ἐποιεῖτο, ἐκ τῶν ἐρίων τῶν αὐτοῦ θερμμάτων ἔφη τὰς τῶν γυμνῶν ἀμφιάσεις κατασκευάζεσθαι, ὥστε πᾶν αὐτῶν τὸ σῶμα θερμαίνεσθαι.

« Εἰ ἐπῆρα ὀρφανῶ χεῖρα [ὁ δὲ Σύμμαχος, κατὰ ὀρφανῶν], πεποιθώς ὅτι πολλὴ μοι βοήθεια περιεστίν· ἀποσταίη ἄρα ὁ ὦμός μου ἀπὸ τῆς κλειδός, ὁ δὲ βραχίον μου ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος συντριβεῖ. »

* *Κλειθᾶ* φησι τὴν σύνδεσμον τοῦ ὤμου πρὸς τὸν Ἀ τράχηλον. Θεοδοτίων δὲ καὶ Σύμμαχος, ἀντὶ τῆς *κλειθῆς*, ὁ μὲν, τοῦ ἀνθρώπου, ὁ δὲ, τοῦ ἀκρωτίου, ἐξέδωκεν. Εἰ οὖν κατ' ὀργὴν, φησὶ, χεῖρας ἐπέβαλον ὀρφανῷ, πεποιθὼς τῇ προσούσῃ μοι δυναστείῃ, ἐκπέσοι τοῦ συνδέσμου, τοῦ περὶ τὸν ἀνθρώπου, τὸ τοῦτο τοιμήσασα χεῖρ.

« Φόβος γὰρ Κυρίου συνέσχε με, ἀπὸ τοῦ λήμματος αὐτοῦ οὐχ ὑπόσω. »

« Ταῦτα δὲ ἐπραττον, φησὶ, τῷ θεῷ συνεχόμενος φόβῳ, ἐννοῶν ὡς εἰ ἐπιλάβοιτό μου θεὸς ἢ ἀδικήσαντος, ἢ μὴ εὐεργετήσαντος, ἀνυπόιστον ὑφέλω τὴν τιμωρίαν. Ὁ δὲ Σύμμαχος, ἀντὶ τοῦ *λήμματος*, τὸ *βάρος*, ἐξέδωκεν.

« Εἰ ἔταξα χρυσίον εἰς χοῦν μου [ὁ δὲ Σύμμαχος, ἀφοβίαν μου.], εἰ δὲ καὶ λίθῳ πολυτελεῖ ἐπεποίησα, εἰ δὲ καὶ εὐφράνθην πολλοῦ πλούτου μοι γενομένου. »

Διὰ δὴ τοῦτο, καὶ ἀφαιρεθέντων, μετὰ πολλῆς ἔφερε τῆς εὐκολίας, καὶ παρόντων, δαψιᾶ τὴν ἐλεημοσύνην εἰργάζετο· πᾶσαν γὰρ ἀρετὴν ἐπῆλθε^α· καὶ τῶν οὐδὲν ἐχόντων ἀκριβέστερον διέκειτο, τοσαῦτα περιβεβλημένος· οὐ γὰρ οὕτως ὁ μὴδὲν ἔχων ἀπῆλλατο χρημάτων, ὡς ἐκεῖνος, ὁ τοσαῦτα ἔχων· πανταχοῦ γὰρ ἡ γνώμη ἐστὶν ἡ στεφανουμένη.

« Ἡ οὐχ ὀρώμεν ἥλιον τὸν ἐπιφάσκοντα, ἐκλείποντα, σελήνην δὲ φθίνουσαν; Οὐ γὰρ ἐπ' αὐτοῖς ἐστίν. »

Ταῦτα δὲ ὁ Ἰώβ ἐνενοίει· Διελογιζόμεν γὰρ, φησὶ, κατ' ἐμαυτὸν, ὅτι εἰ μεγάλα ταῦτα καὶ λαμπρὰ στοιχεῖα ἐκλείπει κατὰ θεῖαν πρόσταξιν, ποῖα ὠφέλεια κἂν πᾶν πλουτήσω; Δεῖ γὰρ πάντως τὸν πλοῦτον ἐξ ἡμῶν ἀπελθεῖν, ἢ τῶν χρημάτων καὶ ζῶντας ἡμᾶς καταλιμπανόντων, ἢ ἡμῶν τὸν βίον μεταλλαντόνων. Ὡς γὰρ ἥλιος ἐκλείπει, καὶ νύξ ἡμέραν διαδέχεται, καὶ σελήνη λήγει κατὰ θεῖαν πρόσταξιν, καὶ ἀπλῶ; οἱ μεγάλοι οὗτοι φωστῆρες φθοραῖς καὶ ἀλλοιώσεσιν ὑπόκεινται, καὶ πρὸς τὸ νεῦμα ἀγονταὶ τοῦ Δημιουργοῦ· οὐ γὰρ ἐπ' αὐτοῖς ἐστίν, ἀλλ' ἐπὶ τῷ τάξαντι· οὕτως ἐνενοῦον καὶ περὶ πλούτου, ὡς περὶ ἀστάτου πράγματος, καὶ ἐπαιδεύθην μὴ προσέχειν ἐπὶ τῇ τούτου ἀδηλόγητι, ἀλλὰ δεόντως αὐτὸν δαπανᾶν.

« Καὶ εἰ ἠπατήθῃ λάθρα ἡ καρδία μου. »

* Ὁ δὲ Σύμμαχος, *ἐπλατύνθη*. Ὁ δὲ νοῦς οὗτος· Οὐδὲ ἡ καρδία μου, φησὶν, ἀνετυπώσατο πλατυσμὸν καὶ πλήθος περιουσίας, καὶ τὴν ἐντεῦθεν ἔδωκέν, οὐδὲ ἡ ψυχὴ μου εὐρυχωρίαν παρέσχε τῇ τοιαύτῃ ἐπιθυμίᾳ^ν. Διὰ δὲ τοῦ, *λάθρα*, εἰσικε σημαίνειν, ὅτι οὐδὲ κατὰ συναρπαγὴν τοιοῦτόν τι πέπονθεν. Ἡ, ἐπειδὴ πολλοὶ ἐν μὲν τῷ φανερῷ προσποιῶνται τῆν τῶν χρημάτων καταφρόνησιν, ἐν δὲ τῇ διανοίᾳ λάθρα τὴν ἐρασιχρηματίαν τρέφουσι καὶ κρύπτουσι,

Juncturam humeri cum collo, *claviculam* vocat, Theodotio autem, et Symmachus, hic quidem pro *clavicula*, *cervicem*, ille vero, *scapularum extremitatem*, interpretatus est. Si igitur, inquit, fretus mea potentia, violentas manus orphano iratus inieci, manus quæ scelus illud ausa est, de junctura colli decidat.

VERS. 23. « Timor enim Domini continuit me, a prehensione ejus non sustinebo. »

Hæc, inquit, divino timore coercitus faciebam, supplicium grave et intolerabile mihi subeundum esse reputans, si aut inique agentem, aut non bene facientem me Deus apprehenderet. Symmachus autem pro *prehensione*, reddidit, *pondus*.

VERS. 24, 25. « Si posui aurum in congium meum [*Symmachus autem*, Fiduciam meam.], quod si et in lapide pretioso fidebam, si et lætatus sum cum esset mihi sensus multus. »

Idcirco cum ablata fuissent divitiæ, æquanimitèr valde tulit; et cum adessent, copiosam misericordiam exercebat (omnem quippe virtutem sectatus est); quique tanta rerum copia circumfluebat justius et emendatius iis affectus erat, qui nihil in bonis haberent: non enim tantopere a divitiis animo alieno erat qui nihil habebat, ac is qui tam multa possidebat: animus enim est qui ubique et in omnibus corona insignitur.

VERS. 26. « Annon videmus solem qui lucebat, deficientem, lunam autem decrescentem? Non enim in iis est. »

Hæc Jobus secum cogitabat: Mecum, inquit, animo reputabam: Si magna hæc et splendida luminaria mandato divino deficiunt, quid mihi proderit, si locuples valde evasero? Divitias enim, vel vivos nos ipsis deserentibus, vel nobis vitam cum morte commutantibus, e medio omnino auferri oportet. Ut enim sol eclipsin patitur, nox diem excipit, ac luna divino præcepto lucere desinit, magna que hæc luminaria, ut verbo absolvam, corruptionibus ac mutationibus obnoxia sunt, et ad nutum Creatoris reguntur (non enim sui arbitrii sunt, sed ordinantis imperio parent); ita etiam de divitiis, tanquam de instabili cogitavi, earumque incertitudini et inconstantia animum minime adjicere, sed commode et decenter illas impendere didici.

VERS. 27. « Et si deceptum est clam cor meum. »

Symmachus autem, *dilatatum est*. Sensus autem hic est: Neque cor meum, inquit, latitudinem, et opum abundantiam, cum voluptate quæ inde profluit, sibi finxit; neque anima mea ejusmodi cupiditati, ut laxè vagaretur, frenos remisit. Per illud autem *clam*, significare videtur quod ne subito quidem animi motu correpto, hoc illi acciderit. Vel, quoniam multi palam divitiarum contemptum simulant, clam vero in animo amorem illarum alunt et

VARIÆ LECTIONES

^α Ἰσ. μετῆλθε. ^ν γρ. περιουσία.

PATROL. GR. XCIII.

celant; idcirco dixit : Ne clam quidem absurdum hunc et vitiosum amorem parturivi.

VERS. 27, 28. « Quod et si osculatus sum manum meam, ponens ad os meum. [Symmachus vero, Et adoravit manus mea circa os meum.] Et hoc igitur mihi iniquitas maxima computetur, quod mentitus sum coram Domino altissimo. »

Nonnulli sæpenumero suas actiones extollentes, manum propriam deosculantur. Dicit igitur : Si in mea dominatione, et actionibus meis, non autem in Deo fiduciam collocavi, veritatem mentitus sum (nostrum enim auxilium non a nobis ipsis, sed a divina gratia promanat); si igitur errore deceptus, tale quid passus sum, pro scelere gravissimo mihi imputetur. Alii vero sic verba acceperunt : Si solem, inquit, et lunam, illorum splendore deceptus, adoravi, nec deficere illa et Domini mandatis parere, animo mecum reputavi, sed illorum admiratione manum meam exosculatus sum, pro scelere maximo mihi ascribatur. Atque ita de idololatria dictum esse putant; verum ego non adducor ut hoc credam, non enim inter præcipuas et eminentissimas suas actiones collocasset. Mihi autem tale quidpiam videtur esse, quod obviam venientibus iis quos diligunt, pati solent qui amoris affectu tanguntur, qui quidem vel propter divitias, vel res præclare gestas eorum quos in admiratione habent, manus eorum exosculantur.

VERS. 29, 30. « Quod si et gavisus sum super ruina inimicorum meorum, et dixit cor meum, Euge; audiat auris mea maledictionem meam, et diffamer a populo meo male affectus. »

Hoc etiam alibi docemur : Si enim, inquit, ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas super eo, et in supplantatione ejus ne extollaris⁶⁶. Symmachus quidem pro, euge, reddidit, Insurrexi quando afflictio eum apprehendit. Euge vero, insultantis et irridentis acclamatio est, juxta illud : Euge, euge, oculi nostri viderunt⁶⁶. Verum ego, inquit, si quando ruinæ inimicorum insultavi, alios etiam mihi imprecantes audiam, et ærumnis afflictus, tanquam eorum quæ gessi pœnas meritas luens, sermone omnium celebrer.

VERS. 31, 32. « Quod si et sæpe dixerunt ancillæ meæ : Quis utique det nobis ut carnibus ejus satiemur? cum valde bonus essem. »

Cæteri autem sic reddiderunt : Si non sæpe dixerunt viri tabernaculi mei, Quis det de carnibus ejus, et saturabimur? ut alterum inhumanæ crudelitatis, alterum vero impotentis cujusdam et insatiabilis amoris indicium sit. Supra etiam famulorum meminit, cum diceret : Non despexi judicium famuli mei, aut ancillæ; causamque adjecit : Quia quemadmodum illi facti sunt, ita et ego factus sum, et summam suam humilitatem manifestavit.

⁶⁶ Prov. xxiv. 17. ⁶⁶ Psal. xxxiv, 21.

* ἀπαντώγων.

Α διὰ τοῦτο εἶπεν, ὅτι Οὐδὲ λάθρα τὸν ἀποποντοῦτον ὠδίνῃσα ἔρωτα.

« Εἰ δὲ χεῖρά μου ἐπιθείς ἐπὶ στόματί μου, ἐφίλησα. [Ὁ δὲ Σύμμαχος, Καὶ προσεκύνησεν ἡ χεὶρ μου περὶ τὸ στόμα μου.] Καὶ τοῦτό μοι ἄρα ἀνομία ἡ μεγίστη λογισθεῖν, ὅτι ἐψευσάμην ἐναντίον Κυρίου τοῦ ὑψίστου. »

Πολλάκις τινὲς τὰς ἰδίας ἐπαινοῦντες πράξεις, τὴν ἰδίαν καταφιλοῦσι χεῖρα. Φησὶν οὖν, ὅτι Εἰ ἐπὶ τῇ ἐμῇ δυναστείᾳ καὶ ταῖς ἐμαῖς πράξεσιν ἐθάρήσῃσα, καὶ μὴ ἐπὶ τῷ Θεῷ, ἐψευσάμην τὸ ἀληθές· οὐ γὰρ ἐξ ἑαυτῶν ἡ ἡμετέρα βοήθεια, ἀλλ' ἐκ τῆς θείας χάριτος· εἰ οὖν ἀπατηθεὶς πέπονθά τι τοιοῦτον, λογιζέσθω μοι τοῦτο εἰς ἀνομίαν μεγίστην.

Ἄλλοι δὲ οὕτως ἐξεδέξαντο τὸ ῥητόν· Εἰ προσεκύνησα, φησὶν, ἡλῶ καὶ σελήνῃ, τοῖς αὐτῶν ἀπατηθεὶς φέγγεσι, καὶ μὴ ἐλογισάμην, ὅτι καὶ ἐκλείπουσιν, καὶ δεσποτικοὺς ὑπηρετοῦνται προστάγμασιν, ἀλλ' ἐπὶ τῷ τούτων θαύματι τὴν ἐμὴν καταφίλησα χεῖρα, ἀνομία μοι ἡ μεγίστη λογισθεῖν. Οὕτω μὲν τινες περὶ εἰδωλολατρίας φασι τοῦτο εἰρησθαι· ἀλλ' οὐ πείθομαι· οὐ γὰρ ἐν ταῖς μεγίστοις κατορθώμασι τοῦτο τέθεικεν. Ἄλλ' ἐμοὶ δοκεῖ, ὅπερ πάσχουσιν οἱ ἔρωτικῶς δακείμενοι, ἀπόντων ἢ τῶν ἐρωμένων, τὰς χεῖρας αὐτῶν καταφιλοῦσι τῷ στόματι, ἢ περὶ πλοῦτου, ἢ περὶ πραγμάτων ὧν ἂν θαυμάζωσιν.

« Εἰ δὲ καὶ ἐπιχαρῆς ἐγενόμην πτώματι ἐχθρῶν μου, καὶ εἶπεν ἡ καρδία μου, Εὐγε· ἀκούσαι ἄρα τὸ οὖς μου τὴν κατάραν μου, θρυλληθεῖν δὲ ἄρα ὑπὸ λαοῦ μου κακούμενος. »

Τοῦτο καὶ ἀλαχοῦ διδασκόμεθα· Ἐὰν γάρ, φησὶ, πέσῃ ὁ ἐχθρός σου, μὴ ἐπιχαρῆς αὐτῷ, ἐν δὲ τῷ ὑποσκελισματι αὐτοῦ μὴ ἐπαίρου. Ὁ μέντοι Σύμμαχος ἀντὶ τοῦ, Εὐγε, καὶ ἐπανέστην ὅτε κατέλαθεν αὐτὸν κάκωσις, ἐξέδωκε. Τὸ δὲ, Εὐγε, ἐπιχαρτικὸν καὶ γελαστικὸν ἐστὶν ἐπιφθεγμα· κατὰ τὰ, Εὐγε, εὐγε, εἶδον οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν. Ἄλλ' ἐγὼ, φησὶν, εἴποτε ἐπεχάρην πτώματι ἐχθρῶν, ἀκούσασαι καὶ αὐτὸ; ἑτέρων καταρωμένων με, καὶ κακούμενος θρυλληθεῖν, ὡς πρὸς δὲ ἔπραξα ἀπειληφῶς.

« Εἰ δὲ καὶ πολλάκι; εἶπον αἱ θεράπαιναί μου· Τίς ἂν δῆψ ἡμῖν τῶν σαρκῶν αὐτοῦ πλησθῆναι; λίαν D μου χρηστοῦ ἔντος. »

Οἱ δὲ λοιποὶ οὕτως ἐξέδωκαν· Εἰ μὴ πολλάκις εἶπον οἱ ἄνδρες τῆς σκητῆς μου, Τίς δῆψ τῶν σαρκῶν αὐτοῦ, καὶ ἐμπλησθῆσόμεθα; ὥστε τὸ μὲν ἀπανθρώπου ὠμότητος, τὸ δὲ ἀκρατοῦς τινος καὶ ἀκορέστου ἔρωτος τεκμήριον εἶναι. Καὶ ἀνωτέρω τὴν θεράποντον ἐμνήσθη, ὅτε ἔλεγεν, Οὐκ ἐψάλλισα κρῖμα θεράποντός μου, ἢ θεραπαίτης· καὶ τὴν αἰτίαν προσέθηκεν, ὅτι Ὡς οὗτοι ἐγένοντο, καὶ ἐγὼ ἐγενόμην· καὶ ἔδειξε τὴν ἀνυπέροβλητον ἑαυτοῦ ταπεινοφροσύνην.

Ἐτεροι δὲ οὕτως ἠρμήνευσαν· Οὐδὲ ἱπαθῆς, ἤ φησι, ταῖς θεραπαίνοις γέγονα, ὡς διὰ τὴν ἐμὴν ὠμότητα καὶ αὐτὰς ἐξαγριωθείσας τῶν ἐμῶν ἐπιθυμείν ἀπογεύσασθαι σαρκῶν· τὸ δὲ ἐναντίον ἅπαν, καὶ λίαν αὐταῖς χρηστὸς ἐγενόμην. Ἐμοὶ δὲ ἀρέσκει, κατὰ μὲν τοὺς Ἑβδομήκοντα ἐκδόντας, *Εἰ εἶπον αἱ θεράπαιναι μου*, ἢ δευτέρᾳ ἐρμηνείᾳ. Κατὰ δὲ τὴν τῶν λοιπῶν ἔκδοσιν ἔχουσιν, *Εἰ μὴ εἶπον*, ἢ προτέρᾳ ἐξηγήσεις. Πάθοιμι γάρ, φησὶ, τάδε, εἰ εἶπον αἱ θεράπαιναι μου κατ' ἐμοῦ θυμούμεναι· Διαμερισώμεθα αὐτὸν, καὶ ὠμὰς τὰς σάρκας αὐτοῦ δαπανήσωμεν· ἀλλὰ μὴν τοῦτο οὐκ εἶπον, λίαν μου χρηστοῦ ὄντος. Πάλιν δὲ εὐχεται κρατῆσαι καὶ βεβαιωθῆναι τὰς καθ' ἑαυτοῦ ἀράς, εἰ μὴ εἶπον ἀπὸ θερμῆς ἐρωτικῆς διαθέσεως αἱ θεράπαιναι, Καταφάγωμεν αὐτόν.

« Εἰ δὲ καὶ ἀμαρτῶν ἀκούσιως ἔκρυφα τὴν ἀμαρτίαν μου· οὐ γὰρ διετράπην πολυοχλίαν πλήθους, τοῦ μὴ ἐξαγορευσαί ἐνώπιον αὐτῶν. »

Ἐκούσιον μὲν οὐδὲν ἑαυτῷ συνήδει πλημμέλημα, οὕτως ἄκρωσ τὸν κατ' ἀρετὴν ἐξήσκει βίον. Ἐπεὶ δὲ ἀνθρώπων ὄντα οὐκ ἦν μὴ καὶ ἄκοντα περιπίπτειν παραπτώματι, μετανοία καὶ ἐξομολογήσει ἐξῆλθο γνωσθὲν τὸ ἀμάρτημα, οὐκ ἐπαισχυνόμενος τὸ μὴ κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πεπραγμένον ἐξαγορεύειν.

« Εἰ δὲ καὶ εἶσα ἀδύνατον ἐξελεῖν θύραν μου κλύπην κενῶ· τίς δὴν ἀκούοντά μου; »

Τάχα δὲ ἀκροατὰς ἔοικεν ἐπιζητεῖν συνετοῦς, δυνάμενος χωρῆσαι τὰ παρ' αὐτοῦ λεγόμενα, δι' ὧν ἡ τῆς πολιτείας ἀκρότης παρεδείκνυτο· οὐ γὰρ εἶπε ταῦτα σοβαρευόμενος· ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ κατορθώμασιν, ἀλλ' ἡμῖν καταλιμπάνων ὑπογραμμὸν ὅπως βιώνει χρῆ, οὕτω τοῦ ἀγίου Πνεύματος· γραφῆναι οἰκονομησαντος εἰς νοθεσίαν ἡμετέραν.

« Χεῖρα δὲ Κυρίου εἰ μὴ ἔδεδόκειν. »

Ἐτούτεστι, καὶ τὰ πρὸς τὸν Θεὸν εὐλαδῶς διεκείμην· καὶ οὐκ ἀπλῶς ταῦτα ἐποίουν, ἀλλὰ πρὸς τὸν Θεὸν ὄρων, καὶ κατεπτηχῶς εἰ τι μὴ δέον πράξαιμι.

« Συγγραφὴν δὲ ἦν εἶχον κατὰ τινος, ἐπ' ὧμοῖς ἂν περιθέμενος στέφανον ἀνεγίνωσκον, καὶ εἰ μὴ βήξας αὐτὴν ἀπέδωκα, οὐθὲν λαβὼν παρὰ χρεωφειλέτου. »

Ἐπάσαν, φησὶ, συγγραφὴν ἄδικον διέσπασα, καὶ οὐκ ἐκαλλωπιζόμεν; ἀλλὰ διεῖρήσασον. Τὸ δὲ, περιθέμενος ἐπ' ὧμοῖς, αἰνίττεται τινὰς ταῖς ἀλλοτριαῖς ἐγκαλλωπιζομένους συμφοραῖς. Καὶ οὐκ ἀπλῶς ἀπέδιδον, ἀλλὰ πρότερον ποιῶν ἐξησθενημένην τῷ διαβόλῳ· βήξαι· διασπάσας γὰρ οὕτως ἀπέδιδον. Οὐ γὰρ οἶα τι, ἐγκαυχώμενος ἐπὶ τοῖς θανάτοις, ἀνελεῖτων ἀμφοτέραις χερσὶ τὰς συγγραφὰς δημοῖα ὑπανεγίνωσκον, ἀλλὰ διαβόρηγνός αὐτὰς, καὶ συγχωρῶν τὰ ὀφλήματα, ἀπέδιδον τοῖς χρεωφειλέταις.

Alii vero sic interpretati sunt : Neque gravis adeo, inquit, et molestus ancillis fui, ut mea crudelitate exacerbata, carnes meas gustare cupierint : imo plane e contrario, benignum valde me iis præbui. Mihi vero secunda explicatio, juxta Septuaginta interpretum versionem arridet, qui transulerunt : Si dixerunt ancillæ meæ. Juxta vero aliorum editionem, quæ sic habet, Si non dixerunt, prior explicatio hæc est : Talia, inquit, mihi eveniant, si dixerint ancillæ meæ, contra me ira accensæ : Partiamur eum intra nos, et crudas ejus carnes absumamus : sed cum clemens valde et benignus iis exstitissem, hoc nequaquam dixerunt ; contra vero, si non serventis amoris desiderio flagrantes, Devoremus eum, dixerunt, imprecationes contra ipsum obtinere, et certum suum effectum sortiri, precibus exoptat.

VERS. 33, 34. « Quod si et cum non sponte peccassem, abscondi peccatum meum ; non enim expavi turbam multitudinis, ut non enarrarem coram iis. »

Nullius voluntarii delicti conscius sibi erat, accurate adeo viam virtutis insistebat. Quoniam vero homini existenti, etiam invito, in offensam non incurrere impossibile erat ; quod contra rectam rationem admissum esset, confiteri non erubescens, penitentia et confessione agnito peccato medebatur.

« Aut si dimisi infirmum sinu vacuo exire januam meam ; [VERS. 35] quis mihi tribuat auditorem ? »

Forte vero prudentes auditores quærere videtur, qui dicta ejus capere possent : ex quibus vitæ suæ et conversationis summa perfectio ostenditur ; non enim propter res præclare a se gestas hæc dixit, sed, Spiritu sancto ita ad nostram institutionem scriptis consignari disponente, ut nobis, quomodo vivendum esset exemplar relinqueret.

« Et manum Domini si non timui. »

Id est, Deum religioso cultu prosequerbar ; neque leviter quidem et negligenter hoc præstabam, sed Deum intuitus, et ne quid contra quam oporteret admitterem, timore percussus.

VERS. 36, 37. « Syngrapham vero quam habui contra quempiam, in humeris utique circumponens coronam legebam, et si non scindens eam reddidi, nihil accipiens a debitore. »

Omnem, inquit, injustam syngrapham discerpsi, neque de eo gloriabar, sed disruptam in frusta divulsi (illud autem, *Humeris circumponens*, quosdam innuit qui in alienis calamitatibus gloriose se efferunt). Neque simpliciter tantum reddidi, sed prius comminatione infirmam et invalidam effeci ; sic enim postquam discerpsissem, et in frusta comminuissem, reddidi. Non enim tanquam aliquis qui fenore et usura superbe se jactitat, syngraphas ambobus manibus tenens publice legebam, sed discindens eas, et debita condonans, debitoribus tradebam.

VERS. 38. « Si super me unquam terra gemuit, A aut si sulci ejus ploraverunt simul. »

Imperfecta est oratio, et suspensa; sensum vero in iis quæ sequuntur redditum invenies; dicit autem: Si mea causa dominus cum gemitu terram suam deflevit, vel aratores, et qui terram vomere scindunt, sulcos cum luctu et lamentis deploraverunt, talia patiar, et talia mihi eveniant: neque enim aliquorum possessiones per vim eripui, ut gemere cogerentur, neque sulcos meis addidi et adjeci, ut iis a quibus ablati essent, luctus causam præberem; sed neque meum agrum, et meos sulcos, quisquam sine mercede coluit et proscidit, ne laboris pretio fraudatus, gemitus et luctus causam haberet.

VERS. 39. « Aut si et virtutem ejus comedi solus B sine pretio. »

Virtus terræ, est fructuum procreatio, et tempestatum anni proventus. Ostendit autem quod, nisi numerata prius pecunia, terræ fructus nunquam decerpserit: fructum enim alienæ terræ sine argento comedere non sustinuit. Duo vero fortasse hic innuit, quod juxta fructuum pretium pecuniam persolverit; et quod non solus comederit, sed indigentibus alimentum communicaverit.

« Aut si animam domini terræ recipiens contristavi. »

Symmachus vero, *spe privavi*; tanquam per vim et potestatem terræ domino et possessori aliquid eripiens.

VERS. 40. « Pro tritico germinet mihi urtica, et pro hordeo spina. »

Theodotio vero, et Symmachus, hic quidem pro, *urtica*, reddidit, *spinam*; ille vero pro *spina*, *germina imperfecta et inutilia*. Urtica autem et spina, plantæ sunt spinosæ; dicit igitur: Si dictis veritas non inest, et vel terram auferens, dominum ejus contristavi, vel sulcos abscissos meo agello addidi, illique cui erepti erant, gemitum et luctum commovi, vel fructus gratis prædatus sum, aut numerato etiam pretio, solus eos abligurivi; terra mihi pro sativis et altilibus fructibus inutilis spinas producente, lætum et uberem proventum nunquam videam. Symmachus quidem sic reddidit: *Pro frumento germinet spina*: in libris autem Regum nomen herbæ legi quæ *acanus* vocatur⁴¹. Si quidquam igitur, inquit, eorum quæ a me enumerata et pernegata sunt, patravi, vel terram, scilicet, alienam adimens, vel sine argento fructus decerpens, vel simile aliquod contra jus et fas committens; neque terra mihi pro solito, et unde sustenter, fructus producat, sed agrestes, et quibus vesci nemo possit.

« Et cessavit Job a verbis. »

⁴¹ IV Reg. xiv, 9.

« Εἰ ἐπ' ἐμοὶ ποτε ἡ γῆ ἐστενάξεν, εἰ δὲ καὶ οἱ ἀβλακεὶς αὐτῆς ἔκλαυσαν ὁμοθυμαδόν. »

Ἄτελής ὁ λόγος, καὶ ἤρηται: τὴν δὲ ἀπόδοσιν τῆς ἐννοίας ἐν τοῖς ἐξῆς εὐρήσεις κειμένην. Φησὶ δὲ, Τάδε γένοιτό μοι, καὶ τάδε πάθοιμι, εἰ δι' ἐμὲ γῆ ἐστενάχθη παρὰ τοῦ δεσπότου αὐτῆς, ἢ ἀβλακεὶς ἔκλαυθησαν παρὰ τῶν ἀνατεμένων ταύτας καὶ ἀροσάντων: οὔτε γὰρ κτήσεις τινῶν ἤρπασα, ὥστε αὐτοὺς στενάξεν, οὔτε ἀβλακαὶ ταῖς ἐμαῖς συνήψα καὶ προσεθέμην ἀβλαξιν, ὡς τοὺς ἀφαιρεθέντας ὀρηγεῖν· ἀλλ' οὐδὲ τὴν ἐμὴν γῆν, καὶ τὰς ἐμὰς ἀβλακὰς, ἀμισθὶ τις εἰργάσατο καὶ ἀνέτεμεν, ἵνα διὰ τοῦτο στένη καὶ δακρῦῃ, ὡς τὸν μισθὸν τῆς ἐργασίας ἀποστερηθεῖς.

« Εἰ δὲ καὶ τὴν ἰσχὺν αὐτῆς ἐφαῖνον μόνος ἄνευ τιμῆς. »

Ἰσχὺς τῆς γῆς, ἡ καρπογονία Ἰ, καὶ ἡ φορὰ τῶν ὀρων Ἔ. Δείκνυσσι δὲ, ὅτι οὐδέποτε τὰ τῆς γῆς ἐκφόρια ἐδρέψατο, μὴ καταθέμενος ὑπὲρ αὐτῶν ἀργύριον· ἄνευ γὰρ ἀργυρίου ἀλλοτρίας γῆς καρπὸν φαγεῖν οὐκ ἠνέσχετο. Τάχα δὲ δύο ἐνταῦθα σημαίνει, ὅτι καὶ τὰ τιμήματα τῶν καρπῶν κατεδάλλετο, καὶ ὅτι οὐδὲ μόνος ἦσθιεν, ἀλλ' ἐκοινοποιεῖτο τοῖς δεομένοις τὰς τροφάς.

« Εἰ δὲ καὶ ψυχὴν κυρίου τῆς γῆς ἐκλαδῶν ἐλύπησα. »

Ὁ δὲ Σύμμαχος, ἐλπίδος ἐστέρησα, ὡς κατὰ δυναστείαν ἀρπάσαντι ἂ τοῦ κτήτορος τῆς γῆς.

C « Ἄντι πυροῦ ἄρα ἐξέλθοι μοι κνίδη, ἀντι δὲ κριθῆς βάτος. »

Θεοδοσίω δὲ καὶ Σύμμαχος, ὁ μὲν ἀντι τοῦ, κνίδη, ἀκανθα^b, ἐξέδωκεν· ὁ δὲ ἀντι τοῦ, βάτος, ἀτελεσφόρητα. Ἡ κνίδη δὲ καὶ ἡ βάτος, ἀκανθώδη φυτὰ· λέγει οὖν, Εἰ μὴ πρόσεσι τοῖς εἰρημένους τὸ ἀληθές, ἀλλ' ἡ γῆ ἀφελόμενος^c τὸν ταύτης ἐλύπησα κύριον, ἢ ἀβλακὰς ἀποτεμένοντες, τῷ ἐμῷ γηεῖν προσέθηκα, καὶ στενάξεν τὸν ἀφαιρεθέντα καὶ οἰμώζειν ἐποίησα, ἢ καρποὺς προῖκα συλήσας, ἀλλὰ ἢ καταθεῖς τιμὴν, μόνος αὐτοῦς ἐδαπάνησα, μηκέτι ἴδοιμι τὴν εὐετηρίαν, καὶ αὐτῆς μοι τῆς γῆς ἀκάνθας τὰς ἀχρήστους ἀντι τῶν ἡμέρων καὶ τροφίμων ἐκφερούσης καρπῶν. Ὁ μέντοι Σύμμαχος οὕτως ἐκδέδωκεν, Ἄντι σίτου βλωστησάτω ἀκανο^d· ἀνέγων δὲ ἐν ταῖς βασιλείαις φυτὸν ἀκανον οὕτω λεγόμενον. Εἴ τι οὖν, φησὶ, τῶν ἀπηριθμημένων καὶ ἀπηρηνημένων ἔπραξα, ἢ ἀλλοτρίας γῆν παραιρούμενος, ἢ ἄνευ ἀργυρίου τοὺς καρποὺς δρεπόμενος, ἢ τι τοιοῦτον παρανομῶν, μηδὲ ἡ γῆ μοι τὰ συνήθη καρποφορεῖτω καὶ τρέφιμα, ἀλλὰ τὰ ἄγρια καὶ ἄδρωτα.

« Καὶ ἐπαύσατο Ἰὼβ ῥήμασιν. »

VARIAE LECTIONES.

Ἰ γρ. καρποφορία. Ἔ ἰσ. ὀρων. ἂ ἰσ. ἀρπάσας τι. ἃ ἰσ. ἀκανον. ἔ γρ. ἀφελόμενος.

Οὐκ ἀπλῶς ἐπαύσατο, ἀλλὰ ῥήμασιν, ἡ καρδία δὲ αὐτοῦ νοοῦσα τὰ θεῖα οὐκ ἐπαύσατο. Ἦδει γὰρ ὅτι καιρὸς τῷ παντὶ πράγματι ὑπὸ τῶν οὐρανῶν, καιρὸς τοῦ σιγᾶν, καὶ καιρὸς τοῦ λαλεῖν. Ὅτε καιρὸς ἦν τοῦ ἀποκρίνασθαι, πρὸς τοὺς τρεῖς ἔλεγεν· ὅτε καιρὸς ἦν σιωπῆς, μετὰ τὸ ἐπιτομῆσαι αὐτοὺς ἐσίγησε. Καὶ οἶμαι ἐν ἐπαύσει εἰρησθαι τὸ, ἐπαύσατο Ἰώβ.

ΚΕΦ. ΑΒ΄.

Προθεωρία.

Τῶν φίλων τοῦ Ἰώβ ἐπὶ παράκλησιν ἀφικομένων, ἔξω δὲ τοῦ σκοποῦ γεγεννημένων τῆς ἀφίξεως, καὶ τῆ βαρύτερηι τῶν λόγων ἐπιτριβόντων τῷ δικαίῳ τὰ τραύματα· ἔφασκον γὰρ, δι' ἁμαρτίας αὐτὸν πικρῶνθαι, καὶ μὴ ἄλλως τὸν Θεὸν ἐπάγειν τὰς κολάσεις, εἰ μὴ κατὰ ἀναπόδοσιν· τοὺς αὐτῶν λόγους ὁ Ἰώβ ἀμυνόμενος, ἐπηπόρησε, Πῶς πολλοὺς ὀρωμεν ἄδικους τιμωρίαν οὐ δεδωκότας; μέχρι τέλους, δικαίους δὲ πάσχοντας; Ἐἶτα, ὡς ἐσφαλμένας τῶν φίλων ἀποφεύγων τὰς κρίσεις, ἐπὶ Θεοῦ βούλεται τὴν δίκην εἰπεῖν, ἵνα ἐπιδείξῃ ὡς οὐδὲν τῆς τηλικαύτης μάστιγος ἐιργάσατο ἄξιον. Ταῦτα δὲ ἔλεγεν, οὐ τοῦ Θεοῦ καταψηφισόμενος ὡς ἄδικα πράττοντος, ἀλλὰ σφόδρα θαρβῶν τῇ τοῦ Θεοῦ δικαιοκρίσει, τοὺς δὲ φίλους διελέγξαι θέλων, ὡς οὐ δικαίως κατ' αὐτοῦ ποιοῦντας τὰς κρίσεις. Ὁ μὲν οὖν σκοπὸς τοῦ Ἰώβ ὡς πρὸς τοὺς φίλους ὄλος ἀποτείνεται^δ, βουλόμενος δεῖξαι, ὅτι ἐπὶ Θεοῦ δικάζοντος δικαίως ἀναφανίζεται, τοῦ ἀληθινοῦ καὶ ἀπροσωπολήπτου· οἱ δὲ μάτην αὐτοῦ κατηγοροῦντες, οὐκ ἀληθεῖς ἔχουσι^ε τοῦ δικαίου τὰς κρίσεις. Τούτων ἐπακροώμενος ὁ Ἐλιοῦς, καὶ οὐ νενοηκῶς τοῦ δικαίου τὴν διάνοιαν, ᾤθη λέγειν αὐτὸν, ὡς Ἄδικα πάσχω παρὰ Θεοῦ, δικαίως ὦν· διὰ τοῦτο ζηλῶν ἐζήλωκε τῷ Κυρίῳ, καὶ ὠργίσθη κατὰ τοῦ Ἰώβ· οὐδὲν δὲ ἔχων ἄδικημα κατὰ τοῦ δικαίου κατηγορεῖν, ὠργίσθη κατὰ τῶν τριῶν φίλων ἐνδίκως, ὅτι τὸν δίκαιον ἀσεβείας κατεδίκασαν, ὡς δι' ἁμαρτίας τὰς τιμωρίας ὑπομένοντα. Ἐνετύθεν ἀνακύπτει ζήτημά τι τοιόνδε· Εἰ ὀργίζεται κατὰ τῶν φίλων ὁ Ἐλιοῦς, ὅτι ἀσεβῆ τὸν Ἰώβ ἔκριναν, δικαίως ἄρα ὁ Ἰώβ· πῶς οὖν καὶ κατὰ τοῦτου ποιεῖται τὴν ἐπιτίμησιν; Ἄλλ' ἔρεῖ πρὸς τοῦτο ὁ Ἐλιοῦς, Εὐσεβῆς μὲν ὁ Ἰώβ καὶ δικαίως, καὶ οὐδεὶς ἀντερεῖ· αἰτίαν δὲ δέδωκε καθ' ἑαυτοῦ, τὸ θέλειν πρὸς Θεὸν δικάζεσθαι. Ὁ μὲν οὖν σκοπὸς τοῦ Ἐλιοῦς οὐ ψεκτός· οὐδὲ γὰρ σφοδρῶς ἐπληξεν τὸν Ἰώβ, ὡς περ ἐκεῖνοι, ἀσεβείαν αὐτοῦ καταψηφισάμενοι· πλὴν οὐκ ἐνόησε τοῦ δικαίου τὴν διάνοιαν καὶ ἐξ ὅσας ἀγάπης καὶ νεποθήσεως τῆς πρὸς Θεὸν, ἐπ' αὐτοῦ τὴν δίκην λέγειν ἐπὸθει. Ὅθεν λογιζόμεθα καὶ τὸν Θεὸν μῆτε ἐπαινέσαι τὸν Ἐλιοῦς, ἐπειδὴ μὴ νενόηκε τοῦ Ἰώβ τοὺς λόγους, μῆτε μὴν καταδικάσαι, ἐπειδὴ μὴ ἀσεβείας αὐτὸν κατέκρινε, μῆδὲ ἀπεψήνατο δι' ἁμαρτίας αὐτὸν πάσχειν, ὡς περ

Non omnino cessavit, sed a verbis tantum; cor enim divina meditari non cessaverat. Non ignorabat quippe quod tempus esset rei omni quæ sub cælo est, quod tempus esset tacendi, et tempus loquendi^{ca}. Cum tempus respondendi erat, amicos tres allocutus est; cum vero silentii tempus erat, ore illum prius obturato, silentium egerat. Hoc autem, cessavit Jobus, laudis loco dictum esse arbitror.

CAP. XXXII.

Protheoria.

Cum Jobi amici, qui ut eum solarentur accesserant, scopum adventus sui minime assecuti essent, et sermonum asperitate justus vulnera exacerbasset (dicebant enim, propter peccata eum adversa pati, nec aliam ob causam Deum supplicii punire quam ut peccatoribus meritis pœnas retribuât), sermones eorum Jobus repellens, quæstionem proposuit: Cur multos injustos ad mortem usque impunitos, justos autem ærumnas pati videamus? Deinde, falsa amicorum judicia declinans, ut nihil se tam gravi plaga dignum admisisse ostenderet, coram Deo causam suam agere cupit. Hæc autem, non ut Deum facti alicujus injusti condemnaret, cuius potius justo judicio multum confideret; sed ut amicos argueret, qui injustam contra eum sententiam protulerant, ab eo dicta sunt. Scopus itaque omnis et propositum Jobi eo tendit, ut amicis ostendat se, Deo judice, qui verus est arbiter, nec personarum acceptor, justum appariturum, et quod frustra eum accusantes, æquitatis iniquè æstimatores essent. Quæ cum Elius audiret, nec justus mentem intelligeret quod, cum justus existeret, injusta a Deo pateretur, dixisse eum arbitratus est: unde zelo accensus, pro Domino æmulatus est, et contra Jobum ira excanduit: cum autem nullius injustitiæ justum accusare posset, jure et merito tribus amicis infensum se ostendit, quod justum, tanquam ob peccata supplicii affectum, impietatis condemnassent. Hinc autem talis quæstio emergit: Si Elius amicis irascebatur quod Jobum impium judicassent, pius ergo fuit Jobus; qui sit igitur ut illum etiam vituperet? Verum ad hoc Elius respondebit: Pius quidem et justus exstitit Jobus, nec quisquam contradicere potest; illud autem, quod cum Deo judicio contendere voluerit, ansam seipsum accusandi præbuit. Scopus quidem Elii vituperandus non est: non enim, prout illi qui impietatis reum condemnaverant, gravi aliqua plaga illum vulneraverat; verum justum animum non inteflexerat, nec qua charitate erga Deum et confidentia, coram eo causam dicere desideraret. Unde Deum arbitramur nec Elium laudasse, quoniam Jobi sermones non comprehenderat; nec accusasse, quia impietatis eum minime condemnaverat, aut, prout

^{ca} Eccle. III, 1.

VARIÆ LECTIONES.

^d Ἰσ. συντείνεται.

amici, propter peccata adversa cum pati affirmaverat; quæ quidem causa fuit cur a Deo objurgarentur.

VERS. 1. « Cessaverunt autem et tres amici ejus ultra contradicere Job; erat enim Job justus coram eis. »

Symmachus autem: *Eo quod justus præ illis appareret.* Siluit quidem Jobus, venia loquendi illis concessa: postquam vero Deum testem advocasset, sibi que dira imprecatus fuisset, ora amicorum obturata sunt: non enim sponte et arbitrii sui voluntate siluerunt, sed quoniam causæ suæ patrocinium omne præreptum fuisset, et ad ea quæ dicebantur respondere non possent; rerum enim a justo præclare gestarum conscii et testes erant, et quod animi sui proposito malum odio prosequeretur, ac sincero affectu quod bonum erat sectaretur. Jobus enim, quod æquitatem erga homines, et cultum erga Deum religiosum, cum summa humilitate (quam, præter innumera alia, peccatorum confessio liquido ostendit) absolutissime observaverit, palam testatus est.

VERS. 2. « Iratus est autem Elius, filius Barachiel, Buzites, de cognatione Ram, Ausitidis regionis. »

Buzites quidem dictus est Elius, vel a cognatione Buzi, unde etiam Ram originem traxit⁶²; vel ab urbe aliqua Ausitidis regionis. Nachorem autem, Abrahami fratrem, Buz filium natu secundum ex Melcha progenuisse, in Scripturis reperimus⁶³; inde igitur forte Elius genus suum duxit, ac propterea Buzites appellatus est.

« Iratus est autem in Job valde, eo quod pronuntiaverat seipsum justum coram Domino. »

Elius quidem opinione sua justa de causa commovebatur: non enim quod justum se Jobus affirmasset, irascebatur, ejus quippe conscius sibi erat; sed quia coram Domino hoc faceret, et testem illum invocaret; vel quia in judicium cum Deo descendens, causæ suæ æquitatem tueretur: seipsum enim justificare, magnum non est; tanquam vero cum Deo litigando hoc facere, absurdum et impium est. *Ne justifices, inquit, teipsum coram Domino*⁶⁴. Et amici quidem hac ipsa de causa irascebantur, et dixerunt: *Nunquid erit mortalis justus coram Domino*⁶⁵? Qua in re igitur Elius superior illis existit, siquidem et illi etiam, quod seipsum Deo justiore existimaret, Jobum vituperaverant? Verum Jobus non eo animo fuit ut se Deo justiore esse affirmaret; sed talia ab eo gesta fuisse, et Dei judicium subire se cupere dicebat: non autem injustitiæ illum arguebat; illud vero Elius, pii hominis animo nequaquam perspecto, suspicabatur; amicos autem, tanquam eos qui Dei partes prodidissent et abnegassent, jure merito accusaverat.

VERS. 3. « Et vero adversus tres amicos iratus est valde, eo quod non potuerant respondere opposita ipsi Job, et posuerant ipsum esse impium. »

οἱ φίλοι· διὰ γὰρ τοῦτο τὴν κατ' ἐκείνων ἐπιτίμησιν ὁ Θεὸς εἰργάσατο.

« Ἠσύχασαν δὲ καὶ οἱ τρεῖς φίλοι αὐτοῦ ἐτι ἀντειπεῖν Ἰὼβ· ἦν γὰρ Ἰὼβ δίκαιος ἐναντίον αὐτῶν. »

Ὁ δὲ Σύμμαχος, διὰ τὸ αὐτὸν δίκαιον φαίνεσθαι ἐπ' αὐτῶν. Ἠσύχασε μὲν ὁ Ἰὼβ, διδοὺς αὐτοῖς λόγον εἰπεῖν· ἐπειδὴ δὲ καὶ τὸν Θεὸν ἐκάλεσε μάρτυρα, καὶ ἑαυτῷ ἐπηράσατο, ἐπεστομίσθησαν οἱ φίλοι· καὶ ἠσύχασαν, οὐ προαιρετικῶς, ἀλλ' ἐπειδὴ πᾶσαν αὐτοῖς δικαιολογίαν ἀπέκλεισε, καὶ οὐκ εἶχον ἀντειπεῖν πρὸς τὰ εἰρημμένα· συνηπίσταντο γὰρ τῷ δικαίῳ τὰ κατορθώματα, καὶ ὡς ἐκ δικθέσεως μὲν ἐμίσει τὸ κακὸν, ἐλικρινεῖ δὲ ἀγάπῃ μετῆι τὸ καλόν. Ἔδειξε γὰρ ὁ Ἰὼβ, ὅτι καὶ τὰ πρὸς ἀνθρώπους δίκαια, καὶ τὸ πρὸς τὸν Θεὸν σέβας, ἀκρῶς ἐφύλαξε μετὰ τῆς θαυμαστῆς ταπεινοφροσύνης, ἣν παρίστησιν, ἄλλα τε πολλὰ, καὶ τὸ ἐξαγορεύειν τὰ ἀμαρτήματα.

« Ὀργίσθη δὲ Ἐλιός, ὁ τοῦ Βαραχίηλ, ὁ Βουζίτης, ἐκ τῆς συγγενείας Ῥάμ, τῆς Αὐσίτιδος χώρας. »

Βουζίτης μέντοι εἰρηταί ὁ Ἐλιός, ἢ ἀπὸ συγγενείας τῆς τοῦ Βουζι, ὅθεν ἦν καὶ Ῥάμ· ἢ ἀπὸ τινος πόλεως τῆς Αὐσίτιδος χώρας. Εὐρίσκομεν δὲ ὅτι καὶ Ναχώρ, ὁ ἀδελφὸς Ἀβραάμ, γεννᾷ υἱὸν δεύτερον ἐκ τῆς Μελαχᾶς τὸν Βούζ· ἴσως οὖν ἐκεῖθεν κατὰγει τὸ γένος ὁ Ἐλιός, διὸ καὶ Βουζίτης ὀνόμασται.

« Ὀργίσθη δὲ τῷ Ἰὼβ σφόδρα, διότι ἀπέφηνεν ἑαυτὸν δίκαιον ἐναντίον Κυρίου. »

Κατὰ τὸ εὐλόγον μὲν ἐκινεῖτο, ὡς ἐνόμιζεν, Ἐλιός· ὀργίσθη γὰρ, οὐχ ὅτι δίκαιον ἑαυτὸν ἀπέφηνεν ὁ Ἰὼβ, συνηπίστατο γὰρ, ἀλλ' ὅτι ἐναντίον Κυρίου, ἐπειδὴ αὐτὸν ἐκάλει μάρτυρα· ἢ ὅτι πρὸς τὸν Θεὸν δικαζόμενος ἐδικαιολογεῖτο· τὸ μὲν γὰρ δικαίως αὐτὸν, οὐδὲν μέγα· τὸ δὲ ὡς πρὸς τὸν Θεὸν δικαζόμενον τοῦτο ποιῆσαι, ἄτοπον. Μὴ δικαιοῦ γὰρ, φησὶν, ἑαυτὸν ἐναντίον Κυρίου. Καὶ μὴν καὶ οἱ φίλοι διὰ τοῦτο ὀργίζοντο, καὶ ἔλεγον, *Μὴ γὰρ ἔσται βροτὸς δίκαιος ἐναντι Κυρίου; Τί οὖν οὗτος πλέον ἔσχε; καὶ γὰρ κάκεινοι τὸ αὐτὸ ἐνεκάλουν, ὅτι τοῦ Θεοῦ δικαιότερον ἑαυτὸν ἐνόμισεν εἶναι.* Ἄλλ' οὐχ τοιαύτη γνώμη ὁ Ἰὼβ εἶπεν, ὅτι αὐτὸς δικαιότερός ἐστι τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ὅτι ταῦτα αὐτῷ πέπρακται, καὶ ὅτι βούλεται ἐπ' αὐτοῦ κρινεσθαι, οὐ μὴν ἀδικίαν ἐνεκάλει τῷ Θεῷ· ὁ δὲ Ἐλιός τοῦτο ὑπέλαθεν, ἀγνοήσας τὴν εὐσεβῆ τοῦ δικαίου διάνοιαν· τοῖς δὲ φίλοις δικαίως ἐνεκάλει προδεδοκῶσι τοῦ Θεοῦ τὸ μέρος καὶ ἡρνημένους.

« Καὶ κατὰ τῶν τριῶν δὲ φίλων ὀργίσθη σφόδρα, διότι οὐκ ἠδυνήθησαν ἀποκριθῆναι ἀντίθετα Ἰὼβ, καὶ ἔθεντο αὐτὸν εἶναι ἀσεβῆ. »

⁶² Paral. II, 9.

⁶³ Gen. XII, 21.

⁶⁴ Eccli. VII, 5.

⁶⁵ Job XV, 14; XVII, 4.

• Διπλή κατὰ τῶν φίλων ὠργίσθη Ἐλιός, ὅτι ἅτε ἀσεβείας τὸν δίκαιον ἔκριναν, καὶ ὅτι τὴν ὑπὲρ Θεοῦ συνηγορίαν ἀνειληφότες, ἤττηθησαν, καὶ ἐσιώπησαν, τὸν ὑπ' αὐτῶν συνηγορούμενον ὡσπερ προδεδωκότες Θεόν, καὶ τῇ σιωπῇ δεδωκότες τῷ Ἰώβ κατὰ τοῦ Θεοῦ τὰ νικητήρια. Εἶποι δ' ἂν τις, διὰ τοῦτο μᾶλλον ὠργίσθαι τοῖς φίλοις τὸν Ἐλιός, ὅτι οὐκ ἠδυνήθησαν ἀντιθεῖναι τὰ εἰκότα τοῖς τοῦ Ἰώβ λόγοις, ὥστε καὶ ἀποφῆναι αὐτὸν ἀσεβῆ κατὰ Θεοῦ φρουατόμενον.

• Ἐλιός δὲ ὑπέμεινε δοῦναι ἀπόκρισιν Ἰώβ, ὅτι πρεσβύτεροι αὐτοῦ εἰσιν ἡμέραις. Καὶ εἶδεν Ἐλιός, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀπόκρισις ἐν στόματι τῶν τριῶν ἀνδρῶν, καὶ ἐθυμώθη ὀργῇ αὐτοῦ. »

Ἐπαινετὸν τὸ ἦθος τοῦ Ἐλιοῦ, ἐν καιρῷ μὲν σιωπήσαντος· ἔδει γὰρ πρώτους τοὺς πρεσβυτέρους λαλεῖν· ἐν καιρῷ δὲ ἀποκριναμένου, τῶν παλαιότερων ἀπορίᾳ συσχεθέντων. Τὸ οὖν, ὑπέμεινε, ἀντὶ τοῦ, ἀνέμεινε· τὸ δὲ, ἐθυμώθη, ἀντὶ τοῦ, ἐξήλωσε. Καὶ καλῶς εἶπεν, ὑπέμεινε, δεικνὺς ὅτι ὠργίζετο μὲν, οὐκ ἀπετόλμα δὲ οὐδὲν εἰπεῖν, ἕως ἂν πάντα κενώσῃ ὁ Ἰώβ. Καίτοι θεὰ αὐτοῦ τὴν σύνεσιν, πῶς ἐκ προομιῶν εὐθέως ἐπέβαλε ὃ, πῶς τὴν προσήκουσαν φυλάττει ἰ τάξιν.

• Ἰπολαβῶν δὲ Ἐλιός ὁ τοῦ Βαραχιήλ, ὁ Βουζιτης, εἶπε· Νεώτερος μὲν εἰμι τῷ χρόνῳ, ὑμεῖς δὲ ἔστε πρεσβύτεροι· διδὲ ἡτύχασα, φοβηθεὶς τοῦ ὑμῖν ἀναγγεῖλαι τὴν ἔμαυτὸ ἐπιστήμην. »

• Καλῶς προσέθηκεν, ὅτι Νεώτερός εἰμι τῷ χρόνῳ· ἔστι γὰρ τις νεώτερος μὲν τὴν ἡλικίαν, πολιτὴν δὲ ἔχων φρόνησιν· καὶ ἕτερος τῷ μὲν χρόνῳ προβεθηκώς, νεώτερος δὲ τὴν διάνοιαν. Ὅρα δὲ, ὅπως οὐ μόνον αἰδοῖ, ἀλλὰ καὶ φόβῳ καὶ εὐλαθείᾳ τῶν πρεσβυτέρων τὴν διάλεξιν περιέμεινε, καὶ εἰ μὴ πρότερον ἐπαύσαντο, οὐκ εἶπεν αὐτὸς ἂ καλῶς ἔχειν ἐλογίζετο.

• Εἶπα δὲ, ὅτι οὐχ ὁ χρόνος ἔστιν ὁ λαλῶν, ἐν πολλοῖς δὲ ἔτεσιν οἴθασι σοφίαν· ἀλλὰ πνεῦμά ἐστιν ἐν βροτοῖς. [Ὁ δὲ Σύμμαχος, Ὅντως δὲ Πνεῦμα Θεοῦ ἔστιν ἐν ἀνθρώποις.] Πνοή δὲ Παντοκράτορός ἐστιν ἡ διδάσκουσα· Οὐχ οἱ πολυχρόνιοι εἰσι σοφοί, οὐδ' οἱ γέροντες οἴθασι κρίμα. »

Πάλαι, φησὶ, καθήμενος, καὶ τῶν λεγομένων ἐπακρωμένως, καὶ οὐκ ἀξίους συνορῶν τῆς ἡλικίας τοὺς λόγους, κατ' ἑμαυτὸν ἔλεγον, Οὐχ ἀπλῶς οἱ χρόνῳ προβεθηκότες εἰσι σοφοί, ἀλλὰ χρεῖα τῆς τοῦ αἰγίου Πνεύματος χάριτος, τῆς οὐκ ἀναμενούσης χρόνον, ἀλλ' ἀθρόως σοφίζουσης τὸν ἀνθρώπον· δηλον δὲ ὅτι οὐκ ἀκρίτως διδάσκει ἡ χάρις, ἀλλ' ἐὰν ψυχὴν εὖρη καθαράν. Οὐκ ἀνάγκη, φησὶ, τοὺς πρεσβυτέρους εἶναι σοφοὺς μόνους, ἀλλ' ἔστι καὶ ἀπὸ νεότητος

Gemina de causa Elius amicis infensus erat, quod impietatis justum condemnassent, et quod patrocini-
nium Dei suscipientes, victi essent; et silentium agentes, Deum, quem defendendum susceperant, prodidissent, ac silentio suo contra Deum Jobo victoriae palmam concessissent. Dixit autem quispiam, propterea Elium contra amicos ira accensum fuisse, quod Jobi sermonibus, quæ verisimilia essent responderet, ac impium illum, et contra Deum insolenter sese efferentem, convincere non possent.

VERS. 4, 5. « Elius autem sustinuerat dare responsionem Job, quoniam seniores eo erant diebus. Et vidit Elius quod non est responsio in ore trium virorum, et indignatus est ira sua. »

Laudandum est Elii ingenium, qui opportune siluit, seniores enim primo verba facere oportebat; et qui, ætate grandioribus dubitatione correptis, tempore etiam opportuno responsum dedit. Illud igitur, sustinuerat, idem est quod, expectaverat; et, indignatus est, quod, zelo commotus est. Recte autem dixit, sustinuerat, ut ostenderet, iratum quidem cum fuisse, nihil tamen ausum esse loqui, donec Jobus seipsum evacuans, omnia deprompsisset. Et prudentiam quidem ejus observa, quomodo statim ab exordio aliorum sermones exceperit, quomodo ordinem decorum observaverit.

VERS. 6. « Suscipiens autem Elius, filius Barachiel, Buzites, dixit: Junior quidem sum tempore, vos autem estis seniores; quare silui, timens in vobis annuntiare meam ipsius scientiam. »

Recte addidit: Junior sum tempore; est enim quidam ætate junior, qui prudentia cana præditus est; et alius ætate grandis, qui intelligentia junior est. Vide autem quemadmodum non tantum præ verecundia, sed metu etiam et religione quadam, quoad seniores sermonem absolvissent, expectaverit; et quidem si prius finem dicendi non fecissent, nequaquam illa in medium attulisset, quæ recte se habere et utilia esse existimaverat.

VERS. 7-9. « Dixi autem, Quod non est tempus quod loquitur, et in multis annis non erunt sapientiam: sed spiritus est in hominibus. [Symmachus autem, Vere autem Spiritus Dei est in hominibus.] Spiratio autem Omnipotentis est quæ docet: Non longævi sunt sapientes, neque senes non erunt iudicium. »

Olim, inquit, cum sedens quæ dicerentur audirem, nec prolatos sermones ætate dignos esse animadvertentem, tacitus mecum dicebam: Qui ætate proveci sunt, non continuo sapientes sunt, sed gratia divini Spiritus opus est, quæ tempus non præstolatur, sed subito hominem sapientem reddit: quod autem non promiscue et indiscriminatim gratia erudiat, sed cum mentem puram offenderit, manifestum est. Non necesse, inquit, ut soli ætate

VARIÆ LECTIONES.

• Ἰσ. ἐπέλαβε. ἰ Ἰσ. ἐφύλαξε.

Causas exponit, propter quas impii suppliciiis afficiuntur, quod scilicet Dei mandata non cognoverint, neque executi fuerint, sed a divina lege declinaverint. Clamorem autem pauperum ad Deum perferri dicit, quia injuriam passi clamorem edunt, et supernum auxilium sibi conciliant: ita ut ipsi qui injuriam inferunt, clamorem pauperis injuria affecti ad Deum perferant.

VERS. 29. « Et ipse quietem dabit, et quis condemnabit? »

Symmachus vero: *Ipsa autem quietem dante, quis condemnabit?* Vel igitur hoc dicit: Si Deus causam eorum qui injuriam patiuntur, vindicare neglexerit, quis alius potentes et injustos condemnare poterit? vel, Si Deus de homine injusto supplicium sumere neglexerit, quis condemnare eum, aut tanquam injustum accusare audebit?

« Et abscondet faciem, et quis videbit eum? et contra gentem, et contra hominem simul. »

Hoc dicit, quia Deus invisibilis existens, judicium invisibilem exerceat. Rationibus autem et modis qui ipsi cogniti sunt, non tantum viritum, sed gentibus etiam universis supplicia irrogat.

VERS. 30. « Qui regnare facit hominem hypocritam propter perversitatem populi. »

Et hoc divinæ dispositionis et providentiæ est, ut propter populi improbitatem, quæ castigatione indiget, regem sæpenumero renuntiari sinat, qui externa specie bonus apparet; quemadmodum dixit: *Et dedi iis regem in ira furoris mei*⁷³.

VERS. 31, 32. « Quoniam erga fortem qui dicit: Suscepi, non auferam loco pignoris, absque me videbo; tu ostende mihi. »

Quidam sic interpretati sunt: Quod non audeat quispiam fortiori dicere: Injuste mea abstulisti, non pignoris loco tanquam debita, et invito mihi eripuisti; jure et secundum rationem hoc a te factum ostende. Si autem potentiori nemo hæc dicere audeat, qua audacia, inquit, contra Deum tu

Α τὴν λαμπρότητα καὶ εὐημερίαν, εἰς νύκτα καὶ κατῆφειαν μεταβάλλει, καὶ ταπεινοῖ αὐτούς.

« Ἐσθεσε δὲ ἀσεβεῖς· ὄρατοί δὲ ἐναντίον αὐτοῦ. »

Ἐφανερῶς φησὶν, εἰσὶ παρ' αὐτῷ οἱ τῆς ἀνομίας ἐργάται· διὸ καὶ πρὸς μικρὸν ἐν εὐπραγίᾳ λάμπαντες, ἀποσβέννυνται. Ὅρα μέντοι τοὺς ἀσεβεῖς ὁ Θεὸς, οὐ κατὰ τὴν ἀντιληπτικὴν ἐπισκοπὴν, ἀλλ' ὥστε αὐτούς τιμωρῆσασθαι, κατὰ τὸ ψαλμικόν· *Πρόσωπον δὲ Κυρίου ἐπὶ ποιούντας κακά, τοῦ ἐξολοθρεῦσαι.*

« Ὅτι ἐξέκλιναν ἐκ νόμου Θεοῦ, δικαιώματα δὲ αὐτοῦ οὐκ ἐπέγνωσαν, τοῦ ἐπαγαγεῖν ἐπ' αὐτὸν κραυγὴν πενήτων· καὶ κραυγὴν πτωχῶν εἰσακούσεται. »

Αἰτίας λέγει δι' ἃς οἱ ἀσεβεῖς κολάζονται, ὅτι διὰ τὸ μὴ ἐπιγνῶναι πρακτικῶς τὰς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἐκκλίνει ἀπὸ τοῦ θείου νόμου. Ἐπαγεσθαι δὲ φησὶ τὴν τῶν πενήτων κραυγὴν εἰς Θεὸν, ὅτι περ ἀδικούμενοι βοῶσι, καὶ τὴν ἀνωθεν ἐπισπῶνται βοήθειαν· ὥστε αὐτοὶ οἱ ἀδικούντες ἐπάγουσιν εἰς Θεὸν τὴν τοῦ ἀδικουμένου πένητος κραυγὴν.

« Καὶ αὐτὸς ἰσχυρίαν παρέξει, καὶ τίς καταδικάσεται; »

Ὁ δὲ Σύμμαχος· *Αὐτοῦ δὲ ἡρεμίαν διδόντος, τίς κατακρίσει;* Ἦτοι δὲ τοῦτο φησὶν, ὅτι Ἐὰν παρὶθ Θεὸς τὴν τῶν ἀδικουμένων ἐκδίκησιν· τίς ἄλλος δύναται κατακρίναι τοὺς δυνατούς καὶ ἀδίκους; ἢ, ὅτι Ἐὰν ἀμελήσῃ Θεὸς περὶ τὴν τῶν ἀδίκων· τιμωρίαν, τίς τολμήσει καταψηφίσασθαι αὐτοῦ, ἢ κατηγορήσῃ αὐτὸν ὡς ἀδίκου;

« Καὶ κρύψει πρόσωπον, καὶ τίς ὄψεται αὐτόν; καὶ κατὰ ἔθνος, καὶ κατὰ ἀνθρώπου ὅμου. »

Τοῦτο λέγει, ὅτι ἀόρατος ὢν ὁ Θεὸς, ἀόρατος τὰς κρίσεις ἐκφέρει. Τιμωρεῖται δὲ οὐ μόνον κατὰ ἄνδρα, ἀλλὰ καὶ κατὰ ἔθνη, καθ' οὓς οἶδεν αὐτὸς λόγους.

« Βασιλεύων ἀνθρώπου ὑποκριτὴν ἀπὸ δυσκολίας λαοῦ. »

Καὶ τοῦτο τῆς θείας οἰκονομίας, τὸ πολλάκις φαινόμενόν τινα τῷ σχήματι ἀγαθὸν συγχωρῆσαι βασιλέα ἀναγορευθῆναι, διὰ τὴν τοῦ λαοῦ μοχθηρίαν δεομένην παιδεύσεως, καθὼς εἶπε· *Καὶ ἔδωκα αὐτοῖς βασιλέα ἐν ὀργῇ τοῦ θυμοῦ μου.*

« Ὅτι πρὸς τὸν ἰσχυρὸν ὁ λέγων· Ἐλθθα, οὐκ ἐνεχυράσω, ἀνευ ἐμυτοῦ ὄψομαι· σὺ δεῖξόν μοι. »

Τινὲς οὕτως ἠρμήνευσαν· Ὅτι μὴ τολμᾷ τις εἰπεῖν τῷ ἰσχυρωτέρῳ, ὅτι Ἄδίκω· ἐλθθα τὰ ἐμὰ, οὐκ ἐνεχύρου χάριν, ὡς ἐποχειλούμενα, καὶ παρὰ γνῶμην ἐμὴν ἐλθθα· ἐπεὶ δεῖξον ὅτι εὐλόγως τοῦτο δέδρακας. Εἰ δὲ τῷ δυνατῷ ταῦτα οὐδεὶς εἰπεῖν τολμᾷ, πῶς εὖ, φησὶ, τοιαῦτα θρασύνῃ κατὰ Θεοῦ;

⁷² Psal. xxxiii, 17. ⁷³ Osee xiii, 11.

VARIÆ LECTIONES.

† Ἰσ. τοῦ ἀδίκου. ἢ Ἰσ. ἐπίδειξον.

Ὁ δὲ Σύμμαχος· οὕτως ἐκδέδωκεν, Ὅτι πρὸς Θεὸν ἄρῃσιν ἀνέλαθον, οὐχ ἔξω ἀκωλύτως· σὺ διασφραῖσιν μοι. Ὁ δὲ ἐνόησεν οὕτως, ἴσως τοῦτο ἐστίν· Ἐπειδὴ τὴν ὑπὲρ Θεοῦ βῆσιν ἀνέλαθον, φησὶν ὁ Ἐλιός, οὐκ ἐπέγω, ἀλλ' ἀκωλύτως ἐπεξέρχεται τῷ λόγῳ· εἰ δὲ μὴ καλῶς λέγω, σὺ δεῖξον τοῦτο, καὶ τὸν λόγον ἐλεῖξον. Οἶμαι δὲ μάλλον οὕτω νοεῖσθαι τὸ κείμενον, ὅτι· Οὐκ ἐπειδὴ τὸ ὑπὲρ Θεοῦ λέγειν εἰλόμην, παρὰ τοῦτο δεῖ σε καὶ συνομολογεῖν ἀπλῶς, οἷα δὴ χρέος ἀπαιτῶν, ἀλλὰ καὶ χωρὶς τοῦ ἐμοῦ λόγου ἰδεῖν ἐθέλω, εἰ τι καὶ ἀντειπεῖν ἔχῃς· ἐγὼ μὲν οὖν ἡσυχίαν παρεξομαι, σὺ δὲ ἐπιλαμβάνου τῶν λόγων, εἰ δύνασαι, καὶ εἰ τι ἐσπράτῃν, δεῖξον.

« Εἰ ἀδικίαν ἐργασάμην, σὺ μὴ προσθήσω. »

Ἐδείξον, φησὶν, ὦ Ἰώθ, ὅτι ἀδικίως λαλῶ ταῦτα, καὶ παύσομαι γ.

« Μὴ ἀπὸ σοῦ ἀποτίσει αὐτήν, ὅτι σὺ ἀπόσω, ὅτι σὺ ἐκλέξῃ, καὶ οὐκ ἐγώ; καὶ τί ἐγγυος, ἀλήθσον. »

* Νῆ τῶν ἐμῶν, φησὶ, λόγων τὰς δίκας σὺ μέλλεις ἀποτίσαι; Οὐκοῦν μὴ ἀπόσω, ἀλλὰ διέλεγγον τὰ εἰρημένα· σὺν γάρ ἐστιν ἐκλέξασθαι, καὶ διακρίναι· πότερον καλῶς ἢ κακῶς ἐλάλησα, οὐκ ἐμοῦ τοῦ εἰρηκότος· εἰ πλέον οὖν τι γινώσκεις, ἀπόκριται.

« Διὸ συνειπὸν καρδίας ἐρῶσι ταῦτα, ἀνὴρ δὲ σοφὸς ἀκήκοέ μου τὸ βῆμα. »

Ἦς τοῦ Ἰώθ σιωπήσαντος, κυροῖ τοὺς ἑαυτοῦ λόγους· ὁ Ἐλιός, καὶ φησὶν, ὅτι Ταῦτα ἄπερ εἶπον πρὸς σέ, καὶ ἄλλοι συνειπὸν λέξουσίν σοι· καὶ εἰ τις ἀνὴρ συνειπὸν τῶν ἐμῶν ἀκούει λόγων, καὶ τούτοις συντίθεται.

« Ἰώθ δὲ οὐκ ἐν συνείσει ἐλάλησε, τὰ βήματα αὐτοῦ οὐκ ἐν ἐπιστήμῃ. »

* Ἐγὼ μὲν οὖν, φησὶν, ἐμφρόνως ἐλάλησα· σὺ δὲ, ὦ Ἰώθ, ὁ διαβόητος ἐν φρονήσει, οὐκ ἐπιστημόνως λελάληκας, πρὸς Θεὸν κρίνεσθαι βουληθεῖς. Τοῦτο δὲ ἥριμα καὶ συγγνώμης ἐστίν· αἰτιᾶται γὰρ αὐτὸν ὁ δι' ἔργα, ἀλλὰ διὰ λόγους, ὥσπερ οὖν κακείνου· Μέγρι πότε πνεῦμα πολυβῆμον τοῦ στόματός σου;

« Οὐ μὴν δὲ, ἀλλὰ μάθε, Ἰώθ, μὴ δῶς ἔτι ἀνταπόκρισιν, ὥσπερ οἱ ἄφρονες· ἵνα μὴ προσθῶμεν ἐφ' ἀμαρτίας ἡμῶν. »

* Ἀλλὰ τούτων, φησὶν, οὕτως ἐχόντων, δεῖξαι μου τὴν συμβουλήν, καὶ μηκέτι χρῆση τοῖς αὐτοῖς λόγοις, ὥσπερ τις ἄφρων, ἵνα μὴ διὰ τῶν δευτέρων ἐπαυθῆσωμεν τὰ πταίσματα· εὐλαβοῦμαι γὰρ ἐν τούτοις ἔγωγε, μὴ καὶ περὶ τῶν ψιλῶν ἢ βημάτων λόγον ὑφείξωμεν τῷ δικαιοκρίτῃ. Τῷ δὲ πληθυντικῷ

hæc dicere præsumis? Symmachus vero sic reddidit: *Quoniam erga Deum locutionem assumpsi, non habebō sine impedimento; tu mihi manifesta. Mens autem ejus talis fortasse est: Quandoquidem, inquit Elius, pro Deo verba facere cœpi, non me reprimo, sed sermonem pertexere sine impedimento pergo: si autem minus recte dixerō, tu hoc ostende, et sermonem meum vitupera. Sic autem potius verba contextus intelligenda puto, Quod non propterea, quia Dei causam verbis defendere susceperim, te simpliciter iis, tanquam debitum exigenti, assentiri oporteat, sed tanquam scire desideranti, si quid sit, præter ea quæ a me dicta sunt, quod contra opponas: ego quidem igitur silentium agam, tu vero sermonem aggredere, si potes; et si quid a me erratum sit, doce.*

« Si injustitiam operatus sum, non adjiciam. »

Ostende, inquit, me contra fas et æquum hæc loqui, et finem faciam.

Vers. 52. « Nunquid a te reddet eam, quia tu expelles, quoniam tu eliges, et non ego? et quid nosti, loquere. »

Nunquid, inquit, pœnæ quæ meis sermonibus debentur, tibi persolvendæ sunt? Ne igitur repellas, sed quæ dicta sunt redargue; tuum enim est eligere, et dijudicare, utrum bene an secus dixerim, non autem meum, qui dixi: si quid amplius igitur nosti, responde.

Vers. 54. « Quare intelligentes corde dicent hæc, et vir sapiens audivit verbum meum. »

Elius sermones suos confirmat, tanquam Jobo silentium agente, dicitque: Hæc quæ ego tibi dixi, alii prudentes viri dicturi sunt; et si quis vir sapientia præditus verba mea audierit, assensum iis præbebit.

Vers. 35. « Job autem non in intellectu locutus est, verba ejus non in scientia. »

Ego quidem, inquit, prudenter sum locutus; tu autem, o Jobe, qui propter prudentiam celebris es, cum Deo judicio contendere volens, haud perite et scienter locutus es. Hoc autem tacite veniam implicat; non enim propter facta, sed propter sermones eum culpatur et accusatur; quemadmodum et illi, dicentes: *Quousque spiritus multiloquus oris tui?*

Vers. 36, 37. « Verumtamen disce, Job, ne dederis ultra responsionem, sicut insipientes, ut non adjiciamus super peccata nostra. »

Cum hæc autem, inquit, ita se habeant, consilium meum amplectere, neque amplius, tanquam insipiens aliquis, eisdem verbis utere, ne delicta priora posterioribus augeamus; ego enim in his vereri soleo, ne nudorum etiam verborum justo judici reddenda nobis sit ratio. Gratiam autem et acceptam

⁷³ Job viii, 2

VARIÆ LECTIONES.

^γ ἴσ. ἀπαιτοῦντι. ^κ ἴσ. ἐθέλοντι. ^λ ἴσ. παύσομαι. ^μ γρ. ψυχικῶν.

adhortationem: introducens, plurali voce utitur, et utrumque communiter sermone complectitur.

« Et iniquitas super nos computabitur, multa loquentibus verba contra Dominum. »

Non dixit, *scelerata*, neque *impia*, sed absolute, *multa*; ostendens, quod ne multis quidem Deo respondere oporteat: si enim coram rege multa loqui nemo audeat, multo magis coram Deo hoc observandum est: quandoquidem multa loqui peccatum apud Deum reputatur, juxta illud quod scriptum est: *In multiloquio non fugies peccatum* ⁷⁵.

CAP. XXXV.

Protheoria.

Cum Elius supra de disciplina Dei disseruisset, sermonem nunc de patientia et longanimitate movet, Jobum vituperans in eo quod dixerit: *Si ego peccavi, quid tibi facere possum* ⁷⁶? et quod cum Deo in judicium descendere voluerit.

VERS. 1, 2. « Respondens autem Elius, ait: Quare hoc existimasti in judicio? »

Vel hoc dicit: Quid est quod de Dei iudicii mente concepisti? an scilicet, quod comprehendere ea valeas? vel, Quid tibi in mentem venit, ut in iudicium cum Deo descendere volueris?

« Tu quis es quia dixisti: Justus sum ante conspectum Domini? »

Quomodo, inquit, comparatione cum Deo facta, teipsum justum pronuntiare ausus es? Quod enim justus Jobus fuerit, verum est; quod vero cum additione, respectu Dei, justus fuerit, falsum est: omnem enim humanam justitiam, si cum Deo comparatur, justitiam non esse, didicimus: *Non enim justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* ⁷⁷. Arrogantiae igitur majoris et superbiae argumentum est, si quis se coram Deo justum arbitretur.

« Aut dices: Quid faciam cum peccavero? »

Sed neque illud dicere te oportet: *Quid faciam cum peccavero?* Quid enim faciendum sit, nosti; quod a peccato scilicet abstinendum, et Deus invocandus sit. Elius quidem suo sensu recte consulebat; Jobus vero animo meliore, et magis pie dicebat: *Si autem peccavi, quid tibi facere possum?* id est, Nihil ejusmodi praestare possum, quod peccatum delere valeat, nisi tua benignitate me dignatus fueris. Alii vero hae verba sic intellexerunt: Si justitiam exercens punior, quid, si peccassem, pati me oportuit? Symmachus quidem pro illo: *Aut dices: Quid faciam cum peccavero?* reddidit: *Dixisti enim, Quia nihil proderit tibi.*

VERS. 4. « Ego tibi dabo responsionem, et istis tribus amicis tuis. »

Tanquam Jobus imprudenter locutus fuisset, nec amici tres responsum adhuc invenissent, ipse omnibus eorum rationibus meliores se allaturum pollicetur. Merito autem eum amicis associat, quia succumbendo et assensum praebendo pares essent, illicque unione quadam conjungerentur.

⁷⁵ Prov. x, 20. ⁷⁶ Job vii, 20. ⁷⁷ Psal. cxliii, 2.

τῆς φωνῆς κοινοποιεῖ τὸν λόγον, εὐπαράδεκτον εἰσάγων τὴν παραίνεσιν.

« Ἀνομία δὲ ἐφ' ἧμῖν λογισθήσεται, πολλὰ λαλούντων ῥήματα ἐναντίον τοῦ Κυρίου. »

Ὅκ εἶπε, *παράνομα*, οὐδὲ, *ἀσεβῆ*, ἀπολύτως, *πολλὰ*· δεικνύς, ὅτι οὐδὲ πολλὰ ἀντιφθέγγεσθαι χρὴ τῷ Θεῷ· εἰ γὰρ ἐπὶ βασιλείᾳ οὐκ ἂν τις τολμήσειε πολλὰ φθέγγεσθαι, πολλῶ μᾶλλον ἐπὶ Θεοῦ· καὶ αὐτὸ μέντοι τὸ πολλὰ λαλεῖν ἁμαρτία παρὰ τῷ Θεῷ λελογίσται, κατὰ τὸ γεγραμμένον· Ἐκ πολυλογίας οὐκ ἐκφύεξη ἁμαρτίαν.

ΚΕΦΑΛ. ΛΕ'.

Προθεωρία.

Προδιεξελθὼν ὁ Ἐλιὺς περὶ παιδείας Θεοῦ, νῦν τὸν περὶ μακροθυμίας κινεῖ λόγον, μεμφόμενος τῷ Ἰὼβ ἐφ' οἷς ἔλεγεν· *Εἰ ἐγὼ ἤμαρτον, τί σοι δύναμαι ποιῆσαι;* καὶ ἐφ' οἷς ἠθέλησε κριθῆναι πρὸς Θεόν.

« Ὑπολαβὼν δὲ Ἐλιὺς, λέγει· Τί τοῦτο ἠγγίσω ἐν κρίσει; »

Ἡ τοῦτο λέγει· Τί ἐλογίσω περὶ τῶν κριμάτων τοῦ Θεοῦ; ἄρα ὅτι δύνασαι ταῦτα καταλαβεῖν; ἦ, ὅτι Τί ἐλογίσω, πρὸς Θεὸν θέλων κριθῆναι;

« Σὺ τίς εἶ ὅτι εἶπας, Δίκαιός εἰμι ἐναντι Κυρίου; »

Πῶς, φησὶν, ἐτόλμησας ἑαυτὸν δίκαιον ἀποφῆναι ὡς πρὸς Θεόν; Τὸ μὲν γὰρ, δίκαιον εἶναι τὸν Ἰὼβ, ἀληθές· τὸ δὲ μετὰ προσθήκης, δίκαιον εἶναι ἐναντι Κυρίου, ψεῦδος. Ἐμάθομεν γὰρ ὅτι ὡς πρὸς Θεὸν πᾶσα δικαιοσύνη ἀνθρώπων οὐκ ἔστι δικαιοσύνη· οὐ δικαιωθήσεται γὰρ κατενώπιόν σου πᾶς ζῶν. Πλεονα οὖν ὑπερφηάνεται ἐμφανεῖν, τὸ, ἐναντι Κυρίου οἴεσθαι εἶναι δίκαιον.

« Ἡ ἔρεῖς· Τί ποιῆσω ἁμαρτίων; »

Ἄλλ' οὐδὲ ὤφειλες, φησὶν, εἰπεῖν· *Τί ποιῆσω ἁμαρτίων;* οἶδας γὰρ ὃ ποιεῖν ἔδει, ἀπέχεσθαι τῆς ἁμαρτίας, καὶ ἱκετεῦναι Θεόν. Ὁ μὲν οὖν Ἐλιὺς πρὸς τὴν ἑαυτοῦ διάνοιαν καλῶς συνεβούλευε· ὁ δὲ Ἰὼβ κρείττονι διανοίᾳ καὶ εὐλαθέστερον ἔλεγεν· *Εἰ δὲ καὶ ἤμαρτον, τί σοι δύναμαι ποιῆσαι;* ἀντὶ τοῦ, οὐδὲν τοσοῦτον δύναμαι ποιῆσαι ὥστε ἐξαλεῖψαι τὴν ἁμαρτίαν, εἰ μὴ τῆς σῆς τύχῃ φιλανθρωπίας. Ἄλλοι δὲ οὕτως ἐνόησαν τὸ ῥητόν· *Εἰ δικαιοπραγῆσας κολλάζομαι, τί ἂν ἐπαθον ἁμαρτίων;* Ὁ μὲντοι Σύμμαχος ἀντὶ τοῦ, Ἡ ἔρεῖς, *Τί ποιῆσω ἁμαρτίων;* ἐξέδωκεν· *Εἶπας γὰρ, ὅτι οὐδὲν συμβαλεῖται σοι.*

« Ἐγὼ σοι διώσω ἀπόκρισιν, καὶ τοῖς τρισὶ φίλοις σου. »

Ὡς καὶ τοῦ Ἰὼβ οὐκ ἐν συνέσει λαλήσαντος, καὶ τῶν τριῶν φίλων μὴ εὐρόντων ἔτι ἀπόκρισιν, αὐτῆς ὑπισχνεῖται κρείττονας ἀπάντων προφέρειν λόγους. Δικαίως δὲ αὐτὸν τοῖς φίλοις συνόπτει, ὡς ἐνωθεῖσθαι αὐτῷ διὰ τοῦ ἠτηθηῆναι καὶ συνθέσθαι.

« Ἀνάβλεπον εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἴδε· κατάρμαθε ἂν δὲ νέφη, ὡς ὑψηλὰ ἀπὸ σοῦ. »

• Τουτέστιν, εἰ καὶ μὴ ἀπὸ λογισμῶν, ἀλλὰ ἀπὸ τῶν ὁρωμένων μάθε πόσον σου ἀπέχει Θεός, καὶ πόσον σοῦ ἐστὶν ὑψηλότερος· ἐνόησον πρὸς τίνα δικαιολογήσασθαι ἐπεχείρησας, πόσον ἦντα ὑπὲρ σέ. Ἀναβλέπει δὲ εἰς τὸν οὐρανὸν, οὐχ ὁ τοὺς σωματικούς ὀφθαλμούς ἐπάρας, καὶ ἰδὼν τὸν οὐρανὸν· τοῦτο γὰρ τὸ ἀναβλέπειν ἔχουσι καὶ οἱ κύνες, καὶ οἱ ὄνοι· οὐδεὶς φιλόσοφος ἀναβλέπει εἰς τὸν οὐρανὸν, ἀλλ' ὁ μὴ ἀγαπῶν τὸν κόσμον, μὴδὲ τὰ ἐν κόσμῳ. Πάλιν δὲ, οὐχ οὕτω ταῦτα τὰ νέφη ὑψηλὰ ἀφ' ἡμῶν ἐστίν, ὡς ἐὰν ἴδω τὸν Μωϋσέως βίον, καὶ τὴν ἐκείνου πρὸς Θεὸν ἀρέσκειαν, καὶ τὴν ἐμαυτοῦ σμικρότητα καὶ ταπεινότητα, οὕτω βλέπω τοῦτο τὸ νέφος ὑψηλὸν ἀπ' ἐμοῦ· ἐὰν ἔλθω ἐπὶ Ἰησοῦν τὸν τοῦ Ναυῆ, ἐπὶ τοὺς βίους τῶν προφητῶν, ἐὰν ἐξετάζω αὐτῶν τὰς πράξεις, τότε ποιῶ τὸ γεγραμμένον, καὶ καταμανθάνω πόσον ἐπὶ τὰ νέφη ὑψηλὰ ἀπ' ἐμοῦ.

« Εἰ ἡμαρτες, τί πράξεις; εἰ δὲ καὶ πολλὰ ἠνόμησας, τί δύνασαι ποιῆσαι; Ἐπεὶ δὲ οὖν δίκαιος εἶ, τί δώσεις αὐτῷ, ἢ τί ἐκ χειρὸς σου λήψεται; Ἄνδρὶ τῷ ὁμοίῳ σου ἡ ἀσθεδιά σου, καὶ υἱῷ ἀνθρώπου ἡ δικαιοσύνη σου. »

Ὀλυμπιοδώρου καὶ Ὀριγένους. Τουτέστιν, Οὐδὲν αὐτὸν ἀδικήσεις ἀμαρτάνων, ἀλλ' οὐδὲ ὠφελήσεις δίκαιος ὢν· ποῖον ἐντεῦθεν αὐτῷ βλάβος ἢ κέρδος, κἂν ἡμαρτέῃς που, κἂν δίκαιος ᾖς; Ἀνθρώπων μὲν γὰρ τις τὸν ὁμοφυῆ καὶ ἀδικῆσαι, καὶ εὐεργετῆσαι δύναται, τούτων δὲ οὐδέτερον περὶ Θεὸν οἶόν τε γενέσθαι· μὴ τοίνυν ἐπαίρου ἐπὶ τῇ σαυτοῦ δικαιοσύνῃ. Ἐπειδὴ γὰρ ἔλεγεν, *Εἰ ἡμαρτον, τί δύναμαι σοὶ πράξαι*; Διὰ τί, φησὶ, τοῦτο εἶπας; Μὴ γὰρ ὡς ἀδικούμενος φροντίζεις σου ἀμαρτόντος, μὴ γὰρ ὡς βλάβην ὑπομένων; Ἄρα οὖν, φησὶν, οἶδας, εἰ ἡμαρτες, τί πράξεις ἐπὶ τῷ λύσει τὸ ἡμαρτημένον; Εἰ ἡμαρτες λόγους, λόγοις κρείττοσιν ἴασαι· εἰ ἡμαρτες ἐν ἔργοις, ἐν ἔργοις διαφέρουσιν αὐτὸς ἑαυτὸν ἰώμενος· εἰ δὲ πολλὰ καὶ ἀνιάτοι αἱ ἀνομίαι, διὰ τοῦτο ἐπὶ ταῖς ἀνιάτοις, οἷς ἑαυτοῦς ἴασασθαι οὐ δυνάμεθα, ἦλθεν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐξ οὐρανῶν, ἵνα τὰ ἀνιάτα ἴασται, καὶ γένηται τὸ· *Μακάριοι ὢν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι*.

« Ἀπὸ πλήθους συκοφαντούμενοι κεκράζονται, βοήσονται ἀπὸ βραχίονος πολλῶν. Καὶ οὐκ εἶπε· Ποῦ ἐστὶν ὁ Θεός, ὁ ποιήσας με, ὁ κατατάσων φυλακὰς νυκτερινὰς; »

Συκοφαντούμενοι μὲν, φησὶν, οἱ ἄνθρωποι, ἀπὸ τοῦ πλήθους τῶν συκοφαντιῶν ὧν πάσχουσι, βοῶσι πρὸς Θεὸν, διὰ τὴν βίαν τὴν ἀπὸ τοῦ βραχίονος καὶ τῆς δυναστείας τῶν ἀδικῶν, τῶν μὴ λογισμένων, οἷς ὁ Θεὸς καὶ αὐτῶν ἐστὶ ποιητῆς, ὅς ἔταξε καὶ νυκτὶ μέτρα· διήρτηται γὰρ εἰς τῆσσαρας φυλακὰς.

« Κρίθητι δὲ ἐναντίον αὐτοῦ, εἰ δύνασαι αὐτὸν ἀνέσαι, ὡς ἐστὶ καὶ νῦν. »

Vers. 5. « Aspice in cœlum, et vide; respice autem in nubes, quam altæ sint a te. »

Id est, Quanto intervallo Deus a te disjungatur, quantoque te sublimior sit, si non ex argumentis et rationibus, saltem ex iis quæ oculis cernuntur, disce, et cum quonam et quam excelso in iudicium descendere conatus fueris, perpende. In cœlum autem suspicit, non qui oculos corporeos attollit, et cœlum intuetur; hac enim ratione caneset asini suspiciunt: nemo qui mundum diligit, in cœlum suspicit, sed qui nec mundum, nec ea quæ in mundo sunt, amat. Rursus, nubes non adeo sublimes sunt et a nobis remotæ, quin si Moysis vitam et conversationem qua Deo placuit, meamque tenditatem et humilitatem contemplantus fuero, nubem hanc sublimiorem et remotiorem a me visurus sim: si ad Jesum filium Nave, et ad prophetarum vitas devenero, illorumque res gestas diligenter examinavero, quod scriptum est tunc adimplebo, et nubes quanto me sublimiores sint, addiscam.

Vers. 6-8. « Si peccasti, quid ages? Quod si et multa inique egisti, quid potes facere? Quoniam igitur justus es, quid dabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Viro simili tui impietas tua, et filio hominis justitia tua. »

Olympiodori et Origenis. Id est, Neque peccando injuria eum affeceris, neque justitiam exercendo ipsi proderis: sive enim peccator, sive justus existeris, quod damnum vel lucrum inde reportabit? Hominem enim, ejusdem naturæ participem, injuria lædere, vel beneficio afficere quis potest, horum autem neutrum in Deum cadit: ne igitur justitia tua te inflet. Quoniam enim Jobus dixerat: *Si peccavi, quid tibi possum facere*? Cur tibi hoc excidit? inquit Elius. Num tanquam injuriam passus, aut damno affectus, Deus peccantem te respicit? An nosti, inquit, si peccaveris, quid tibi faciendum sit ut peccatum diluatur? si verbis deliquisti, verbis sanioribus, et si operibus offendisti, factis egregiis teipsum curans, tibi medere: si vero iniquitates multæ et incurabiles fuerint, propter delicta immedicabilia, quæ ipsi curare non possumus, de cælis descendit Jesus Christus ut insanabilia sanarentur, illudque effectum sortiretur: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*?

Vers. 9, 10. « A multitudine calumniis appetiti vociferabuntur, clamabunt a brachio multorum. Et non dixit: Ubi est Deus qui fecit me, qui distribuit custodias nocturnas? »

Homines, inquit, qui calumniis onerantur, propter violentiam quæ a brachio et injustorum potentia proficiscitur, qui Deum ipsorum creatorem non censent, calumniarum multitudine oppressi, ad Deum clamorem tollunt, qui nocti terminos et mensuras constituit; in quatuor enim vigiliis distributa est.

Vers. 14. « Judicare autem coram eo, si petes collaudare eum, sicuti est et nunc. »

¹⁸ Job vii. 20. ¹⁹ Psal. xxxi, 1.

Olymp. et Chrysost. Dei, inquit, excellentiam A animo tecum reputa, an laudum ejus præconium intellectus tuus capere possit. Quid igitur est quod cum tanto ac tali in judicium descendere voveris, cum pro dignitate laudes ejus celebrare non possis? neque hoc quidem pro suppliciis quæ nunc pateris. Si enim, iudiciis constitutis, pro tribunali ageret, et causæ suæ firmamenta in medium proponeret, non laudibus eum efferrè, non meritis honoribus, pro iis quæ nunc tibi evenerunt, cum injuria et supplicio te affectum esse existimas, prosequi valeres; Deum enim pro dignitate non posse laudare, magnum non est: in iis autem quæ nobis contingunt, non posse illum qui cum eo iudicio contendere voverit, dignis laudibus eum celebrare, magnum est.

VERS. 15. « Quia non est visitans iram suam, neque cognovit delictum aliquod vehementer. »

Vel hoc inquit: Quod idcirco Deus iudicio nobiscum contendens, pro meritis laudari non possit, quia iram suam non perpendit, ut peccatis nostris eam emetiatur, neque singulas iniquitates nostras accurate observat. Vel de Jobo dicit, quod neque divinæ iræ magnitudinem, neque delictorum nostrorum multitudinem animo secum reputaret: si enim hæc intelligeret, Deum pariter cognosceret non omnem suam iram in nos peccatores effundere.

VERS. 16. « Et Job vane aperit os suum, in ignorantia verba aggravat. »

Symmachus vero: *Sicut stultus, sermones graves facit.* Jobus, inquit, Dei majestatem, et longanimitatem, ac iudicia incomprehensibilia nequaquam animadvertens, nec quod pro merito Deum laudibus celebrare homo non possit, nedum in iudicio cum eo descendere, acerba et indecora verba profert.

CAP. XXXVI.

Prothcoria.

De justitia Dei, quæ unicuique pro merito suo rependit, et de potestate eximia, ac prudentia incomprehensibili, Elius hoc loco disserit. Ex iis autem quæ in aere generantur, procellis et tonitruis, ex feris etiam animalibus et jumentis, orationi suæ fidem conciliat, quemadmodum scilicet quædam ex iis diurno tempore operibus vacent, noctu vero quietem capiant; alia vero, ne homines infestent, diem in quo quiescant sortita sint, noctu autem victum queritantia, huc illuc palabunda oberrent: quod aquis etiam interdum ad hominum disciplinam et correctionem, interdum beneficii loco utatur Deus; quod ex tenebris lucem, rursusque ex lucis recessu noctem efficiat: et quod sapientia ejus incomprehensibilis sit. De qua cum magnifice verba fecisset, ne Justus quidquam amplius regeretur, sed silentio incomprehensibilibus Dei iudiciis cederet; Deum timendum esse, orationis suæ clausulam facit. Cum igitur Elius de divina sapientia et magnificentia admirabiliter, et præcipue sub finem, disseruisset, Jobus quidem nihil contra locutus est,

Ὀλυμπιοδώρου καὶ Χρυσοστόμου. Ἀναλόγισαι, φησί, τοῦ Θεοῦ τὴν ἀξίαν, εἰ χωρήσοι τὸν ὕμνον ὁ λογισμὸς. Τί οὖν πρὸς τοσοῦτον καὶ τριχοῦτον ἐθέλεις κριθῆναι, ὅπουγε μὴδὲ πρὸς ἀξίαν αὐτὸν ὕμνο-λογῆσαι οἶός τε εἶ; καὶ ταῦτα, ἐφ' οἷς νῦν σε τιμωρεῖται. Εἰ γὰρ δικαστήριον, φησὶν, ἐκάθισα, καὶ τὰ δικαιώματα προέθηκον, οὐκ ἂν αὐτὸν ἐπήνεσας, οὐκ ἂν αὐτὸν ἐδόξασας κατ' ἀξίαν ἐπὶ τοῖς εἰς σέ γεγεννημένοις νῦν, ὅτε νομίζεις ἀδικεῖσθαι καὶ κολάζεσθαι: τὸ μὲν γὰρ μὴ δύνασθαι κατ' ἀξίαν τὸν Θεὸν ὕμνεῖν, οὐδὲν μέγα· τὸ δὲ μέλλοντα κρίνεσθαι πρὸς αὐτὸν, ἐν τοῖς πρὸς ἡμᾶς, μὴ δύνασθαι κατ' ἀξίαν αὐτὸν ὕμνεῖν, τοῦτο μέγα.

« Ὅτι οὐκ ἔστιν ἐπισκεπτόμενος ὀργὴν αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἔγνω παράπτωμά τι σφόδρα. »

Ἦτοι τοῦτο φησὶν Ὅτι διὰ τοῦτο καὶ κρινόμενος πρὸς ἡμᾶς ὁ Θεὸς οὐ δύναται κατ' ἀξίαν ὕμνηθῆναι, ὅτι οὐκ ἐπισκέπτεται τὴν ἑαυτοῦ ὀργὴν, ὥστε μετρησάμενος ταύτην πρὸς τὰ ἡμέτερα πλημμελήματα, οὐδὲ σφόδρα παρατηρεῖται τὰς ἀνομίας ἡμῶν. Ἡ περὶ τοῦ Ἰωβ λέγει, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐπιλογιζόμενος τὸ μέγεθος τῆς θείας ὀργῆς, οὐδὲ τὸ πλῆθος τῶν ἡμετέρων παραπτωμάτων· εἰ γὰρ ἔγνω ταῦτα, ἔγνω ἂν ὅτι οὐ πᾶσαν ἑαυτοῦ τὴν ὀργὴν ἐκχέει Θεὸς εἰς ἡμᾶς ἀμαρτάνοντας.

Καὶ Ἰωβ ματαίως ἀνοίγει τὸ στόμα αὐτοῦ, ἐν ἀγνωσίᾳ ῥήματα βαρύνει. »

Ὁ δὲ Σύμμαχος Ὡς ἀνόητος, λόγους βαρεῖς ἐποιήσατο. Μὴ κατανοῶν, φησὶν, ὁ Ἰωβ τὴν τοῦ Θεοῦ μεγαλειότητα, καὶ τὴν μακροθυμίαν, καὶ τὰ ἀκατάληπτα αὐτοῦ κρίματα, καὶ ὅτι ἄνθρωπος οὐδὲ πρὸς ἀξίαν αἰνέσαι τὸν Θεὸν δύναται, μήτοιγε γὰρ κριθῆναι πρὸς αὐτὸν, βρέβα καὶ ἀπρεπῆ φθέγγεται ῥήματα.

ΚΕΦΑΛ. ΛΓ΄.

Προθεωρία.

Ἐνταῦθα περὶ δικαιοσύνης Θεοῦ διδάσκει ὁ Ἐλιούς, τὸ κατ' ἀξίαν ἐκάστη ἀπονεμούσης, καὶ περὶ δυνάμεως μεγαλοπρεπούς, καὶ σοφίας ἀκατάληπτου. Συνίστησι δὲ τὸν λόγον ἐκ τῶν περὶ τὸν ἀέρα γινομένων χειμώνων τε καὶ βροντῶν, καὶ τῶν θηρίων καὶ κτηνῶν· πῶς τὰ μὲν μεθ' ἡμέραν ἐργάζεται, τὴν δὲ νύκτα εἰς ἀνάπαυσιν ἔχει, τὰ δὲ τὴν μὲν ἡμέραν εἰς τὸ ἡσυχάζειν ἀπεκληρώσαντο, ἵνα μὴ τοῖς ἀνθρώποις ἐπιτρέχωσι, τὴν δὲ νύκτα περινοστοῦντα ζητούσι τροφήν· καὶ ὅτι τοῖς ὕδασι ὁ Θεὸς ποτὲ μὲν εἰς ἀνθρώπων παιδείαν, ποτὲ δὲ εἰς εὐεργεσίαν χρῆται· καὶ ὅτι ἐκ μὲν σκότους φῶς, ἐκ δὲ τῆς τοῦ φωτὸς ἀναχωρήσει; νύκτα ἐργάζεται· καὶ ὅτι ἀκατάληπτός ἐστιν ἡ τοῦ Θεοῦ σοφία. Μεγαλοπρεπῶς δὲ περὶ ταύτης διεξιλέων, συμπεραίνει τὸν λόγον εἰς τὸ δεῖν φοβεῖσθαι τὸν Θεὸν, ἵνα μηκέτι μηδὲν ἀντεῖπη ὁ δίκαιος, ἀλλὰ τῇ σωπῇ παραχωρήσῃ τοῖς ἀκατάληπτοις τοῦ Θεοῦ κρίμασι. Θαυμασίως οὖν τοῦ Ἐλιοῦς, μάλιστα πρὸς τῆς τέλει, περὶ τῆς τοῦ Θεοῦ σοφίας τε καὶ μεγαλοπρεπείας ἐξηγήσακτον, ὁ μὲν Ἰωβ οὐδὲν ἀντεῖπε· σύμψηφος δὲ ὁ Θεὸς τοῖς τοιοῦτοις αὐτοῦ γέγονε λό-

γοις, ὡς ἐφεξῆς ἔστιν ἐκ τῆς θείας ῥήσεως κατὰ μα-
θεῖν.

« Προσθεῖς δὲ ἔτι Ἐλιοῦς, λέγει· Μεῖνόν με μικρόν
ἔτι, ἵνα διδάξῃ σε, ἔτι γὰρ ἐν ἐμοὶ ἔστι λέξις, ἀνα-
λαβὼν τὴν ἐπιστήμην μου μακράν. »

Ἐπειδὴ περ ἔτι περὶ Θεοῦ λέγειν ἔχω, καὶ βούλο-
μαι, μακρότερον ἀναλαβὼν τὸν λόγον, μετ' ἐπιστή-
μης καὶ γνώσεως διεξελθεῖν, ἐκδεξάμην καὶ τὰ
νῦν ὑπ' ἐμοῦ ῥηθησόμενα.

« Ἔργοις δὲ μου δίκαια ἐρῶ ἐπ' ἀληθείας, καὶ οὐκ
ἄδικα ῥήματα ἀδίκως συνιείς. »

* Τὴν δικαιολογίαν μου, φησὶν, ἦν νῦν ἐρῶ, τοῖς
τοῦ Θεοῦ ἔργοις πιστοῦμαι, δεικνύς ὡς ἂ γινώσκω, B
μετὰ ἀληθείας συνήμι, καὶ οὐκ ἄδικόν τι νοήσας,
ἄδικον φθέγγομαι. Τουτέστι, τὰ ἐπὶ τῶν ἔργων αὐ-
τῶν ἐκβαίνοντα, δίκαια λέγω· οὐχὶ ῥήματα ταῦτά
ἔστι, οὐδὲ λόγοι. Ἀλλὰ φύλαξαι μὴ πράξης ἄδικα,
ἔπρασεν δὲ ἄμωμοι γνώσεις μετὰ σοῦ· ὡς νῦν ἀδί-
κως νοεῖς. Οὐκ εἶπεν, ὅτι Ἐπρασας ἀδίκως· ἀλλ', ὅτι
Ἐνόεις ἀδίκως. Πλὴν ἄκουέ μου, ὅτι ὄντως ἀψευδεῖς
καὶ οὐκ ἄδικοι οἱ λόγοι μου.

« Γίνωσκε δὲ ὅτι ὁ Κύριος οὐ μὴ ἀποποιήσεται
τὸν ἄκακον· δυνατὸς ἰσχύϊ καρδίας ἀσεβῆ οὐ μὴ ζωο-
ποίησιν, καὶ κρίμα πτωχῶν δώσει. »

Ἴσθι τοιγαροῦν, ὡς οὐδέποτε Θεὸς ἐξω τῆς οἰκείας C
ἐπισκοπῆς τὸν ἄκακόν· συζῶντα καταλιμπάνει, οὐδ'
ἀπαλλοτριούται, κἂν ἐν συμφοραῖς ὀδῆται, ποτὲ κατα-
λιμπάνειν αὐτὸν πρὸς τὸ λυσιτελοῦν· κολάζων δὲ ὁ
δυνατὸς τοὺς ἀσεβεῖς κατὰ τὰ δίκαια ἑαυτοῦ κρί-
ματα, τοῖς πένθησιν ἀδικουμένοις ἐπαμύνει.

« Οὐκ ἀφελεῖ ἀπὸ δικαίου ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ·
[Ὄφθαλμοὶ γὰρ Κυρίου ἐπὶ δικαίους] καὶ μετὰ βα-
σιλέων εἰς θρόνον, καὶ καθιεῖ αὐτοὺς εἰς νίκης, καὶ
ὑψωθήσονται. »

* Τοὺς δικαίους, φησὶν, ἔσθε τοσαύτης ἀξιοὶ καὶ
παρὰ ἀνθρώποις τιμῆς ὁ Θεὸς, ὡς καὶ συγκαθίξῃ
αὐτοὺς βασιλεῦσι, καὶ εἰς τέλος ὑψοῦν τροπαιοφο-
ροῦντας.

« Καὶ οἱ πεπεδημένοι ἐν χειροπέδαις, συσχεθήσου-
ν ἐν σχοινοῖς πενίας· καὶ ἀναγγελεῖ αὐτοῖς τὰ
ἔργα αὐτῶν, καὶ τὰ παραπτώματα αὐτῶν, ὅτι ἰσχύ-
σοσιν. »

* Ὁ δὲ Σύμμαχος· ὅτι κατεδυνάστευον. Κηδό-
μενος, φησὶ, καὶ τῶν ἀδίκων ὁ Θεὸς, δεσμοῖς αὐτοὺς
καὶ πενίᾳ πιέζει, ὡς ἂν εἰς συναίσθησιν ἐλθόντες
τῶν ἡμαρτημένων, ἀποστρέψωσιν ἐκ τῆς ἀδικίας
καὶ τῆς καταδυναστείας.

« Ἀλλὰ τοῦ δικαίου εἰσακούσεται. »

Τοῦτο τῷ ἀνωτέρω εἰρημένῳ συνήπται, ἵνα ἦ
ὄντως· οὐκ ἀφελεῖ ἀπὸ δικαίου ὀφθαλμοὺς αὐ-
τοῦ, τὴν ἐποπτικὴν καὶ προνοητικὴν αὐτοῦ δύνα-
μιν, ἀ.λ.λ' εἰσακούσεται αὐτοῦ.

⁸⁰ Psal. xxxiii, 16.

A Deus vero calculo suo sermones ejus approbavit;
quod ex divinis ejus verbis quæ postea sequuntur,
intelligere licet.

VERS. 1-3. « Adiciens autem adhuc Elius, ait :
Sustine me pusillum adhuc, ut te doceam (adhuc
enim est in me sermo), suscipiens scientiam meam
de longe. »

Quandoquidem de Deo quædam adhuc dicenda
habeo, altiusque repelito sermone, cum scientia et
intelligentia disserere mihi propositum est; quæ a
me nunc dicentur, animo benigno accipe.

VERS. 4. « Operibus autem meis quæ justa sunt
loquar in veritate, et non injusta verba injuste in-
telleges. »

Ostendens, inquit, quod ea quæ cognosco, verè
intelligam, nec quidquam injustum vel mente con-
cipiam, vel voce exprimam; causæ meæ defensionem,
quam nunc in medium allaturus sum, Dei operibus
stabilio. Id est, Justa ea esse assero, quæ
effectu comprobantur; nuda verba et sermones
inanes hæc non sunt. Verum cave ne iniqua ope-
reris, et quæ nosti culpa careant; ut enim nunc se
res habet, injuste cogitas. Non dixit : Iniqua ope-
ratus es, sed, Injusta cogitasti. Verum aurem mihi
accommoda, quia revera sermones mei neque falsi,
neque injusti sunt.

VERS. 5, 6. « Cognosce autem quia Dominus non
abjiciet innocentem; fortis robore cordis non vivi-
ficabit impium, et judicium pauperum dabit. »

Scito igitur Deum nunquam præsidio suo et
providentia destitutum relinquere, neque repudiare
hominem qui innocentem vitam agit, licet propter
ejus emolumentum in calamitatibus cum deserere
interdum videatur; pauperum vero vindicem esse
eum qui potestate pollet, cum secundum justa sua
judicia de impiis supplicium sumit.

VERS. 7. « Non auferet a justo oculos suos : [Oculi
enim Domini super justos ⁸⁰] et cum regibus in
solio, et sedere eos faciet in victoria, et exalta-
buntur. »

Justos, inquit, interdum tanto honore inter homi-
nes dignatur Deus, ut cum regibus in solio eos col-
locet, et tandem tropæis decoratos exaltet.

VERS. 8, 9. « Et qui compediti sunt in compedi-
bus, capientur in funibus paupertatis : et annun-
tiabit eis opera eorum, et delicta eorum, quoniam
valebunt. »

Symmachus autem : Quoniam tyrannidem exerce-
bant. Deus, inquit, qui injustorum etiam curam
gerit, vinculis eos et paupertate constringit, ut
agnitis suis peccatis, ab injustitia et tyrannide ani-
mos avertant.

VERS. 10. « Sed justum exaudiet. »

Hoc cum eo quod supra dictum est conjungitur,
ut sensus sit : Non auferet a justo oculos suos, po-
tentiam, scilicet, inspectricem et gubernatricem,
sed illum exaudiet.

« Et dixit, Quia convertentur ab iniquitate. A
[Vers. 11.] Si audierint et servierint, complebunt
dies suos in bonis, et annos suos in decoribus. »

Divinam disciplinam, quæ ex operibus vim convertendi in se habet, instar admonitionis cujusdam auribus perceptæ, eos qui erudiuntur, sensu quodam afficere, auctor est. Si igitur, inquit, postquam audierint, Deo inservierint, in felicitate et bonorum affluentia vitam transigent, et cum gloria ad senectutem pervenient.

Vers. 12. « Impios vero non facit salvos, eo quod noluerunt scire Dominum, et quod cum monerentur, inobedientes erant. »

Deus autem impiis salutem non præbet, non quod ille exitii illorum causa sit, sed quod ipsi sibi ipsis auctores existant, qui neque ingenita et naturali ratione Deum cognoscere, neque disciplinæ ejus, quæ convertendi vi prædita est, et commonefactioni obtemperare voluerunt.

Vers. 13. « Et hypocritæ corde ordinabunt furorem. »

Qui corde, inquit, hypocritæ sunt, et sola pietatis specie amiciuntur, ipsi sibi ipsis iram divinam recondunt et thesaurizant.

« Non clamabunt, quia ligavit eos. »

Non vultum ad Deum attollunt, tanquam qui possit calamitati mederi, neque clamore eum invocant, quia vinculis eos constrinxit, cum nihilominus solus ille ab iis liberare valeat.

Vers. 14, 15. « Morietur ergo in juventute animarum, et vita eorum vulnerata ab angelis, eo quod tribulaverunt infirmum et invalidum. »

Propterea, inquit, vulnerati ab angelis lethalibus, mortem immaturam oppetunt: afflictiones autem et iniquitates quas contra imbecilliores operati sunt, causam et occasionem præbent.

« Judicium vero mansuetorum exponet. »

Mansuetorum autem judicium et vindictam definiet Deus; hoc enim valet illud, *exponet. Mansuetos* autem intelligere potes, vel eos qui arbitrii sui libertate justii sunt, vel qui injuria sunt læsi, et propter imbecillitatem silentium agunt.

Vers. 16. « Et superdecepit te ore inimici. »

Cum illud interjecisset: *Judicium vero mansuetorum exponet*, tanquam hypocritis in os diceret, subjungit, quod hypocrita non solum ob causas prædictas pœnas luat, sed *insuper*, id est, præter hæc, quandoquidem inimico suo ore mansuetum deceperat.

« Abyssus, effusio sub ea, et descendit mensa tua plena pinguedine. »

Posthæc, inquit, hypocritæ abyssus reservatur, et sub ea *effusio*, id est, tenebræ exteriores; tibi vero mensa plena pinguedine concedetur. Fortasse vero abysso et aquarum effusioni hypocrita compa-

« Καὶ εἶπεν, ὅτι: Ἐπιστραφήσονται ἐξ ἀδικίας. Ἐὰν ἀκούσωσι, καὶ δουλεύσωσι, συντελέσωσι τὰς ἡμέρας αὐτῶν ἐν ἀγαθοῖς, καὶ τὰ ἔτη αὐτῶν ἐν εὐπραπειῶσι. »

Τὴν διὰ τῶν ἔργων ἐπιστρεπτικὴν παιδείαν τοῦ Θεοῦ λέγει, ὡς περ τινὰ νοουθεσίαν ἀκουστήν, εἰς συναίσθησιν ἄγειν τοὺς παιδευομένους. Ἐὰν οὖν, φησὶν, ἀκούσαντες δουλεύσωσι Θεῷ, ἐν εὐπραγίᾳ καὶ ἀγαθῶν ἀφθονίᾳ βιωτεύσωσι, καὶ μετ' εὐδοξίας τὸν βίον παλαιώσωσιν.

« Ἀσεβεῖς δὲ οὐ διασώζει, παρὰ τὸ μὴ βούλεσθαι αὐτοὺς εἰδέναι τὸν Κύριον, καὶ διότι νοουθετούμενοι ἀνήκοοι ἦσαν. »

Τοὺς δὲ ἀσεβεῖς, φησὶν, οὐ διασώζει Θεὸς, οὐκ αὐτὸς αὐτοῖς τῆς ἀπωλείας γινόμενος αἴτιος, ἀλλ' αὐτοὶ ἑαυτοῖς, μῆτε τῷ ἐμφύτῳ καὶ φυσικῷ λόγῳ τὸν Θεὸν ἐπιγνώνας θελήσαντες, μῆτε τῇ ἐπιστρεπτικῇ παιδείᾳ καὶ νοουθεσίᾳ κατήκοοι Θεοῦ γενέσθαι βουληθέντες.

« Καὶ ὑποκριταὶ καρδίᾳ τάξουσι θυμὸν. »

Οἱ δὲ τῇ καρδίᾳ ὑποκριταί, φησὶν, οἱ σχῆμα μόνον εὐσεβείας περικείμενοι, αὐτοὶ ἑαυτοῖς κατατάσσωσι καὶ καθορίζουσι τὴν θείαν ὀργήν.

« Οὐ βοηθήσονται, ὅτι ἔδησεν αὐτούς. »

Οὐκ ἀναβλέπουσι, φησὶ, πρὸς Θεὸν, οὐδὲ βοῶσι πρὸς αὐτὸν ὡς δυνάμενον λύειν τὴν συμφορὰν, ὅτι αὐτὸς αὐτοὺς ἔδησε, καὶ αὐτὸς δύναται λύειν δὴ-λαδῆ.

« Ἀποθάνοι τοίνυν ἐν νεότητι ἡ ψυχὴ αὐτῶν, ἡ δὲ ζωὴ αὐτῶν τιτρωσκόμην ὑπὸ ἀγγέλων, ἀνθ' ἧν ἐθλίψαν ἀσθενῆ καὶ ἀδύνατον. »

Διὰ τοῦτο, φησὶ, καὶ ἄωροι ἀποθνήσκουσιν, ὑπὸ τῶν θανατηφόρων ἀγγέλων τιτρωσκόμενοι. ἡ δὲ αἰτία, δι' ἧς εἰργάσαντο θλίψεις καὶ ἀδικίας κατὰ τῶν ὑποδεεστέρων.

« Κρίμα δὲ πραέων ἐκθήσει. »

Τῶν δὲ πραέων τὸ κρίμα καὶ τὴν ἐκδίκησιν ὀρίσει ὁ Θεός· τοῦτο γὰρ τὸ ἐκθήσει. Πραεῖς δὲ, ἢ τοὺς κατὰ προαίρεσιν δικαίους νοήσεις, ἢ καὶ τοὺς ἀδικουμένους, καὶ δι' ἀσθένειαν ἡσυχίαν ἄγοντας.

« Καὶ προσεπιπηπάτησέν σε ἐκ στόματος ἔχθροῦ. »

Διαμέσου θετικῶς τὸ; Κρίμα δὲ πραέων ἐκθήσει, ὡς πρὸς τὸ τῶν ὑποκριτῶν πρόσωπον ἐπήγαγεν, ὅτι τιμωρεῖται ὁ ὑποκριτῆς, οὐ μόνον δι' ἧς προσέπων αἰτίας, ἀλλὰ πρὸς, τουτέστι, πρὸς τοῦτους, ἐπειδὴ καὶ ἠπάτησε τὸν πρῶτον διὰ τοῦ ἔχθροῦ αὐτοῦ στόματος.

« Ἄβυσσος, κατάχυσις ὑποκάτω αὐτῆς, καὶ κατέβη τράπεζά σου πλήρης πίστεως. »

Ἐνεσθὲν, φησὶ, τῷ μὲν ὑποκριτῇ ἄβυσσος τεταμίευται, καὶ ὑποκάτω αὐτῆς κατάχυσις, τουτέστι, τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· σοὶ δὲ πλήρης πίστεως ἐπιδοθήσεται τράπεζα. Τάχα δὲ, διὰ τὸ ὑφάλως καὶ βα-

θέως βουλευέσθαι ὁ ὑποκριτής, καὶ τῷ σχήματι τῆς Ἀ
ὑποκρίσεως ἐπισκιάζειν τὴν ἐπιβουλὴν, καὶ τούτου
ναυαγεῖν ποιεῖν τοὺς αὐτῷ πιστεύοντας, ἀδύσσω πα-
ραβάλλεται, καὶ τῇ χύσει τῶν ὑδάτων, ὕφ' ἧς αἱ
ὑφαλοὶ πέτραι κρυπτόμεναι καὶ λανθάνουσαι, τοῖς
πλέουσι φέρουσι κίνδυνον. Εἰ δὲ περὶ τῆς θαυμα-
τογρίας τοῦ Θεοῦ διαμέσου παρεντέθειται τὸ ῥητὸν,
Ἐποκάτω τῆς ἀδύσσου, φησὶν, οὐδὲν ἔστιν ἢ κατὰ
χυσίς· θαυμαστὸν δὲ ὄντως τὸ ἐπὶ χύματος ἡδρά-
σθαι β.

« Οὐχ ὑστερήσει δὲ ἀπὸ δικαίων κρίμα, θυμὸς δὲ
ἐπ' ἀσεβεῖς ἔσται, δι' ἀσεβειαν δώρων ὧν ἐδέχοντο
ἐπ' ἀδικίας. »

* Τῶν δικαίων, φησὶν, ἢ ἐκδοκίσεις οὐχ ὑστερεῖ·
πῶς γὰρ οἷς καὶ λιπαρὰ ἐφαπλοῦνται τράπεζα; Τοὺς
δὲ ἀσεβεῖς οὐκ ἔστι τὴν θεῖαν διαδραῖναι δίκην, ὅτι
δὴ καὶ τὸ δίκαιον παρέφθειρον χρήμασι, καὶ ἀσεβεῖν
εἴλοντο καὶ ἀδικεῖν. Κρίναντες γοῦν ἀδίκως, δικαίως
κριθῆσονται.

« Μὴ σε ἐκκλινάτω ἐκὼν ὁ νοῦς δεήσεως ἐν ἀνάγκῃ
δυντων ἀδυνάτων, καὶ πάντα τοὺς κραταιοῦντας
ισχύ. »

* Μῆτε σέ, μῆτε τινὰ τῶν κραταιοῦντων ἰσχύ,·
τουτέστι, τῶν δυναμένων ἐπαμύνειν, ὁ λογισμὸς
ἐκὼν τῆς εὐθείας παρατρεψάτω, ὅταν τῆς σῆς ἐπι-
κουρίας δέωνται οἱ ἐν ἀνάγκῃς ἄνθρωποι, ἀλλ'
ἐπάμυνον κατὰ δύναμιν.

« Μὴ ἐξελεύσῃς τὴν νύκτα τοῦ ἀναβῆναι λαοὺς
ἀντ' αὐτῶν, ἀλλὰ φύλαξα· μὴ πράξης ἄτοπα· ἐπὶ
τούτων γὰρ ἐξεῖλω ὁ ἀπὸ πτωχείας. »

Ἄδὲ Σύμμαχος· Μὴ προθυμηθῆς νυκτὸς ἐπ-
αναβῆναι λαοὺς ἐπὶ τοῦ τόπου αὐτῶν. Ὁ δὲ νοῦς
οὗτος· Μῆτε τοὺς κρατοῦντας ἰσχύ ἀδικήσης,
ὥστε νυκτὸς καὶ κατὰ τὸ ληληθῆς τούτους μὲν τῶν
οικείων ἐκβαλεῖν, ἀντ' αὐτῶν δὲ ἐτέρους εἰς τὸν
τόπον αὐτῶν ἐγκαταστήσαι. Διδάσκει δὲ, ὅτι τὴν
ἰσότητά καὶ τὸ δίκαιον πρὸς πάντας προσηκεῖ φυ-
λάττειν, καὶ ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀτόπων, μὴ
δὲ ἐξαιρεῖσθαι καὶ προκρίνειν ταῦτα πτωχείας.
Ἦ τὸ, Ἐπὶ τούτων γὰρ ἐξεῖλου ἀπὸ πτωχείας,
ἀντ' τοῦ, ἀπὸ τούτου τρόπου, τουτέστιν, ἀπὸ τοῦ
μὴ πράττειν τὰ ἄτοπα, ἐξαιρεθῆσθαι ἀπὸ πτωχείας,
τουτέστιν, ἀπαλλαγῆσθαι τῆς ἐν πενίᾳ ταλαιπω-
ρίας.

« Ἰσοῦ ὁ ἰσχυρὸς κραταιώσει ἐν ἰσχύι αὐτοῦ· τίς
γὰρ ἔστι κατ' αὐτὸν δυνάστης; »

* Ἀπὸ τοῦ περὶ δικαιοσύνης ἀνθρώπων λόγου εἰς
τὸν περὶ ἰσχύος Θεοῦ καὶ δικαιοσύνης ἐκβαίνει
λόγον· καὶ, Θεώρησον, φησὶν, ὡς ὁ ἰσχυρὸς Θεὸς
κραταιῶς ἅπαντα καὶ μετὰ θεϊκῆς δυνάμεως ἐργά-
ζεται, καὶ οὐκ ἔστιν ὁ τῇ αὐτοῦ δυνάμει παραβαλ-
λόμενος.

« Τίς δὲ ἔστιν ὁ ἐτάζων αὐτοῦ τὰ ἔργα; ἢ τίς ὁ
εἰπὼν· Ἐπραξεν ἄδικα. »

* Οὐδεὶς, φησὶ, τολμᾷ ἐξετάζειν τὰς τοῦ Θεοῦ

ratur, sub qua scopuli latentes et absconditi nau-
gantibus periculum afferre solent, quia clandestina
et alte jacta consilia meditetur, ac simulationis
specie insidias tegat et obumbret, ita ut qui fidem
ei adhibent, naufragium faciant. Sin autem quod
dicitur propter divini operis admirationem inter-
seritur, Sub abyssu, inquit, præter aquarum effu-
sionem nihil est : super aquarum vero effusione
terram stabiliri, admiratione non caret.

VERS. 17, 18. « Non deficiet autem a justis judi-
cium, et ira super impios erit, propter impietatem
munerum quæ accipiebant super iniquitatibus. »

Justorum, inquit, vindicta et ultio tardo pede
non advenit; qui enim fieri potest hoc eveniat,
B quibus mensa dapsilis paratur? Impii autem sup-
plicium divinum effugere non possunt, quia justiti-
am divitiis corruperunt, et impie ac injuste vi-
vere delegerunt : injustum quippe judicium feren-
tes, justo judicio condemnabuntur.

VERS. 19. « Non te avertat voluntaria mens a
prece infirmorum, cum in necessitate fuerint, et
omnes qui viribus valent. »

Cum impotentes in angustiis constituti tuam opem
implorant, neque te, neque illorum aliquem qui
robore præstant, id est, qui defendere et ulcisci
possunt, mens et deliberatio voluntaria a recto ab-
ducit, sed pro virili illis succurrit.

VERS. 20, 21. « Noli extrahere per noctem ut
ascendant populi pro-eis, sed cura ne facias inde-
centia; super his enim liberasti ab inopia. »

Symmachus vero : Ne desideres noctu super-
ascendere populos in locum eorum. Sensus autem
hic est : Neque eos qui viribus præditi sunt injuria
afflicto, ita ut noctu et clam insurrectionem faciens,
hos quidem propriis sedibus ejicias, alios vero in
illorum locum substituas. Æquitatem autem et jus-
titiā erga omnes servandam, a pravis et absurdis
factis abstinendum, et paupertatem illis præfere-
dam esse decet. Vel illud : Super his enim liberasti ab
inopia, ab his moribus scilicet et hoc ingenio; id
est, Si absurda et scelestā patrare desieris, ex inopia
eripieris, hoc est, ab ærumna ac tribulatione quæ
paupertatis comes est, liberaberis.

D VERS. 22. « Ecce fortis roborabit in fortitudine
sua : quis enim est, sicut ille, potens? »

Postquam de hominum justitia verba fecisset, ad
Dei fortitudinem et justitiā orationem convertit;
ac, Vide, inquit, quemadmodum Deus fortis omnia
fortiter et cum potentia divina operetur, neque cum
ejus potentia quispiam comparandus sit.

VERS. 23. « Et quis est qui discutiat opera ejus?
aut quis est qui dicat : Fecit injusta? »

Nemo, inquit, in divinam providentiam inquirere

VARIÆ LECTIONES.

β Ἰσ. τὴν γῆν. γ Ἰσ. ἐξεῖλου. δ Ἰσ. κραταιοῦντας.

audet, neque potest quispiam, aliquid injustum ab eo factum esse, asserere.

VERS. 24. « Memento quia magna sunt opera ejus, quorum dominati sunt viri. »

Animus, inquit, advertens, considera et tecum perpende, quod admirabilia sint creationis opera, licet consuetudine contemptibilia appareant; opera, inquam, Dei, quibus homines ab initio præfecti sunt: *Dominentur enim, inquit, piscibus maris, et volatilibus cæli*⁸¹. Et Psalmista: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*⁸².

VERS. 25. « Omnis homo vidit in ipso [*id est, Omnis homo cognitionem habet de Deo*], quicumque vulnerati sunt mortales. »

Illud, *quicumque*, pro, *omnes*, ponitur; quia omnium est vulnerari, perpressioni scilicet et corruptioni obnoxios esse. Symmachus autem cum interpretetur: *Unusquisque aspiciens a longe*, per vulnerationem hoc loco sobrietatem et mentis excitationem ac vigilantiam innuit, eo quod magis excitentur et attentiores reddantur, qui fodiantur et stimulantur.

VERS. 26. « Ecce fortis multus, et nesciemus. »

Vox, *multum*, in Scriptura pro numero indefinito, et qui comprehendi non possit, usurpatur. Quoniam igitur divina magnitudo et fortitudo quantitati subijci nequit, ideo dixit: *Multus est fortis, nostroque intellectu et cognitione major.*

« Numerus annorum ejus et infinitus. »

Id est æternus. Quædam autem exemplaria habent, *numerus viarum*: ac si diceret: *Via ejus, et progressus judiciorum quæ in nobis facit et exercet, investigari nequeunt.*

VERS. 27. « Numerabiles autem ei stillæ pluviarum. »

Dei notitiam nihil fugit, quin et pluviatilium stillarum numerum accurate novit.

« Et effundentur ad pluviam in nube. »

Hoc loco Dei scientiam simul et providentiam prædicat, quod pluviam non immoderate, sed modo quodam certo ac mensura e nubibus effundat.

VERS. 28. « Fluent antiquitates. »

Stillæ, inquit, ex illis profluent: quas quidem *antiquitates* ideo vocavit, quia ita olim et ab antiquo evenerit; pro quo Symmachus: *Quæ quidem fluent ex æthere.*

« Obumbraverunt autem nubes super innumerabili homine. »

Merito, inquit, mirabitur quispiam, si diligenter æcum perpenderit, quomodo aer, qui natura sua rarus est, in nubes ita condensetur, ut cælum hominibus opacum reddat.

« Horam constituit jumentis, et sciunt cubilis ordinem. »

Horam pro mensuris aut terminis posuit: ita ut

⁸¹ Gen. 1, 28. ⁸² Psal. VIII, 8.

οικονομίας, οὐδὲ δύνανται εἰπεῖν, ὅτι ἀδικόν τι παρ' αὐτοῦ πέπρακται.

« Μνήσθητι ὅτι μεγάλα ἐστὶ αὐτοῦ τὰ ἔργα, ὧν ἔβραν ἄνδρες. »

Ἐἰς νοῦν, φησὶ, βαλλόμενος, σκόπησον καὶ ἀναλόγησαι τὰ περὶ τὴν κτίσιν τοῦ Θεοῦ ἔργα, ὅτι θαυμαστά, κἂν ὑπὸ τῆς συνθηλαίας ἰσως εὐκαταφρόνητα δοκῇ· ἔργα δὲ φημι Θεοῦ, ὧν ἀρχεῖν ἀνθρωποὶ καταρχὰς ἐτάγησαν· Ἀρχέτωσαν γάρ, φησὶ, τῶν ἰχθύων τῆς θαλάσσης, καὶ τῶν πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ. Καὶ ὁ ψαλμῶδης· Πάντα ὑπέταξας ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτοῦ.

« Πᾶς ἄνθρωπος εἶδεν ἐν ἑαυτῷ [*τουτέστι, Πᾶς ἄνθρωπος τὴν περὶ Θεοῦ γνῶσιν ἔχει*], ὅσοι τιτρωσόμενοι εἰσι βροτοί. »

B Ἐπὶ τῷ, ὅσοι, ἀντὶ τοῦ, πάντες· ὅτι καὶ πάντων τὸ τιτρώσασθαι, ἡγουν, τὸ παθητὸν καὶ φθαρτὸν. Ὁ δὲ Σύμμαχος ἐκδούς, Ἐκαστος ἀποβλέπων μακρόθεν, ἠνέξατο ὅτι τρώσις ἐνταῦθα ἡ νῆψις ἐλέχθη, καὶ ἡ τοῦ νοῦ διέγερσις, ἀπὸ τοῦ τοῦς νυτομένους μᾶλλον διεγείρεσθαι, καὶ προσεκτικωτέρους γίνεσθαι.

« Ἴδου ὁ ἰσχυρὸς πολὺς, καὶ οὐ γνωστόμεθα. »

Τὸ πολὺ, ἐπὶ τοῦ ἀορίστου, καὶ ἀριθμῷ μὴ περιλήπτου, ἢ Γραφῇ τίθησιν. Ἐπεὶ οὖν καὶ τὸ θεῖον μέγεθος καὶ ἡ ἰσχύς πῶς ὑποβλήθηται οὐ δύναται, διὰ τοῦτο ἔφη, ὅτι Πολὺς ὁ ἰσχυρὸς, καὶ ὑπὲρ τὴν γνῶσιν ἡμῶν.

C « Ἀριθμὸς ἐτῶν αὐτοῦ καὶ ἀπέραντος. »

Τουτέστιν αἰδῖος. Τινὰ δὲ τῶν ἀντιγράφων, ἀριθμὸς ὁδῶν, ἔχει, ἵνα εἴπῃ· Ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ, καὶ αἱ πορεῖαι τῶν κριμάτων αὐτοῦ ἐν ἡμῖν ποιεῖται.

« Ἀριθμηταὶ δὲ αὐτῷ σταγόνας ὑετοῦ. »

Τὴν τοῦ Θεοῦ γνῶσιν οὐδὲν ἐκφεύγει, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀριθμὸν ὑετῶν σταγῶνων ἐπίσταται.

« Καὶ ἐπιχυθῆσονται ὑετῶν εἰς νεφέλην. »

Ἐνταῦθα τὴν γνῶσιν φησὶ καὶ τὴν πρόνοιαν, καὶ ὅτι οὐκ ἀμέτρως, ἀλλ' ἐναριθμῶς διὰ τῶν νεφελῶν χεῖι τὸν ὑετόν.

« Ρυήσονται παλαιώματα. »

Ἐκρέουσι, φησὶν, ἐξ αὐτῶν οἱ σταλαγμοὶ ταῦτα ἢ γὰρ δὴ παλαιώματα εἶπε, διὰ τοῦ ἀνωθεν καὶ ἐκ παλαιοῦ τοῦθ' οὕτως γίνεσθαι· ἀνθ' οὗ δὲ Σύμμαχος· Ἄτινα ρυήσονται ἐκ τοῦ ἀλθέρου.

« Ἐσχίασε δὲ νέφη ἐπὶ ἀμυθήτῳ βροτῷ. »

Ἀγαθεῖη τις, φησὶν, εἰκότως, σκοπῶν ἀκριβῶς, ὅπως ὁ χαῦνος ἀήρ οὕτω πυκνοῦται εἰς νεφέλας, ὥστε καὶ σκιάζειν τοῖς ἀνθρώποις τὸν οὐρανόν.

« Ὄραν ἔθετο κτήνεσιν, οἶδασι δὲ κοίτης τάξι. »

Ὄραν, ἀντὶ τοῦ, μέτρα, ἢ ὄρους, ὥστε τὰ μὲν

• γρ. λαβόμενος. ἴ γρ. Ἐκρέουσι. ἴ γρ. τούτους.

VARIE LECTIONES.

ἔπουρηγὲν ἀνθρώποις, τὰ δὲ μὴ ὑποτάττεσθαι· καὶ τὰ μὲν νυκτός, τὰ δὲ ἡμέρας ἡσυχάζειν οἰκονομικῶς, ἵνα τῆς κατ' ἀνθρώπων ἐφόδου παύσονται.

« Ἐπὶ τούτοις πᾶσιν οὐκ ἐξίσταται σου ἡ διάνοια, οὐδὲ διαλλάσσειται σου ἡ καρδία ἀπὸ σώματος ; »

* Ἄρα οὖν, φησὶν, οὐκ ἱκανὰ ταῦτα ἐκστῆσαι διάνοιαν, καὶ τρόπον τινὰ διαχωρίσαι ψυχὴν ἀπὸ σώματος ; πῶς καίτοι λόγος ἀπεστερημένα ἀπὸ τῆς φύσεως ἔγνωσαν τὰ κτήνη τάξιν κοίτης, καὶ τάξιν ἐξόδου αὐτῶν. Ὅρα δὲ, οὐκ εἶπεν· Οὐ θαυμάζει ἡ διάνοιά σου ; ἀλλ', *Οὐκ ἐξίσταται ;* Ὅντως γὰρ ἔκστασις καὶ φρίκη, πῶς τὰ ἄλογα τοσαύτην εὐταξίαν φυλάττει· ἵνα μάθῃς ὅτι καὶ σὺ, οὐκ ἀπὸ τοῦ λόγου, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ τὸν λόγον δεδωκότος κυβερνᾷ.

« Καὶ ἐὰν συνῆ ἀπέκτασις νεφέλης ἰσότηρα σκιρῆς αὐτοῦ. »

* Θαυμάσιοι δ' ἄν τις, φησὶ, καὶ ἐὰν συνῆ καὶ γυνῶ, πῶς μικρᾶς φανείσης νεφέλης, περὶ ὅλον τὸν οὐρανὸν ἢ πύκνωσις ἐκτείνεται τῶν νεφῶν· σκηνηὴν γὰρ τὸν οὐρανὸν ἐκάλεσαν.

« Ἴδου ἐκτενεῖ ἐπ' αὐτὸν Ἡδῶ. »

* Ὁ δὲ Σύμμαχος· *Ἐκπετάζει ἐπ' αὐτὸν τὸ φῶς αὐτοῦ.* Ἔτερα δὲ ἀντίγραφα ἀντὶ τοῦ, *Ἡδῶ, τόξον,* ἔχουσιν. Ἐὰν οὖν νοήσῃ ἀνθρώπος, πῶς, συναρξείας οὐσῆς, αἱ ἥλια καὶ ἀκτίνες εἰς τὴν τῶν νεφῶν ἀραιώσιν προσβάλλουσαι, ποιῶσι τὸ τόξον, ὃ παρὰ τοῖς πολλοῖς Ἴρις καλεῖται, θαυμάζεται τοῦ δημιουργοῦ τὴν σοφίαν· πῶς ἐν μὲν τῇ τῶν νεφῶν πυκνότητι τὴν ὠφέλιμον τοῦ ὕετος τοῖς ἀνθρώποις χρεῖαν ἐργάζεται, ἐν δὲ τῇ μανότητι καὶ ἀραιότητι τῶν νεφῶν προσφαίνεσθαι τὸ τόξον παρασκευάζει, παραμυθούμενος τοὺς ἐπὶ τῆς γῆς, ὅτι οὐκέτι αὐτοὺς κατακλύσει, ἀλλὰ τῶν ὑδάτων ἀνέχει τὴν ἀμετρον φορὰν, κατὰ τὴν οἰκειαν ἐπαγγελίαν.

« Καὶ ῥιζώματα τῆς θαλάσσης ἐκάλυψεν· ἐν γὰρ αὐτοῖς κρινεῖ λαοὺς. »

* Ἡ τοῦτο λέγει, ὅτι τὸ τόξον καὶ μέχρι θαλάσσης διήκει· ἢ, ὅτι ὁ Θεὸς τὰς ῥίζας τῆς θαλάσσης ἐκάλυψεν· οὐδεὶς γὰρ εἶδεν ὑπὸ τίνος βαστάζεται ἡ θάλασσα. Διὰ δὲ τούτων τιμωρεῖται τοὺς ἀνθρώπους ὁ Θεός, δι' ἐπαγωγῆς θαλάσσης τυχόν, ἢ χαλάζης, καὶ τῶν τοιούτων.

« Δώσει τροφήν τῶν ἰσχύοντι. »

* Ὁ δὲ Σύμμαχος, *Παρέξει τροφήν συμπόλλιτην, ἐκδέδωκε, τούτεστι, Καρπῶν ἀφθονίαν ἢ τῶν ὑετῶν ἐργάζεται χρεῖα.*

« Ἐπὶ χειρῶν ἐκάλυψε φῶς. »

* Ἐν τῇ ἑαυτοῦ δυνάμει, φησὶ, καὶ ἐνεργείᾳ κρύπτει τοῦ φωτός τὴν αὐγὴν· οὐ γὰρ ἔχει τόπον ποῦ κρυβῆναι τὸ φῶς· οὐδὲ δύναται τις παντελῶς αὐτοῦ κρύψαι.

« Καὶ ἐνετείλατο περὶ αὐτῆς ἐν ἀπαντῶντι. »

* Ὁ δὲ Σύμμαχος· *Καὶ ἐπιτάξει αὐτῇ ὥστε*

A quædam animalia hominibus inserviant, alia vero minime obtemperant ; et illa quidem noctu, hæc vero interdiu divina dispensatione quietem capiant, et ab hominum infestatione cessant.

« In his omnibus non obstupescit animus tuus, nec mutatur cor tuum a corpore ? »

An non hæc igitur, inquit, mentem percellere, et animum a corpore ratione quadam divellere sufficiunt? quomodo scilicet animalia ratione carentia, ordinem cubilis, et egressionis tempus, natura magistra, intelligant. Observa autem quod non dixerit: An non animus tuus admiratur? sed: An non obstupescit? Animalia enim rationis expertia, tantum et tam decorum ordinem servare, stuporem revera et horrorem parit, ut tu, non ratione, sed ab eo qui rationem largitus est, gubernari te intelligas.

VERS. 29. « Et si constiterit extensio nubis æqualitate tabernaculi ejus. »

Mirari etiam, inquit, quis potest, si intellectu et cognitione præditus fuerit, quomodo parva nebula exorta, nubium condensatio extendatur, et totam cæli faciem operiat; cælum enim *tabernaculum* vocavit.

VERS. 30. « Ecce extendet super eum Edo. »

Symmachus vero: *Expandit super eum lumen suum.* Alia autem exemplaria, pro *Edo*, *arcum* habent. Si igitur homo consideraverit, quemadmodum, nubium collectioe facta, tenuiores inter eas feriendo, radii solares arcum efficiant (qui vulgo *Iris* appellatur), Opificis sapientiam admirabitur, qui in nubium condensatione commodum et fructuosum pluvie usum hominibus operatur, in laxitate autem et raritate earum, ad solatium incolarum terræ, facit ut arcus appareat, quia non amplius diluvio eos inundaturus est, sed juxta promissum suum, immoderatum aquarum impetum et vim cohibet.

« Et radices maris contextit: [Vers. 31] in eis enim judicabit populos. »

Vel hoc dicit, quod arcus ad mare pertingat; vel, quod Deus radices et fundamenta maris occultaverit; nemo enim est qui novit quo fulcimento mare sustineatur. His autem rebus Deus hominibus supplicia irrogat, cum mare forte, aut grandinem, aut simile quidpiam terris immittat.

« Dabit escam valido. »

Symmachus autem reddidit: *Præbebit escam copiosam*; id est, Imbrium beneficium et utilitas frugum abundantiam parit.

VERS. 32. « In manibus contextit lumen. »

Sua, inquit, potestate, et efficacia, lucis splendorem abscondit; lux enim in nullo loco occultatur, neque prorsus eam abscondere quispiam potest.

« Et mandavit de ea in occurrenti. »

Symmachus: *Et præcipiet ei ut occurrat.* Lucem,

VARIÆ LECTIONES.

^a ἴσ. αὐτό.

inquit, occultans, et noctem efficiens, præcipit ei A ut obviam occurrat; ac si diceret, Nox et dies illius nutu ac voluntate sibi invicem succedunt. Illud igitur, *de ea, de die, et in occurrenti, de sole intellexit.*

Vers. 33. « Annuntiabit de eo amicum suum. »

Symmachus : *Annuntiabit de hoc sodali suo? id est, Num de ejus creatione cum aliquo consilium inuit aut communicat? ut verba per interrogationem legantur. Possunt vero etiam aliter intelligi, quod Deus scilicet harum rerum cognitionem amicis impertiatur.*

« Dominus, possessio, et de injustitia. »

Alia exemplaria habent : *Domini possessio; Symmachus autem transtulit, zelum pro injustitia. Sensus autem hic est : Num Deus de possessione sua, et quemadmodum ad zelum ac indignationem commotus, injustos punit, cum sodali aliquo consilia communicat? Vel sic : Deus amicis suis annuntiabit, ut ejus sapientiam, non autem quæ injusta sunt, possideant.*

CAP. XXXVII.

Vers. 1. « Et ab hac turbatum est cor meum. »

Ex hac, inquit, contemplatione, cum mens mea in Dei incomprehensibilem sapientiam aciem intendere non posset, turbata est, et præ admiratione propemodum gestiens et exsiliens, de statione sua decidit. Divinus Paulus cum huic simile pateretur, vocem admiratione plenam emisit : *O profundas divitias tum sapientiæ, tum cognitionis Dei* ⁸⁹ ! Symmachus vero : *Et de his exprovescit cor meum.*

« Et effluxit de loco suo. »

Id est, Parum absuit quin propriam sedem desereret.

Vers. 2. « Audi auditionem in ira furoris Domini ; et meditatio de ore ejus egredietur. »

Aquila vero, *et sonus.* Facultatem, inquit, quæ sonos discernit aperi, et ea quæ ira Dei hominibus infert, cladem scilicet quæ ex grandine provenit, pluviarum inundationes, squalores, et frugum exitium addisco : Deus enim per similia vocem propemodum emittens, de potestate sua et prudentia nos instruit, et metum incutit. Pro meditatione igitur et doctrina hæc nobis inserviunt, ut Deum qui ea operatur, timeamus.

Vers. 3. « Subter universum cælum imperium ejus. »

Dei, inquit, imperium etiam ad eos qui apud inferos degunt, pertingit; neque res nostræ ejus gubernatione et providentia destituuntur.

« Et lumen ejus subter alas terræ. »

⁸⁹ Rom. xi, 35.

ἀπαντῆσαι, ἠρμύνευσε. Καλύπτων γὰρ, φησί, τὸ φῶς, καὶ νύκτα ἐργαζόμενος, ἐντέλλεται αὐτῷ ὥστε ἀπαντῆσαι· ἵνα εἴπῃ, ὅτι καὶ νῦν καὶ ἡμέρα τῷ αὐτοῦ βουλήματι ἀλλήλας διαδέχονται. Τὸ οὖν, περὶ αὐτῆς, τῆς ἡμέρας φησὶν· ἐν ἀπαντῶντι δὲ, τῷ ἡλίῳ.

« Ἀναγγελεῖ περὶ αὐτοῦ ἴλον αὐτοῦ. »

Hierosolymorum presbyter Hesychius, vir doctrina et eloquentia polens, Pater quinti Ecclesiæ sæculi, plurima scripsit, exogetica, homiliatica, moralia et ascetica, necnon Historiam ecclesiasticam, quæ citatur Collatione 5 synodi quintæ, Pelagii II, epist. 7, n. 13; in Edicto Justiniani de fide orthodoxa, sub finem. Ex illius operibus multa edita sunt, etiam in Catenis, multa inedita, quæ inter memorantur ab Usserio Hypotheses in libros sacros, a Possino Commentarius in duodecim prophetas, ab aliis alia. Nos quoque non pauca e variis mss. collegimus, eaque in lucem emissuros polliceremur, nisi jam longioris vitæ spes decollasset. Quare volentibus lampada tradere cogimur. Cæterum Hesychianæ evangelicæ consonantiæ fragmentum habes t. I Auctarii Combefisiani, col. 773, et alterum inferius.

(n) De hoc auctore et de ejus operibus plura vide A. apud P. Labbe tom. I Dissertationum in Bellarminum de scriptoribus ecclesiasticis. Edit.

(o) Menol. Gr. die xxviii Mart. part. II, pag. 33. edit. Urbin.

(p) Theoph. Chronogr., pag. 71 edit. Paris.

(q) Id. ibid. pag. 79.

(r) Socrat. Hist. eccl. lib. VII, cap. 44.

(s) Pagi ad ann. 434, § 3.

(t) Mazoch. Comment. in vet. marm. Calend. Neap. vol. I, pag. 116 seqq.

HESYCHII HIEROSYLIMITANI PRESBYTERI COMMENTARIUS IN LEVITICUM.

(Bibliotheca Vet. Patrum. Lugdun., tom. XII, p. 52.)

PRÆFATIO AUCTORIS.

Venerabili diacono Eutyichiano peccator Christi servus Isychius, presbyter, in Christo salutem.

Calamum pro tuba conduxisti spiritui, et pinguem atque altam terram multaque aratra ad culturam labentem necessaria, bidentem, qui vix arenam valeat, effodere præcepisti. Cur autem hoc? si quis eorum qui consueverunt talia interrogare te inter-

roget, tacebis forsitan ipse, cum nimis difficilis sit, et obdura inquisitio. Doctorem autem tuum Paulum exhibebis, pro te quod interrogatus es interpretantem: *Ut sublimitas sit virtutis Dei et non ex nobis*¹. Sed quid hoc sit, ipse rursus interpretatus est planius: *Et sermo meus, et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina*

*Spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*¹. Quomodo, aut ubi sit, et apud quos habitet, ipsius demonstrat Dei bonitas, quando Paulo auferri stimulum carnis suæ, et colaphizantem Satanæ angelum discedere a se roganti, dicebat: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur*². Hoc ergo credens debere me facere quæ alii non fecerunt, præcepisti ut Levitici libri spiritalem intentionem per ordinem interpretarer, defenderemque litteram multis adversariorum accusationibus subiacentem, ad altiorum eam intellectum deducendo. Facerem autem hoc, non quemadmodum olim quidam, rara quædam capitula excerpentes, sed omnia per ordinem usque ad finem discutiens. Quod quam sit difficile, ex hoc uno perparvo, quantum ad cunctum prædicti libri contextum tanta varietate plenum, cognosce capitulo. Eum qui sacrificium pacificorum, seu salutare offeret, si quidem pro gratiarum actione offeret, in die qua obtulerit, ait, comedetur: non remanebit ex eis usque mane. Quod si voto vel sponte quisquam obtulerit hostiam, eadem die qua obtulerit, similiter edetur, necnon sequenti die. Cum ergo ejusdem generis, sicut apparet, sacrificia sint, utrumque enim pacificorum, seu salutare, ait: ex eo quidem quod est gratiarum actionis, seu laudationis, in mane non relinqui præcepit: illud autem quod est spontaneum, vesci præcepit et in crastinum. Equidem si malum erat servari de sacrificio in crastinum, nec de aliquo eorum hoc debuerat præcipi: si vero bonum, debebat in utroque sanciri. Similia autem his, et per omnem quodammodo contextum legis hujus invenies egisse per spiritum legislatorem, id est præcipientem quæ veterat, rursusque prohibentem quæ pridem præceperat. Quod et nimis observantiam reprehendit litteræ, ostenditque considerationem necessariam esse spiritualis intelligentiæ: necnon evangelicam defendit prædicationem prohibentem quædam de his quæ videntur legi, secundum litteram intelligi sive agi, et unum eundemque esse legislatorem. n demonstrat novi simul ac veteris testamenti, dum ex auctoritate sive potestate, quæ vult, nunc præcipit, nunc autem prohibet. Nihil autem sibi contrarium jubet, licet præcipiat ea quæ pridem prohibuit, et prohibeat quæ olim præcepta sunt. Sed et nimis sancit convenientia, scit a quo ejus intelligi possit intentio, et ad quem finem respiciant ejus statuta sentiri. Sed quia mihi de his verbum dari in apertionem oris, in omni patientia et obsecratione fecisti: quemadmodum Ephesiorum Ecclesiam Paulus orans, deprecare³ ut fiat oblatio verbi mei acceptabilis, non solum in Jerusalem, sed et in omni terra in qua Deo annuente defertur, ut glorificetur Christus, quæ stulta mundi, et infirma, et ignobilia, et ea quæ non sunt, elegit: sicuti et me ab omni justitia destitutum, et a sapientia alienum, non idoneum, nec servum mutilem nominari,

A sed propterea modicam quandam gratiam consecutum, ut ea quæ apud homines impossibilia sunt, possibilia apud Deum appareant, cum ejus sapientiæ homines deservunt imperiti. Quod autem argumentum hujus libri, de quo hoc loco loquimur, sit, ipsum inquirere scriptorem oportet: ea enim de quibus sancire disposuit, breviter instruere legentes volens, Leviticum hunc, sicut cernimus, appellavit: appellationem adinveniens quæ uno eodemque tempore omne hujus libri manifestaret argumentum: quia Levi tribus sacri tabernaculi ministerium sortita est, in quo oportebat sacrificia, fructuumque primitias, et primogenitorum oblationes, secundum legem offerri, celebrari, etiam quascunque lex in immundis ex qualibet causa emundationes præcipit, exhiberi: hæc præsens liber continet, aliaque quæ hujusmodi sunt eruditioni conjuncta. Sive enim festivitates dixeris, sive ciborum differentias, quæ quidem eorum munda, quæ autem oporteat dici immunda, sive nuptiarum illicitarum, sive sacrificiorum maculam habentium prohibitio, tum altaris sanctificatio, ad Levitas pertinent et hæc, et quæcunque alia præsentis lege conscripta sunt. Sed ut non superfluum dinumeremus singula, faciemus exordium. Illud præ omnibus sermo eos qui hæc lecturi sunt contestatur, quod necesse sit interpretationem ad anagogen trahi, et auditum ab humilibus ad sublimiora transferri, spiritalemque intelligentiam in littera perscrutari. Neque enim hoc contradicit legi, sed imo magis defendit et confirmat legem: quia nec contra eam, sed potius resistentibus pro ea pugnare suscepimus. Manifestum est autem hoc, ex eo quod inimici legis maxime eam in multis nihil juvantem et inutilem accusant: sed nos hujus maximam utilitatem per intelligibilem anagogen ostendimus. Nec enim reprehendere quis anagogæ interpretationes, nec intellectum considerationem, nec litteræ præsumat explanationem, neque noster quispiam, neque alienus. Nam noster quidem testimonia aperta istiusmodi expositionis multa habet, atque differentia: veluti Christi parabolas, in quibus agrum mundum, agricolam se, semen bonum justos, zizania malignos, messorum angelos, inimicum superseminantem tritico zizania diabolum exponens, unumquodque prædictorum appellavit. Quid ergo incongruum, si quis etiam nunc præsens legis negotium exponens, bovem dicat esse hominem qui operatur justitiam; ovem simplicem et innocentem, columbam aut turturem, viventes sublimius, contemplationique vacantes. Sed ne Judæus quidem contradicere hujusmodi legis interpretationi poterit: nunquid non Jerusalem lænam Ezechiel propheta⁴ appellavit? catulum autem ejus Heliachim, qui ductus est in Ægyptum? Alium rursus catulum Joachim, quem in vinculis, sive, ut LXX ediderunt, in cavea Nabuchodonosor Babylona perduxit. Quia autem intelligitur aquila magnis alis, quid in aures

¹ I Cor. ii, 4, 5. ² II Cor. xii, 9. ³ Ephes. vi, 18. ⁴ Ezech. xix, 1 seqq.

et discriminabilia, hyacinthus et byssus, et alia quibus Jerusalem Deus, secundum quod ait hic ipse propheta, vestivit? Quid autem et later, in quo civitatem depinxit? quid ferrea sartago? quid panis quem de tritico, et hordeo, et faba, lente, milio, et vicia, Deo iubente comedebat? Quia non solum ea quæ in parabolis dicta sunt, sed et ea quæ secundum historiam sunt, ad sublimiorem intellectum per allegoriam duci oportet, aperte Paulus et sine allegatione Galatis scribens ait: *Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis? Scriptum est enim, quia Abraham duos filios habuit, unum ex ancilla, alterum ex libera. Sed qui ex ancilla, secundum carnem natus est, qui autem ex libera, per re-promissionem; quæ sunt per allegoriam dicta*⁴. Quique hoc dicens, illico allegoriam exhibuit, ait enim: *Hæc sunt duo testamenta, unum quidem de monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar*⁵, et reliqua quæ sequuntur. Sed nunc et hæc eo modo ad allegoriam, quo reliquas Scripturas, trahi oportet: nec quemadmodum illæ, cum magnam ex semetipsis habeant vim, majorem tamen per contentionis interpretationem suscipiunt utilitatem, ita et præsens sanctio, parva mihi et minima, et ut credendum est nec reticendum, inutilis vel fortassis etiam noxia est hic littera, si spoliatur spirituali intelligentia multis emergentibus ipsius litteræ, et variis reprehensionibus, sicut in subsequentibus reperiemus, nisi quis ad sublimiorem interpretationem confugiens, ex ea quemadmodum pro littera satisfacere possit, exquirat. Propter quod et bonam legem, seu mandata, et non bonam per prophetam Ezechiel

A Deus appellavit, dicens: *Ejeci eos de terra Ægypti, et eduxi in deserto, et dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciat homo et vivat in eis*⁶. Ecce bona et valde bona in tantum ut vitam præstent commemorans, vide qualia rursus de his mandatis subdidit: *Et ego eis dedi, inquit, mandata non bona, et judicia in quibus non vivent*⁷. At quomodo possunt bona hæc esse, et non bona? Aut quomodo nunc præbent, nunc autem non præbent vitam? Aut certe quis ita secundum eum custodit, secundum quem a legislatore descripta sunt, videlicet spiritum? *Spiritus enim est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*⁸: ipse in eis vivit. Qui vero carnaliter accipit, recte non bona sentit divina judicia: quippe nec intelligit, nec eis utitur bene. Unde ea quæ bona sunt, recte ei non bona fiunt, nec vivit in eis: nam primum quidem ignorant vitam quæ in eis abdita est, deinde non semper, sed certo tempore legislator voluit superficie tenus custodiri, ut astringeret Judæorum duram cervicem, graviorique egentem jugo. Propterea populum eum duræ cervicis propheta dicunt. Isaias autem non tantum duræ cervicis, sed vitulam consternantem Judæorum populum appellavit⁹. Quæ autem consternans est, si ita susceperit jugum, nullo modo domatur. Et rursus: *Ephraim vitula docta diligere tritiram, transibit super pulchritudinem colli ejus*¹⁰, per collum obedientiam significans, in que jugum legis superimposuit, ut humiliatus populus libenter evangelicum jugum, utpote leve suaveque susciperet. Sed jam tempus est ut ipsam legis proponamus litteram.

⁴ Galat. iv, 21, 24. ⁵ ibid. ⁶ Ezech. xx, 10, 11.

⁷ ibid. 12. ⁸ Joan. iv. ⁹ Isa. xv, 5. ¹⁰ Osee x, 14.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

VERS. 1, 2. « Vocavit autem Moyses, et locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonii, dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus et ovibus offerens victimas. »

Quod non diligens Deus sacrificia, ea quæ de sacrificiis Judæis præceperit, demonstrat Isaias dicens: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus; plenus sum holocausto arietum, et adipe pinguium; sanguinem vitulorum, et agnorum et hircorum nolui. Cum veneritis ante conspectum meum, quis quæsit hæc de manibus vestris*¹¹? Ergo quodammodo hoc quod de sacrificiis præceperat, abavit. His similia et Amos dicit: *Nunquid victimas et sacrificia obtulistis mihi in deserto quadraginta an-*

nis, domus Israel¹²? Atqui frequenter obtulerant: sed ob hoc quod nimis displicebant ei, ea quasi non oblata reputabat. Eadem et Jeremias propheta ait: *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes: quia non sum locutus patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustorum et victimarum*¹³. Sed inquit: Hæc de quibus loquimur ipse mandavit qui et negat, et cur negat quæ mandaverat? Cur? quia intentionem datoris hi qui acceperunt transgressi sunt. Cum enim subtilis esset, et valde sublimis lex, et cum propterea absconsa esset in superficie litteræ, quatenus perscrutantes eam discerent cum prius suos emendassent sensus: erant enim crassioris atque duri cordis, et necdum legem Dei in-

¹¹ Isa. l, 11, 12. ¹² Amos v, 25. ¹³ Jerem. vii, 21, 22.

telligere valentes, in ignorantia remanserunt. Cum autem maxima districtione verborum legislator utatur, nunc etiam ab ipsa est orsus. Exordium in editione LXX incipit ab ea parte orationis quæ est conjunctio quam consuevimus in medio ordinis ponere verborum, ut præcedentibus jungat sequentia : ipsum quippe libri hujus initium termino præcedentis conjunxit, qui appellatur Exodus, in quo Moyses tabernaculum erexit, cui recte præsentia conjunguntur, cum unius ejusdemque Dei in utroque contineatur opus. Sed et liber Numeri, quia nihil medium inter eum et Leviticum appellatur, simile habet et ipse præcæmium ; ait enim : « Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, in tabernaculo fœderis, prima die mensis secundi, anno altero. » Nihil ergo post historiam Levitici libri, ante historiam vero Numeri populus Judæorum egit : neque enim locum mutaverat, quia necdum tabernaculum dedicarant, nec tempus multum præterierat. In primo quippe mense secundi anni, ejusdem mensis initio agi cœperunt. In Exodo autem et Genesi, quia tempus multum medium, Joseph mortis, et egressionis filiorum Israel transcurrerat, non similiter in eisdem libris cœpit. Non enim et conjunctionis, sed opportunum dispensationi eorum quæ ibi scripta sunt, ponit exordium. Ait enim sic : *Hæc sunt enim nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægypto cum Jacob, singuli cum domibus suis*¹⁵. Sed sine dubio objiciet quispiam, quamobrem libri legis divisi sunt, cum non dividerentur, sicut prædictum est, tempore ? Sed hoc ideo ut non fastidium legentibus libri faceret amplitudo : libenter enim negotiatores pelagus viasque dividunt, ipsum quodammodo arbitantes dividere se laborem. Præterea secundum LXX non vocari, sed revocari Moysen scriptum est, sicut quando idem, secundum LXX, Beseleel tabernaculum secundum figuram quæ ostensa est in monte, facere præcepit. Ait enim : *Dixitque Moysis filius Israel : Ecce revocavit Deus ex nomine Beseleel filium Hor de tribu Juda, et implevit spiritu sapientiæ*¹⁶. Ergo et nunc aliorum intelligibilium quorundam, et rationabilium sacrificiorum imaginem, describere Dominus Moysen præcepit, et apertissime hæc quæ dicitur revocatio, dispensationem quamdam verborum, vel rerum ad superiora respicientium, innuit. Sed unde ad eum Dominus loquitur ? De tabernaculo scilicet testimonii. Primum quidem de cœlo, quia in ipso habitare Deus affirmatur. Deinde tabernaculum testimonii præsentem scripturam intelligimus : quoniam quasi tabernaculum quoddam erat, cum ea quæ dicebantur, imaginis sive figuræ sequentium mysteriorum essent, propter quod tabernaculum testimonii dicebatur. Horum autem sermonum tabernaculum testimonium futurarum rerum est, indubitabilem eis fidem præstans. Quid autem dicit, aut ad quos jussit ? ad filios

videlicet Israel, de quibus eum qui voluntaria dona offerebat, de bobus vel de ovibus offerre præcepit : ex utroque animali vel jumento similem designans hominem, qui nihil acuminis, neque ad virtutem, neque ad malitiam habet, sed trahitur ab alio : tales sunt boves et oves ; nimis enim ad manus sunt consueta animalia, et eos qui ita trahunt facile sequentia. Et propterea non omnium hæc munera, sed Judæorum solummodo esse possunt : illi enim etiamsi virtutis aliquid non operantur, sufficit eis minime inique operari. De quibus David dicebat : *Homines et jumenta salvos facies, Domine*¹⁷ ; primum ordinem hominibus custodiens, deinde concedens etiam reliquis salutem. Quod autem hominem istum, de quo nunc sermo est, legislator appellavit, ait enim : Homo ex vobis, non hoc admireris ; possibile est enim eundem et hominem appellari, et quæ jumentorum sunt agere. Demonstrat autem hoc idem David propheta dicens : *Et homo cum in honore esset, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*¹⁸. Verum quia intelligibilem quemdam Israel didicimus, eumque intelligibilem circumcisionem venerantem, quemadmodum Paulus ait : *Non enim qui in manifesto Judæus, nec ea quæ propalam in carne est circumcisio, sed quæ in occulto, et quæ circumcisio cordis in spiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est*¹⁹, ei spiritaliter prædictam legis sanctionem coaptemus.

VERS. 3. « Si ejus holocaustum fuerit oblatio ac de armento, masculum immaculatum, offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum. »

Quia sacrificia Deus a nobis pro nostra salute vult, non ipse eis opus habens, satis nos Paulus commonefacit ; ait enim : *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem ; rationabile obsequium vestrum*²⁰. Ergo placens sacrificium Deo, corporum nostrorum mortificatio est : simul enim in eo lucratur, et quod a peccato abstinemus, et quod virtutes acquirimus. Sed quia ipsa corpora quidam plenissime, aliqui autem ex parte mortificant, secundum conditionem conversationis et modum vitæ in qua degunt, cum hi quidem ut perfecti sapiunt, alii ut parvuli, ea quæ omnimoda est renuntiatio sæculi, et voluptatum plenissima abnegatio, holocaustum dicitur : totum se enim quis Deo per intelligibilem ignem spiritus offert, non jam terrenus, sed spiritalis, et quodammodo cœlestis effectus. Si ergo hic operator fuerit justitiæ legis, quæ secundum litteram est, bos vero similiter nominatur, quia ipsum animal jugum portat terrenorum operum, jugum autem est et lex. Sic enim Petrus, cum in Jerusalem concionaretur, appellavit, dicens : *Quid tentatis Dominum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod nec nos, nec patres*

¹⁵ Exod. i. 4. ¹⁶ Exod. xxxi. 1. ¹⁷ Psal. xxxv. 7.

¹⁸ Psal. xlviii. 15. ¹⁹ Rom. ii. 28, 29. ²⁰ Rom.

iii. 1.

nostri portare potui nus ²¹? Tes'is est autem et Paulus de hoc animali loquens; commemorans namque mandatum legis, ait: *Non alligabis os bovi trituranti* ²². Quod vide quemadmodum interpretetur: *Nunquid de bobus cura est Deo* ²³? an propter nos hæc dicit, quia debet in spe qui arat arare, et qui seminat in spe fructus colligendi. Masculum vero esse munus, sive oblationem, et immaculatam vult: masculum quidem, ut nullatenus mandatorum effeminetur, sive emollescat operator; immaculatam vero, sive puram, ut nequaquam iustitia iniquitatem permisceat, nec simulatione virtutem commaculet. Sed ad ostium tabernaculi testimonii, sive, secundum LXX, ad tabernaculum testimonii jussit munus offerri. Tabernaculum autem testimonii hoc loco, non solum cæli, illic quippe nostram oportet esse conversationem, sed et conscientia nostra intelligitur; in ea enim cogitationes habitant, quæ testimonium pro nobis aut contra nos reddituræ sunt. *Ad placandum sibi Dominum*. Secundum Septuaginta autem, esse hoc et acceptum dicit. Cur autem? Offerenti videlicet, et oranti in conspectu Domini. Si enim acceptum nobis vere sit, et cor nostrum recte iudicans, nullique adhærens passioni, probaverit munus esse ad suscipiendum dignum, tunc orare in conspectu Domini, id est, remissionem nobis in conspectu Domini possumus obtinere, ad cor enim inclinatur Deus, secundum quod scribens Joannes Theologus nos docuit. Et coram ipso suadebimus corda nostra: *Quia si reprehendit nos cor nostrum, et scimus quia major est Deus corde nostro, et cognoscit omnia. Dilectissimi, si cor nostrum non reprehendit nos, confidentiam habemus ad Deum* ²⁴.

VERS. 4. « Poneque manus super caput hostiæ, et acceptabilis erit, atque in expiatione ejus proficiens. »

Quod nos hostiam dicimus, Græce dicitur *χάρωμυζ*, quod specialiter intelligibile holocaustum significatur, quia omne mandatum fructificat, quod per spiritalem conversationem efficitur holocaustum. Propterea et manum in caput hostiæ ponere eum qui offeret, jubet, ut caput quidem hostiæ hoc loco initium præliæ conversationis intelligatur. Qui autem offeret eam, ipse sibi causa hujusmodi promissionis approbetur, utpote sponte ad hanc veniens: donum quippe offeret, omne autem donum voluntarium est. Ergo si promissionem suam transgressus fuerit, semetipsum, cum pœnas luit, accuset. Sicut autem ei acceptabilis erit, et ad expiationem proficiens, quando prædicaverit et constebitur, et positionem manus manifestaverit, quia spontaneo motu, et non necessitate compulsus, nec exactus hoc obtulit sacrificium.

VERS. 5-9. « Immolabitque vitulum coram Do-

mino, et offerent filii Aaron sacerdotis sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi. Detractaque pelle hostiæ artus in frusta concident, et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita, et membra quæ cæsa sunt desuper ordinantes, caput videlicet. et cuncta quæ adhærent jecori, intestinis et pedibus lotis aqua: atolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum, et suavem odorem Domino. »

Multum laboriosa est lex, et spiritalem considerationem propter hoc habens necessariam, ut non superflue legislator subtilitate hac rationalis hostiæ usus esse videatur. Illud ergo in primis intende, quia vitulum coram Domino præcepit occidi; ut non solum propriam conscientiam, conversationemque nostram offeramus Deo, sed quemadmodum placet ei, etiam corpus mortificemus, non ad inferiorem gloriam, sed ad superna intendentes, hoc est enim coram Domino. Sed qui sunt, qui hunc sanguinem offerunt? Filii videlicet Aaron sacerdotis, ipsi enim et occidunt. Equidem is qui oblationem offeret, sine nomine et non designate expressus est. Filii autem dicuntur Aaron immolantes quod oblatum est, et sanguinem offerentes: quia oblationem quidem adducere, id est promittere, quorumlibet est: implere autem promissa, quod occisio bovis ipsius docet et sanguinis effusio, non quorumlibet, sed illorum qui filii Aaron revera sunt, utpote habentes in semetipsis sacerdotii dignitatem. Aaron enim *arca* vel *montanus* interpretatur. Ergo quisquis semetipsum templum Dei, et templum excelsum ædificavit virtutibus, hic filius Aaron vere dicitur, sed et sacerdos. Si enim ab unctione sacerdos agnoscitur, utique uncti et nos propter mysticum chrismæ, quod in nobis est, dicimur. Ergo et nos sacerdotes sumus si custodierimus dignitatem unctionis, de qua et Joannes dicebat: *Et vos unctionem habetis a sancto, et scitis omnes* ²⁵. Sed et Petrus nos sacerdotes appellavit, ait enim: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* ²⁶. Hi sanguinem fundunt per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi. Per sanguinem animam hic intelligi dubitandum non est: cum ipse legislator paulo post dicat: Sanguinem non comeditis in habitationibus vestris, quia anima carnis in sanguine est. Oportet ergo nos non parere animæ, unde Dominus ait: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam* ²⁷. Hoc est sanguinem fundere. Fundit autem in altaris circuitu, videlicet in unigeniti corpus: hoc enim revera altare dicitur; quo modo sicut omne sacrificium super altare a sacerdotibus ministrantibus ponitur, sic omnem animæ virtutem in corpore Domini, id est, ad ejus imitationem sacerdotes operantur. Hoc altare Moyses significans, dicebat: *Altare de terra facietis mihi* ²⁸. De nostra enim terra, id est, conspersione sive massa, corpus Dominicum factum est.

²¹ Act. xv, 10. ²² Deut. xv, 4; I Cor. ix, 9. ²³ Ibid. ²⁴ Joan. iii, 20, 21. ²⁵ I Joan. ii, 20. ²⁶ I Petr. ii, 9. ²⁷ Matth. x, 39. ²⁸ Exod. xx, 24.

Et rursus ipse: *Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim levaveris cultrum tuum super eo, polluetur*²⁹. Neque enim secta, neque dolata ab hominibus manu est Christi caro, de qua Daniel dicebat: *Abscissus est lapis de monte sine manibus*³⁰, quia sine complexu viri et mulieris conceptus ejus processit et partus. Bene autem addidit: *Et quod est ante ostium tabernaculi testimonii in circuitu, ut in omnibus quidem cum imitemur. Ante ostium autem tabernaculi, ut ostium, doctrinam apostolorum intelligamus. Per ipsam enim nobis fit introitus in cœleste tabernaculum, in quo habitare Deum Scriptura testatur: quod manifestat Isaias, dicens: Respice de cælo, et vide de domo sancta gloriæ tuæ*³¹. Quod autem ostium apostolorum doctrina est, apertissime Paulus ostendit, dicens: *Ostium enim apertum est magnum et evidens, et adversarii multi*³², ostium doctrinam quæ ducit ad scientiam Dei, dicens, cui omnimodo qui diversa docent obviant. Nihil autem mirum est si, cum Dominus ostium sit appellatus, similiter appelletur, quam ipse imperitur, apostolorum doctrina. Sic sacerdotes ministrare oportet. *Detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concidere, et pellem quidem detrachere, ut divitiis, aliisque omnibus secularibus quibus circumtegimur, exspoliamur. Propter quod de Job diabolus dicebat: Pellem pro pelle, et omnia quæcunque habet homo, dubit pro anima sua*³³. Concidere autem, ut per partes partesque nostra conversatio approbetur, quia et Christus, sicut ait Paulus, *secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate*³⁴. Tunc ergo filii Aaron sacerdotis (qui autem hi sint supra diximus) *subiiciunt altari ignem. Utpote ministrationem spiritus plenissime valentes accendere. Et quomodo habemus ignem qui minime extinguatur? Struem lignorum componentes, scilicet sanctarum Scripturarum meditationes atque doctrinas: per has enim nutritur spiritus Dei, et continue accenditur, ut turbinibus adversarum potestatum extinguere non possit; propter quod et Paulus dicebat: Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere*³⁵. Nec mirandum est, si ligna sanctarum Scripturarum doctrinas docuimus, cum legerimus in Epistola ad Corinthios: *Ligna, fenem, stipulus*³⁶, malas actiones vel doctrinas significatas. Sed lignorum alia quidem sunt fructuosa, nam Jeremias de eo qui confidit in Deo dixit: *Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas*³⁷. Quod autem per ligna fructifera, recte meditatio sacrarum Scripturarum intelligatur, aperte nobis David demonstrat: de eo enim, *qui in lege Domini meditatur die ac nocte*³⁸, *Erit, ait, sicut lignum quod plantatum est secus decursus aqua-*

*rum, quod fructum suum dabit in tempore suo*³⁹. *Sed et exsultabunt, inquit, omnia ligna silvarum a facie Domini, quoniam venit*⁴⁰. Gaudent enim hi qui divinas Scripturas meditantur, quando eum venisse, qui in eis et per eos prophetatus est, cognoverunt. His jussit imponi concisiones membrorum, caput et cuncta quæ adhærent jecori. Vel, sicut LXX, caput et adipem. Nos vero per concisiones animam et corpus intelligimus; cum enim unius sicut animalis, secundum operationes passionum invicem sibi adversantur; dicit enim Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem. Hæc enim invicem sibi adversantur*⁴¹. Propterea Abraham cum offerret sacrificium Deo, dividens vaccam, et capram, et arietem, divisiones contra se alitrinsecus posuit. Caput autem omnis rationalis animalis mens dicitur, propter quod Isaias dixit: *Omne caput languidum, et omne cor mærens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*⁴². Compati enim sibi nimis hæc invicem dicuntur, et rationale nostrum, utpote in utroque habitans, utriusque fovetur salute. In utroque autem habitat, in corde scilicet et in cerebro, quia non oportet mentem sobriam dividi, sed ipsam a pace Dei custoditam, sicut ait Apostolus: *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras*⁴³, colligere oportet in unum corporis et animæ motum. Adeps autem a divisionibus non sine causa separatur, cum æstimari oportet, quia, utpote qui in ipsis est, cum ipsis deberet offerri; sed quia pinguis pars et nimis crassior omnis animalis adeps esse dicitur, ex ipso autem nobis desideriorum exsurgunt atque commoventur appetitus, quod manifestum est ex eo quod superjacet renibus et inguinibus, quæ organa seu instrumenta esse seminum commistionumque putantur, auferri hunc a divisionibus jussit, nec enim aliter poterat solum offerri. Auferri autem, ut discamus desideria non corporaliter neque animaliter uti, sed spiritaliter, ut sola spiritalia desideremus, et omnem appetitum in eis et usque ad ea extendamus, quia et *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus, stultitia est enim illi*⁴⁴. Ergo animale dicere Paulus videtur eum qui non multum de carnalibus cogitat (et ideo carnalis non est appellatus), sed animum erga vana desideria et quæstiones occupat, verbi gratia, in mensuris cœli, et astrorum numeris, et similia philosophantes, qui forinsecus magnum videntur erga animam studium impendere. Propter quod et eorum sapientiam animale, diabolicam, terrenam, non autem de superioribus descendentem, ex quibus descendit spiritus, Jacobus appellavit, quibus stultitia est ea quæ sunt spiritus; non enim ea possunt intelligere, quia spiritaliter non examinant. Ergo intelligibilem adipem, id est, omne nostrum desiderium, seu ap-

²⁹ Ibid., 25. ³⁰ Dan. 11, 54. ³¹ Isa. LXIII, 15. ³² I Cor. xvi, 9. ³³ Job 11, 4. ³⁴ Ephes. iv, 7. ³⁵ I Thess. v, 19. ³⁶ I Cor. iii, 12. ³⁷ Jerem. xvii, 8. ³⁸ Psal. 1, 2, 5. ³⁹ Psal. xcvi, 12. ⁴⁰ Galat. v, 17. ⁴¹ Isa. 1, 6. ⁴² Phil. pp. iv, 7. ⁴³ I Cor. ii, 14.

petitum vacare circa spiritum jubet, et propterea non cum divisionibus, sed per se offerri. Verumtamen et divisiones, et caput, et adipem, super ligna quibus ignis subjectus est, quæque sunt super altare, imponere jubet, ut omnem nostrum hominem scripturis spiritalibus, quæ de intelligibili altari corporis Domini dictæ sunt, coaptemus, secundum ejus viventes seu conversantes imitationem.

Intestinis autem et pedibus lotis aqua, quod LXX edunt: Ea quæ sunt in ventre, et pedes aqua lavent, per ea quæ in ventre sunt, abditas et latentes cogitationes significantes in ventre animæ, quia venter animæ cor est. Unde et Jeremias dicebat: *Ventrem meum, ventrem meum doleo*⁴⁵, quem ventrem ipse subinfert: *Et sensus cordis mei conturbati sunt*. Pedes autem actiones, quia prophetæ præsens sæculum vitam appellare consueverunt, ita ut David diceret: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*⁴⁶, id est, qui in lege Domini operantur. Vult ergo nos simul cum actionibus et cogitationes diluere aqua, sive baptismi, sive fletus, quia et de cogitationibus rei in judicio tenemur. Si enim qui irascitur fratri suo sine causa reus est gehennæ⁴⁷, ira autem animæ est motus, non debet hic ex actione judicium? Sed cum tanta dixisset, legislationem suam ad unum brevèque conclusit; ait enim:

Adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum, et suavem odorem Domino. Ergo quando sacrificium nostrum holocaustum fit, tunc Domino odor suavitatis incenditur: et quando omnia super intelligibile altare obtulerimus, imitatores Christi secundum possibilitatem effecti, et ad ipsius imitationem nostram vitam, seu conversationem coaptantes. Hoc enim esse altare superius ostendimus.

Vers. 10-13. « Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus sive de capris holocaustum agnum anniculum et absque macula offeret, immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem coram Domino. Sanguinem vero illius fundent super altare filii Aaron per circuitum, dividuntque membra, caput, et omnia quæ adhærent jecori, et imponent super lignis quibus subjiciendus est ignis; intestina vero et pedes lavabuntur aqua, et oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum et odorem suavissimum Domino. »

Eadem etiam nunc paucis immutatis dicit. Illud autem intelligere oportet eum qui subtiliter verba legis investigat, quia non solum de bobus, sed et de ovibus præcepit Israelitam offerre holocausta. Ergo non solum qui legis mandata operatur, hunc enim esse bovem, ut pote operatorem diximus, sed et quilibet simplex et sine malitia, cui comparatur ovis, dicente Jeremia: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, et non cognovi*⁴⁷. Ergo et ipse semetipsum holocaustum Deo offerre poterit.

Verumtamen, cum ovium memoriam fecisset, ait enim: *Si autem de ovibus est oblatio*, subintulit aliud animal, id est caprarum; dicit enim sic: *De ovibus et de capris*. Quanta autem inter capras et oves differentia sit, apertissime nos Dominus Jesus docuit, dum de consummatione sæculi narraret: qui dum oves a dextris statuisset, benedictionem eis justorum subdidit, hædos autem a sinistris, contra quos sententiam illam terribilem peccatorum protulit⁴⁸. Sicut ergo licet non solum de ovibus, sed et de capris offerri, et oblatio de pecoribus dicitur, sic et eum qui ex peccatoribus est, possibile est simplicitati operam dare, et quasi ovem factum, conversationem suam in holocaustum offerre Deo: quia enim nihil impedit ad adipiscendam justificationem peccatorem quempiam fuisse, quamvis hoc Judæi non putarent, audi qualia per Ezechielis prophetiam dixit. Cum enim in multis inventus fuisset contra injustum, et dixisset, *Morte moriatur, sanguis ejus super ipsum erit*, hæc etiam subdidit: *Quod si genuerit filium qui, videns omnia peccata patris sui quæ fecit, non fecerit simile eis, super montes non comedcrit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, et uzorem proximi sui non violaverit, et alia his similia, in quibus finem hunc addidit, hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet. Et dicitis: Quare non portabit filius iniquitatem patris*⁴⁹? Sic Judæi necesse esse filium, quasi hæreditario jure, in patris succedere peccato arbitrabantur. Sed quam ob rem oves et capras ad latus altaris quod respicit ad aquilonem, coram Domino præcepit occidi, cum non ita de bobus præcepisset, sed coram Domino sanxisset immolari? Videntur enim verba ipsa contrarictatem quamdam habere atque differentiam: quia cum sit sacrificium holocaustum utrunque, differentia his distribuit loca. Non est ergo ignorandum quia, quantum ad superficiem litteræ, eundem in utrisque locum legislator significavit. Holocaustum enim altare, ante tabernaculum constitutum ex latere erat januæ, ut non sanctorum ministrantibus obstrueretur introitus, sicut in Exodo de eodem dicitur: *Et imposuit velum januæ tabernaculi testimonii, et aram holocaustum posuit circa ostium tabernaculi testimonii*⁵⁰. Quæcunque ergo ad sacrificium offerebantur, ex latere altaris ab aquilone stabant, et sic coram Domino sacrificium celebrabatur, id est in conspectu sanctorum: faciem enim Domini appellat Sancta sanctorum, quia in ipsis Dei habitabat gloria. Unde nec frequenter in ipsa intrare sacerdotem, nisi semel in anno jubebat. Illis ergo ita se habentibus, differentiam dici verborum, sicut necessaria contemplationi erat, oportuit. Quia enim altare diximus esse Christum, ovium autem sacrificium simplicitatem studentium, non absolute autem etiam justitiam operantium, non in directum intelligibilis altaris, sed ex latere offertur. In directum est enim, quia

⁴⁵ Jerem. iv. 19. ⁴⁶ Psal. cxviii, 1. ⁴⁷ Matth. v, 22. ⁴⁸ Jerem. xi, 19. ⁴⁹ Matth. xxv, 35 seqq.

⁵⁰ Ezech. xii, 13-19. ⁵¹ Exod. xxxviii, 26.

mandata perficit. Ex latere autem, quia a malis abstinet. Quare? quia sicut in aula, verbi gratia, regiam melius est quidem per ostium rectum ingredi, cum autem hoc non est facile, bonum sit etiam per illud quod ex latere est introire: sic melius est Deo quidem per mandatorum offerri perfectionem, bonum est tamen et si per malorum se quis offerat abstinentiam, Deo quippe modo quolibet offerri bonum est. Ad latus autem altaris ad aquilonem necessario addidit; nebula enim pene semper hæc pars est: obtinentur siquidem nebula, id est ignorantia, hi qui ex toto se innocentiae tradunt, propterea et holocaustum dicitur, etiam sine operatione justitiæ.

VERS. 14-17. « Si autem de avibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus et pullis columbæ, offeret eam sacerdos ad altare, et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris. Vesiculam vero gutturis et plumas projiciet propter altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent, confringetque ascellas ejus, et non secabit, nec ferro dividet eam: et adolebit super altare lignis igne suppositis: holocaustum est et oblatio suavissimi odoris Domino. »

Admirabilis est legalium verborum subtilitas, non solum quia differentias conversationum describit, sed etiam quemadmodum quasdam conversationes secundum legem, quasdam vero super legem, significet. Secundum legem enim sunt boum et ovium, licet spontaneæ dicuntur. Secundum legem quare? Quia etsi offerre munus in potestatem offerentis dedit, nimis recte, liberi quippe arbitrii Deus hominem constituit, tamen quale offeratur, non jam voluntatis est, ne forte mala offerantur: necesse est ergo aut bovem offerri aut ovem, id est, aut operari justitiam, aut a malis abstinere. Dixit enim in initio libri: *Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino, de pecoribus, id est de bobus et ovibus offeret victimas.* In hac autem oblatione non ita, prædictæ siquidem oblationi differentia volatilium non est connumerata, ut videlicet perfectior et major, multorumque transgrediens possibilitatem. Volatilia enim, homines sunt contemplationi vacantes, terrenis omnino se non miscentes negotiis: quod et si forte necessitas exegerit, mox revolant ad sublimia, et illo evangelico juvantur testimonio, quod Dominus ait: *Considerate volatilia cæli, quia non seminant neque metunt, et Pater vester cælestis pascet illa* ^{51.52}. De eisdem Dominus dicebat: *Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod cum seminatur, minus est omnibus oleribus; cum autem creverit, fiet arbor major, ita ut volucres cæli venientes habitent in ramis ejus* ⁵³. Contemplationi ergo vacans, et in superiorum considerationem perfectus homo: hoc enim quæ prædicta sunt docuerunt, si conversationem, sive vitam suam oblationem offeret, de turturibus,

A aut de columbis offerat munus suum, id est, in scientia et mansuetudine spiritali, hac enim opus habet, ut non excedat legis consideratio in vanis occupata. Non frustra autem turturem et columbam, sed ad significationem prædictorum legislator assumpsit; turtur siquidem, quia cognitionem habet, ita ut ejus exemplo, Judæorum exprobraretur populus, Jeremias probat; ait enim: *Turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit iudicium Domini* ⁵⁴. Columba autem munda et simplex, annuntiatrice præsentis sancti Spiritus est, quales oportet esse eos qui circa contemplandas Scripturas habent studium. Propter quod et apostolos simplices vultesse Dominus, ut columbam; ait enim: *Beati mundo corde, quia ipsi Dominum videbunt* ⁵⁵. Sed et ad meditandum vacare debent, unde Ezechias ait: *Meditabor ut columba* ⁵⁷. Hanc oblationem unus sacerdos offeret, non multi; non est quippe contemplativa vita plurimorum, id est, ut ex tota se mente offerant Deo, nihilque humanum ulterius cogitent, sed continue contemplantur cælestia, et ea quæ sursum sunt, sapiant, *ubi Christus est*, sicut ait Apostolus, *in dextera Dei sedens* ⁵⁸, videlicet Patris; quia autem hoc nimis rarum est, ipse Dominus de talibus prophetæ Ezechieli loquens edocuit: *Scrutare Jerusalem, et vide: si inveneris virum in ea omnino stantem ante faciem meam, propitiatus propitiabor ei* ⁵⁹. Atqui erant filii Jonadab nec vinum bibentes, nec domus habentes, nec agros plantantes. Sed absolute aliquid sublimius quærit, unde alii ad tabernaculum testimonii oblationem offerunt; hæc autem ad altare offertur, cujus vim in præcedentibus didicisti, id est quia Dominicum significet corpus. Sed videamus quæ his subjiciantur.

Et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco. Abrumpens videlicet a pelle quæ superjacet collo, non valde illam separans a corpore, ut nec dissiparet illud, nec eo rursus astringatur, quod significatur abrupto vulneris loco, vel, sicut LXX edunt, refractione capitis. Eodem quippe sermone et Samuel ad Saulem usus est, quando ei armum dans, idem secundum LXX dixit: *Comede, quia in testimonium a populo positum est tibi* ⁶⁰. *Refringe*, id est per partes comminue et consume. Et ideo etiam nunc non ut occidatur avis, sed ut abrumpatur vel refringatur legislator jussit, ostendens quomodo per partes et leniter verum caput, id est mentem dividat a pelle, id est, a carne; unde nec effundit sanguinem, sed decurrere faciet, vel secundum LXX, esculat, ut per partes et perfecte despiciat præsentium meditationem vel vitam, utpote qui totam suam animam obtulit Deo. Hoc enim significat: *Et sanguis esculatus circa basim altaris*, quod est Christus: Christi autem basis est Evangelium, in quo maxime oportere nos præsentem vitam despiciere, utpote totam animam nostram Deo offerentes, didicimus. Vesi-

^{51.52} Matth. vi, 26. ⁵³ Matth. xiii, 31, 32. ⁵⁴ Jerem. viii, 7. ⁵⁵ Matth. v, 8. ⁵⁷ Isa. xxxviii, 14. ⁵⁸ Coloss. iii, 1. ⁵⁹ Imo, Jerem. v, 1. ⁶⁰ I Reg. ix, 24.

ulam autem gutturis et plumas projici jussit, id est, utroque, et inflatione, atque superfluum inquisitione eum carere, mundarieque volens: maxime enim his passionibus, hi qui uberiori pollent scientia, succumbunt, attestante Paulo: *Scientia inflat* ⁶¹. Et rursus: *Si quis videtur scire aliquid, necdum cognovit quemadmodum oporteat eum scire* ⁶². Rursus ipse ait: *Corpus autem Christi: nemo vos decipiat, volens in humilitate et religione angelorum quæ non vidit, ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ* ⁶³. Nam Theodotion similiter vesicam edidit: Aquila *οὐτόν*, id est cibarium, quia in avibus inflationi aptum vas suscipiensque superflua, vesica est. Non ergo permittit inflari, et ideo auferri præcepit vesicam. Sed nec majora nobis quærere vel altiora. *Altiora enim te, ait, ne quæsieris, et sublimiora te* ⁶⁴. Unde et plumas ab hostia separavit, et projecit propter altare ad plagam orientalem, in loco in quo cineres effundi solent. Ad orientem quidem, quia inquisitio sublimium rerum videtur esse. Extra altare autem, quia non necessariam, sed superfluum atque noxiam scrutationem possidet. In locum autem jubet cinerum, propter naturam, de qua Abraham dicit: *Ego sum pulvis et cinis* ⁶⁵. Ergo per locum cinerum prædictam inflationem redarguit legislator, utpote quæ digna sit cinere; quod autem cinere dignum est, deorsum in terra manet, et in cælum ascendere non potest. Deinde ait:

Confringetque ascellas ejus, et non scabit, nec ferro dividet. ⁶⁶ *Necessarie præcipiens utrumque: confringens siquidem, quia oportet membra conterere atque affligere eum qui Deo sacrificium fieri cupit. Non secabit autem, nec ferro dividet, nec faciet avem sicut bovem aut ovem per divisiones. Hoc quippe et Abraham in suo sacrificio custodivit, quando Deo jubente vaccam trimam, similiter et capram, et arietem triennem, et turturem et columbam obtulit; ait enim: *Acceptit sibi hæc omnia, et divisit ea per medium alitrinsecus, et contra se exposuit, aves autem non divisit* ⁶⁷. Prudenter autem hoc custodivit, atque secundum intellectum præcepti nunc in legem dat. Contemplationi enim inhærens homo, nihilque habens terrenum, sed qui totus jam dudum cælestis est, adversans animæ non habet corpus: integrum quippe ejus corpus et anima est, sed et spiritus, secundum quod; dixit Paulus: *Sine querela in adventum Domini custoditur* ⁶⁸. Et propterea superflua in eis membrorum divisio est, integrum enim super intelligibile altare, et super ligna quibus subjicitur ignis, offertur: neque enim aliter sacrificium acceptabile efficitur, nisi meditatione spiritualis legis, et tunc holocaustum et oblatio suavissimi odoris Domino reperitur qui semper odoratur sacrificium nostrum, et uniuscujusque nostrum vitam sive conversationem, an secundum legem quæ ab eo data est, offeratur.*

CAPUT II.

VERS. 1-3. « Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, similia erit ejus oblatio, fundeturque super eam oleum, et ponet thus, ac deferet ad filios Aaron sacerdotis. Quorum unus tollet pugillum plenum similia et olei ac totum thus, et ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino. Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron et filiorum ejus Sanctum sanctorum de oblationibus Domini. »

Quia animam totum hominem appellat, man festum est ex hoc quod ait: *Similia erit ejus oblatio*: in totum animam iterare volens hoc quod flendum erat, deinde et similia offerri præcipit. Anima autem ipsa per se quomodo deferret oblationem, quam necesse habebat deprecans, et ad hoc utique necessarium haberet ministerium corporis? Sed auribus quæ divinis sunt assuefactæ Scripturis, nihil novitatis hic asserit sermo. Nam et alibi, animam per se, mores vero totum hominem appellavit; veluti cum eorum qui in Ægypto descenderunt numerum digerens, ait: *Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, et egressi de femoribus ejus, absque uxoribus filiorum, septuaginta* ⁶⁹. Sed et Lucas, cum Pauli navigium Romam euntis describeret, ait: *Eramus autem omnes animæ in navi ducenti septuaginta et sex* ⁷⁰. Intuendum est autem ne forsitan animam in hoc loco gentilem dixisset hominem: quia enim superius filiis Israel ea quæ sunt in sanguine sacrificia dixit: *Loquere, ait, filiis Israel: Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino, de pecoribus, id est de bobus et ovibus offerret victimas*; hic illud quod extra sanguinem est, sacrificium similia præcipiens necessarie, non dixit, Homo ex vobis, sed, *Anima cum obtulerit oblationem, animam gentilem nominans, quia animales erant prius, et qui non potuissent intelligere ea quæ sunt spiritus; verum tamen vocantur ad oblationem, miserante eos justo Deo, atque per condescensionem salvante. De quo et Salomon dicit in Proverbiis: *Justus miseretur animas jumentorum suorum* ⁷¹. Hujus ergo qui eget divitiis quæ sunt virtutum, erit oblatio similia. Paulo post enim, cum pro peccatis sacrificia disponit, eum qui nec ovem habet nec capram, turtures et ptillos columbarum offerre præcepit; qui autem nec hoc habet, similia eum sancti offerre. Non enim jam ex operibus, utpote pauper virtutibus; sed sola Dei cognitione salvatur: quæ in lege similia, in Evangelio autem farina nominatur; ait enim Dominus: *Simile est regnum cælorum fermento, quod accipit mulier, et abscondit in farinæ sata tria, usque dum fermentaretur totum* ⁷², Ecclesiam significans, quæ in Trinitatis verbo fermenta theologiæ mysterium. Hæc similia secundum legem dicitur, unde et tres decimas similia offerre*

⁶¹ I Cor. viii, 1. ⁶² ibid. 2. ⁶³ Coloss. ii, 4. ⁶⁴ I Thess. v, 25. ⁶⁵ Exod. i, 5. ⁶⁶ Act. xxvii, 37.

⁶⁷ Eccli. iii, 22. ⁶⁸ Gen. xlviii, 27. ⁶⁹ Gen. xv, 10. ⁷⁰ Prov. xii, 10. ⁷¹ Matth. xiii, 33.

ad expiationem lepræ, id est ad remissionem peccati, Deus Moysi præcepit. Ut ergo adhuc crassior, et quæ necdum plena in lege divina cognitio necessarie similia appellatur, in Evangeliiis autem farina, ut subtiliores videlicet et sublimiores a lege intellectus habens, hoc Moyses inuens (quia tam farina quam similia, propter prædictas causas divina scientia poterat dici,) cum apparente Deo Abraham ad illicem Mambrae, Trinitatis mysterium significaret, describit eum Saræ dicentem: *Festina et commisce tria sata similia* ⁷⁸. Licet autem Dei cognitio salutis gentium principium sit, superfundere tamen similia oleum, et thus superponere opus habemus, ut gratiam Dei eleemosynis orationique commisceamus: hæc enim nobis possunt de cælo Dei scientiam profligare. His autem testis est Cornelius, ad quem descendens de cælo angelus dixit: *Corneli, orationes tuæ et eleemosynæ ascenderunt ad Dominum, et nunc mitte viros in Joppe, accersi ad te Simonem, qui cognominatur Petrus* ⁷⁹. Ipse enim veram scientiam Cornelio traditurus erat. Quomodo autem in thure accipiatur oratio, quærens ejus vim perscrutansque, cognoscis. Uti quippe eo contra interiores passiones medici solent, oculorumque ægritudinis curare vulnera, et si quis incendens fumum ejus suscipiat, restringit accedentes ex infirmitate lacrymas: hoc eodem modo oratio quoque plurima operatur: hæc quippe maxime animæ passiones sanat, hæc etiam intelligibilium oculorum curat vulnera, absolvens ab ignorantia atque ex ea quæ vere est ægritudo, id est ex peccato lacrymas accedentes salvat. *Infirmatur enim quis in vobis, ait Jacobus, convocet presbyteros, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei* ⁸⁰. Post hæc, pugillo tollere jubet similia, id est fide scientiam Dei comprehendere; per pugillum enim hic fidem significat, aperteque ostendit illam scientiam, sive cognitionem Dei Domino acceptam, quam fides comprehendere potest; et quemadmodum qui pugillo plus vult comprehendere, nihil proficit, totum quippe decurrit et cadit, atque inutiliter laborat, sic mensura Dei scientiæ fides est. *Credere enim oportet, sicut Paulus ait, qui accedit ad Deum, qui est* ⁸¹. Et rursus: *Sine fide impossibile est placere Deo* ⁸². Et ut dicamus breviter, *omne quod non est ex fide peccatum est, sicut idem ad Romanos scripsit* ⁸³. Ergo non potest esse glorificatio in infidelitate. Intende autem quia cum oleo jubet similia accipi, apertissime eleemosynam nos facere volens. *Date enim eleemosynam, inquit Dominus, et ecce omnia munda erunt vobis* ⁸⁴. Jubet autem omne thus in pugillo sumi: omne, quare? quia semper oportet orare, et sine intermissione gratias agere, sicut Paulus ait ⁸⁵. Sed quis est qui in pugillo tollit? secundum

A LXX, non dicitur ut absolute offerentem significaret. Si enim de sacerdote dixisset, plane hoc utique sicut in sacrificio, de peccato sancitum esset, quod et ipsum de similia fiebat, adderet. Ibi enim memoriale esse vult hoc quod in pugillo sacerdotis offerretur Deo: aliud quiddam sanciens extra hoc quod nunc dicitur, sicut paulo posterior ostendemus. Ille vero non ita, sed sumpto, secundum quod dictum est, eo quod offeret sacerdos (esse autem hunc Jesum didicisti), sacrificii memoriale in cælesti offerret altari. Memoriale autem cognitionis Dei perfecta scientia est, cujus semper memores erimus, quando ejus capaces fuerimus, quæ nunquam destruitur, quæ eam quæ nunc est, non ut contrariam destruit, sed partem eam minimam esse per suam plenitudinem monstrat, secundum quod dictum est: *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* ⁸⁶. Et quomodo evacuabitur, clare manifestat subilens: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunccogno- sco ex parte, tunc cognoscam sicut et cognitus sum* ⁸⁷. Hoc sacrificium odorem suavissimum necessarie Domino legislator appellavit. Odorem in Domino est cognitio, sive scientia ejus; et ne hoc dubites, habes ad hoc quoque Paulum veracissimum testem: *Deo enim gratias, inquit, qui semper triumphat per nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco* ⁸⁸. Ecce interim cognovisti odorem notitiæ. Sed et bonum odorem in subsequentibus audi: *Quia Christi bonus odor sumus, in his qui salvati sunt, et in his qui pereunt* ⁸⁹. Deinde dicit legislator:

Quod autem reliquum fuerit de sacrificio erit Aaron et filiorum ejus, sanctum sanctorum de oblationibus Domini. Reliquum aut de illa perfecta, et in cælis abscondita atque reposita in Christo scientia sive notitia. In ipso enim sunt thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi ⁹⁰. Sanctum sanctorum est de oblationibus Domini, partilis enim est scientia quæ reliqua est, omnes tamen alias superans, et perducens ad perfectionem. Aaron ergo et filiorum ejus erit. Aaron autem *arca* vel *mantanus* interpretatur, id est, alta de Deo intelligens, quia et arca, utpote habens in se legem Dei et eloquia, offerre prædictum sacrificium potest.

Vers. 4. « Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano de similia, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, et lagana azyma oleo lita. »

Admirabilis est legislatoris intentio, per omnia subtiliter incedens: quia enim scientiæ Dei, sive notitiæ superius mentionem fecit, ne forte putaris extra eam esse dispensationis Dominicæ mysterium, vide quomodo per ænigmata exponit, nativitate ejus, crucis et resurrectionis volens introducere

⁷⁸ Gen. xviii, 6. ⁷⁹ Act. x, 4, 5. ⁸⁰ Jac. v, 14, 15. ⁸¹ Hebr. xi, 6, ⁸² ibid. ⁸³ Rom. xiv, 23. ⁸⁴ Luc. xi, 41. ⁸⁵ I Thess. v, 17. ⁸⁶ I Cor. XIII, 9. ⁸⁷ ibid. 12. ⁸⁸ II Cor. ii, 14. ⁸⁹ ibid. 15. ⁹⁰ Coloss. ii, 3.

narrationem. Sacrificium coctum, Christi appellat incarnationem, ad hoc enim incarnatus est ut immolaretur. Propter quod eum, Agnum Dei qui tollit peccata mundi⁸⁵, Joannes Baptista appellavit. Recte ergo sacrificium in hoc loco, ut denuntiaret natiuitatem ejus, dicitur coctum in clibano, Dei Genitricis videlicet utero. Illa enim clibanus necessarie nominatur, quia et panes ignemque desuper clibanus suscipit, sicut et Dei Genitrix, desuper vitæ panem, Dei videlicet Verbum in suo utero, ignemque suscepti præsentia Spiritus. Spiritus enim, inquit, sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi⁸⁶. Hunc Moyses, quando Deus ad Abraham disposuit seminis testamentum, clibanum commendavit; ait enim, quia veniente sole ad occasum, (significat hic finem mundi) flamma facta est, et ecce apparuit clibanus ardens⁸⁷. Et quid est hoc? addidit et fumigans, et transiit per medium divisionum. In die illa pepigit Dominus sædus cum Abraham. Quando enim cœlestis ignis, Spiritus videlicet, in clibano uteri Genitricis Dei venit, ut totas accenderet mundi partes, tunc testamentum Deus Abraham, id est gentibus disposuit: Abraham enim pater gentium nominatur. Si ergo munus offeres incarnationis Unigeniti, quæ in ventre Virginis facta est, non aliter acceptum est Deo, nisi coctum de simila, id ex Dei scientia vel noticia fiat. Unde enim aliunde de hac re locutionem, nisi ab apostolis et prophetis sumpsimus? Verba ergo apostolorum panes accipe, prophetarum vero lagana: quantum enim panes a laganis ad nutriendum sunt aptiores, tantum verba apostolorum verbis prophetarum; utrique autem azymi, quia ex alia doctrina fermentum non habent, verbi gratia sapientia sæcularis, quod hæreticis convenit accedere. Hi quippe cum exteriora interioribus conjungere nituntur, et hæc magis illis subjicere et fermentare, quæ fermentari nullatenus possunt, ab azymis sermonibus exciderunt; sed ecce apostolorum panes in oleo, et prophetarum lagana in oleo fiunt: concorditer enim et ab illis, et ab istis scriptum est, quia nos miserans Christus advenit; sed apostoli planius; ait enim Paulus: *Quemadmodum enim vos prius non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis per istorum inobedientiam, sic et isti misericordiam consequantur. Concluserunt enim Deus omnia sub peccato, ut omnibus misereatur*⁸⁸. Misericordiam ubique appellat adventus Christi mysterium, propter quod panes quidem in oleo conspersi dicuntur. Prophetæ autem non sic, sed velut in ænigmatibus; dicit enim David: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi*⁸⁹. Et rursus: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam et salutare tuum da nobis*⁹⁰. Propterea non conspersa, sed lita oleo lagana appellantur. Sed et illam custodi verborum subtilitatem, quomodo, quando vult ut nos misereamur, dicit de eo qui

A offert: *Effundit super eam oleum*; hic autem, quia Incarnati pietatem significat, non ait, effundit oleum, sed, *Panes in oleo conspersos exponit*. His enim verbis significavit Domini natiuitatem. Subsequentibus autem et passionem significat.

Vers. 5, 6. « Si oblatio tua fuerit de sartagine similæ conspersæ oleo, et absque fermento, divides eam minutatim, effundesque supra oleum. »

Sacrificium de sartagine dispensationem passionis appellat Unigeniti: crucem assimilari sartagine propterea judicans, quia sartago in tantum est fortis, ut superposita igni, ipsa quidem non consumatur, nec aliquam corruptionem sustineat aut imminutionem, superpositos autem cibos mox ut ignem tetigerint, vel si duriores fuerint, non longo intervallo aptos esui reddit. Sic et Christi crux, fortis quidem tantum fuit, ut omnem creaturam subjeceret Crucifixo: carnem autem ejus, quæ ad comedendum inepta erat ante passionem, (quis enim comedere cupiebat carnem Dei?) aptam cibo post passionem fecit: si enim non fuisset crucifixus, sacrificium corporis ejus minime comederemus. Comedimus autem nunc cibum, sumentes ejus memoriam passionis. Hanc sartagine apud Ezechielem Dominus significans ait: *Et tu, sume tibi sartagine ferream, et pones eam murum ferreum inter te et civitatem*⁹¹. Ferream quidem eam propter prædictam appellavit fortitudinem. Inter te autem et civitatem, ait, id est Jerusalem: quia maxime ipsi in cruce Domini, offendentes et illatis passionibus ab ejus sunt scientia separati. Mysterium ergo passionum in oleo conspergitur, quia miserans nos, pro nobis sustinuit mortem. Quod et sine fermento esse, id est mundum ab exteriori vult esse doctrina. Ait autem:

Divides ea minutatim. Ut in passiones ejus, quæ per partes processerunt, sermonem dividamus, veluti alapis, colaphis, sputis, confixioneque lateris.

Effundes supra oleum. Sed quemadmodum ille misericordiam in nobis habens, pro nobis semetipsum tradidit passioni, sic oportet et nos proximis misereri, passionem Dominicam ad hujus accipientes pietatis exemplum, unde ait: *Effundes supra oleum, ut et nos viscera misericordia Domini æmulemur*; ait quippe: *Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est*⁹². Quia enim hoc de Dominica proposuerit passione capitulum, designatio demonstrat ipsa sermonum. Quod enim secundum LXX addidit, *Sacrificium est Domino*, hoc hic addens præcipuum, quod nusquam in holocaustatis inscripsit, aut in aliis quæ præcepit superius: hic autem addidit: quia Unigeniti passio sacrificium Deo Patri oblata est, semetipsum Christo, quemadmodum ait Paulus, offerente: ait enim: *Si enim sanguis taurorum et hircorum, et cinis vitulæ aspersus coinquinatos sanctificat ad emundatio-*

⁸⁵ Joan. 1, 29. ⁸⁶ Luc. 1, 35. ⁸⁷ Gen. xy, 17.

⁸⁸ Rom. xi, 30-32. ⁸⁹ Psal. lxxxiv, 8. ⁹⁰ ibid. 8.

⁹¹ Ezech. iv, 5. ⁹² Luc. vi, 36.

*nem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo*⁹²?

VERS. 7-10. « Sin autem de craticula fuerit sacrificium, aque similia oleo conspergetur, quam offerens Domino tradet manibus sacerdotis: qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, et adolebit super altare in odorem suavitatis Domino. Quidquid autem reliquum est, erit Aaron et filiorum ejus, sanctum sanctorum de oblationibus Domini. »

Similia disputare et de resurrectione disceptantem vult, cujus mysterium craticulam non frustra appellavit, sed per craticulam mortem significavit. Sicut autem in sartagine Dominicam erucem supra accepimus, ita in craticula mortem, sed et sepulturam accipiamus. Quæ enim inter craticulam et sartagine differentiā sit, nulli penitus est ignotum: quia sartago super ignem nunc exardescit et succensum, craticula autem in carbonibus ardentibus et olim accensis ponitur. Sicut et mors Domini non fuit initium aliquod passionis, sed passionum, quæ pridem in eo operatæ sunt, fuit subsistentia. Et hujus ergo munus ex similia, id est ex Dei cognitione, sive scientia, quæ de morte Dominica est, perficitur: oportet enim Christum et in morte Deum dici, nihilominus immortalem prædicare eum qui propter mortalem carnem mortuus est. In oleo tamen munus fiet. Oportet quippe de Dominica morte et resurrectione disputantem, misericordiam quoque Dei addere rationem, quæ est oleum. Miserans siquidem genus humanum, et mortem sustinuit, et resurrectionem a mortuis dispensavit. Si autem ignem qui super cibatum est, sanctum esse Spiritum, et ideo utrum Genitricis Dei cibatum significasse diximus, in sartagine autem, et craticula in igne rursus passionem et mortem interpretati sumus, nullatenus hæc discredas, ipsa enim tibi satisfacere, quæ de utrisque dicuntur, possunt. Quia in cibano quidem ignis desuper mittitur, de caelo namque ministratio spiritus est, de quo Dominus dicebat: *Ignem veni mittere in terram*⁹³. Et Joannes de Domino: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni*⁹⁴. In sartagine autem et craticula ignis ab inferioribus sumitur, quia ab hominibus qui mente in infimis jacent, provenit præparatio passionis. Quod autem ignis pro passione accipitur, audi Jeremiam dicentem: *Et factum est quasi ignis ardens, et æstuans in ossibus meis*⁹⁵. Et rursus David: *Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis*⁹⁶. Mortem dicens, quam peccatoribus illaturus erat. Non est autem admirabile, carbones quippe spiritali traditione eos panes qui causa sunt luminis et perditionis accipimus. Isaias etenim unum de Cherubim missum, accepisse carbonem de altari, et mundasse suum os dixit. Ezechiel etiam de eisdem carbonibus qui erant in medio Cherubim, tulisse dixit Cherub,

A et dedisse viro qui vestitus erat lineis, ipsum vero dispersisse incendium⁹⁷. Docere autem nos legislator volens in aliquo prædicta mysteria, eorundem rationem sacrificiorum his recapitulat verbis, *Quam offeres Domino*, quam utique de cibano, et de sartagine, et de craticula, id est nativitate Domini, et passionis, et mortis: in his enim totius dispensationis ejus sermo expletus est: in his resurrectionis quoque ejus ratio continetur, quia qui descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia⁹⁸.

Tradet in manibus sacerdotis. Ipsi videlicet Christo, qui postquam appropinquavit altari quod in caelis est, appropinquavit autem carne per ascensionem: nunquam enim separatur a divinitate.

B *Tollet memoriale de sacrificio*. Abundantiam scientiæ, sive cognitionis, sicut jam supra docuimus, quod super altare adolebit apud se, custodiens illud in sæculum futurum.

Quidquid autem reliquum est. Id est, quantum scire nos et perscrutari præcepit.

Hoc Aaron erit et filiorum ejus. Id est, et his qui sublimia de Deo cogitare et sentire possunt, tradidit, quos filios Aaron esse prædiximus.

Sanctum sanctorum de oblationibus Domini. Magis idipsum confirmans hoc legislator scripsit; sancta quippe est omnis bona scientia, sed Sancta sanctorum quæ de Dei scientia, sicut oportet, disputare potest.

VERS. 11, 12. « Omnis oblatio quæ offertur Domino absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificium Domino. Primitias tantum eorum offeretis ac munera, super altare vero non ponentur in odorem suavitatis. »

C Nihil communionis vult habere doctrinam Dei cum exteriori scientia. Quod enim fermentum alienam doctrinam appellat, aperte ipse Dominus docuit, dicens discipulis suis: *Attendite a fermento Phariseorum et Sadduceorum*⁹⁹. Ipsi autem ignorantibus quæ dicebantur, addidit: *Necdum intelligitis, neque cognoscitis quia non de panibus dixi vobis*¹⁰⁰. Et tunc cognoverunt quia de doctrina Scribarum et Phariseorum dixisset. Mel vero paganorum doctrinam intelligi, propter suavitatem verborum, et dulcedinem eloqui, Salomon in Proverbis docet, dicens: *Non respicies ad mulierem meretricem: fons enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus, novissima autem illius amara quasi absinthium*¹⁰¹. Novissima autem quæ? quando videlicet inter veram sapientiam et fictam, falsoque utentem nomine discernere cœperis. Nam licet Ecclesiæ in Canticis canticorum dicat: *Mel et lac sub lingua tua*¹⁰², non contradicit presentibus, sed et valde consentit. Neque enim dixit in lingua tua, sed *sub lingua*, et ostenderet quia paganorum sapientia, et Judæorum littera, linguæ Ecclesiæ, id est doctrinæ subjecta est. Ergo horum

⁹² Hebr. ix, 13, 14. ⁹³ Luc. xii, 49. ⁹⁴ Matth. iii, 11. ⁹⁵ Jerem. xx, 9. ⁹⁶ Psal. xx, 10. ⁹⁷ Ezech. x, 7. ⁹⁸ Ephes. iv, 9, 10. ⁹⁹ Matth. xvi, 6. ¹⁰⁰ ibid. 9. ¹⁰¹ Prov. v, 2-4. ¹⁰² Cant. iv, 11.

non vult integram Deo doctrinam offerri : inde dicit .

Non adolebitur in sacrificium quod est in holocaustum, primitias tantum eorum offeretis. Præcepit enim ex parte illius sapientiæ primitias offerri, non autem plene ea uti, sed quemadmodum cum Paulus apud Athenienses concionaretur, dicens : *Sicut quidam vester poeta dixit : Hujus et genus sumus, qui inveniens verbum exterius ad occasionem Dei scientiæ aptum, non quidem respuit, nec tamen addidit, neque enim inde ultra testimonia multiplicavit. Quare? quia Placuit Deo per stultitiam prædicationis, sicut ipse Paulus ait, salvos facere credentes, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei* ⁶. Propter quod ait legislator :

Super altare vero non imponentur in odorem suavitatis. Et cum liceret dici non ponuntur, non ponentur dixit, ostendens quia, etsi nos tentaverimus de exterioribus divinitatis adipisci notitiam, ad altare Dei tale hoc sacrificium non ascendit, nec odor sit suavitatis Domino, sed inferioribus deputatur tale sacrificium, et, utpote quod de terra habet subsistentiam, ad terram deprimitur.

Vers. 13. « Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal. »

Cernis quia de Deo loquentes non vult nimis exteriori uti sapientia, sed apostolica, de qua Paulus dicit : *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non mundi hujus, neque principum mundi hujus, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam, in mysterio absconditam, quam prædestinavit Deus ante sæcula ad gloriam nostram* ⁷. Et unde est certum, dicis, quia sal pro apostolica sapientia dixit? Plane hoc nobis Dominus ostendit, dicens apostolis : *Vos estis sal terræ; si autem sal evanuerit, ad nihilum valebit ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus* ⁸. Propterea autem sal apostolicam sapientiam appellavit, quia sicut omnis cibus ad nutriendum aptus omnimodo sale conditur, ita et omnis sermo utilis ad juvandum, apostolicæ omnimodo necessarium habet sapientiæ condimentum. Propterea non abesse sal a sacrificio, sed in omni munere præcepit sal offerri : ut quodcumque docueris, quodcumque correxeris, in quacumque virtute conversatus fueris, ad apostolicam æmulationem atque imitationem opereris, memorque sis Pauli dicentis : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* ⁹. Et rursus : *Ergo jam non estis advenæ et hospites, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu* ¹⁰. Quia autem non simpliciter sal dixit, sed illud intelligibile, legislator innuit :

Non auferes sal, inquit, fœderis Dei tui. Quod si fœdus sive testamentum rationale est, utique et sal

rationalis est. Ergo testamenti evangelici et salis apostolici præmonere nos legislator vult.

Vers. 16. « Sin autem obtuleris manus primitiarum frugum tuarum Domino, de speciebus adhuc virentibus torrebis eas igni : et confringes eas in morem farris, et sic offeres primitias tuas Domino, fundens super ea oleum, et thus imponens, quia oblatio Domini est, de qua adolebit sacerdos in memoriam muneris, partem farris fracti et olei, ac totum thus. »

Non solum præcipit Dei notitiam sive scientiam eos offerre qui in eadem scientia multum tempus permanserunt, sed et inchoantes illam qualis fuit Paulus : mox enim ut vocatus est, prædicavit. Propter quod sic, quæ nunc dicuntur, intelligamus.

B Primitivus Deo est is qui noviter cœpit credere, et qui ei nullum pridem divini scientiæ obtulit fructum. Si ergo ei sacrificium verbi Dei offerimus, scientiam ejus noviter inchoantes, et virentia quidem, ut noviter quid discentes et noviter percipientes obtulerimus : quoniam necdum subtiliter ejus proferre mysteria cœpimus, ut farinam offeramus, aut simillam, necessarium est ut virentia et torrida atque contracta, vel, sicut **LXX** dicunt, ut recentia frieta, matura fracta offeramus. Quemadmodum enim humectos fructus, et qui necdum possunt moli, ut fiant farina aut similia, quando voluerimus aptos cui reddere, igne eos confringentes, paleas eorum, in eo quod eos frangimus separamus : sic quicumque necdum scientiam solidam habemus, nec subtilem excelsamque theologiam, necdum enim illam discernere idonei sumus, spiritualium Scripturarum perfectam scientiam non habentes, opus habemus eam in igne spiritus fringere, id est illius operationem et subministrationem nobis commodare, ut ab ea litteræ paleas separemus. Ex illo enim sufficientem atque celerrimam Dei scientiam possidebimus, propter quod et eam intelligibilis sacerdos suscipit. Oportet autem nos superfundere oleum, et superimponere thus : per eleemosynam quippe et orationem scientia in nobis divina perficitur. De quibus hominibus, necnon et de memoriali quod super altare sacerdote accipiente ponitur, in superioribus subtilius exposuimus. Non ergo necesse est nunc expositionem confundere. Quia enim *frieta matura, secundum LXX, fracta sunt*, ea quæ igne frieta sunt, reliqui interpretes Hebræorum explanant pro eo, frixa matura facta, *frixa in igne mollia ediderunt*.

CAPUT III.

Vers. 1-5. « Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, et de bobus voluerit offerre, marem sive feminam immaculatum offeret coram Domino, ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi : fundentque filii Aaron sacerdotis sanguinem per circuitum

⁶ Act. xvii, 28. ⁷ I Cor. i, 21. ⁸ I Cor. ii, 6, 11, 19. ⁹ Matth. v, 13. ¹⁰ I Cor. iv, 16. ¹¹ Ephes.

altaris, et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino : adipem qui operit vitalia, et quidquid pinguedinis intrinsecus est : duos renes, cum adipe quo teguntur illa, et reticulum jecoris cum renunculis : adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito, in oblationem suavissimi odoris Domino. »

Recte David propheta psallebat : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me* ¹¹. Quoniam conversationes Deus hominibus differentes per legem sanxit, et in modum scalarum virtutes ordinavit, ut alii quidem liceret omnes assequi, alii autem quasdam, ut sursum tamen quisque sublevaretur a terra : hoc quippe et differentia sacrificiorum significabat. Nam hic quidem de nobis holocaustum offeret, totum semetipsum Deo offerre volens, et sicut Paulus dicebat : *Christo confixus sum cruci* ¹². Alter sacrificium pacificorum sive salutare, qui desiderat salutem, etsi non potest nimis sublimiter conversari : nam et si non valet virginitatem quispiam consequi, in casto autem conjugio conversetur, veniam percipit a Domino, qui dixit : *Non omnes capiunt verbum* ¹³, quando de virginitate apostolis exponebat. Sed tamen inter eos qui salvantur necessarie ordinantur. Hoc ipsum autem et de contemptu rerum, et de justitia, et de cibo cum gratiarum actione, quia magnus est qui magna, et parvus, non tamen minimus, qui saltem mediocria consequi potest. Ut probaretur ergo quia hæc conversationum species sunt ad justificationem hominum, duas sacrificiorum spontaneorum definitiones posuit ; ait enim in libro Exodi : *Altare de terra facietis mihi, et immolabitis super eo holocaustata et pacifica vestra, oves vestras et boves. In omni loco in quo nominatum fuerit nomen meum, veniam ad te, et benedicam tibi* ¹⁴. Et præcepit quidem pacificorum holocaustum, subinfert autem : *Et pacifica, velut secundi ordinis et virtutis. Quicumque ergo solum sibi hoc putat sufficere si salvetur, is quidem de bobus offeret (esse autem bovem diximus eos qui circa agenda ea quæ legis sunt vacant); sive masculum, sive feminam, immaculatum tamen inunus offerat. Equidem eum qui holocaustum offeret, non præcepit offerre feminam, nequaquam feminam privans ab hujusmodi conversatione, sed ostendens quia perfecta sapere, proprie virorum est. Quod etsi mulier hæc sapiat, vir hæc, utpote fortis, appellabitur, de qua Solomon dixit : *Mulierem fortem quis inveniet* ¹⁵ demonstrans quia fortitudo, id est perfectio, difficile in mulieribus invenitur. Pacificorum autem sacrificium, similiter virorum et mulierum est, oportet enim et mulieres ita vivere, sicut aptum est ad salutem. Sed quam ob rem manus imponere super caput victiæ præcipiuntur, et immolare in introitu tabernaculi, sanguinemque fundere in circuitu altaris, in sacri-*

ficiis holocaustorum sufficienter discussimus. Quid autem Deo offerre de suo sacrificio necesse habeant qui salvari volunt, hoc quæri et considerari necessarium est. Offerunt enim de hostia pacificorum in oblationem Domini, adipem qui operit vitalia, et quidquid pinguedinis intrinsecus est. Vel, sicut Septuaginta, *adipem qui operit ventrem, et omnem adipem qui in ventre est*, per ventrem cor significans : ideo autem secundo ejus in supra dicta editione memoriam fecit, quia duas habet operationes, sicut dicunt medici. Etenim per unam partem trahit alimenta, quod ventrem superiorem, per aliam purgationes discernit, quod ventrem inferiorem vocant. Renes vero coitalium seminum sunt ministeria, habent autem communionem cum ventre et femoribus : atque hujus rei gratia adipem primum, qui supra ventrem est, et duos renes, et rursus adipem qui super eos est, id est, super femora, utpote quæ vicina sunt renibus, jubet offerri, quia inter medium femoris et ventris renes siti sunt. In jecore autem, id est in hepate delectationem, sive concupiscentiam constitutam esse dixit. Unde secundum Septuaginta hepatis pinnam cum renibus offerri dictum est, utpote hepate in renibus vim operationis suæ ministrantē. Sed quid per hæc significat, vel quid sancivit, qui salvari volentibus, etiam nunc in parabolis os aperuit ? Quia oportet hostiam, id est primitias et holocaustata, Deo ab his qui salvari volunt, intelligibilem adipem, videlicet desiderium, quod græcè ἐπιθυμίαν dicunt, offerri, qui prius quidem operit superiorem ventrem, deinde inferiorem : ut et in cogitando, et in implendo, desiderium Deo offeramus : oportet enim proponi prius, et postea compleri. Propter quod et Paulus dicebat : *Quæ episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* ¹⁶. De illo quippe nunc ventre legislator loquitur, de quo Jeremias inquit : *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo* ¹⁷ : non frustra et ipse dupliciter nominans, sed ut duplicem operationis ejus vim significaret. Ne forte autem corporalem necessitatem accusandam putaremus, subintulit : *Et sensus cordis mei conturbati sunt* ¹⁸. Ergo venter animæ cor est, in quo prius proponimus quasdam actiones, postea autem conamur implere. Proponere ergo appetere quoddammodo est, festinare autem pericere, digestio forsitan quædam proprie dicitur. Quorum utrorumque desiderium quod adipem clamavit, necesse habemus Deo offerre, ut nihil pravum proponamus, neque expleamus. Bene autem super ventrem superiorem, qui est appetitus, adipem qui operit ventrem ait : quia maxima pars desiderii circa appetitum, et circa propositum est. Inferiori autem ventri duos renes conjunxit, diximus enim quia communionem renes ad cor habent : unde David ait : *Ure renes meos et cor meum* ¹⁹. Audi etenim Dominum

¹¹ Psal. cxiv, 4. ¹² Galat. ii, 19. ¹³ Matth. xix, 11, 1. ¹⁴ Jerem. iv, 19. ¹⁵ ibid. ¹⁶ Psal. xxv, 2.

¹⁷ Exod. xx, 24. ¹⁸ Prov. xxxi, 40 ¹⁹ Tim.

petitum vacare circa spiritum jubet, et propterea non cum divisionibus, sed per se offerri. Verumtamen et divisiones, et caput, et adipem, super ligna quibus ignis subjectus est, quæque sunt super altare, imponere jubet, ut omnem nostrum hominem scripturis spiritalibus, quæ de intelligibili altari corporis Domini dictæ sunt, coaptemus, secundum ejus viventes seu conversantes imitationem.

Intestinis autem et pedibus lotis aqua, quod LXX edunt : Ea quæ sunt in ventre, et pedes aqua lavent, per ea quæ in ventre sunt, abditas et latentes cogitationes significantes in ventre animæ, quia venter animæ cor est. Unde et Jeremias dicebat : *Ventrem meum, ventrem meum doleo*⁴⁶, quem ventrem ipse subinfert : *Et sensus cordis mei conturbati sunt*. Pedes autem actiones, quia prophetæ præsens sæculum vitam appellare consueverunt, ita ut David diceret : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*⁴⁷, id est, qui in lege Domini operantur. Vult ergo nos simul cum actionibus et cogitationibus diluere aqua, sive baptismi, sive fletus, quia et de cogitationibus rei in judicio tenemur. Si enim qui irascitur fratri suo sine causa reus est gehennæ⁴⁸, ira autem animæ est motus, non debet hic ex actione judicium? Sed cum tanta dixisset, legislationem suam ad unum breveque conclusit ; ait enim :

Adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum, et suavem odorem Domino. Ergo quando sacrificium nostrum holocaustum fit, tunc Domino odor suavitatis incenditur : et quando omnia super intelligibile altare obtulerimus, imitatores Christi secundum possibilitatem effecti, et ad ipsius imitationem nostram vitam, seu conversationem coaptantes. Hoc enim esse altare superius ostendimus.

Vens. 10-13. « Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus sive de capris holocaustum agnum anniculum et ab-que macula offerret, immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem coram Domino. Sanguinem vero illius fundent super altare filii Aaron per circuitum, dividuntque membra, caput, et omnia quæ adhærent jecori, et imponent super lignis quibus subjiciendus est ignis ; intestina vero et pedes lavabuntur aqua, et oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum et odorem suavissimum Domino. »

Eadem etiam nunc paucis immutatis dicit. Illud autem intelligere oportet eum qui subtiliter verba levis investigat, quia non solum de bobus, sed et de ovibus præcepit Israelitam offerre holocausta. Ergo non solum qui legis mandata operatur, hunc enim esse bovem, ut pote operatorem diximus, sed et qui libet simplex et sine malitia, cui comparatur ovis, dicente Jeremia : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, et non cognovi*⁴⁷. Ergo et ipse semetipsum holocaustum Deo offerre poterit.

Veruntamen, cum ovium memoriam fecisset, ait enim : *Si autem de ovibus est oblatio*, subintulit aliud animal, id est caprarum ; dicit enim sic : *De ovibus et de capris*. Quanta autem inter capras et oves differentia sit, apertissime nos Dominus Jesus docuit, dum de consummatione sæculi narraret : qui dum oves a dextris statuisset, benedictionem eis justorum subdidit, hædos autem a sinistris, contra quos sententiam illam terribilem peccatorum protulit⁴⁸. Sicut ergo licet non solum de ovibus, sed et de capris offerri, et oblatio de pecoribus dicitur, sic et eum qui ex peccatoribus est, possibile est simplicitati operam dare, et quasi ovem factum, conversationem suam in holocaustum offerre Deo : quia enim nihil impedit ad adipiscendam justificationem peccatorem quempiam fuisse, quamvis hoc Judæi non putarent, audi qualia per Ezechiehis prophetiam dixit. Cum enim in multis inventus fuisset contra injustum, et dixisset, *Morte moriatur, sanguis ejus super ipsum erit*, hæc etiam subdidit : *Quod si genuerit filium qui, videns omnia peccata patris sui quæ fecit, non fecerit simile eis, super montes non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, et uxorem proximi sui non violaverit, et alia his similia, in quibus finem huic addidit, hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet. Et dicitis : Quare non portabit filius iniquitatem patris*⁴⁹? Sic Judæi necesse esse filium, quasi hæreditario jure, in patris succedere peccato arbitrabantur. Sed quam ob rem oves et capras ad latus altaris quod respicit ad aquilonem, coram Domino præcepit occidi, cum non ita de bobus præcepisset, sed coram Domino sanxisset immolari? Videntur enim verba ipsa contrarietatem quamdam habere atque differentiam : quia cum sit sacrificium holocaustum utrumque, differentia his distribuit loca. Non est ergo ignorandum quia, quantum ad superficiem litteræ, eundem in utrisque locum legislator significavit. Holocaustum enim altare, ante tabernaculum constitutum ex latere erat januæ, ut non sanctorum ministrantibus obstrueretur introitus, sicut in Exodo de eodem dicitur : *Et imposuit velum januæ tabernaculi testimonii, et aram holocaustum posuit circa ostium tabernaculi testimonii*⁵⁰. Quæcumque ergo ad sacrificium offerebantur, ex latere altaris ab aquilone stabant, et sic coram Domino sacrificium celebrabatur, id est in conspectu sanctorum : faciem enim Domini appellat Sancta sanctorum, quia in ipsis Dei habitabat gloria. Unde nec frequenter in ipsa intrare sacerdotem, nisi semel in anno jubebat. His ergo ita se habentibus, differentiam dici verborum, sicut necessaria contemplationi erat, oportuit. Quia enim altare diximus esse Christum, ovium autem sacrificium simplicitatem studentium, non absolute autem etiam justitiam operantium, non in directum intelligibilis altaris, sed ex latere offertur. In directum est enim, quia

⁴⁶ Jerem. iv, 19. ⁴⁷ Psal. cxviii, 1. ⁴⁸ Matth. v, 22. ⁴⁹ Jerem. xi, 19. ⁵⁰ Matth. xxv, 33 seq.

⁴⁸ Ezech. xii, 13-19. ⁵⁰ Exod. xxxviii, 26.

mandata perficit. Ex latere autem, quia a malis abstinet. Quare? quia sicut in aulam, verbi gratia, regiam melius est quidem per ostium rectum ingredi, cum autem hoc non est facile, bonum sit etiam per illud quod ex latere est introire: sic melius est Deo quidem per mandatorum offerri perfectionem, bonum est tamen et si per malorum se quis offerat abstinentiam, Deo quippe modo quolibet offerri bonum est. Ad latus autem altaris ad aquilonem necessario addidit; nebula enim pene semper hæc pars est: obtinentur siquidem nebula, id est ignorantia, hi qui ex toto se innocentiae tradunt, propterea et holocaustum dicitur, etiam sine operatione justitiæ.

VERS. 14-17. « Si autem de avibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus et pullis columbæ, offeret eam sacerdos ad altare, et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris. Vesiculam vero gutturis et plumas projiciet propter altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent, confringetque ascellas ejus, et non secabit, nec ferro dividet eam: et adolebit super altare lignis igne suppositis: holocaustum est et oblatio suavissimi odoris Domino. »

Admirabilis est legalium verborum subtilitas, non solum quia differentias conversationum describit, sed etiam quemadmodum quasdam conversationes secundum legem, quasdam vero super legem, significet. Secundum legem enim sunt boum et ovium, licet spontaneæ dicuntur. Secundum legem quare? Quia etsi offerre munus in potestatem offerentis dedit, nimis recte, liberi quippe arbitrii Deus hominem constituit, tamen quale offeratur, non jam voluntatis est, ne forte mala offerantur: necesse est ergo aut bovem offerri aut ovem, id est, aut operari justitiam, aut a malis abstinere. Dixit enim in initio libri: *Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino, de pecoribus, id est de bobus et ovis offeret victimas.* In hac autem oblatione non ita, prædictæ siquidem oblationi differentia volatilium non est connumerata, ut videlicet perfectior et major, multorumque transgrediens possibilitatem. Volatilia enim, homines sunt contemplationi vacantes, terrenis omnino se non miscentes negotiis: quod et si forte necessitas exegerit, mox revolant ad sublimia, et illo evangelico juvantur testimonio, quod Dominus ait: *Considerate volatilia cæli, quia non seminant neque metunt, et Pater vester cælestis pascet illa* ⁵¹⁻⁵³. De eisdem Dominus dicebat: *Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod cum seminatur, minus est omnibus oleribus; cum autem creverit, fiet arbor major, ita ut volucres cæli venientes habitent in ramis ejus* ⁵⁴. Contemplationi ergo vacans, et in superiorum considerationem perfectus homo: hoc enim quæ prædicta sunt docuerunt, si conversationem, sive vitam suam oblationem offeret, de turturibus,

aut de columbis offerat munus suum, id est, in scientia et mansuetudine spiritali, hac enim opus habet, ut non excedat legis consideratio in vanis occupata. Non frustra autem turturum et columbanum, sed ad significationem prædictorum legislator assumpsit; turtur siquidem, quia cognitionem habet, ita ut ejus exemplo, Judæorum exprobraretur populus, Jeremias probat; ait enim: *Turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit iudicium Domini* ⁵⁵. Columba autem munda et simplex, annuntiatrice præsentis sancti Spiritus est, quales oportet esse eos qui circa contemplandas Scripturas habent studium. Propter quod et apostolos simplices vultesse Dominus, ut columbam; ait enim: *Beati mundo corde, quia ipsi Dominum videbunt* ⁵⁶. Sed et ad meditando vacare debent, unde Ezechias ait: *Meditabor ut columba* ⁵⁷. Hanc oblationem unus sacerdos offeret, non multi; non est quippe contemplativa vita plurimorum, id est, ut ex tota se mente offerant Deo, nihilque humanum ulterius cogitent, sed continue contemplantur cælestia, et ea quæ sursum sunt, sapiant, ubi *Christus est*, sicut ait Apostolus, *in dextera Dei sedens* ⁵⁸, videlicet Patris; quia autem hoc nimis rarum est, ipse Dominus de talibus prophetæ Ezechieli loquens edocuit: *Scrutare Jerusalem, et vide: si inveneris virum in ea omnino stantem ante faciem meam, propitiatus propitiabor ei* ⁵⁹. Atqui erant filii Jonadab nec vinum bibentes, nec domus habentes, nec agros plantantes. Sed absolute aliquid sublimius quærit, unde alii ad tabernaculum testimonii oblationem offerunt; hæc autem ad altare offertur, cujus vim in præcedentibus didicisti, id est quia Dominicum significet corpus. Sed videamus quæ his subjiciantur.

Et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco. Abrumpens videlicet a pelle quæ superjacet collo, non valde illam separans a corpore, ut nec dissiparet illud, nec eo rursus astringatur, quod significatur abrupto vulneris loco, vel, sicut LXX edunt, refractione capitis. Eodem quippe sermone et Samuel ad Saulem usus est, quando ei armum dans, idem secundum LXX dixit: *Comede, quia in testimonium a populo positum est tibi* ⁶⁰. *Refringe*, id est per partes comminue et consume. Et ideo etiam nunc non ut occidatur avis, sed ut abrumpatur vel refringatur legislator jussit, ostendens quomodo per partes et leniter verum caput, id est mentem dividat a pelle, id est, a carne; unde nec effundit sanguinem, sed decurrere faciet, vel secundum LXX, esculat, ut per partes et perfecte despiciat præsentium meditationem vel vitam, utpote qui totam suam animam obtulit Deo. Hoc enim significat: *Et sanguis esculatus circa basim altaris*, quod est Christus: Christi autem basis est Evangelium, in quo maxime oportere nos præsentem vitam despiciere, utpote totam animam nostram Deo offerentes, didicimus. Vesi-

⁵¹⁻⁵³ Matth. vi, 26. ⁵⁴ Matth. xiii, 31, 32. ⁵⁵ Jerem. viii, 7. ⁵⁶ Matth. v, 8. ⁵⁷ Isa. xxxviii, 14. ⁵⁸ Coloss. iii, 1. ⁵⁹ Imo, Jerem. v, 1. ⁶⁰ I Reg. ix, 24.

ulam autem gutturis et plumas projici jussit, id est, utroque, et inflatione, atque superfluum inquisitione eum carere, mundanique volens: maxime enim his passionibus, hi qui uberiori pollent scientia, succumbunt, attestante Paulo: *Scientia inflat*⁶¹. Et rursus: *Si quis videtur scire aliquid, necdum cognovit quemadmodum oporteat eum scire*⁶². Rursus ipse ait: *Corpus autem Christi: nemo vos decipiat, volens in humilitate et religione angelorum quæ non vidit, ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ*⁶³. Nam Theodotion similiter vesicam edidit: Aquila орлов, id est cibarium, quia in avibus inflationi aptum vas suscipiensque superflua, vesica est. Non ergo permittit inflari, et ideo auferri præcepit vesicam. Sed nec majora nobis querere vel altiora. Altior enim te, ait, ne quæsieris, et sublimiora te ne scrutatus fueris⁶⁴. Unde et plumas ab hostia separavit, et projecit propter altare ad plagam orientalem, in loco in quo cineres effundi solent. Ad orientem quidem, quia inquisitio sublimium rerum videtur esse. Extra altare autem, quia non necessariam, sed superfluum atque noxiam scrutationem possidet. In locum autem jubet cinerum, propter naturam, de qua Abraham dicit: *Ego sum pulvis et cinis*⁶⁵. Ergo per locum cinerum prædictam inflationem redarguit legislator, utpote quæ digna sit cinere; quod autem cinere dignum est, deorsum in terra manet, et in cælum ascendere non potest. Deinde ait:

Confringetque ascellas ejus, et non scabit, nec ferro dividet. Necessarie præcipiens utrumque: confringens siquidem, quia oportet membra conterere atque affligere eum qui Deo sacrificium fieri cupit. Non scabit autem, nec ferro dividet, nec faciet avem sicut bovem aut ovem per divisiones. Hoc quippe et Abraham in suo sacrificio custodivit, quando Deo jubente vaccam trimam, similiter et capram, et arietem triennem, et turturem et columbam obtulit; ait enim: *Acceptis sibi hæc omnia, et divisit ea per medium altrinsecus, et contra se exposuit, aves autem non divisit*⁶⁶. Prudenter autem hoc custodivit, atque secundum intellectum præcepti nunc in legem dat. Contemplationi enim inhærens homo, nihilque habens terrenum, sed qui totus jam dudum cælestis est, adversans animæ non habet corpus: integrum quippe ejus corpus et anima est, sed et spiritus, secundum quod; dixit Paulus: *Sine querela in adventum Domini custoditur*⁶⁷. Et propterea superflua in eis membrorum divisio est, integrum enim super intelligibile altare, et super ligna quibus subicitur ignis, offertur: neque enim aliter sacrificium acceptabile efficitur, nisi meditatione spiritalis legis, et tunc holocaustum et oblatio suavissimi odoris Domino reperitur qui semper odoratur sacrificium nostrum, et uniuscujusque nostrum vitam sive conversationem, an secundum legem quæ ab eo data est, offeratur.

CAPUT II.

VERS. 1-3. Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, similia erit ejus oblatio, fundetque super eam oleum, et ponet thus, ac deferet ad filios Aaron sacerdotis. Quorum unus tollet pugillum plenum similia et olei ac totum thus, et ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino. Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron et filiorum ejus Sanctum sanctorum de oblationibus Domini.

Quia animam totum hominem appellat, manifestum est ex hoc quod ait: *Similia erit ejus oblatio*: in totum animam iterare volens hoc quod fiendum erat, deinde et similia offerri præcipit. Anima autem ipsa per se quomodo deferret oblationem, quam necesse habebat deprecans, et ad hoc utique necessarium haberet ministerium corporis? Sed auribus quæ divinis sunt assuesactæ Scripturis, nihil novitatis hic asserit sermo. Nam et alibi, animam per se, mores vero totum hominem appellavit; veluti cum eorum qui in Ægypto descenderunt numerum digerens, ait: *Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, et egressi de femoribus ejus, absque uxoriibus filiorum, septuaginta*⁶⁸. Sed et Lucas, cum Pauli navigium Romam euntis describeret, ait: *Eramus autem omnes animæ in navi ducenti septuaginta et sex*⁶⁹. Intuendum est autem ne forsitan animam in hoc loco gentilem dixisset hominem: quia enim superius filiis Israel ea quæ sunt in sanguine sacrificia dixit: *Loquere, ait, filiis Israel: Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino, de pecoribus, id est de bobus et ovibus offerret victimas*; hic illud quod extra sanguinem est, sacrificium similia præcipiens necessarie, non dixit, Homo ex vobis, sed, *Anima cum obtulerit oblationem*, animam gentilem nominans, quia animales erant prius, et qui non potuissent intelligere ea quæ sunt spiritus; verumtamen vocantur ad oblationem, miserante eos justo Deo, atque per condescensionem salvante. De quo et Salomon dicit in Proverbiis: *Justus miseretur animas jumentorum suorum*⁷⁰. Hujus ergo qui eget divitiis quæ sunt virtutum, erit oblatio similia. Paulo post enim, cum pro peccatis sacrificia disponit, eum qui nec ovem habet nec capram, turtures et pullos columbarum offerre præcepit; qui autem nec hoc habet, similia eum sancti offerre. Non enim jam ex operibus, utpote pauper virtutibus sed sola Dei cognitione salvatur: quæ in lege similia, in Evangelio autem farina nominatur; ait enim Dominus: *Simile est regnum cælorum fermento, quod accipit mulier, et abscondit in farinae sata tria, usque dum fermentaretur totum*⁷¹, Ecclesiam significans, quæ in Trinitatis verbo fermentat theologiæ mysterium. Hæc similia secundum legem dicitur, unde et tres decimas similia offerre

⁶¹ I Cor. viii, 1. ⁶² ibid. 2. ⁶³ Coloss. ii, 4. ⁶⁴ I Thess. v, 25. ⁶⁵ Exod. i, 5. ⁶⁶ Act. xxvii, 37.

⁶⁷ Eccli. iii, 22. ⁶⁸ Gen. xviii, 27. ⁶⁹ Gen. xv, 10. ⁷⁰ Prov. xii, 10. ⁷¹ Matth. xiii, 33.

ad expiationem lepræ, id est ad remissionem peccati, Deus Moysi præcepit. Ut ergo adhuc crassior, et quæ necdum plena in lege divina cognitio necessarie similia appellatur, in Evangeliiis autem farina, ut subtiliores videlicet et sublimiores a lege intellectus habens, hoc Moyses innuens (quia tam farina quam similia, propter prædictas causas divina scientia poterat dici,) cum apparente Deo Abrahamæ ad ilicem Mambrae, Trinitatis mysterium significaret, describit eum Saræ dicentem : *Festina et commisce tria sata similia* ⁷⁸. Licet autem Dei cognitio salutis gentium principium sit, superfundere tamen similia oleum, et thus superponere opus habemus, ut gratiam Dei, eleemosynis orationique commisceamus : hæc enim nobis possunt de cælo Dei scientiam profligare. His autem testis est Cornelius, ad quem descendens de cælo angelus dixit : *Corneli, orationes tuæ et eleemosynæ ascenderunt ad Dominum, et nunc mitte viros in Joppe, accersi ad te Simonem, qui cognominatur Petrus* ⁷⁹. Ipse enim veram scientiam Cornelio traditurus erat. Quomodo autem in thure accipiatur oratio, quærens ejus vim perscrutansque, cognoscis. Uti quippe eo contra interiores passiones medici solent, oculorumque ægritudinis curare vulnera, et si quis incendens fumum ejus suscipiat, restringit accedentes ex infirmitate lacrymas : hoc eodem modo oratio quoque plurima operatur : hæc quippe maxime animæ passiones sanat, hæc etiam intelligibilium oculorum curat vulnera, absolvens ab ignorantia atque ex ea quæ vere est ægritudo, id est ex peccato lacrymas accedentes salvat. *Infirmatur enim quis in vobis, ait Jacobus, convocet presbyteros, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei* ⁸⁰. Post hæc, pugillo tollere jubet similia, id est fide scientiam Dei comprehendere; per pugillum enim hic fidem significat, aperteque ostendit illam scientiam, sive cognitionem Dei Domino acceptam, quam fides comprehendere potest; et quemadmodum qui pugillo plus vult comprehendere, nihil proficit, totum quippe decurrit et cadit, atque inutiliter laborat, sic mensura Dei scientiæ fides est. *Credere enim oportet, sicut Paulus ait, qui accedit ad Deum, qui est* ⁸¹. Et rursus : *Sine fide impossibile est placere Deo* ⁸². Et ut dicamus breviter, *omne quod non est ex fide peccatum est, sicut idem ad Romanos scripsit* ⁸³. Ergo non potest esse glorificatio in infidelitate. Intende autem quia cum oleo jubet similia accipi, apertissime eleemosynam nos facere volens. *Date enim eleemosynam, inquit Dominus, et ecce omnia munda erunt vobis* ⁸⁴. Jubet autem omne thus in pugillo sumi : omne, quare? quia semper oportet orare, et sine intermissione gratias agere, sicut Paulus ait ⁸⁵. Sed quis est qui in pugillo tollit? secundum

A LXX, non dicitur ut absolute offerentem significaret. Si enim de sacerdote dixisset, plane hoc utique sicut in sacrificio, de peccato sancitum esset, quod et ipsum de similia fiebat, adderet. Ibi enim memoriale esse vult hoc quod in pugillo sacerdotis offeritur Deo : aliud quidpiam sanciens extra hoc quod nunc dicitur, sicut paulo posterius ostendemus. Ille vero non ita, sed sumpto, secundum quod dictum est, eo quod offeret sacerdos (esse autem hunc Jesum didicisti), sacrificii memoriale in cælesti offerret altari. Memoriale autem cognitionis Dei perfecta scientia est, cujus semper memores erimus, quando ejus capaces fuerimus, quæ nunquam destruitur, quæ eam quæ nunc est, non ut contrariam destruit, sed partem eam minimam esse per suam plenitudinem monstrat, secundum quod dictum est : *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* ⁸⁶. Et quomodo evacuabitur, clare manifestat subulens : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunccognoeco ex parte, tunc cognoscam sicut et cognitus sum* ⁸⁷. Hoc sacrificium odorem suavissimum necessarie Domino legislator appellavit. Odorem in Domino est cognitio, sive scientia ejus; et ne hoc dubites, habes ad hoc quoque Paulum veracissimum testem : *Deo enim gratias, inquit, qui semper triumphat per nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco* ⁸⁸. Ecce interim cognovisti odorem notitiæ. Sed et bonum odorem in subsequentibus audi : *Quia Christi bonus odor sumus, in his qui salvati sunt, et in his qui pereunt* ⁸⁹. Deinde dicit legislator :

Quod autem reliquum fuerit de sacrificio erit Aaron et filiorum ejus, sanctum sanctorum de oblationibus Domini. Reliquum aut de illa perfecta, et in cælis abscondita atque reposita in Christo scientia sive notitia. In ipso enim sunt thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi ⁹⁰. Sanctum sanctorum est de oblationibus Domini, partilis enim est scientia quæ reliqua est, omnes tamen alias superans, et perducens ad perfectionem. Aaron ergo et filiorum ejus erit. Aaron autem *arca* vel *mantanus* interpretatur, id est, alta de Deo intelligens, quia et arca, utpote habens in se legem Dei et eloquia, offerre prædictum sacrificium potest.

Vers. 4. « Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano de similia, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, et lagana azyma oleo lita. »

Admirabilis est legislatoris intentio, per omnia subtiliter incedens : quia enim scientiæ Dei, sive notitiæ superius mentionem fecit, ne forte putaris extra eam esse dispensationis Dominicæ mysterium, vide quomodo per ænigmata exponit, nativitatæ ejus, crucis et resurrectionis volens introducere

⁷⁸ Gen. xviii, 6. ⁷⁹ Act. x, 4, 5. ⁸⁰ Jac. v, 14, 15. ⁸¹ Hebr. xi, 6, ⁸² ibid. ⁸³ Rom. xiv, 23. ⁸⁴ Luc. xi, 41. ⁸⁵ I Thess. v, 17. ⁸⁶ I Cor. XIII, 9. ⁸⁷ ibid. 12. ⁸⁸ II Cor. ii, 14. ⁸⁹ ibid. 15. ⁹⁰ Coloss. ii, 3. ;

narrationem. Sacrificium coctum, Christi appellat incarnationem, ad hoc enim incarnatus est ut immolaretur. Propter quod eum, Agnum Dei qui tollit peccata mundi⁸⁵, Joannes Baptista appellavit. Recte ergo sacrificium in hoc loco, ut denuntiaret nativitatem ejus, dicitur coctum in clibano, Dei Genitricis videlicet utero. Illa enim clibanus necessarie nominatur, quia et panes ignemque desuper clibanus suscipit, sicut et Dei Genitrix, desuper vitæ panem, Dei videlicet Verbum in suo utero, ignemque suscipit præsentiat Spiritus. Spiritus enim, inquit, sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi⁸⁶. Hunc Moyses, quando Deus ad Abraham disposuit seminis testamentum, clibanum commendavit; ait enim, quia veniente sole ad occasum, (significat hic finem mundi) flamma facta est, et ecce apparuit clibanus ardens⁸⁷. Et quid est hoc? addidit et fumigans, et transiit per medium divisionum. In die illa pepigit Dominus fœdus cum Abraham. Quando enim cœlestis ignis, Spiritus videlicet, in clibano uteri Genitricis Dei venit, ut totas accenderet mundi partes, tunc testamentum Deus Abraham, id est gentibus disposuit: Abraham enim pater gentium nominatur. Si ergo munus offeres incarnationis Unigeniti, quæ in ventre Virginis facta est, non aliter acceptum est Deo, nisi coctum de simila, id ex Dei scientia vel notitia fiat. Unde enim aliunde de hac re locutionem, nisi ab apostolis et prophetis sumpsimus? Verba ergo apostolorum panes accipe, prophetarum vero lagana: quantum enim panes a laganis ad nutriendum sunt aptiores, tantum verba apostolorum verbis prophetarum; utriusque autem azymi, quia ex alia doctrina fermentum non habent, verbi gratia sapientiæ sæcularis, quod hæreticis convenit accedere. Hi quippe cum exteriora interioribus conjungere nituntur, et hæc magis illis subjicere et fermentare, quæ fermentari nullatenus possunt, ab azymis sermonibus exciderunt; sed ecce apostolorum panes in oleo, et prophetarum lagana in oleo sunt: concorditer enim et ab illis, et ab istis scriptum est, quia nos miserans Christus advenit; sed apostoli planius; ait enim Paulus: *Quemadmodum enim vos prius non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis per istorum inobedientiam, sic et isti non crediderunt in vestra misericordia, ut et ipsi misericordiam consequantur. Concluserunt enim Deus omnia sub peccato, ut omnibus misereatur*⁸⁸. Misericordiam ubique appellat adventus Christi mysterium, propter quod panes quidem in oleo conspersi dicuntur. Propheta autem non sic, sed velut in ænigmatate; dicit enim David: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi*⁸⁹. Et rursus: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam et salutare tuum da nobis*⁹⁰. Propterea non conspersa, sed lita oleo lagana appellantur. Sed et illam custodi verborum subtilitatem, quomodo, quando vult ut nos misereamur, dicit de eo qui

A offert: *Effundit super eam oleum*; hic autem, quia Incarnati pietatem significat, non ait, effundit oleum, sed, *Panes in oleo conspersos exponit*. His enim verbis significavit Domini nativitatem. Subsequentibus autem et passionem significat.

Vers. 5, 6. « Si oblatio tua fuerit de sartagine similæ conspersæ oleo, et absque fermento, divides eam minutatim, effundesque supra oleum. »

Sacrificium de sartagine dispensationem passionis appellat Unigeniti: crucem assimilari sartagine propterea judicans, quia sartago in tantum est fortis, ut superposita igni, ipsa quidem non consumatur, nec aliquam corruptionem sustineat aut imminutionem, superpositos autem cibos mox ut ignem tetigerint, vel si duriores fuerint, non longo intervallo aptos esui reddit. Sic et Christi crux, fortis quidem tantum fuit, ut omnem creaturam subjiceret Crucifixo: carnem autem ejus, quæ ad comedendum inepta erat ante passionem, (quis enim comedere cupiebat carnem Dei?) aptam cibo post passionem fecit: si enim non fuisset crucifixus, sacrificium corporis ejus minime comederemus. Comedimus autem nunc cibum, sumentes ejus memoriam passionis. Hanc sartagine apud Ezechielem Dominus significans ait: *Et tu, sume tibi sartagine ferream, et pones eam murum ferreum inter te et civitatem*⁹¹. Ferream quidem eam propter prædictam appellavit fortitudinem. Inter te autem et civitatem, ait, id est Jerusalem: quia maxime ipsi in cruce Domini, offendentes et illatis passionibus ab ejus sunt scientia separati. Mysterium ergo passionum in oleo conspergitur, quia miserans nos, pro nobis sustinuit mortem. Quod et sine fermento esse, id est mundum ab exteriori vult esse doctrina. Ait autem:

Divides ea minutatim. Ut in passiones ejus, quæ per partes processerunt, sermonem dividamus, veluti alapis, colaphis, sputis, confusioneque lateris.

Effundes supra oleum. Sed quemadmodum ille misericordiam in nobis habens, pro nobis semetipsum tradidit passioni, sic oportet et nos proximis misereri, passionem Dominicam ad hujus accipientes pietatis exemplum, unde ait: *Effundes supra oleum*, ut et nos viscera misericordiæ Domini æmulemur; ait quippe: *Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est*⁹². Quia enim hoc de Dominica proposuerit passione capitulum, designatio demonstrat ipsa sermonum. Quod enim secundum LXX addidit, *Sacrificium est Domino*, hoc hic addens præcipuum, quod nusquam in holocaustatis inscripsit, aut in aliis quæ præcepit superius: hic autem addidit: quia Unigeniti passio sacrificium Deo Patri oblata est, semetipsum Christo, quemadmodum ait Paulus, offerente: ait enim: *Si enim sanguis taurorum et hircorum, et cinis vitulæ aspersus coinquinatos sanctificat ad emundatio-*

⁸⁵ Joan. 1, 29. ⁸⁶ Luc. 1, 35. ⁸⁷ Gen. xy, 17. ⁸⁸ Rom. xi, 30-32. ⁸⁹ Psal. LXXXIV, 8. ⁹⁰ ibid. 8. ⁹¹ Ezech. iv, 5. ⁹² Luc. vi, 36.

nem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo⁹⁷?

VERS. 7-10. « Sin autem de craticula fuerit sacrificium, aque similia oleo conaspergetur, quam offerens Domino tradet manibus sacerdotis: qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, et adolebit super altare in odorem suavitatis Domino. Quidquid autem reliquum est, erit Aaron et filiorum ejus, sanctum sanctorum de oblationibus Domini. »

Similia disputare et de resurrectione disceptantem vult, cujus mysterium craticulam non frustra appellavit, sed per craticulam mortem significavit. Sicut autem in sartagine Dominicam crucem supra accepimus, ita in craticula mortem, sed et sepulturam accipiamus. Quæ enim inter craticulam et sartagine differantia sit, nulli penitus est ignotum: quia sartago super ignem nunc exardescens et succensus, craticula autem in carbonibus ardentibus et olim accensis ponitur. Sicut et mors Domini non fuit initium aliquod passionis, sed passionum, quæ pridem in eo operatæ sunt, fuit subsistentia. Et hujus ergo munus ex similia, id est ex Dei cognitione, sive scientia, quæ de morte Dominica est, perficitur: oportet enim Christum et in morte Deum dici, nihilominus immortalem prædicare eum qui propter mortalem carnem mortuus est. In oleo tamen munus fiet. Oportet quippe de Dominica morte et resurrectione disputantem, misericordiam quoque Dei addere rationem, quæ est oleum. Miserans siquidem genus humanum, et mortem sustinuit, et resurrectionem a mortuis dispensavit. Si autem ignem qui super clibanum est, sanctum esse Spiritum, et ideo uterum Genitricis Dei clibanum significasse diximus, in sartagine autem, et craticula in igne rursus passionem et mortem interpretati sumus, nullatenus hæc discredas, ipsa enim tibi satisfacere, quæ de utrisque dicuntur, possunt. Quia in clibano quidem ignis desuper mittitur, de cælo namque ministratio spiritus est, de quo Dominus dicebat: *Ignem veni mittere in terram*⁹⁸. Et Joannes de Domino: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni*⁹⁹. In sartagine autem et craticula ignis ab inferioribus sumitur, quia ab hominibus qui mente in infimis jacent, provenit præparatio passionis. Quod autem ignis pro passione accipitur, audi Jeremiam dicentem: *Et factum est quasi ignis ardens, et æstuans in ossibus meis*¹⁰⁰. Et rursus David: *Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis*¹⁰¹. Mortem dicens, quam peccatoribus illaturus erat. Non est autem admirabile, carbonem quippe spiritali traditione eos panes qui causa sunt luminis et perditionis accipimus. Isaias etenim unum de Cherubim missum, accepisse carbonem de altari, et mundasse suum os dixit. Ezechiel etiam de eisdem carbonibus qui erant in medio Cherubim, tulisse dixit Cherub,

A et dedisse viro qui vestitus erat lineis, ipsum vero dispersisse incendium¹⁰². Docere autem nos legislator volens in aliquo prædicta mysteria, eorundem rationem sacrificiorum his recapitulat verbis, *Quam offeres Domino*, quam utique de clibano, et de sartagine, et de craticula, id est nativitatis Domini, et passionis, et mortis: in his enim totius dispensationis ejus sermo expletus est: in his resurrectionis quoque ejus ratio continetur, quia qui descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes cælos, ut impletet omnia¹⁰³.

Tradet in manibus sacerdotis. Ipsi videlicet Christo, qui postquam appropinquavit altari quod in cælis est, appropinquavit autem carne per ascensionem: nunquam enim separatur a divinitate.

B *Tollet memoriale de sacrificio.* Abundantiam scientiæ, sive cognitionis, sicut jam supra docuimus, quod super altare adolebit apud se, custodiens illud in sæculum futurum.

Quidquid autem reliquum est. Id est, quantum scire nos et perscrutari præcepit.

Hoc Aaron erit et filiorum ejus. Id est, et his qui sublimia de Deo cogitare et sentire possunt, tradit, quos filios Aaron esse prædiximus.

Sanctum sanctorum de oblationibus Domini. Magis idipsum confirmans hoc legislator scripsit; sancta quippe est omnis bona scientia, sed Sancta sanctorum quæ de Dei scientia, sicut oportet, disputare potest.

C *VERS. 11, 12.* « Omnis oblatio quæ offertur Domino absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificium Domino. Primitias tantum eorum offeretis ac munera, super altare vero non ponentur in odorem suavitatis. »

Nihil communionis vult habere doctrinam Dei cum exteriori scientia. Quod enim fermentum alienam doctrinam appellat, aperte ipse Dominus docuit, dicens discipulis suis: *Attendite a fermento Phariseorum et Sadduceorum*¹. Ipsi autem ignorantibus quæ dicebantur, addidit: *Necdum intelligitis, neque cognoscitis quia non de panibus dicitis vobis*². Et tunc cognoverunt quia de doctrina Scribarum et Phariseorum dixisset. Mel vero paganorum doctrinam intelligi, propter suavitatem verborum, et dulcedinem eloquii, Salomon in Proverbiis docet, dicens: *Non respicies ad mulierem meretricem: favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus, novissima autem illius amara quasi absinthium*³. Novissima autem quæ? quando videlicet inter veram sapientiam et fictam, falsoque utentem nomine discernere cœperis. Nam licet Ecclesiæ in Canticis canticorum dicat: *Mel et lac sub lingua tua*⁴, non contradicit presentibus, sed et valde consentit. Neque enim dixit in lingua tua, sed *sub lingua*, ut ostenderet quia paganorum sapientia, et Judæorum littera, linguæ Ecclesiæ, id est doctrinæ subjecta est. Ergo horum

⁹⁷ Hebr. ix, 13, 14. ⁹⁸ Luc. xii, 49. ⁹⁹ Math. iii, 11. ¹⁰⁰ Jerem. xx, 9. ¹⁰¹ Psal. xx, 10. ¹⁰² Ezech. x, 7. ¹⁰³ Ephes. iv, 9, 10. ¹ Matth. xvi, 6. ² ibid. 9. ³ Prov. v, 3-4. ⁴ Cant. iv, 11.

non vult integram Deo doctrinam offerri : inde rationale est. Ergo testamenti evangelici et salis apostolici præmonere nos legislator vult.

Non adolebitur in sacrificium quod est in holocaustum, primitias tantum eorum offeretis. Præcepit enim ex parte illius sapientiæ primitias offerri, non autem plene ea uti, sed quemadmodum cum Paulus apud Athenienses concionaretur, dicens ⁸ : *Sicut quidam vester poeta dixit : Hujus et genus sumus, qui inveniens verbum exterius ad occasionem Dei scientiæ aptum, non quidem respuit, nec tamen addidit, neque enim inde ultra testimonia multiplicavit. Quare? quia Placuit Deo per stultitiæ prædicationis, sicut ipse Paulus ait, salvos facere credentes, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei* ⁹. Propter quod ait legislator :

Super altare vero non imponentur in odorem suavitatis. Et cum liceret dici non ponuntur, non ponentur dixit, ostendens quia, etsi nos tentaverimus de exterioribus divinitatis adipisci notitiam, ad altare Dei tale hoc sacrificium non ascendit, nec odor sit suavitatis Domino, sed inferioribus deputatur tale sacrificium, et, utpote quod de terra habet subsistentiam, ad terram deprimitur.

Vers. 13. « Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal. »

Cernis quia de Deo loquentes non vult nimis exteriori uti sapientia, sed apostolica, de qua Paulus dicit : *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non mundi hujus, neque principum mundi hujus, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam, in mysterio absconditam, quam prædestinavit Deus ante sæcula ad gloriam nostram* ⁷. Et unde est certum, dicis, quia sal pro apostolica sapientia dixit? Plane hoc nobis Dominus ostendit, dicens apostolis : *Vos estis sal terræ; si autem sal evanuerit, ad nihilum valebit ultra, nisi ut mittatur foras, et conculectur ab hominibus* ⁸. Propterea autem sal apostolicam sapientiam appellavit, quia sicut omnis cibus ad nutriendum aptus omnimodo sale conditur, ita et omnis sermo utilis ad juvandum, apostolicæ omnimodo necessarium habet sapientiæ condimentum. Propterea non abesse sal a sacrificiis, sed in omni munere præcepit sal offerri : ut quodcumque docueris, quodcumque correxeris, in quacunque virtute conversatus fueris, ad apostolicam æmulationem atque imitationem opereris, memorque sis Pauli dicentis : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* ⁹. Et rursus : *Ergo jam non estis advenæ et hospites, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu* ¹⁰. Quia autem non simpliciter sal dixit, sed illud intelligibile, legislator innuit :

Non auferes sal, inquit, fœderis Dei tui. Quod si fœdus sive testamentum rationale est, utique et sal

apostolici præmonere nos legislator vult. **Vers. 16.** « Sin autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de spicis adhuc virentibus torrebis eas igni : et confringes eas in morem farris, et sic offeres primitias tuas Domino, fundens super ea oleum, et thus imponens, quia oblatio Domini est, de qua adolebit sacerdos in memoriam muneris, partem farris fracti et olei, ac totum thus. »

Non solum præcipit Dei notitiam sive scientiam eos offerre qui in eadem scientia multum tempus permanserunt, sed et inchoantes illam qualis fuit Paulus : mox enim ut vocatus est, prædicavit. Propter quod sic, quæ nunc dicuntur, intelligamus.

B Primitivus Deo est is qui noviter cœpit credere, et qui ei nullum pridem divinæ scientiæ obtulit fructum. Si ergo ei sacrificium verbi Dei offerimus, scientiam ejus noviter inchoantes, et virentia quidem, ut noviter quid discentes et noviter percipientes obtulerimus : quoniam necdum subtiliter ejus proferre mysteria cœpimus, ut farinam offeramus, aut simillam, necessarium est ut virentia et torrida atque confracta, vel, sicut LXX dicunt, ut recentia frieta, matura fracta offeramus. Quemadmodum enim humectos fructus, et qui necdum possunt moli, ut fiant farina aut similia, quando voluerimus aptos csui reddere, igne eos confringentes, paleas eorum, in eo quod eos frangimus separamus : sic quicumque necdum scientiam solidam habemus, nec subtilem excelsamque theologiam, necdum enim illam discernere idonei sumus, spiritualium Scripturarum perfectam scientiam non habentes, opus habemus eam in igne spiritus fringere, id est illius operationem et subministrationem nobis commodare, ut ab ea litteræ paleas separemus. Ex illo enim sufficientem atque celerrimam Dei scientiam possidebimus, propter quod et eam intelligibilis sacerdos suscipit. Oportet autem nos superfundere oleum, et superimponere thus ; per eleemosynam quippe et orationem scientia in nobis divina perficitur. De quibus hominibus, necnon et de memoriali quod super altare sacerdote accipiente ponitur, in superioribus subtilius exposuimus. Non ergo necesse est nunc expositionem confundere. Quia enim *frieta matura, secundum LXX, fracta sunt*, ea quæ igne frieta sunt, reliqui interpretes Hebræorum explanant pro eo, frixa matura facta, *frixa in igne mollia ediderunt*.

CAPUT III.

Vers. 1-5. « Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, et de bobus voluerit offerre, marem sive feminam immaculatum offeret eorum Domino, ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi : fundentque filii Aaron sacerdotis sanguinem per circuitum

⁸ Act. xvii, 28. ⁹ I Cor. i, 24. ⁷ I Cor. ii, 6, 11, 19.

7. ⁸ Matth. v, 13, ⁹ I Cor. iv, 16. ¹⁰ Ephes.

altaris, et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino: adipem qui operit vitalia, et quidquid pinguedinis intrinsecus est: duos renes, cum adipe quo teguntur illa, et reticulum jecoris cum renunculis: adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito, in oblationem suavissimi odoris Domino. »

Recte David propheta psallebat: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me*¹¹. Quoniam conversationes Deus hominibus differentes per legem sanxit, et in modum scalarum virtutes ordinavit, ut alii quidem liceret omnes assequi, alii autem quasdam, ut sursum tamen quisque sublevaretur a terra: hoc quippe et differentia sacrificiorum significabat. Nam hic quidem de nobis holocaustum offeret, totum semetipsum Deo offerre volens, et sicut Paulus dicebat: *Christo confixus sum cruci*¹². Alter sacrificium pacificorum sive salutare, qui desiderat salutem, etsi non potest nimis sublimiter conversari: nam et si non valet virginitatem quispiam consequi, in casto autem conjugio conversetur, veniam percipit a Domino, qui dixit: *Non omnes capiunt verbum*¹³, quando de virginitate apostolis exponebat. Sed tamen inter eos qui salvantur necessarie ordinantur. Hoc ipsum autem et de contemptu rerum, et de justitia, et de cibo cum gratiarum actione, quia magnus est qui magna, et parvus, non tamen minimus, qui saltem mediocria consequi potest. Ut probaretur ergo quia vite conversationum species sunt ad justificationem hominum, duas sacrificiorum spontaneorum definitiones posuit; ait enim in libro Exodi: *Altare de terra facietis mihi, et immolabitis super eo holocaustata et pacifica vestra, oves vestras et boves. In omni loco in quo nominatum fuerit nomen meum, veniam ad te, et benedicam tibi*¹⁴. Et præcepit quidem pacificorum holocaustum, subinfert autem: *Et pacifica*, velut secundi ordinis et virtutis. Quicumque ergo solum sibi hoc putat sufficere si salvetur, is quidem de bobus offeret (esse autem bovem diximus eos qui circa agenda ea quæ legis sunt vacant); sive masculum, sive feminam, immaculatum tamen munus offerat. Equidem eum qui holocaustum offeret, non præcepit offerre feminam, nequaquam feminam privans ab hujusmodi conversatione, sed ostendens quia perfecta sapere, proprie virorum est. Quod etsi mulier hæc sapiat, vir hæc, utpote fortis, appellabitur, de qua Solomon dixit: *Mulierem fortem quis inveniet*¹⁵? demonstrans quia fortitudo, id est perfectio, difficile in mulieribus invenitur. Pacificorum autem sacrificium, similiter virorum et mulierum est, oportet enim et mulieres ita vivere, sicut aptum est ad salutem. Sed quam ob rem manus imponere super caput victiæ præcipiantur, et immolare in introitu tabernaculi, sanguinemque fundere in circuito altaris, in sacri-

ficiis holocaustatum sufficere discussimus. Quid autem Deo offerre de suo sacrificio necesse habeant qui salvari volunt, hoc queri et considerari necessarium est. Offerunt enim de hostia pacificorum in oblationem Domini, adipem qui operit vitalia, et quidquid pinguedinis intrinsecus est. Vel, sicut Septuaginta, *adipem qui operit ventrem, et omnem adipem qui in ventre est*, per ventrem cor significans: ideo autem secundo ejus in supra dicta editione nomenclaturam fecit, quia duas habet operationes, sicut dicunt medici. Etenim per unam partem trahit alimenta, quod ventrem superiorem, per aliam purgationes discernit, quod ventrem inferiorem vocant. Renes vero coitalium seminum sunt ministeria, habent autem communionem cum ventre et femoribus: atque hujus rei gratia adipem primum, qui supra ventrem est, et duos renes, et rursus adipem qui super eos est, id est, super femora, utpote quæ vicina sunt renibus, jubet offerri, quia inter medium femoris et ventris renes siti sunt. In jecore autem, id est in hepate delectationem, sive concupiscentiam constitutam esse dixit. Unde secundum Septuaginta hepatis pinnam cum renibus offerri dictum est, utpote hepate in renibus vim operationis suæ ministrantem. Sed quid per hæc significat, vel quid sancivit, qui salvari volentibus, etiam nunc in parabolis os aperuit? Quia oportet hostiam, id est primitias et holocaustata, Deo ab his qui salvari volunt, intelligibilem adipem, videlicet desiderium, quod græcè ἐπιθυμίαν dicunt, offerri, qui prius quidem operit superiorem ventrem, deinde inferiorem: ut et in cogitando, et in implendo, desiderium Deo offeramus: oportet enim proponi prius, et postea compleri. Propter quod et Paulus dicebat: *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*¹⁶. De illo quippe nunc ventre legislator loquitur, de quo Jeremias inquit: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo*¹⁷: non frustra et ipse dupliciter nominans, sed ut duplicem operationis ejus vim significaret. Ne forte autem corporalem necessitatem accusandum putaremus, subintulit: *Et sensus cordis mei conturbati sunt*¹⁸. Ergo venter animæ cor est, in quo prius proponimus quasdam actiones, postea autem conamur implere. Proponere ergo appetere quoddammodo est, festinare autem perficere, digestio forsam quoddam proprie dicatur. Quorum utrorumque desiderium quod adipem clamavit, necesse habemus Deo offerre, ut nihil pravum proponamus, neque expleamus. Bene autem super ventrem superiorem, qui est appetitus, adipem qui operit ventrem ait: quia maxima pars desiderii circa appetitum, et circa propositum est. Inferiori autem ventri duos renes conjunxit, diximus enim quia communionem renes ad cor habent: unde David ait: *Ure renes meos et cor meum*¹⁹. Audi etenim Dominum

¹¹ Psal. xxiv, 4. ¹² Galat. ii, 19. ¹³ Matth. xix, 11, 1. ¹⁴ Jerem. iv, 19. ¹⁵ ibid. ¹⁶ Psal. xxv, 2.

¹⁷ Exod. xx, 24. ¹⁸ Prov. xxxi, 40 ¹⁹ Tim.

per Jeremiam prophetam dicentem : *Ego Dominus, A* *scrutans corda et probans renes*²⁰. Nullo modo autem membra hæc prophetia conjunxisset, nisi omni modo quidpiam eis commune fuisset, motus enim irascendi in corde, in renibus autem memoriam ejus jacere medici dicunt. Unde innocentiae sibi testimonium perhibens David : *Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum*²¹, ait, et renes uri, atque cor postulavit, utpote cui utraque poterant testimonium perhibere. In renibus istis etiam seminis causa est, unde et communione cum femoribus habere, quia ipsi coitalibus actionibus viam præbere putantur. Unde Jacob patriarcha dicebat : *Non deerit sceptrum de Juda, nec dux de femoribus ejus*²², per femora seminis derivationem seu descensionem significans. Vult ergo et nuptiarum desiderium offerri Deo, ut prolis causa, non fornicationis proveniat, et honorabile sit conjugium, et torus immaculatus. Sed et hoc quod in nobis est irascibile, Deo debet offerri; sic enim non ad operationem peccati, sed ad destructionem peccati irasci poterimus, et David in nobis implebitur Scriptura : *Irascimini, et nolite peccare*²³. Quia enim est ira placens Deo, quando non ad nocendum, sed ad corrigendum proficit, probat aperte, quod primum de Moyse in Exodo scribitur, ait enim : *Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, et choros, iratusque valde projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radices montis, arripensque vitulum quem fecerant, combussit, et contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam et dedit ex eo potum filiis Israel*²⁴. Non tamen in his reprehensus est, sed imo multum admirabilis existit : ex zelo enim tanta ira usus est legislator, quia et Deus irasci in multis sacræ Scripturæ dicitur locis, nequaquam autem de eo hoc, si malum fuisset, diceretur. Et hæc quidem ita se habent. Quia autem in hepate concupiscentiæ requiescere putantur, propterea pinnam, id est, summitatem auferri cum renibus præcepit, et offerri ad altare, ut ab omni mala delectatione mundemur, scientes quia primitiva cogitationum nostrarum Deo necesse habemus offerre, sanctificantes per delibationem et massam. Si enim delibatio sancta, inquit, et massa, sic enim in nobis delectatio mala non fiet. Sed si divitiis quis delectatur, divitiis justitiæ quærat, sive salute, eam quæ est in subjectionem et refrenationem corporis, sive conjugio, illo quod in filiorum procreatione est et in pudicitia. Oportet autem nos reminisci quia nunc non eum qui se crucifixit, et mortificavit mundo, sed eum qui mediocriter conversatur, legislator descripsit. Unde ejus et renes offerri jubet, ostendens quia de eo qui in conjugio conservatur, loquitur : esse autem in renibus diximus coitalis operationis semina. Veruntamen ita se quis debet disponere, ut omne desiderium, et propositum cujuslibet actionis, et consummationem

Deo offerat, sed et a mala ira, et a tali delectatione mundari debet. Propterea enim motum iræ, et delectationum primitias, ipsumque totum conjugium per pinnam hepatis et renum offert, recteque potest suam conversationem ad supernum altare offerre, et super holocausta, et super ligna quæ sunt super igne. Secundum enim mandata spiritus conversatur, et hostia Domino suavissimi odoris efficitur. Placet quippe ei perficere fructum non solum centesimum, sed et sexagesimum, et tricesimum.

VERS. 6-17. « Si vero de ovibus fuerit ejus oblatio, et pacificorum hostia, sive masculum, sive feminam obtulerit, immaculata eruat. Si agnum obtulerit coram Domino, ponet manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonii : fundentque filii Aaron sanguinem ejus per altaris circuitum, et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino, adipem et caudam totam cum renibus, et pinguedinem, quæ operit ventrem, atque universa vitalia, et utrumque renunculum cum adipe, qui est juxta ilia, reticulumque jecoris cum renunculis. Et adolebit ea sacerdos super altare in pabulum ignis, et oblationis Domini. Si capra fuerit ejus oblatio, et obtulerit eam Domino, ponet manum suam super caput ejus, immolabitque eam in introitu tabernaculi testimonii : et fundent filii Aaron sanguinem ejus per altaris circuitum, tollentque ex ea in pastum ignis Domini adipem, qui operit ventrem, et qui tegit universa vitalia, duos renunculos cum reticulo quod est super eos circa vitalia, et arvinam jecoris cum renunculis. Adolebitque ea sacerdos super altare in alimoniam ignis, et suavissimi odoris. Omnis adeps Domini erit jure perpetuo in generationibus, et cunctis habitaculis vestris, nec adipem, nec sanguinem omnino comedetis. »

Quem bovem offerre, et quem rursus ovem, quamve capram legislator præcepit, olim in his quæ de holocaustis dicta sunt exposuimus. Diximus enim sacrificia conversationibus offerentium esse comparata : et differentia sacrificiorum differentias conversationum esse figuratas : ergo bovem, legatum mandatorum operatorem ostendimus, oves autem simplices esse diximus, capras etiam simplices quidem versatos in peccatis, sed tamen postea conversos. Sed ibi ovibus etiam caprarum sacrificium miscuit, ait enim :

Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus sive de capris holocaustum anniculum absque macula offert Septuaginta autem sic edunt : Si ab ovibus manus ejus, ab agnis et hædis in holocaustum, masculum immaculatum offeret illum, quia oves genus quodammodo esse agnorum et hædorum complexum Vetus Testamentum æstimavit. Invenies tamen, sed et apud prophetam Amos capras appellatas oves; ait enim : *Non sum propheta, nec filius propheta*²⁵, sed ἀπόλο; ego sum, vellicans sicamina. Et sustu-

²⁰ Jerem. xvii, 10. ²¹ Psal. xxv, 1. ²² Gen.

²³ Amos vii, 14.

xlix, 10. ²⁴ Psal. lv, 5. ²⁵ Exod. xxxii, 19, 20.

lit me Dominus ex gregibus ovium. Cum proprie *ἀιπόλο*, qui capras pascunt appellentur, manifestum est quia et capras inter oves posuit. Quia ergo quaedam ex ipsis agnos, quaedam capras lex dicit, quorum quidem agni simplices tantum: et qui nihil peccaverunt significantur: caprae autem, simplices quidem, sed qui peccaverunt, et conversi sunt. Horum sacrificium unum quodammodo esse in holocaustibus recte traditum est. Cum autem qui perfecta vult sapere, etsi peccator fuit, ex quo vitam perfectam elegerit, sic oportet conversari, sicut illum qui ante non peccavit. In sacrificio autem pacificorum, cum eadem custodisset tam in sacrificio ovium, quam caprarum et boum, unum hoc plus in ovibus custodivit, quod non solum adipem, reticulumque jecoris, vel secundum Septuaginta pinnam hepatis, sed renes et caudam. Vel idem secundum Septuaginta lumbum immaculatum cum renibus jussit offerri. Quia enim ut simplex, multa quae operari debuit, omisit, debet suam virtutem offerre Deo, ut non virtute sua in malum ut simplex, sed magis utatur in bonum, et manifestum faciat, quia nihil ex his quae scire potest, et exsequi omisit. Nam quod pro virtute, qua maxime lumbus apud sanctam Scripturam accipitur, cognoscis ex his in quibus Roboam circumstantes pueri contra populum humiserunt, ut fortem semetipsum et terribilem demonstraret: *Huc dices ad eos: Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei*²⁶. Sed et Israelitas cupiens Deus armare ad virtutem, Moysi ita praecepit: *Sic comeditis illum: lumbos vestros praecingetis, calceamenta habentes in pedibus, tenentes in manibus baculos, et comedetis festinanter*²⁷. Paulus etiam, cum contra principes et potestates indiceret bellum, dixit: *State succincti lumbos vestros in veritate, indui lorica justitiae*²⁸. Sed et Dominus apostolis dicebat: *Sint lumbi vestri praecincti*²⁹. Sed etsi cooperatorem dicamus lumbum coitalium commisionum, in ipsis enim et renes rejacent, unde et Paulus de Levi ad Hebraeos scribens ait: *Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obvius est ei Melchisedech*³⁰. Recte cauti redduntur simplices, utpote qui ex simplicitate facile poterant ad voluptatem trahi, ut non solum renes, et adipem, qui super ipsos est, sed et lumbum, qui est in renibus, offerant Deo. Quod autem adjicit in eadem translatione:

Sine macula integrum, sic intellige, quod explanans Symmachus, pro *immaculato* integrum proposuit, Aquila autem *perfectum*: nam et propterea cum renibus addidit, integrum illud perfectumque, secundum quod diximus, offerri volens, ne aliud ejus Deo, aliud autem adversario simplex offeratur. Sufficit enim huic ad veniam, ea quae virtutis sunt non agere: nam cum mala operatur, veniam non habebit. Unde simplices ut columbas jubet esse Dominus³¹, quia columbae nimiam quodammodo

A simplicitatem habent, verumtamen ab omni malitia mundae sunt. Qui autem ex bobus sacrificium offert, utpote operator legalium mandatorum, non habet necessitatem lumbum offerre, quia hoc in correctione bonarum sortitus est actionum. Is autem qui de capris immolat, etsi simplicis est generis, verumtamen quia ex peccatoribus conversis intellectus est, non potest lumbum immaculatum offerre, olim quippe cum peccato maculavit. Manifestum est ergo quod hic quidem, utpote qui non fuerat in peccatis, immaculatum lumbum offerre potest. Qui vero fuit, hic jam non offert lumbum in sacrificiis: siquidem quae sunt, de capris ascribitur, de quibus lumbum offerri non sancivit, et hoc erat, propter quod in sacrificio pacificorum ab agnis capras distinxit. Communia autem sunt alia, de quibus loqui necessarium non habemus, in oblatione enim boum sufficienter tractatum est. Illud autem oportet cognosci, quomodo ubi ait:

Adolevit ea sacerdos super altare in alimoniam ignis, et suavissimi odoris, cum Septuaginta edidissent: *Offeret illud sacerdos a. altare, extra odorem suavitatis*, caeteri interpretes in sacrificio quidem holocaustatum, pro *extis holocaustata*: alii autem oblationem ediderunt. In hoc autem pacificorum sacrificio, hic quidem panem, alii autem frumentum: demonstrantes sine dubio quia, etsi non perfectae philosophiae sit oblatio, hoc enim est holocaustatum sacrificium, verumtamen sufficiens est etiam haec pascere in his quae sunt ad salutem, et fortitudinem dare offerenti. Hoc enim nutrimentum panem praebere David propheta dicit, cum ait: *Panis enim confirmat cor hominis*³².

Omnis adeps Domini erit jure perpetuo in generationibus, et cunctis habitaculis vestris, nec adipem nec sanguinem omnino comedetis. Adipem, ejus qui in nobis est desiderii seu concupiscentiae, sanguinem vero animae figuram gerere diximus. Quia ergo adipem in aeternum praecepit Domino offerri, manifestum est quia consecrari Deo nostrum desiderium sive concupiscentiam vult. In aeternum autem hoc, ne ad Deum illud et ad mundum dividamus, Propter quod et addidit:

In generationibus, id est per singulas aetates; hic generationes autem, permutationes aetatum intelliguntur, quod ostendit Jeremias, cum populo Judaico in Babylonia scriberet, in septem generationibus, septuaginta annorum dicens numerum: qui non hoc diceret, si non ex eo aetatum rices succedentium significaret; ait enim: *Ingredientes in Babylonem, eritis ibi annis plurimis, et longo tempore, usque ad generationes septem*³³.

In cunctis autem habitaculis, id est in omni conversatione, sive socialem hanc agamus, sive solitariam assequamur vitam; unde David dicebat: *Qui habitare facit unanimes in domo*³⁴. Adipem

²⁶ III Reg. xii, 10. ²⁷ Exo. l. xii, 11. ²⁸ Ephes. vi, 14. ²⁹ Luc. xii, 55. ³⁰ Hebr. vii, 10. ³¹ Matth. v, 16. ³² Psal. ciii, 15. ³³ Baruch vi, 2. ³⁴ Psal. cii, 9.

atque sanguinem præcepit omnino non comedi. Adipem ad hoc, quia desiderium sive concupiscentiam nos habere propriam, id est carnalem, non vult. Propter quod Jacobus dicebat: *Unusquisque autem tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus*³⁵. Sanguinem autem, ut nec ad suam mortem, neque ad proximi currat: bestiarum quippe hoc est crudelium proprium. Ideo dixit: *Non edetis omnem sanguinem*, non solum nos proximis parcere, sed et nobismetipsis præcipiens, nam et ad Noe aperte talia rursus præcepit: *Carnem cum sanguine non comedetis, sanguinem enim animarum vestrarum requiram*³⁶, significans quia per abstinentiam sanguinis, ab homicidiis vult abstinere hominem. Pro Deo autem nec immolari vetuit, nec despiciere animam, sed et omnino præcepit, unde et sanguinem circa basim fundi altaris jussit.

CAPUT IV.

Vers. 1-12. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel: Anima cum peccaverit per ignorantiam, et de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quidpiam fecerit, si sacerdos qui est unctus peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino, et ducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ponetque manum suam super capite ejus, et immobilabit eum Domino. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii: cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget ex eo septies coram Domino contra velum sanctuarii, ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonii. Omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocaustorum in introitu tabernaculi. Et adipem vituli offeret pro peccato, tam eum qui operit vitalia, quam omnia quæ intrinsecus sunt, duos renunculos, et reticulum quod est super eos juxta ilia, et adipem jecoris cum renunculis, sicut auferetur de vitulo hostiæ pacificorum, et adolebit ea super altare holocausti. Pellem vero, et omnes carnes cum capite et pedibus, et intestinis, et fimo, et reliquo corpore, offeret extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent, incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur.

Nihil eorum quæ necessaria fuerunt legislator omisit, designans quippe conversationum differentias, et ostendens nobis vias in oblatione sacrificiorum, quibus nos oporteat conversari. Post hoc necessarie exponit Christi sacrificium, per quod nobis peccatorum remissio et redemptio concessa est. Quod cognosces, si legislatoris verba discussis, et imaginis hujus colori res ipsas sacrificii unigeniti comparaveris. Ante alia ergo hoc nunc primum

intende, quia peccata dixit esse animæ: quidam enim corpus quasi causale peccati accusant, sed non ita est; nam si sana sit anima, nihil illi nocebit carnis luxuriæ: quam si, secundum quem oportet modum regat anima, recedit et cessat. Si autem dicitis: Atqui nolentem eam peccare dixit: veruntamen non coactam a carne, sed ignorantia boni, quam ex negligentia et imitatione deteriorum patitur, per quam etiam suavia, ea quæ noxia sunt, æstimat. Sed et hoc vide, quomodo in multis sacerdotem permiscet; ait enim:

Anima cum peccaverit, et de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quidpiam fecerit, si sacerdos qui est unctus peccaverit. Siquidem sacerdos qui est unctus peccavit: similem dicit alii sacerdotem pro peccatis offerentem, quia et Christus nobis se similem præbuit; de ipso quippe ait Paulus: *Propter quod debuit per omnia fratribus similis esse, ut misericordis fieret, et fidelis sacerdos in his quæ ad Deum sunt, ad reconcilianda peccata populi*³⁷, plurima nimis hujus legis in Domino exponens. Sed jam sunt exquirenda sequentia. Nam ecce legislator peccatum ipsius sacerdotis, peccatum populi appellavit: quia negligens sensibilis sacerdos, aut peccans ipse, aut non vindicans in peccatoribus, illicit eos qui rudes sunt ad similia. Intelligibilis autem nec ipse peccatum fecit, nec nos vel paruum neglexit, qui cum lege nobis naturali etiam scripta dedit, et non sine testimonio, sicut ait Paulus, semetipsum relinquit. Veruntamen quia figura hæc coaptanda est in Christo, secundum quod possibile est, ut per omnia imaginis consummaretur color, hoc quod dictum est, secundum quod dignum est Christo intelligibili sacerdote debemus accipere. Si enim Dei longanimitate non volentis peccatorem perdere, usus fuisset, videretur licentiam dare peccantibus, propter quod Isaias dicit: *Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis? Indurasti cor nostrum, ne timeremus te*³⁸. Habacuc etiam similia quodammodo queritur: *Quare non respicis super inique agentes, et taces devorante impio justiore se? et facies hominis quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem*³⁹. Hoc et Paulus ad Romanos scribit; ait enim Christum factum nobis fuisse *propitiationem per fidem in suo sanguine, ad ostensionem justitiæ suæ*⁴⁰. Cujus autem justitiæ subdidit: *Per redemptionem præcedentium peccatorum in sustentatione Dei.* Aperte ergo videtur legislator illum sacerdotem significare, cui dictum est: *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*⁴¹, eum qui a Patre unctus est, ad quem David dicebat: *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi; virga recta est, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus*⁴². Quia autem ipsum sacerdotem hic nunc legislator significavit, ex eo manifestum est in omni quidem turba filiorum Israel, et principe,

³⁵ Jac. II, 14. ³⁶ Gen. IX, 4. ³⁷ Hebr. II, 17. ³⁸ Isa. LXIII, 17. ³⁹ Habac. I, 13, 14. ⁴⁰ Rom. III, 25, 26. ⁴¹ Psal. CIX, 1. ⁴² Psal. XLIV, 7, 8.

et in unoquoque de populo cognoscente peccatum suum, offerre præcepit; hic autem non ita, sed ait:

Si sacerdos qui est unctus peccaverit, delinquere faciens populum. Et primum peccato eum populi subjicit, quia Christus populi peccata portabit. Deinde non ait sicut de aliis: *Et postea intellexerit peccatum suum.* Cum enim Deus esset, et omnia sciens, quomodo poterat ignorare quæ a nobis peccata suscepit? Hic ergo pro peccatis nostris convenienter sacrificium obtulit, de quo Paulus Hebræis scribit: *Sic et Christus semel oblatus ad multorum exhauriendâ peccata, secundo sine peccato apparebit expectantibus se in salutem*⁴², offeret tamen se pro peccato suo. Septuaginta autem addunt, *quod peccavit.* Peccatum autem ejus, sicut qui semel illud in se suscepit, nostrum peccatum dicitur, unde et Paulus dicebat: *Obsecramus pro Christo reconciliari Deo, et qui nesciebat peccatum, peccatum pro nobis fecit*⁴³.

Vitulum autem immaculatum. Domino videlicet Patri offert carnem suam, immaculatam vero, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus⁴⁴. Vitulus autem est, quia in cruce intelligibiles nostros inimicos ventilavit. Quia autem Septuaginta vitulum de bobus edunt, idem intelligimus dictum de bobus, quia secundum carnem de patribus fuit, qui de legis exstiterunt justitia gloriosi. Ubi autem offert vitulum, id est carnem suam?

Ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino. Ad ostium quidem, ut sacrificium Christi secundum doctrinas et traditiones apostolorum factum fuisse intelligamus. Has enim esse ostia tabernaculi testimonii superius ostendimus, utpote ad cælum introitum præsentia, quod tabernaculum esse testimonii docetur, atque probatur. Habet enim Isaias apertissimam testimonii probationem, dicens: *Qui extendit velut nihilum cælum, et expandet eos sicut tabernaculum ad inhabitandum*⁴⁵.

Coram Domino autem, quia inspiciente Patre consummabatur crucis mysterium, in tantum ut etiam aspicienti utique Patri diceret Dominus: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*⁴⁶. Ponere autem eum manum super caput vituli, et jugulare vitulum præcepit; nemo enim illum obtulit, sed nec immolare poterat, nisi semetipsum ipse ad patiendum tradidisset. Propter quod non solum dicebat: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam*⁴⁷; sed et præveniens semetipsum in cœna apostolorum immolavit, quod sciunt qui mysteriorum percipiunt virtutem. Hunc sacerdotem Septuaginta non solum unctum sive linitum, sed et consummatum manibus appellaverunt: consummatus est enim manibus prius in mystica cœna, accipiens panem et frangens, deinde per crucem, quando ligno affixus est. Tunc sacerdotii suscipiens dignitatem, vel potius cum semper

A habuerit, tunc opere expiens etiam, hoc quod pro nobis erat, sacrificium consummavit. Hic ipse de sanguine vituli hauriens, infert illud in tabernaculo testimonii. Sed quia vitulum oportet carnem Domini accipere, ipse prodigi filii exponens parabolam docuit, cum patrem occidisse ei vitulum sanguinatum, et primam dedisse stolam, et annulum diceret, per vitulum sacrificium unigeniti, per stolam baptisma, per annulum signans pignus Spiritus⁴⁸. Quia enim de sanguine in tabernaculo testimonii intulit, docet et Paulus ad Hebræos, dicens: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis, nec per sanguinem taurorum et vitulorum, sed per propriam sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione inventa*⁴⁹. Et rursus: *Neque enim in manufacta sancta ingressus est Christus forma verorum, sed in ipsum cælum, ad ostendendum se vultui Dei pro nobis*⁵⁰. Hic ergo tabernaculum testimonii, cælum quippe, quia in ipso habitare Deum prophetæ testificati sunt, intelligamus: *Qui habitat in cælis, inquit, irridebit eos*⁵¹. *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Unigenitus*⁵², de semetipso dixit hominibus. Ibi sanguinem introduxit, quia cicatrices portans passionem, a mortuis resurrexit, unde et suam corpus palpandum Thomæ præbuit⁵³, atque ita in cælos ascendit. Probant autem sequentia:

Quicumque intinxerit digitum in sanguine, asperget de eo septies coram Domino, contra velum sanctuarii. Multis nominibus carnem Domini appellat, quia et multas operationes implevit. Unde et ipse Dominus modo quidem semetipsum sacrificium, modo pastorem, deinde rursus vitem, panem vitæ, et granum tritici, opportune dispensatoriis verbis varians, suas appellationes nominavit. Et nunc ergo velum ejus carnem appellavit: dubitare enim hoc non possumus, Paulo ad explanationem hujus mysterii dicente: *Habentes, fratres, confidentiam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est, carnem suam, et sacerdotem magnum, in domum Dei introeamus, cum puro corde, in satisfactione fidei*⁵⁴. Propterea et sanctuarii velum appellatum est, figuram quippe carnis sancti sanctorum gerebat. Quia ergo digitus Dei virtus ejus dicitur, unde magis Pharaonis cedentes miraculis Moysi dicebant: *Digitus Dei est*⁵⁵. Et David ei psallebat: *Quoniam video cælos, opera digitorum tuorum*⁵⁶. Ipseque rursus Dominus Judæis dicebat: *Quod si in digito Dei ego ejicio dæmonia, igitur pervenit in vos regnum Dei*⁵⁷. Convenienter digitum in sanguinem intingit, ut ostendatur quia passiones carnis Dominicæ, virtute divinitatis actæ sunt; nam quomodo poterant talia fieri tunc, id est, solis recessus, terræ motus, scissio petrarum et similia? Hic ergo virtute divinitatis

⁴² Hebr. ix., 28. ⁴³ I Cor. v, 20, 21. ⁴⁴ Isa. lxxi, 9. et I Petr. ii, 22. ⁴⁵ Isa. xl., 22. ⁴⁶ Luc. xxiii, 46. ⁴⁷ Joan. x, 18. ⁴⁸ Luc. xv, 11 seqq. ⁴⁹ Hebr. ix, 11, 12. ⁵⁰ ibid. 24. ⁵¹ Psal. ii, 4. ⁵² Joan. iii, 13. ⁵³ Joan. xx, 25 seqq. ⁵⁴ Hebr. x, 19-22. ⁵⁵ Exod. viii, 19. ⁵⁶ Psal. viii, 4. ⁵⁷ Luc. xi, 20.

passionem suscipiens, aspersit quidem suam carnem, aspersit autem septies, quia pro remissione hoc peccatorum, et pro subministrando nobis sancto Spiritu fecit. Utrumque enim prædictus designare consuevit numerus, ita ut Petrus diceret Domino : *Si peccaverit in me frater meus, quoties dimitto ei? usque septies*⁵⁵? responderet autem Dominus : *Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies*⁵⁶, multiplicatque numerum propter operationes spiritus; septem enim propheta Isaias numeravit dicens : *Et requiescet super eum spiritus Domini*; Deinde ejus dona dividens ait : *Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini*⁵⁷. Quod autem sanguinem oportet nos in passione ejus accipere, probant Pilati et Judæorum verba; dum enim traderetur cruci, ipse quidem clamat : *Mundus sum a sanguine justis hujus. Illi autem : Sanguis ejus super nos, et super filios nostros*⁵⁸? Hujus aspersionis et Petrus in catholica Epistola meminit, apostolum se nominans *secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificatione Spiritus, in obedientia et aspersione sanguinis Jesu Christi*⁵⁹. Si autem dicis quia passio quidem ejus, antequam ascenderet in cælos, provenit, legislator autem dicit post ingressorem sacerdotis in tabernaculo testimonii, quod nos cælum significare diximus, Si intingis digitum in sanguinem et aspergis: verum cognosce quia qui inferior crucifixus est carne, in cælo est divinitate; et propterea principibus sacerdotum judicantibus eum et crucifixuris dicebat : *Dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris Dei*⁶⁰. Quod autem dixit, *amodo*, ostendentis fuit, quia quo tempore vitulus immolabatur in inferioribus, eo tempore ut Pontifex ipse sibi sacrificium offerret in cælo. Quibus conveniunt et subsequencia : *Ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino quod est in tabernaculo testimonii. Hic sedem Cherubim signat, quia enim sunt altare, Isaias per visionem Seraphim manifestavit; ait enim : Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari*⁶¹. Thymiamata autem, sicut Septuaginta dicunt, compositionis, compositionem omnium sicut in thymiamate virtutum dicit, quæ sunt intelligibile thymiamata. Ubi quippe decet virtutes, nisi in sede Dei esse compositas? in quibus, etsi in terra conversatio est, de cælo tamen descendunt. Unde et Paulus de his qui in virtutibus conversabantur dixit : *Nostra autem conversatio in cælis est*⁶². Jacobus vero ait : *Quæ autem descursus est sapientia, primum quidem benigna est*⁶³, sapientiam dicens unam de generalibus esse virtutibus: post hanc enim fortitudo, et justitia, et castitas, multo magis et cæteræ cum hac ordinantur, quæ dum sint quatuor, ut arbitror, et excellentes, cornua prædicti altaris quia genera sunt aliarum virtutum, convenienter nominantur. Ait autem et Isaias : *Misericor-*

A diæ Domini memorabor, reminiscens virtutum ejus. Has Dominus ungit proprio sanguine, virtutem eis præstans majorem perfectioremque, ut contra adversariorum vires prævalere possint. Omnem reliquum sanguinem vituli, fundi circa basim altaris holocausti, quod est in tabernaculo testimonii, præcepit. Altare holocaustatis, rursus Christi corpus intelligamus: sicut enim ipse sacerdos et sacrificium est, sic et altare est. Si autem in multis nominibus unum est quod significatur, diximus quippe eum oportere intelligi etiam velum, nihil est quod ex hoc possit obsistere; dum enim multæ sint in ipso operationes, convenienter etiam multa sunt nomina. Nec ex his interpretationem respici quasi mendacem fas est, divinæ quippe Scripturæ mos est unam rem multis insinuare nominibus, quod demonstrat Zacharias; ait enim : *Et respondi, et dixi ad eum: Quid sunt duæ olive istæ ad dexteram candelabri, et ad sinistram ejus? Et respondi secundo et dixi ad eum: Quid sunt duæ species olivarum quæ sunt juxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro? Et ait ad me dicens: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non scio, Domine. Et dixit: Isti sunt duo filii olei splendoris, qui assistunt Dominatori universæ terræ*⁶⁴. Equidem Zacharias de duobus quibusdam inquit, de oleis, et de effundentibus in candelabro oleum. Cui autem respondit angelus, duabus interrogationibus unam interpretationem retulit. Quia autem intelligibile altare corpus Domini, et beatus Paulus intelligit, ipso dicente cognosce; ait enim : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem hi qui tabernaculo deserviunt*⁶⁵, corpus videlicet Christi dicens, de illo enim comedere Judæis fas non est. Hoc altare necessarie in introitu tabernaculi testimonii, id est, in introitu cælorum est, quia per ipsum ingressura habemus in cælis. Sed jam reliqua hujus sacrificii discutiamus. Quæcumque enim in sacrificio pacificorum, seu salutari præcepit, eadem fieri etiam in hoc præcepit, duos renunculos offerri, et reticulum quod est super eos, et adipem jecoris, quod Septuaginta edunt *et pinnam hepatis*, et adoleri ea super altare holocaustatum. In duobus sacrificium dividens, quatenus omnibus liceat Christi sacrificium imitari, id est, tam his qui inferioris sunt conversationis, eis quippe convenire pacificorum diximus sacrificium, quam altiora sapientibus, quibus imitari sufficit quæ sequuntur.

Pellem vero et omnes carnes cum oapite, et pedibus, et intestinis, et fimo, et reliquo corpore efferet extra castra. Quod præcepit ut non Christum dividas, sicut quidam dividunt dicentes: Is qui de Maria est, passus est: qui autem de Deo Patre est, passus non est. Nobis enim unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia: quia secundum quod Paulus dixit: Cum ut homo pateretur, miracula tamen in passionibus operatur, ut Deus, sed nusquam divisus.

⁵⁵ Matth. xviii, 21. ⁵⁶ ibid. 22. ⁵⁷ Isa. xl, 2, 5. ⁵⁸ Matth. xxvii, 24, 25. ⁵⁹ 1 Petr. i, 2. ⁶⁰ Matth. xxiii, 64. ⁶¹ Isa. vi, 6. ⁶² Philipp. iii, 20. ⁶³ Jac. i, 17. ⁶⁴ Zachar. iv, 11-14. ⁶⁵ Hebr. xiii, 10.

Propter quod carnem ejus, id est, humanitatem A videlicet, tam eum qui apparebat, quam qui in occulto erat, hominem, de quo ait Paulus: *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur* ⁷⁰. Caro enim in Domino, omnis ejus humanitas, quia *Verbum caro factum est* ⁷⁰, dicitur. Propter quod et carnem ejus cum capite et pedibus, vel cum capite et extremis videlicet pedibus, sic enim ceteri interpretum ediderunt, jussit incendi: ut per prædicta verba eum qui pro nobis passus est, esse a principio et in novissimis intelligeremus, de quo ait Paulus: *Quia in ipso creata sunt omnia, quæ in cælis, et quæ in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnia, et omnia in ipso constant; et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus a mortuis: ut sit ipse in omnibus primatum tenens* ⁷¹. Insuper cum intestinis et fimo; vel sicut Septuaginta, cum ventre et stercore edunt, ut quia mentis intelligibilis venter figuram gerit, sicut in sacrificiis aliorum holocaustorum ostendimus, ex eo mentem habuisse nostram eum qui pro nobis passus est, minime ignoremus, quod quidam hæreticorum negant. Fimus autem peccata generis humani significat, quæ crucifixus in se suscepit: hæc enim fimus Domini verisimiliter dicuntur. Fimus quippe cum sit immundus, gentem non polluit, neque naturæ nostræ est, quamvis sit in nobis, sicut et peccata nostra, quæ portavit Dominus, et aliena fuerunt ab eo, et eum nullatenus polluerunt, permansit enim sine peccato. Totum ergo vitulum, id est totum Christum, extra castra in loco mundissimo, ubi effundi cineres solent, ejici legislator jubet, apertissime sacrificii Christi locum significare studens, extra enim castra passus est, quod testatur Paulus dicens: *Ideo et Jesus, ut sanctificaret plebem, extra portam passus est* ⁷². Quis autem mundus est cineris locus, Golgotha videlicet, et in tantum mundus, ut mundum totum ipse mundaret. Cineris autem recte locus est dictus, quia in ipso extincta sunt peccata humani generis, unde et mundus locus appellatur.

Incendentque ea super lignorum struem. Ligna autem in igne Scripturas sacras diximus. Quæcunque autem in Domino tempore passionis gesta sunt, ad implenda ea quæ prophetæ dixerunt, sunt gesta, quod manifestat Dominus quando a Judæis comprehensus est, dicens: *Tanquam ad latronem exiatis cum gladiis et fustibus comprehendere me; quotidie in templo sedebam docens, et non me tenuistis. Hoc autem factum est, ut complerentur Scripturæ prophetarum* ⁷³. Et rursus: *Jesus autem videns quod omnia consummata essent, ut impleretur Scriptura, dixit: Sitio* ⁷⁴. Sed cum per singula figura Dominicæ passionis appareat, tamen planius legislator videtur hoc in sequentibus figurare mysterium.

Veas. 13-21. « Quod si omnis turba Israel ignoraverit, et per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est, et postea intellexerit peccatum suum, offeret vitulum pro peccato, adducetque eum ad ostium tabernaculi, et ponent seniores populi manus super caput ejus coram Domino. Immolatoque vitulo in conspectu Domini, inferet sacerdos qui unctus est, de sanguine ejus in tabernaculum testimonii, tincto digito aspergens septies contra velum, ponetque de eo sanguinem in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonii. Reliquum autem sanguinem fundet juxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonii, omnemque ejus adipem tollet: et adolebit super altare. Sic faciet et de hoc vitulo quomodo fecit, et prius, et rogante pro eis sacerdote, propitius erit Dominus. Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet, sicut et priorem vitulum, quia pro peccato est multitudinis. »

Nil in his legislator commutavit quod esse possit extra prædictum sacrificium, quod est principis sacerdotum: idem enim a turbis Israel, et a sacerdote offerri præcepit, vitulum enim et hic et illic dixit. Similiter etiam sanguinem in tabernaculo testimonii offerri jubet, vitulum autem extra castra incendi: atque apertissime in his, quæ dicta sunt, ostenditur quia eadem erant plebis sacerdotisque peccata. Nam quam ob causam idem sacrificium pro eis offerret? Quod autem de sacrificio immutatum est, hoc magis ad firmitatem pertinet, quod unum sit sacrificium: nam in sacerdote non dixit. Si cognoverit peccatum suum, nec enim ignoraturus erat Dominus peccatum, quod ut susciperet incarnatus est. De turba autem, id est, de synagoga sive de plebe, attende quid ait:

Quod si omnis turba Israel ignoraverit, et per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est, et postea intellexerit peccatum suum. Ergo ab initio quidem suum peccatum ignoraverunt, sed postea cognoverunt. Et hoc ostendunt ipsa verba Domini, ait enim: *Nisi venissem, et locutus eis fuisset, peccatum non haberent, ut ignorantes utique, nunc autem excusationem non habent de peccato suo* ⁷⁵, utpote per ejus doctrinam discentes, quod nesciebant prius: quando ergo suum peccatum cognoverunt, tunc ad sacrificium Unigeniti se verterunt. Deinde in sacrificio sacerdotis ipsum diximus imposuisse manum super caput vituli, hic autem seniores hoc facere dicit. Utrumque enim revera in Christi sacrificio agebatur, id est, quia et imminabant ad consummandum illud seniores populi, et Scribæ, et Caiphas princeps sacerdotum, dicebantque: *Expedit nobis ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat* ⁷⁶; et quia nullo modo expleri potuisset, si non semetipsum ad passionem Dominus tradidisset, in tantum ut ipse diceret

⁷⁰ II Cor. iv, 16. ⁷¹ Joan. i, 11. ⁷² Coloss. i, 16-18. ⁷³ Hebr. xiii, 12. ⁷⁴ Matth. xxvi, 55, 56. ⁷⁵ Joan. xix, 28. ⁷⁶ Joan. xv, 22. ⁷⁷ Joan. xviii, 14.

Petro: *Mitte gladium tuum in vaginam, calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum*⁷⁷? Festinabat enim dispensare nostrorum peccatorum remissionem, quod necessarie in his quæ sunt de Synagoge sacrificio est consideratum; ait enim:

Sic faciet de hoc vitulo quomodo fecit et prius, et rogante pro eis sacerdote, propitijs erit Dominus. Christus enim factus est nobis propitiatio in sanguine suo, sicut a beato Paulo Romanis scriptum est⁷⁸. Per quem in tantum peccata remissa sunt, quatenus ipsi quoque remissionem mererentur, qui in eo peccaverunt: de ipsis quippe dixerat: *Pater, ignosce illis, nesciunt enim quid faciunt*⁷⁹. Sed quid ad finem sacrificii legislator dixit? Sufficit enim nobis legis ipsius conclusio, ad manifestanda præsentia. *Ipsam autem vitulum efferet extra castra, atque comburet, sicut et priorem vitulum, quia pro peccato est multitudinis.* Vides quomodo nihil mutatur in secundo sacrificio, extra hoc quod primo est quod præcipitur: et quamobrem? Quia pro peccato est, inquit, multitudinis. Ergo hoc manifestum est et indubitabile, quia idem peccatum plebis et sacerdotis intellexerit, et propterea idem in utroque sacrificio ordinavit, ne ipsis quidem verbis dividens, quod non faceret nisi figuræ fuissent ea quæ tunc agebantur.

Vers. 22-31. « Si peccaverit princeps et fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, et postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum, ponetque manum suam super caput ejus. Cumque immolaverit eum in loco ubi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est, tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, et reliquum fundens ad basim ejus. Adipem vero adolebit supra, sicut in victimis pacificorum fieri solet, rogabitque pro eo et pro peccato ejus, ac dimittetur ei. Quod si peccaverit anima per ignorantiam de populo terræ, ut faciat quidquam ex his quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, et cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam, ponetque manum super caput hostiæ quæ pro peccato est, et immolabit eam in loco holocausti. Tolleque sacerdos de sanguine in digito suo, et tingens cornua altaris, reliquum fundet ad basim ejus. Omnem autem auferens adipem, sicuti auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suavitatis Domino, rogabitque pro eo, et dimittetur ei. »

Quemadmodum in spontaneis sacrificiis, differentias in conversationibus et conditionibus vite offerentium ordinavit, ita rursus pro peccatis sacrificia æqualia esse peccatis jubet, quorum magnitudo non solum ex actione peccati, sed ex persona peccantium ponitur: et nimis recte, quia et Dominus apostolis dixit: *Servus cognoscens voluntatem*

*Domini sui, et non se præparans, nec faciens secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Qui autem non cognovit, et non fecit digna, plagis vapulabit paucis*⁸⁰. Sed quid subjunxit? *Cui datum est multum, multum quæretur ab eo: et cui creditum est multum, multum exigetur ab eo*⁸¹. Hunc intellige esse, qui a legislatore dictus est princeps, quem sic et in libro Exodi innuens, dixit: *Diis non detrahes, et principi populi tui ne maledixeris*⁸². Sed et David, sacerdotibus, et Scribas, et Phariseos, et seniores populi designans, ait: *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus*⁸³. Atqui solus Herodes rex, et Pilatus præses aderant, sed et reges et principes, sicut diximus, sacerdotes et Scribas et Phariseos,

propter scientiam et sublimitatem quam habere videbantur, ad interpretationem legis appellavit. Illic ergo si peccaverit, hircum offeret. Si quis autem de populo, dicit autem idiotam, sive popularem, non eum qui sorte distinctus est, ad medietandam legem, nam et hic utique princeps nominaretur, qui pro minore peccato capram offerre præcipitur, quemadmodum ille hircum, hic feminam, ille marem. Pœnitentiæ quippe utrique indigent, et ille quidem majorem, qui masculum offeret, minorem autem qui feminam: cum enim unius sit generis, tamen quod minus est, in femina positum est, quoniam masculus caput uniuscujusque generis putatur. Quemadmodum ergo oblatio capræ sacrificium pro peccato signat, sic hircus et capra, cum hæc sit feminini generis, hircus masculini, sacrificii interpretantur vim; non enim frustra hoc legislator intendit, sed quia hircus et capra. Hoc autem Septuaginta in Græco sic edunt, ut χίραρον et χίραρα dicant offerri debere, quod Latini ex eadem editione interpretati sunt, hædum ex capris masculinum, et capram de hædis femellam χίραρος; autem et χίραρα fetus caprarum sunt χεμεπλβοι, id est, qui circa tempus hiemis nascuntur, nam bis per annum capris parientibus, quidam fetus tempore hiemis, quidam autem æstatis generantur. Cum ergo hæc ita se habeant, per hiemem tristitiam pœnitentiæ docet, in tristitiam quippe hic et fletu filios generat, sed tamen filii ejus non sunt a sacrificio reprobati. Unde existimo hædos, id est χίραρος offerre pœnitentes, utpote fluctuantes, præcepit, et ut qui diversitatibus undarum a peccatis se erigentibus repugnantes, misericorditer omnimodo salvabuntur. Si enim permanent in pœnitentia, et non desperent, velut in tempestate relinquentes navis animæ gubernacula, liberabuntur; si autem desperaverint, quemadmodum quidam gubernatores, vel nautæ pavidī, statim pereunt; nam et Dominus dixit: *Orate ne fiat fuga vestra hieme vel Sabbato*⁸⁴; hiemem tempus pœnitentiæ dicens, Sabbatum vero otium animæ, atque virtutum cessationem intelligens: ad otium siquidem

⁷⁷ Matth. xxvi, 52; Joan. xviii, 11. ⁷⁸ Rom. iii, 25. ⁷⁹ Luc. xxiii, 34. ⁸⁰ Luc. xii, 47, 48. ⁸¹ ibid. ⁸² Exod. xxii, 28. ⁸³ Psal. ii, 2. ⁸⁴ Matth. xxiv, 20.

atque a malis vacationem datum est Sabbatum : A sarium habemus, propter quod et dixit David : *Peccatum meum cognitum tibi feci, et injustitias meas non operui. Dixi : Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti iniquitatem cordis mei*⁸⁵. Propterea hic legislator intulit :

Et tollet, et ponet sacerdos sanguinem peccati digito super cornua altaris holocaustatis. Quod Hieronymus simili sensu edidit dicens : *Tolletque sacerdos de sanguine digito suo tangens cornua altaris.* Sanguinem autem peccati appellavit, qui pro peccatis offertur. Hujus primitias sacerdos Christus super cornua altaris holocaustatis offert, videlicet super crucem suam; si enim altare holocaustatis Domini corpus est, hujus procul dubio cornua crux erit, de qua Habacuc dixit : *Cornua sunt in manibus ejus*⁸⁶. Offeret super suam crucem primitias necessario sui sanguinis, qui pro peccato offertur : quia opus crucis et effectus, perfecta peccatorum nostrorum remissio est. Quod autem dicit :

*Reliquum sanguinem fundet ad basim ejus, omnem poenitentiam evangelicæ tribuit prædicationi, quam esse basim altaris diximus. Recte autem poenitentiam omnem apostolicæ prædicationi tribuit : quia omnis ejus intentio hæc est, ut omnis homo poenitens se corrigendo salvetur, propter quod et primam vocem illam Dominus providet in Evangelio doctoralem : Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum*⁸⁷; quia etiam ad hoc se venisse dixit, ait enim : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam*⁸⁸. Post hæc quid facit sacerdos ?

Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis pacificorum. Ut poenitentis omne desiderium sursum respiciat, id est, caelum intendat, tunc enim poterit poenitentiam offerenti in pacificorum sacrificio reputari. Sed quis sit finis horum quæ dicta sunt, addidit :

Rogabitque pro eo sacerdos, et dimittetur ei. Neque enim idonei sumus peccata nobismetipsis dimittere, Christus autem nobis propitiationem perficit. Unde et ejus voce sacerdos in Ecclesiam, utpote ejus officium subeuntes, ordinati sunt, quibus in persona apostolorum dicebat : *Quorum dimiseritis peccata, dimissa sunt, et quorum retinueritis, retenta sunt*⁸⁹. Et rursus : *Quæcunque solveritis super terram soluta erunt et in caelo, et quæcunque ligaveritis super terram, ligata erunt et in caelo*⁹⁰.

Vers. 32-35. ¶ Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem scilicet immaculatam, ponet manum super caput ejus, et immolabit eam in loco ubi solent holocaustorum cædi hostiæ, sumetque sacerdos de sanguine ejus digito suo, et tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ab basim ejus, omnem quoque auferens adipem, sicut auferri solet adeps arietis qui immolatur pro

Deinde imponet manum suam super caput hostiæ. Ipse per semetipsum peccatum manifestans, et suam offerens confessionem. Ipse autem, secundum Septuaginta, non occidit, sed alii; habet enim necessarium et aliorum auxilium ad orationem, ut suscipiat ejus poenitentiam. Unde nec omnimodo sacerdotes occidere præcepit; ait enim :

Occident eum in loco in quo occidunt holocaustata. Quia autem occidant non addidit; licet enim in sacrificio poenitentiae alternis uti adjutorii, quod testatur Jacobus : *Orate, dicens, pro alterutrum ut salvemini*⁹¹. Sed multo magis justorum utamur adjutorio, ipse enim subdidit, *Multum valet oratio justi assidua*⁹². Ubi autem occident? Secundum Septuaginta, *in conspectu Domini.* Quare legislator explanat, ait enim : *Peccati est.* Pro peccato quippe in conspectu Domini confiteri neces-

⁸⁵ Jac. ii, 10. ⁸⁶ Isa. v, 18. ⁸⁷ Jac. v, 16. ⁸⁸ ibid. ⁸⁹ Psal. xxxi, 5. ⁹⁰ Habac. iii, 4. ⁹¹ Matth. xii, 2. ⁹² Luc. v, 32. ⁹³ Joan. xv, 25. ⁹⁴ Matth. xvi, 19.

pacifolis, et cremabit super altare in incensum Domini, rogabitque pro eo, et pro peccato ejus, et dimittetur illi. »

Semetipsum nunc quoque sequens legislator oblationi capræ sive chimeræ, quam diximus ab his qui sunt de populo, et qui non occupantur in meditatione legis, offerri ovem quoque conjunxit : quoniam in populo et idiotis possibile est esse aliquos etiam simplices, quibus conveniat ovis sacrificium, quod tam in holocaustum quam sacrificiis hostiæ pacificorum demonstratur. Aperte ergo legislator approbare cupiens, quia non solum princeps, id est scientia sublimior, nec tantum popularis, sed et si quis est in popularibus simplex, si forte peccaverit, quod et hic ad redemptionem peccatorum debeat pœnitentiam, ovis sacrificium introduxit. Ideo autem non arietem, sed ovem, id est, feminam, et non masculum præcepit offerri, quia popularibus feminarum sacrificium deputavit : eos hic qui legem accipiunt evidenter contestans ut quicumque principatum sortitus est, et est aliis sublimior scientia, non solum exhibeat simplicitatem, cum oporteat eum etiam prudentem esse sicut serpentem, quemadmodum Dominus ait⁹⁹. Qui vero non est talis, id est qui non abundat scientia, et propterea in populo deget, hic quamvis sit simplex, si contingat ut peccet, nec ipsi peccatum ignoscetur, nisi per oblationem pœnitentiæ peccatum diluerit. Cum ergo hæc ita se habeant, non egent cætera expositione : cum enim sacrificium pro peccato sit, simul hic de capra et de ove præcepit. Unde necesse non est, cum tendamus ad sequentia, diu in præsentibus immorari.

CAPUT V.

Vers. 1-13. « Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis, testisque fuerit quod aut ipse vidit, aut conscius est, nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam. Anima quæ tetigerit aliquid immundum, sive quod occisum a bestia est, aut per se mortuum, vel quodlibet aliud reptile et oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, et delinquit. Et si tetigerit quidpiam de immunditia hominis, juxta omnem impuritatem, qua pollui solet, oblitaque cognoverit postea, subjacebit delicto. Anima quæ juraverit, et protulerit labiis suis, ut vel male quid facere vellet, vel bene, et idipsum jramento et sermone firnaverit oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, et offerat agnam de gregibus, sive capram, orabitque pro eo sacerdos, et pro peccato ejus. Sia autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures vel duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato, et alterum in holocaustum, dabitque eos sacerdoti. Qui primum offerens pro peccato, retorquet caput ejus ad penulas, ita ut collo hæreat, et non penitus abrumptur, et asperget de sanguine ejus parietem altaris. Quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad

⁹⁹ Matth. x, 16.

A fundamenta ejus, quia pro peccato est, alterum vero adolebit holocaustum, ut fieri solet, rogabitque pro eo sacerdos, et pro peccato ejus, et dimittetur ei. Quod si non quiverit manus ejus offerre duos turtures, vel duos pullos columbæ, offeret pro peccato similam, partem ephi decimam ; non mitet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est, tradetque eam sacerdoti, qui plenum ex toto pugillum hauriens, cremabit super altare in monumentum ejus qui obtulit, rogans pro illo et expians. Reliquam vero partem ipse habebit in munere. »

Num eadem legislator repetit ? Cum in præteritis quippe dixisset quod, si peccaverit de populo terra per ignorantiam, ut faciat quidpiam ex his quæ Domini lege prohibentur atque delinquat. Generaliter de omni peccato præcipiens et jubens quæ deberent offerri, nunc quoque de eisdem aliis quodammodo videtur sancire sermonibus. Quamobrem autem superius quædam pro peccato, et non omnia exposuit. Oportebat quippe ut aut omnia per singula exponeret, aut penitus nihil, cum generalis ei demonstratio peccati sufficeret. Sed non ita se habent verba legislatoris, sicut quidam negligenter legentes existimant. Quando enim dixit :

Quod si peccaverit de populo terræ per ignorantiam, ut faciat quidpiam ex his quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, sensibilem Israelæ ostendit, qui cognoscens Dei mandata, non debuit quidpiam legis transgredi. Transgressus autem, implere debuit ea quæ ad pœnitentiam pertinent. In præsentem autem dicens : Si peccaverit anima, nequaquam addidit, de populo terræ, et rectissime. Dicit enim peccata a quibus necesse sit, secundum quod ait Jacobus, etiam hos qui sunt ex gentibus abstinere, id est idolothytiis, et suffocatis, et sanguine, et fornicatione. In his enim invenies sequentia connumerata. Deinde superius quod est peccatum uniuscujusque per semetipsum delinquentis, et quod per se quis gessit, designatur. Illic autem eum qui alienis peccatis communicavit demonstrat, hoc enim tactus immundi et morticini, et a bestiis capti innuit, non per ænigmata, sed aperte exponens, quod quidam despiciunt, id est, alterius in errorem mittentis non arguere errorem, sed consensum præbere. Nunc ergo ostendit quia et in hoc oblationem, eam videlicet quæ ad pœnitentiæ absolutionem pertinet, necessariam habeamus.

Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis, testisque fuerit, quod aut ipse vidit, aut conscius sit, id est, si aliquo furtum aut dolum faciente, et jusjurandum pro eis dante, videns aliquis furtum aut dolum quem fecit, vel aliter conscius quod false juret, non prodiderit, portabit iniquitatem. Et recte. Nam cui licuit arguere peccatum, et texit, adjutor ejus procul dubio factus est. Qui vero auxiliatus est, in semetipsum peccatum traxit. Non solum autem

prædicti peccati immunditiam evitandam putavit, sed et si quis tetigerit omnem rem immundam, aut morticinam, aut a bestiis captam, non corporis, sed rei immundas actiones ostendere cupiens, nec illas immunditias quas Judæorum gens existimat. Quæ sint autem actiones quarum communicatio sicut immundarum evitanda est, Salvator apostolos docuit, dicens: *Adhuc et vos sine intellectu estis? Nescitis quia omne quod ingreditur in os, in ventrem vadit, et in secessum emittitur: quæ autem egrediuntur de ore, de corde exeunt, et hæc inquinant hominem? Etenim de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, falsa testimonia, furta, blasphemie. Hæc sunt quæ coinquinant hominem*⁹⁵. Propter quod et immundæ res, utpote polluentes eos a quibus tanguntur, id est eos qui communicant eis, a legislatore intellectæ sunt morticinæ. His similis est in polluendo homo qui per peccatum mortuus est, de qualibus Dominus dicebat: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*⁹⁶. A bestiis autem captus est, qui, operante in eo diabolo, tractus est ad aliquam actionem malam, quemadmodum Judas ad tradendum Dominum, de quo Joannes evangelista ait: *Et facta cæna, immitte diabolo in cor ejus, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ*⁹⁷. Quia autem in LXX translatione, non dixit simpliciter a bestia captus, sed addidit, immundum, qui est a bestia captus, putas non est omnimodo et immundus? Et dicimus: Nequaquam. Neque enim omnis qui a bestia capitur, jam omnimodo ab ea et occiditur. Forsitan enim et postquam capitur liberatur, sicut Petrus: incidit enim in diaboli laqueo, tempore negationis. Sed et resipiscens evasit, et dicit eum David: *Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium*⁹⁷. Hic ergo immundus non est; sed quædam differentia, id est, secundum LXX, morticinorum positæ sunt. De quibus quædam dixit esse pecora, quædam vero abominationes. Morticinum autem pecus, est homo per insipientiam peccans, et pecudum contra legem vitam ducens, qualibus ait David: *Nolite fieri sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus*⁹⁸; sed etiam de qualibus Jeremias ait: *Qui admissarii facti sunt, unusquisque eorum ad uxorem proximi sui himebat*⁹⁹. Abominationes autem immundæ, veluti canes, et similes, et quæcunque talia sunt, de animalibus appellantur, quæ etiam ab infidelibus colebantur; vel quodlibet reptile, id est quod super ventrem suum trahitur, quæ nihilominus Symmachus et Aquila reptilia ediderunt, LXX autem abominationes. Ergo per hæc tam idololatrias apertissime significat quam in alio malo viventes, id est in dolis et in rapinis, sive in aliis cupiditatibus. His omnibus si quis tactu communicaverit, et oblitus fuerit, vel, ut LXX dicunt, tauerit illum: quoniam oblitio animæ et obscuritas mentis, sive actio mala, inquinatio est, in horum tactu, id est vel in eo quod quis hæc operantibus

A conniventiam præbet, vel in eo quod placent talia, modis omnibus polluitur. Hic sensus eo modo in præsentī quoque translatione si intendatur, venit.

Sed et si tetigerit quidpiam de immunditia hominis juxta omnem impuritatem qua pollui solet, de omni munditia ejus quamcunque tangens pollutus fuerit. Dicit autem secundum litteram, eos qui seminis fluxum patiuntur, et menstruat, et quosdam alios, de quibus subtilius ipse legislator paulo post dicit, in quibus horum expositionem reservavimus: hoc solummodo nunc pro commemoratione ponentes, quod non omnis immunditia hominis polluit tangentem, ideoque enim dixit: *Juxta omnem impuritatem qua pollui solet, secundum LXX autem ab omni immunditia ejus, quam tangens pollutus fuerit.* Quæ sint autem hæc cum de eis legislator locutus fuerit, dicemus:

Anima quæ juraverit et protulerit labiis suis. Id est aperte promittens, quod LXX dicunt, *separans labris*, ut vel male quid facere vellet, vel bene, in quibus peccatum est, quando is qui bene promisit facere mentitur, aut qui mala minatus est, veritatem dicit. Quod et Herodes perpressus est, qui pro eo quod juravit Herodiadi Joannem Baptistam capite detruncavit, oblitaque postea intellexerit delictum suum. Omnia hæc videlicet quæ dicta sunt, unusquisque cum senserit et cognoverit, confiteatur peccatum quod fecit, et offerat agnam de gregibus sive capram, quia de aliquo qui de populo est, videlicet de vulgo loquitur hoc loco, inter quos possibile est simplicem quempiam inveniri agnam de gregibus, utpote aptam simplici, quemadmodum superius diximus in hoc, de quo nunc sermo est, sacrificio sive pœnitentia recte custodivit offerri, finem adjiciens.

Orabitque pro eo sacerdos, et pro peccato ejus. Consuetus utitur verbis, in memoriam nostram revocans ea quæ superius in deprecatione pro peccatis præcepit peragi, quæ iterum dicere, utpotè semel dicta, necessarium non habemus. Solummodo autem hoc adjiciamus, ut si quid horum princeps peccaverit, hircum de capris offerat, oblationem sibi dignam et pœnitentiam. Per hoc enim quod multitudinem, et in his de quibus nunc dixit, id est sacrificium offerre præcepit, manifestum est eum etiam de principe similia voluisse. Ut autem et aliter dicatur, eum qui in scientia excelebat, nec ipsum peccare oportuerat, nec alterius communicare peccatis. Non enim ad virtutem, sed ad iniquitatem æmulantes se, invenitur producere, sive provocare subjectos. Propter quod illud, quasi quod nec evenire deberet, indiscussum reliquit. Sed et hoc notandum est, quia delictum aliquando quidem specialem iniquitatem, quæ contra solum presumitur Deum, qualis est quæ in sanctos, aut quæ in jusjurandum committitur; aliquando autem omne

⁹⁵ Matth. xv, 16. ⁹⁶ Matth. viii, 22. ⁹⁷ Joan. xiii, 2. ⁹⁸ Psal. cxxiii, 7. ⁹⁹ Psal. xxxix, 9. ¹⁰⁰ Jerem. v, 8.

peccatum quod ad scientiam pervenit, legislator appellat, et propterea ab eo ubique cognitio peccati, sive anteponatur, sive subinferatur modis omnibus, delictum dicitur, ut ostendat quia omne peccatum, postquam cognoscitur, in ipsum delinquitur Deum, et ideo appellatur delictum, id est πλημμελία, non enim sine causa legislator hoc sermone frequenter utitur. Nam et quemadmodum differentes conversationes hominum in exordiis libri per holocausta et sacrificia salutaria designans, legislator non frustra proposuit, sed vias multas, et januas aperire cupiens: sic et modo non unam speciem, sed multas de oblationibus pro peccato sancivit, ut plures modos pœnitentiæ proponeret: quia nec omnes homines omnes modos implere possunt, nec omnis modus pœnitentiæ in omni peccato convenit. Quando enim pœnitentia, saccum, et jejunium, et lacrymas, et orationem continuam, et vigiliis exigit, aliaque similia: quomodo, verbi gratia, senectute, aut aliter corpore infirmus, talem agere pœnitentiam prævalebit? Nunquid ergo hic propter infirmitatem aut similem ætatem repellitur a pœnitentia? Nullo modo, habet enim alium modum ad impetrandam remissionem peccatorum. Sed quis hic sit, sequentia demonstrant; ait enim:

Si autem non potuerit offerre pecus. Quod LXX interpretati sunt: *Si autem non valuerit manus ejus ad ovem*, volentes per ovem caprum vel capram intelligi, quasi commune esset genus caprarum et ovium, sicut diximus, hoc hic planius edidit, qui ut omnia hæc comprehenderet, pecus posuit. Unde et alii interpretum in hoc loco pro *ove*, hi quidem *pascualia*, alii autem *ex grege*, volentes per hoc et capras significare, ediderunt. Si ergo hic non potuerit offerre pecus, offeret pro peccato suo quod peccavit, duos turtures, aut duos pullos columbarum Domino. Quamobrem necessarium nimis est reminisci nos, quia contemplativam vitam et in meditatione conversantem, et mundam atque simplicem significari, per pullos columbarum et turturum superius diximus. Ergo qui non potest vacare in continua afflictione et ærumna, ut panem suum cum cinere comedat, et potum suum cum fletu temperet, aliaque his similia pœnitens agat, verbi gratia, infirmitate aut alia quacunque necessitate prohibetur, hic alio modo agere potest pœnitentiam, veluti offerens semetipsum, ad contemplandum Deum, et ad perscrutationem legis ejus, totamque mentem suam consecrans cœlesti conversationi, a terrenis rebus plenissime colibens se, per hoc enim ei, et peccatorum remissio, et justificatio procuratur. Unde eorum offeruntur, unum quidem pro peccato, id est ad emundationem peccati, alterum vero in holocaustum, quasi in crucifigentem semetipsum, conversationem vel vitam, et plenissime Deo tradentem immolatur. Offeret autem hæc sacerdoti, Christo utique. Tunc enim acceptabile est utrum-

que, quando secundum intentionem Dominicam, atque eo mediante offeruntur. *Qui primum offerens pro peccato.* Ideo primum pro peccato offeret, quia nemo potest holocaustum fieri, nisi prius fuerit a peccato liber effectus. Sed quis hujus modus est libertatis?

Retorquebit sacerdos caput ejus ad pennulas, ita ut collo hæreat, et non penitus abrumptur. Per collum, quod LXX *sphondylum* interpretati sunt, totum corpus intelligitur, quia colli firmitas, sanitas, et subsistentia totius corporis est. Quia ergo solet caput pro mente accipi in divina Scriptura, pro eo quod mens principatum tenet in homine, unde et David Deo dicebat: *Tu contribulasti capita draconum subter aquas*¹, mentem videlicet; dum aqua baptismatis remissionem præente, mens diaboli conteritur: per hoc ergo quod dicitur LXX: *Et erumpet sacerdos caput ejus*: præsens vero translatio: *Retorquebit caput ejus et pennulas*, vult nos non servire neque compati corpori, sed abrumpi, vel retorqueri, ut non ex æquo repugnet legi mentis lex peccati, quæ consuetudine peccandi in membris habitat corporis, neque captivum ducat hominem, sicut Paulus ait². Quia autem non debemus ex toto corpus adversari, nec creaturam illud diaboli æstimare, sicut quidam putant, sed subderè illud menti: propterea non præcepit caput a collo separari, unus quippe ejusdemque sunt utraque creaturæ. Sed sequentia videamus:

Et asperget de sanguine illius parietem altaris. Quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamenta ejus, quia pro peccato est. Paries altaris corpus Christi intelligitur, de quo ipse Christus dicebat: *Solrite templum hoc, et tribus diebus ædificabitur illud*³. Fundamentum autem ejus, sive, secundum quod LXX interpretati sunt, *basim*. Basis enim evangelium est. Ergo, secundum intentionem sacrificii Christi et evangelicæ doctrinæ, jubet etiam hoc pro peccatis sacrificium offerri: propterea addidit, *quia pro peccato est*. Nihil quippe sic a peccatis eripere, quemadmodum Christi imitatio et obedientia evangelicæ prædicationis, potest, cui si quis sit obediens, alterum adolebit holocaustum, ut fieri solet, id est quemadmodum oportet holocaustum fieri. Quod LXX plene *secundum hoc* edunt, id est, faciet autem quomodo debet. Oportet quippe cum qui patrem et matrem, et fratres, et omnia sæcularia renuit, holocaustum fieri, si modo vult esse acceptabile et intelligibile holocaustum. Hæc si faciatis, qui non potest prædictis modis pœnitentiam agere, id est vigiliis, et sacco, et aliis similibus afflictionibus, rogabit pro eo intelligibilis sacerdos, et pro peccato ejus, et dimittetur ei. Admirabilis valde ergo Deus est hujus lator legis, qui veniam, utpote clemens imbecillitate generis humani tribuit, et modum reperit per quem non minora consequi infirmantes possint. Quia autem non omne facile est ad pœnit-

¹ Psal. LXXIII, 15. ² Rom. VII, 25. ³ Joan. II, 19.

tendum tempus, imo aliquando et difficile, id est quando abusi sumus ipsa pœnitentia, virtutemque ejus quodammodo abolevimus : quod evenit, si quis forte peccans et pœnitere se simulans ad hoc rursus redeat, quando et Petrus reprehendens ait : *Evenit eis res veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro cœni* ¹. Sed et Paulus. *Ne quis, ait fornicator, aut profanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitivam suam. Scitote enim quia et postea hæreditate benedictionem reprobatus est. Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis exquisisset eam* ². Ergo quia talibus non facilis præbetur pœnitentiæ aditus, ecce nunc legislator innuit ; ait enim :

Quod si non quiverit munus ejus offerre duos turtures vel duos pullos columbæ. Quia vero hæc non potest omnimodo, nec hædum aut ovem potest ; quare autem non potest : seu, ut LXX dicunt, non invenit ? quia divitiis pœnitentiæ male usus, non eas quemadmodum oportebat, expendit. Quid ergo faciet, ut non desperatio ei causa perditionis fiat ?

*Offeret pro peccato suo similam, partem ephi decimam : non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid ponet, quia pro peccato est. Hæc ergo species ei pœnitentiæ concessa est quam dixit. Auxiarum autem et timere debet, ne forte non suscipiatur ejus, utpote frequenter injuriata, pœnitentia ; propterea nec oleum superfundit, utpote dubitans an misericordia et compassione dignus sit. Sed nec thuris aliquid imponit, utpote qui nescit utrum boni odoris sit ejus oratio, quam frequenter prævaricatus est. Unde Joel propheta ad plebem Judæorum dicebat : *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multum misericors, et præstabilis super malitia. Quis scit si convertatur et ignoscat, et relinquat post se benedictionem ? Sacrificium et libamen Domino Deo noctro* ³. Et quomodo dubitatur de misericordie et patiente, et multæ miserationis, si convertatur et pœniteat, et si sacrificium aut libamen pro peccatis accipiat, nisi quia populo maligno et diligenti peccata loquitur ? Qui cum sæpe egerit, nunquam perstitit in pura pœnitentia : ergo nec desperationem illis facere vult, nec rursus eos pœnitentes valde præsumere, atque ideo verbis est dubius usus : et quamohrem non oportebat præsumptionem eis facile dari, ne data præsumptio, ad alia rursus peccata eos negligentiores efficeret, velut relaxatis prioribus, infirmos quippe quosdam et inconstantes in virtutibus legislator innuit.*

Tradet autem eam sacerdoti. Ille autem, utpote pius Christus : quippe est qui etiam nunc per significationem intelligitur sacerdotis.

Qui plenum ex toto pugillum hauriens, cremabit super altare in monumentum ejus. Qui obtulit species oblationis, acceptabilis est ephi simile. Ephi autem mensura est trium mensurarum, id est, tres

modios capiens. Ergo Christus est qui sacrificium offert, et ipse est sacrificium quod offertur. Ephi enim cum sit mensura trium modiorum, evidenter Trinitatem innuit, quæ una quidem mensura est, quia una in eâ est Deitas. Tres autem habet mensuras, id est, tres personas perfectas, et tot subsistentias, ut manifestum sit non nos peccare, ejus partem carnem Domini dicentes, propter inseparabilem cum ea incarnati Verbi unionem. Quare autem Trinitatis pars est ? quia indivisibilis ejus est gloria et virtus, ita ut Paulus de Christo diceret : *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* ⁴. Sed et Joannes : *Qui negat, inquit, Filium, nec Patrem habet : Qui confitetur Jesum, et Patrem habet* ⁵. Ergo ephi quidem hic incarnatus Deus, Verbum utpote habens in se Trinitatis plenitudinem. Decima autem ejus est caro : primum quidem ut ostenderetur sublimitas divinitatis ejus, quantum ad humanitatem, propter quod et pars dicitur ; deinde pro eo quod integro homine incarnatus est Deus Verbum, et qui legem impleret. Utrumque enim decima significat, quia et perfectus est denarius numerus. Decem autem mandata legis sunt, unde et decimæ : decimam partem præcipuam sacerdoti, Christo videlicet, lex deputavit, utpote massæ nostræ primitias habenti. Quicumque ergo pœnitentiam sæpe prævaricans violabit, rursusque vult agere pœnitentiam, in spe Christi agat, qui inquisitus a Petro : *Si peccaverit in me frater meus, quoties dimitto ei, usque septies ?* dixit : *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies* ⁶. Hic ergo sermo spem pœnitentiæ eis quibus impossibilis videtur præbet. Propter quod hauriens de oblatione implet pugillum in monumentum ejus qui obtulit, et cremat super altare, id est, memor sui verbi, quod pro his salvandis, qui ad se veniebant apostolis dixit : *Non peribunt in æternum, et nemo eas rapiet de manu mea* ⁷. Venientem ad se salvat eum qui sæpe deliquit in pœnitentiam. Quid pro eo offerens pugillum in monumentum, id est, verbum secundum quod promisit eos qui semel sub manu ejus facti fuerint non perire. De hoc ergo pugillo mulierem quæ figuram gerebat Ecclesiæ, ipse introduxit dicentem : *Congaudete mihi, invcui eam drachmam quam perdideram* ⁸. A multis enim male pœnitentia utentibus perdita fuerat ratio sperandæ pœnitentiæ, sed secundum prædictum modum inventa est. Hoc ergo monumentum offeret super altare corpus suum, quod omne peccatum suscepit, etiam illud quod videbatur impossibile posse salvari. Propter quod addidit :

Quia pro peccato est. Ostendens quia ad Christum solum pertinet omnium peccata suscipere. Ergo hi qui pœnitentiam sæpe peccando prævaricati sunt, postremo autem pœnituerunt, ex eo quidem quod frequenter prævaricati sunt, spem pœnitentiæ non habent : Christus tamen etiam sic orare,

¹ II Petr. II, 22. ² Hebr. XII, 16, 17. ³ Joel. II, 13, 14. ⁴ Coloss. II, 9. ⁵ I Joan. II, 23. ⁶ Matth. XVIII, 21, 22. ⁷ Joan. X, 28. ⁸ Luc. XV, 9.

id est suscipere pœnitentiam, propter suum patitur verbum, quod manifestant sequentia, cum dicit :

Rogans pro illo et expians. Vel, sicut LXX ediderunt : *Et orabit pro eo sacerdos, et pro peccato ejus quod peccavit, et dimittetur ei.* Ut ex hoc intendas quia multitudinem peccatorum commissam significat. Quamobrem etiam ab uno horum, utpote sæpe eadem peccante, sæpeque de eadem re pœnitente, atque nihilominus iterante peccatum, ea in quibus prævaricatus est, pœnitentiam recte sacerdos dimittit et deprecatur. Misericors est enim et fidelis sacerdos ad Deum qui exorat pro peccatis populi. Sed etiam qui finis sit hujus sanctionis, cognoscamus, sequitur :

Reliquam vero partem ipse habebit in munere. Quod ediderunt : *Quod autem reliquum fuerit, sit sacerdotis, quemadmodum sacrificium similæ, atque hoc sacrificium similæ est.* Decimam quippe ephi similæ præcepit offerri. Sed quia similitudinem theologiam esse novit, hæc autem oblatio non tantum theologiam, quantum pœnitentiæ est, per comparationem ostendit quia hæc alia quædam est extra illam : unde ibi quidem quod reliquum fuit, Aaron et filiis ejus deputavit. Esse autem diximus ejus filios, illos qui sublimia et divina intelligere possunt. Ipsi quidem pascuntur de scientiæ reliquiis, cujus totum atque summum in cœlis Christus habet, apud quem sapientiæ thesauri et scientiæ, sicut ait Apostolus¹², absconditi sunt. Nunc autem non Aaron et filiis ejus, sed sacerdoti quod reliquum est, Christo videlicet, sicut et sacrificium similæ est in munere. Ergo quia similitudinem esse theologiam diximus, in duo eadem præsens sacrificium dividitur, id est, in remissionem peccatorum pœnitentiam agentem, et in theologiam Christo. Solius enim Dei est ignoscere, etiam ea quorum impossibilis videtur remissio. Et recte in eum multipliciter hoc sacrificium ad theologiam invenitur. Illud autem non admireris, quia in quibusdam personis, vel in peccatis, difficilem esse aditum pœnitentiæ diximus ; ait quippe Paulus : *Voluntarie enim peccantibus nobis, post perceptam notitiam veritatis, non jam pro peccato relinquuntur hostia*¹³ ; hoc quod diximus difficile, pro impossibile ponentes, nam idem in subsequentibus ait : *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaveruntque donum cœlestis, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaveruntque etiam bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, crucifigentes sibi metipsos Filium Dei, et ostentui habentes*¹⁴, eos qui frequenter egerunt pœnitentiam, et prævaricati sunt Christum injuriare, qui eam concessit, significans, quod manifestant sequentia : *Terra enim, inquit, sæpe super se venientem imbrem bibens, et generans herbam opportunam illis a quibus collitur, accepit benedictionem a Domino. Proferens autem spinas et tribulos, reproba est, et maledicto proxima, cujus finis in combustione*¹⁵. Non dixit

A semel, bis, vel ter, sed sæpe in iisdem in quibus pœnitnerat prævaricantem, pœnitentiam suam esse maledicto proximam et reprobam, ejusque finem in combustione esse nisi resipuerit. Nolens autem desperationem facere auditoribus suis : erant quippe sine dubio quidam in eis negligentes, et luxuriose pœnitentia utentes : quamobrem non ad alios hæc, sed ad eos scribebat. Quia ergo erant quidam tales, adjunxit : *Confidimus autem de vobis, fratres, meliora, et viciniora salutis, tametsi ita loquimur*¹⁶ : simul et terrere eos qui luxuriose utebantur pœnitentia, et bonam spem rursus promittere, si migrarent a luxuria cupiens. Propter quod legislator, nec oleum oblationi ipsi, nec thus addidit, timorem incutiens offerentibus, et tamen suscipientem hanc sacerdotem dixit.

VERS. 14-16. « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Anima si prævaricans cœremonias per errorem, in his quæ Domino sunt sanctificata peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, juxta pondus sanctuarii, ipsumque quod intulit damni restituet, et quintam partem ponet supra traiecit sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, et dimittetur ei. »

B Bonum quidem est ab omni peccato abstinere, maxime tamen ab eo quod contra sancta committitur, quia Deus per illud injuriatur. Quantum autem hoc, et quam terribile sit, præsens, quam legislator exposuit, demonstrat oblatio. Cernis quippe quia, dum tot præcepisset sacrificia celebrari, nusquam de arietis sacrificio in principio libri hujus Domini ad Moysen loquentis, nisi tantum in hoc loco mentionem fecit, volens necessitatem et utilitatem sacrificii hujus ostendere. Cernis etiam quia non hircum, neque capram, aut ovem, aut par columbarum, sed arietem præcepit offerri, ex oblatione docens quale sit hoc peccatum. In figura enim Salvatoris aries accipitur. Cognoscis autem hoc modo, quando Deus Abraham ab unigenito immolando cohibuit : quoniam et Isaac vivere propter promissam ex eo successionem, et figuram sacrificii Salvatoris impleri oportebat, propter hanc Isaac in sacrificium assumpto, vidit arietem in vepribus hærentem cornibus, vel, sicut LXX, in arbore Sabech patriarcha teneri. Arbor autem Sabech crux est, lignum remissionis, in quo aries ex cornibus figuram gerens, confixi manibus in cruce Christi tenebatur. Non solum autem immaculatum eum esse præcepit, sed et qui pretii sit, sive emi possit duobus siclis, vel, secundum LXX, argenti quinquaginta siclis, siclo sanctuarii. Nemo quippe sibi conquirere Domini sacrificium nisi per Spiritum sanctum potest. Si enim nemo potest dicere Dominus Jesus Christus, nisi in Spiritu sancto¹⁷, multo magis nec sacrificium ejus assequi potest, sine operatione Spiritus. Unde non simpli-

¹² Coloss. II, 3. ¹³ Hebr. X, 26. ¹⁴ Hebr. VI, 4, 5. ¹⁵ ibid. 7, 8. ¹⁶ ibid. 9. ¹⁷ I Cor. XII, 3.

citer dictum est, quinquaginta siclorum. Ostendit quippe hic numerus sancti Spiritus adventum, ex eo quod die Pentecoste, id est quinquagesima, ad apostolos venit. Sed et pondere sanctuarii, sive secundum LXX siclo sancto, ut per hoc quod dixit sancto, ostenderet sancti Spiritus virtutem et operationem. Siclo autem quare? Quia siclus viginti obolorum est, hic autem vicenarius numerus non est peccatis obnoxius. Unde hi qui de Ægypto exierunt, cum viginti annorum essent, peccati populi pœnam non susceperunt: mundus quippe ab omni peccato est spiritalis homo. Non solum autem arietem offerri, sed et quintam addere præcepit. Si quis forte sancto vase, vel cibo, aut unguento tali illicite abusus est, hoc appellavit commissum peccatum in sancta: hic ergo ipsum reddet, et insuper quintam, id est quintam ejus partem tradet sacerdoti. Ille autem significat ut, quoniam quinque sensus habemus, si per unum sensum peccaverimus, veluti si oculum ad adulterium in tempore et loco sancto occupaverimus, aut linguam in detrahendo, vel aures ad malam locutionem, aut odoratum ad perceptionem odoramentorum meretriciorum, aut manum ad tactum profanum et injustum: primum quidem ab illo peccato omnino absteineamus, et pœnitentiam de eo per arietem offeramus; id est, Christum rogemus ut peccati in se commissi ipse fiat ereptio: deinde quintam, id est unum prædictorum sensuum, per quod peccatum commissum est, offeramus sacerdoti, Christo videlicet: ut nequaquam ultra ad actionem pravam illum occupemus sensum, sed consecremus illum Deo. Sic enim pro peccato nostro deprecabitur. Quomodo autem peccati aries per sacerdotem offeratur, in alia parte libri conscriptum est, ubi sacrificium pro peccato æquale esse sacrificio quod pro delicto sit, prædicavit. Hoc autem nunc adjiciendum est, quia delictum legislator duobus modis uti, seu ponere solens, et delictum appellare nunc quidem peccatum quod ad scientiam pervenit, et nequaquam jam ignotum est peccanti, nunc autem quod in Deo ipso commissum est, veluti jurejurando, aut etiam in sanctis, non sine causa hoc appellat delictum, sed ut tu cognoscas similiter in Deum extendi peccatum, quod in scientia, et quod in jurejurando, et quod in sanctis committitur.

Vers. 17-19. « Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, et peccati rea intellexerit iniquitatem suam, et offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram æstimationemque peccati, qui orabit pro illo quod nesciens fecerit, et dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Domino. »

Habet præsens locus quæstionem non modica consideratione dignam, quia pro peccatis pro quibus capram pridem offerri, aut ovem præcepit; ait enim:

Quod si peccaverit de populo terræ per ignorantiam, ut faciat quidquam ex his quæ Domini lege prohibentur atque delinquat, et cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam. Nunc tanquam oblitus ea quæ præceperat: Si anima, ait, peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur: et peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti. Et multum videtur differre inter hoc sacrificium, et illud quod dudum præcepit: sed neque oblitus est anteriora nec contraria eis præcepit. Quia enim nomine animæ gentilem diximus significari, hic autem forsitan ignorans mandata legis transgredi poterat (propter quod dixit, per ignorantiam recte), intelligibilis aries, Christus videlicet, hujus peccatum in sacrificio pro eo oblitus diluit. Sed et illud ostenditur, atque in his evidenter demonstratur, quia in unoquoque quidem peccato, pro remittendo eo egimus pœnitentiam, cum non simus idonei per nosmetipsos, sine Christi sacrificio consequi veniam. Ergo si quis extra fidem Christi constitutus est, Judæus forte aut paganus, licet pœnitere se de peccatis suis per conversationem et vitam demonstret, remissionem non merebitur, quia arietem offerre, id est, Christi sacrificium, non potest. Quamobrem generaliter de omnibus quodammodo sancire cupiens, non dixit: Si anima de populo, sed, *Si anima simpliciter peccaverit, et fecerit unum ex his quæ Domini lege prohibentur*. Ergo et de indocto, et de scientiam habente, nec non de omni peccato recte hoc quod dictum est, accipitur. Quia autem arietem pro delicto jubet offerri, apertissimum est quia delictum hic legislator intellectum peccatum posuit. Propter quod dicens per ignorantiam, subdidit:

Et peccati rea intellexerit iniquitatem suam. Qui autem intellexerit peccatum, hic illud in se relidit, et sordidatur ab eo, sive oneratur, quandiu per prædictum sacrificium oratio pro eo fiat. Intellectus autem peccati, in habentibus quidem scientiam, contenebratis vero amore libidinum, necesse est ut, cum in cogitatione sua respiscunt, proveniat: carentibus vero scientia, per competentem doctrinam, qui intellectus cum alterutro horum provenit, modo ad hoc movet hominem, ut egeat sacrificio et pœnitentia. Qui enim intelligit pollutionem, et non se purgat per pœnitentiam, manifestum est quod abominabilis sit et sordidus. Nam hujus rei gratia de Judæis Dominus dicebat: *Si non venissem et locutus eis fuisset, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*¹¹. Hoc autem planius ex posterioribus approbatur. Quid enim dicit:

Orabit pro illo sacerdos, quod nesciens fecerit, et dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Domino, Quod LXX dicunt: Et dimittetur ei, deliquit enim delictum ante Dominum. Et quomodo idem ipse ne-

¹¹ Joan. xv, 22.

scisse, et delinquere delictum coram Domino dicitur, qui iudex justus est, et nihil agit contra justitiam? nec enim de sola actione nos iudicat, sicut quando ad peccatum, aut propter libidinem, aut propter avaritiam, aut propter gloriam declinamus, quod ignorantia illius veræ voluptatis, et summi lucri, et illius non falsæ gloriæ patimur. Facit autem hanc ignorantiam dilectio mendacii. Ex quo quispiam cæcatus mente, cæcatur etiam et obscuratur scientia, quæ cæcata, nihil invenitur distare ab ignorantia. Unde et David dicebat: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulanti*¹⁹. Dum autem resipuerint, et restaurata fuerit obscurata mens, tunc peccatum sentimus, et necesse est ut in delictum nobis, usque dum per pœnitentiam purgemur, reputetur, delictum autem id quod est contra Dominum, duplicat enim delictum secundum LXX dicens: *Deliquit enim delictum ante Dominum*. Et hoc cujus rei gratia? Quoniam delictum esse intellectum sive cognitionem peccati diximus, et omnis homo quidem naturali jure scientiam peccati habet, sed hic, sicut diximus, eam amere libidinum tenebravit. Alius autem tardior naturaliter est, et alterius doctrinam habens necessariam. Sic ergo aut resipiscenti ei, aut ab alio discenti delictum, id est peccati scientiam, delicti perpetratio ante Dominum, duplex per scientiam reputatur, tunc enim Deus ejus scientiam obnoxiam facit, et sacrificium per ignorantiam e peccato exigit, et pœnitentiam.

CAPUT VI.

VERS. 1-7. « Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Anima quæ peccaverit, et contempto Deo negaverit depositum proximo suo, quod fidei ejus creditum fuerit, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit: sive rem perditam invenerit, et inficiens insuper juraverit, et quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus peccare solent homines convicti delicti, reddet omnia quæ fraude voluit obtinere integra, et quintam insuper partem Domino cui damnum intulerat, pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, et dabit cum sacerdote juxta æstimationem mensuramque delicti, qui rogabit pro eo coram Domino, et dimittetur illi pro singulis quæ faciendo peccaverit. »

Cernis quod in eodem ordine esse, peccatum quod in sancta, et id quod jurejurando committitur, spiritus Dei tradit; patet autem ex eo quod in utroque idem arietis sacrificium offerri præcepit. Quam ob rem enim paulo ante in omni peccato arietem jussit offerri, non a nobis conjicientes, sed intentionem legislatoris sequentes, diximus. Cur autem peccatum quod jurejurando est, et quod in sanctis conjunctum putavit? Quia omnimodo utrumque ad Deum pertinet: et qui jusjurandum transgreditur, non solum proximo nocet, sed et ipsi Deo, quem mediatorem fecit, injuriam facit; docere autem te

A ipsa verba discussa possunt. Videamus vero quomodo etiam ipsa nunc lex incipit.

Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens. Preceptum ostendit mandatum, ex eo quod et in ipso, quemadmodum et in peccato de sanctis Deum loqui Moysi specialiter exponit.

Locutus est ergo. Anima quæ peccaverit, et contempto Deo negaverit depositum proximo suo, quod fidei ejus creditum fuerit, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, sive rem perditam invenerit, et inficiens insuper juraverit. Quæ verba LXX sic edunt: *Anima quæcumque peccaverit, et præterierit præcepta Domini, et mentietur in proximum, in deposito aut de societate, aut de rapina nocuit proximum, et invenerit perditionem, et mentietur in ea, et juraverit injuste.* Non autem frustra bis dixit: *Si mentietur.* Neque enim solet divina Scriptura eadem verba repetere, quæ et multa omittit brevitate causa videtur. Illic ergo jurisjurandi transgressioni mendacium comparat: et ideo superius quidem sine jurejurando commemoravit, hic autem mendacio jusjurandum conjunxit; ait enim: *Et mentietur pro ea, et juraverit injuste.* Nam et cæteri interpretes Aquila et Theodotion, et Symmachus ubi dixerunt LXX: *Si nocuit aliquid proximum suum, isti Si calumniatus est aliquid.* Quod intuentes, abstinemus nos totis viribus a fallacia, quoniam Deus per fallaciam injuriatur, qui veritas est. Sed et vim seu rapinam cum negato deposito, vel sicut etiam C Septuaginta dicunt: cum societate, commiscuit, omne injustum lucrum vim seu rapinam judicans. Manifestum est autem ex his quæ subnectunt LXX: *Erit cum peccaverit et pœnituerit, et reddiderit rapinam quam rapuit, vel injustitiam quam injuste egit, aut depositum quod depositum est ei, sive perditum quod invenit, quod unumquodque prædictorum peccatorum his quæ connumerata sunt simile sit.* Propter enim avaritiam committitur. Unicuique autem eorum caput ipsum, et quintam addi præcepit; sed hic non sacerdoti, sed ei qui injustitiam passus est dari præcepit quintam, in verbis differentibus similia sentiens. Quoniam enim cum eo qui præjudicium passus est in rapina vel in deposito, et contra ipsum quoque Deum injuste agitur per fallaciam, D vel perjurium, recte horum quintam Deo dari jubet, ad quem tendit injuria. Quinta autem lingua est. Esse enim quintam etiam hanc diximus, cum sit una de quinque sensibus. Hæc ergo offertur Deo, ut deinceps non peccet, quia per ipsam unumquodque prædictorum committitur. Ergo eadem sancit in differentibus verbis, et aliquando quidem in persona sacerdotis, aliquando autem in ejus qui injustitiam passus est Deum figuravit. Aut quia secundum eandem rationem et sacerdos noster Christus esse, et nobiscum pro nobis injustitiam pati creditur, secundum legem videlicet compassionis nostræ, in fine sanctionis hujus arietem jubet im-

¹⁹ Psal. LXXXI, 5.

maculatum sacerdoti offerri, qui oret et remissionem obtineat. Horum autem sufficiens expositio est, ex his quæ in delictis sanctorum dicta sunt. Sed nos ab utroque peccato, magis autem ab omni respicientes custodiamus nosmetipsos. Si enim vel in uno quolibet eorum capi nos, aut incidere contigerit, habemus deprecationis et oblationis exempla, quibus uti supplicanti bonum sit. *Hæc enim in figura contingebant illis : scripta sunt autem ad nostram correptionem, in quos fines sæculorum devenerunt* ²⁰. In Christo Jesu Domino nostro. Ipsi gloria cum Patre, et Spiritu sancto, nunc et in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER SECUNDUS.

CAP. VI PARS ALTERA.

VERS. 8-12. « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Præcipe Aaron et filiis ejus. Hæc est lex holocausti : cremabitur in altari tota nocte usque ad mane : ignis ex eodem altari erit. Vestiatur sacerdos tunica, et feminalibus lineis : tolletque cineres quos vorans ignis exussit, et ponet juxta altare. Spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis, efferet eos extra castra, et in loco mundissimo, usque ad favillam consumi faciet. Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, et imposito holocausto, desuper adolebit adipēs pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. »

Quia legislatoris modum sufficienter in præcedentibus ostendimus, et expositionis legalium verborum fundamentum positum est, extra quod aliud nemo ædificantium in spiritu ponere potest : Christus enim est, qui nobis sicut angularis ædificii lapis per totam legis expositionem jacet; ejus ergo gratia et doctrina, quia et architectus est, aurum, argentum, lapides pretiosos superædificemus.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Præcipe Aaron et filiis ejus. Hæc est lex holocausti. Hic de jugi sacrificio lex loquitur, quod quotidie in libro Exodi offerre præcepit sacerdotes; ait enim sic : *Hoc est quod facies in altari : agnos anniculos duos per singulos dies jugiter* ²¹; et paulo post. *Oblatione perpetua in generationes vestras* ²². Dicit autem : *Facies holocaustum, unum agnum mane, et alium facies vespere* ²³. Per hæc ergo intelligimus, quia in eorum quidem qui sunt de plebe, voluntate datum est, si volunt offerre holocaustum, propter quod sacrificium illud munus eorum, utpote spontanea oblatio, nominatur. Neque enim omnis homo perfectissimam exigit sapientiam, sacerdos tamen omnimodo debet perfecte sapere. Perpetuum enim sacrificium, id est continuum holocaustum, secundo in die mane et vespere offerre præcipitur, ut a perfecta sapientia incipiens, in eadem finiat, et totam suam vitam componat ad perfectionem.

Sed quia holocaustum quomodo particulatim dividatur, quomodo effundatur ejus sanguis, quomodo imponatur super altare, in initio hujus libri Levitici legislator exposuit, nunc utpote illis sufficienter dictis, de solo dicit holocaustum. Consequenter ergo subdidit :

Ignis in altare semper ardebit, quem nutriet sacerdos. Oportet quippe eum qui holocaustum, id est perfectæ sapientiæ operationem debet, semper accendere ignem sancti Spiritus, et non sinere extinguui. Exstinguitur autem eorum quibus donatus est negligentia; propter quod et Paulus ait : *Spiritum nolite extinguere* ²⁴, velut in nostra potestate sit positum extinguere illum, sive accendere. Tota autem nocte incendi ignem jussit, non quod in die non incenderetur, sed quomodo secundo fieret diebus singulis holocaustum : nam quia manifestus erat ignis diurnus, nocturnum addidit. Quia ergo nox caligo est vitæ hujus, id est, ea quæ multos obtinet ignorantia, de qua Paulus dicebat : *Nox præcessit, dies autem appropinquabit* ²⁵, nos præcepit qui holocaustum Dei facti sumus, etiam in nocte accendere ignem, ut cum alii legem transgrediantur, et terreni sint, nos simus spirituales, reminiscentes David dicentem : *Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt iniqui legem tuam* ²⁶; quando enim alii transgrediuntur legem, nos oportet maxime ad obedientiam legis subrigi. Subdidit autem :

Vestiatur sacerdos tunica et feminalibus lineis. Sacerdos hic qui holocaustum offert, unusquisque perfecte sapiens intelligitur, quia sacerdotium perfectionis exemplum est, propter quod et regale sacerdotium populus fidelis appellatur, utpote legem perfectam Evangelii suscipiens. Qui ergo vult offerre holocaustum, tunica, id est justitia, et feminalibus, id est castitate induatur. Sed quia per feminalia castitatem oportet intelligi, membra probant, quorum ipsa tegumentum sunt feminalia.

Tunicam autem justitiam diximus, quia perfecti cujusque maxime justitia vestis est, unde Paulus dixit : *State succincti lumbos vestros in veritate, induti lorica justitiæ* ²⁷. De lino autem et tuni-

²⁰ I Cor. x, 11. ²¹ Exod. xxix, 38. ²² ibid. 42. ²³ ibid. 39. ²⁴ I Thess. v, 19. ²⁵ Rom. xiii, 12.

²⁶ Psal. cxviii, 126. ²⁷ Ephes. vi, 14.

cam et feminalia vult esse, non ex lana, quia linea vestis habilis, molliusque adhaerens est corpori, aspera autem ea quæ ex lana est. Ex quo docet quia humiles multumque coherentes sunt animæ, justitia et castitas; simulque hoc docet, quia quemadmodum linum facile cuique ad habendum, sic virtutes volentibus eas consequi faciles sunt: et quæ cito conquiri possunt. His autem indutum, jubet offerre cineres holocausti quos ignis consumpsit de altari. Quid per hæc docens, nisi ut quemadmodum hostia aufertur, id est sacrificium quod peractum est holocaustomatis, ut aliud iterum simile offeratur, ita et nos faciamus; virtutes quippe quas cooperante Spiritu gerimus, sigillatim debemus ponere, ut alias rursus operemur: et non tantum præcedentibus contenti simus, sed et alias adjungamus, quemadmodum is qui currit relinquens transcursum, ad reliqua currenda contendit: quia videlicet aliter ad bravium non poterit pervenire. Propter quod cum auferri de altari præcepisset consummatum igne holocaustum, poni illud juxta altare præcepit: esse autem Christum holocaustomatis altare diximus. Auferamus ergo ei olim opere consummatas virtutes, quando habemus tempora has operandi, quasi non nobis imputet præcedentes negligentibus, si non super eas alias constituamus. Probat autem hæc Ezechiel cum dicit: *Si dixero justo quod vita vivat, et confusus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur* ²⁸. Imputat autem si præterita futuris augeamus atque confirmemus: unde juxta altare jubet holocaustum poni, servat enim nobis Christus justus iudex, quæcunque bona egerimus, si non hæc per iniquas actiones prævaricati fuerimus. Propter hoc etiam spoliari vestimentis, et indui aliis, et offerri cineres extra castra in loco mundissimo jussit, non alterius generis nos vestimentis, extra ea quæ prius dixit, induens. Neque enim pro linea veste indui lanæ nos præcepit, sed hoc idem multa significat; id est quod quæ prius acta atque correpta sunt, non imputentur, quando tempus est alia peragendi. Et propterea deponentes vestimentum prius, aliud tale vult indui. Extra castra autem in locum mundissimum offerri, id est præmittere ad futurum iudicium; illud enim extra castra est præsentis sæculi, et locus est mundus, quia ab omni corruptione mundum est futuri sæculi iudicium. Sed quid est quod addidit?

Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies. Quemadmodum ergo materia ignis sunt ligna, mane autem ea jubet componi: sic nobis sunt materia subministrationis spiritus divinæ legis testimonia, et sacrorum eloquiorum meditatio, quæ ligna esse supra diximus. Ergo hæc mane in lumine componere debemus, id est in vigilantia, et sobrietate animæ.

Non solum enim nobis in die, sed et nocte, id est non solum in tempore sobrietatis, sed et intelligibili nocte, de qua Paulus dicebat: *Non ergo dormiamus sicut et ceteri non habentes spem, sed vigilemus et sobrii simus: qui enim dormiunt, nocte dormiunt: et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt* ²⁹. Ignis sufficiat subministrationis spiritus, in quo ordinari oportet intelligibilem hostiam, et adipem pacificorum, quem LXX salutare ediderunt. Quia per adipem desiderium significari in pacificorum, seu in salutari sacrificio diximus, ut desiderium salvationis offerat seu devoteat, qui spiritui totus factus spiritualis, nihil materiale habens, nihil miserum neque terrenum, ac quod nos legislator vocans: *Ignis, ait, est iste perpetuus, qui nunquam deficiet de altari.* — **B** *Spiritus enim est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* ³⁰. Unde et intelligibile altare, quod est Christi corpus, inextinguibilem habet ignem subministrationis spiritus.

VERS. 14-18. « Hæc est lex sacrificii et libamentorum, quæ offerent filii Aaron coram Domino, et coram altari. Tollet sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, et totum thus quod super simillam positum est, adolebitque illud in altari in monumentum odoris suavissimi Domino: reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis absque fermento, et comedet in loco sanctuarii tabernaculi. Ideo autem non fermentabitur, quia pars ejus in Domino offertur incensum. Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto. Mares tantum stirpis Aaron comedent illud, legitimum ac sempiternum in generationibus vestris de sacrificiis Domini. Omnis qui tetigerit illa sanctificabitur. »

Meminimus beatum Paulum dixisse: *Eadem dicere mihi non pigrum, vobis autem necessarium* ³⁰. Quam intentionem in præsentis loco habere legislator videtur, reiterans quæ semel exposuit, ut multiplici repetitione mandati legentis ad memoriam revocaret. Quatenus autem per repetitionem legis necessariorem redderet lectionem, interponit aliquid amplius, cujus gratia necessarium hoc mandatum et inexcusabile nimis existeret. Sicut ergo in præcedentibus de holocaustis sacrificia iteravit, permiscens eis assiduitatem, ipsius est enim ut ignis qui in altari est, semper ardeat nunquamque deficiat: sic et nunc cum sacrificium similæ deduxisset ad medium, perquam significari theologiam in hujus libri exordio demonstravimus, addidit, quia oportet eam in loco tantum sancto, a masculis, non autem ubique, aut etiam ab omnibus comedi: de qua vide qualia etiam nunc præcepit. *Hæc est lex sacrificii et libamentorum quæ offerent filii Aaron coram Domino, et coram altari.* Hoc ergo de quo nunc sermo est, filii Aaron, id est sublimes in sapientia homines, soli offerre debent coram Domino, id est secundum quod Dei voluntas est, non super-

²⁸ Ezech. xxxiii, 15. ²⁹ I Thess. v, 6, 7. ³⁰ Joan. iv, 24. ³⁰ Philipp. iii, 1.

flua in divino eloquio disputantes, sed quæcunque A nobis Christus revelavit, hoc enim intellige quod ait *coram altari*; quia altare esse humanitatem Unigeniti demonstratum est: ergo in his theologiam constituamus, in quæ nobis incarnatus tradidit Dominus, ut Patrem in eo, et ipsum in Patre cogitemus, et de sancto Spiritu sciamus, quia et ipsius est Filii, et a Patre procedit. Hæc enim nobis sufficiant ad theologiam quæ juvat et salvat. Altiora autem quispiam querens vel profundiora, excidit ab intentione veritatis, et peccat. Unde etiam nunc legislator subdidit.

Tollet sacerdos pugillum similæ quæ conspersa est oleo et totum thus quod super similam positum est, adolebitque illud in altari in monumentum odoris suævissimi Domino. Cum eleemosyna et oratione, hæc enim figurantur per oleum et thus, quibus necessarie theologia perquiritur, utriusque siquidem adiutorium, ut non excidant a veritate qui de Deo loquuntur, necessarium habent. Hujus in monumentum intelligibilis sacerdos Christus pugillum tollit, quia summa scientiæ apud eum permanet, quod in monumentum quidem est, quia in perpetuum erit permansura memoria. Neque enim quemadmodum ea quæ nunc est nostra scientia propectu destruitur: quia *quando venerit quod perfectum est*, sicut ait Paulus, *destruitur quod ex parte est*²¹. Sic erit et ea quæ apud Christum est, quam nobis in futurum seculum, ut perfectioribus tunc efficiendis, reservavit. Illa enim, utpote consummata, sine oblivione C semper in memoriam manet. Sicut autem quæ totius summa est sapientiæ, pugillo sumitur, quia per singula capita pugillum per Moysen in libro Exodi pro filiis Israel jussit Deus offerri: itaque summam cognitionis, et perfectæ scientiæ esse apud Christum legislator innuit. Quid autem his subdat intende.

Reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis. Ut non ex toto a theologia cessemus, pro eo quod summa scientiæ in futurum conservatur; quæ autem nobis ab eo relicta est, id est tradita, hanc comedere nos jubet scientiam, et operari, de qua nobis et præceptum est, quæque nobis sufficiens est, et juxta nostras vires. Sed intuendum ubi hanc et quomodo oporteat operari. Sequitur:

Absque fermento, et comedet, in loco sanctuarii tabernaculi. Non coquitur cum fermento Dei, neque secundum Judaicam doctrinam, neque secundum gentile fermentum: quia non vult nos verbum loqui, sed ut munda sit ab omni permistione, et absque omni fermento. Comedit autem illam in atrio tabernaculi testimonii præcepit, id est, operari in Ecclesia. Tabernaculum enim testimonii, cælum est, in quo quod habitat Deus, Scriptura testatur. Atrium autem tabernaculi testimonii, id est cæli, Ecclesia est, non solum sicut introitus, et vestibulum cælorum, sed etiam quemadmodum domus Dei. Ibi ergo, id est, in ea,

oportet omnimodo de divinitate loqui, sive theologiam exercere: *In Ecclesiis enim, ait, benedicite Dominum*²². Si quis autem in domo Ecclesiam habet (ait quippe Paulus: *Salutate Nympham, et domesticam ejus Ecclesiam*²³): habet autem quis domesticam Ecclesiam, quando semetipsum sanctificaverit Deo et a sæcularibus cessaverit negotiis), hic etiam domi de Deo loqui, sive theologiam exercere potest. Tales sunt, quibus pars de sacrificiis Domini, id est loqui de Deo, vel theologia, de donis et oblationibus datur. De quo subdidit: *Sanctum sanctorum erit, quia Sancti sanctorum contemplationem possident.* Subdidit autem:

Sicut pro peccato atque delicto. Simile illud volens ostendere pro peccato, et delicto sacrificium. Sermo enim de Deo maxime ad ereptionem et emundationem animæ habetur, quando oleo et thus, eleemosynæ videlicet et orationi, sacrificium verbi Dei, id est theologiæ, conjungitur, secundum quod hoc legislator offerri præcepit, non frustra hoc jubens, sed quia eleemosynis et fide mundantur peccata: quemadmodum Salomon in Proverbiis dixit²⁴.

Mares, inquit, tantum stirpis Aaron comedent illud, Legitimum ac sempiternum est in generationibus vestris de sacrificiis Domini. Non ergo omnium est de Deo disputare, sed talium qui nihil femineum, nihil fluxum in cogitationibus habent; quod legitimum et æternum in generationibus eorum, id est in perpetuum custodiri præcepit, ut in omni tempore intendamus, nullatenus de Deo disputare præsumere, quandiu per quasdam declinationes diffluentes, vel sæculares alias phantasias, a mæsculorum excidimus dignitate, ne et nobis dicatur: *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum*²⁵? Concludunt autem hanc legem verba sequentia:

Omnis qui tetigerit ea sanctificabitur. Tangit autem, qui apte hoc præsumit agere, hic juste sanctificabitur: Omnis quippe Dei commemoratio sanctificationem præstat, quod testatur Paulus, dicens: *Quia omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*²⁶. Sanctificatur autem per verbum Dei et orationem. Sed cum dicit tangentem sanctificari, plane ostendit, quia in disputando de Deo, id est in theologia, sufficit nobis etiam tantum tangere, quemadmodum igne qui vult caleferi, nam si intus mittat manam, pro eo quod potuit caleferi comburitur. Sic et qui profundius, vel altius de Deo disputare præsumit, pro eo quod gloriosius quid vult ostendere, in blasphemiam cadit, dum comprehendere altitudinem divinorum dogmatum non possit.

VERS. 19-25. Et locutus est Dominus ad Moysen dicens: Hæc est oblatio Aaron et filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ. Decimam partem ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium ejus mane, et medium ejus ve-

²¹ I Cor. XIII, 10. ²² Psal. LXXVII, 27. ²³ Coloss. XIV, 15. ²⁴ Imo, Eccl. III, 55. ²⁵ Psal. XLIX, 16.

²⁶ I Tim. IV, 4.

spere, quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. A Offeret autem eam calidam in odorem suavissimum Domino sacerdos, qui patri jure successerit, et tota cremabitur in altari. Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo. »

Omne sacrificium quod ad sacerdotis refertur personam, Unigeniti sacrificii figuram gerit, sicut per præsentem demonstratur legem; ait enim :

Et locutus est Dominus ad Moysen dicens : Hæc est oblatio Aaron et filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ. Multorum quidem sacerdotum hoc donum est, ait quippe Aaron et filiorum ejus; sed uno uncto offertur, quia omnis sacerdotii imago et firmitas, sive subsistentia, Christi sacrificium est: ipso enim solo oblato per totum est. Et quando actum est? in die unctionis ejus, id est tempore quo incarnatus est: unctio enim in Unigeniti persona incarnatio dicitur. De qua ait Petrus : Jesum Nazarenum, quomodo eum unxit Deus Spiritu sancto et virtute 27. Hæc vero quomodo aut quando facta sint Gabriel Maria dixit : Spiritus sanctus, inquit, superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi 28. Unde David dixit : Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis 29. Apertissime interpretans, quod esset sacrificiationis oleum, quia non esset simile huic oleo, quo omnes sacerdotes, et reges, et prophætæ ungebantur. Propter quod ait : Præ participibus tuis, id est super participes tuos. Participes autem ejus, aut propter carnem, aut propter Spiritus communionem sancti sunt. Unde Paulus dicit : Participes autem Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus 30. Quam ergo oblationem, cum sacerdos unctus fuerit, post incarnationem videlicet Verbi, legislator offerri præcepit?

Decimam partem ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium ejus mane, et medium ejus vespere, quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Sed decimum quidem ephi similæ, esse Unigeniti humanitatem in superioribus ostensum est, cum et ephi, utpote mensuræ tres mensuras capientem, Trinitatem esse recte diximus. Si autem ephi Domini caro esse, ut et divinitatis supereminentia demonstratur, Dominicæque carnis cum ea inseparabilitas, hoc nihilominus in sacrificium perpetuum est, quia sicut ait Paulus : Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos 31. Unde et salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum.

Medium autem ejus mane, et medium ejus vespere. Mane passio incipiens, ex quo cum in atrio Caiphæ alapis cædebant alligantes, usque ad vespertum protelata est; tenebris enim eam interpolantibus, et a sexta hora usque ad nonam factis, necessarie sacrificium in mane et vespere dividi dicitur.

Hæc autem in sartagine oleo conspersa frigetur. Sartaginem Domini crucem, utpote fortem, et nihil ab igne humanorum peccatorum læsam, accipi oportet: quæ etiam superimpositam Dominicam carnem, esibilem hominibus reddidit. Nisi enim superimposita fuisset cruci, nos corpus Christi nequaquam mystice percipissemus. Hæc oleo conspergitur, quia enim nobis compassus est impassibilis, passionem sustinuit carnis. Addidit autem et conspersam, quod LXX sic ediderunt : *Consersam offeret eam buccellas sacrificium boni odoris Domino, odorem consersam eandem dicentes buccellas.* Et buccellas quidem dixisse intelliguntur, utpote multipliciter procedentem propter passiones per partes provenientes; consersam autem, utpote in unum collectam, unde pro *buccellis* Symmachus *dilatatam* edidit; quædam autem ἀντίπαρα electa habent, id est complexa, quia invicem sibi coherent passiones Domini. Unde eadem et ex partibus, seu contractionibus, secundum prædictorum LXX editionem, esse ait legislator has contractiones procedentes, per partes passiones intelligens : *Omne autem hoc sacrificium est suavissimi odoris Domino.* Humani quippe generis salutem præstitit, hæc autem Deo, utpote Creatori naturæ, nihil est suavius. Ad majorem autem explanationem, quod Unigeniti sacrificium significet, intende quid subdidit, *Sacerdos qui patri jure successit.* Quod Septuaginta ita ediderunt : *sacerdos unctus pro eo ex filiis ejus faciet ea*, quia quidem Christus et Jesus est, Paulus probat dicens : *Nobis unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia 32.* Quia enim per Aaron est, non in loco ipsius, sed pro eo, translato in se videlicet sacerdotio, manifestum est ex eo quod ipse sacerdotium suscipiens, illius sacerdotii ministerium cessare fecit. Sed et quod ediderunt, *ex filiis ejus*, esse ex ejus filiis juste creditur, utpote qui ex Jacob femoribus descendebat, beatissimæ Genitricis Domini ex eadem tribu linea descendente; adjiciuntque prædicti Septuaginta : *Lex perpetua est Domino.* Quod iterum Christi sacerdotium recte intelligitur, quia ipsi dictum est : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech 33.* Simulque et quod ad conclusionem legis hujus sequitur, intendendum est. *Et tota cremabitur in altari. Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur : nec quisquam comedet ex eo.*

Quid ergo per hæc contestamur? nisi ut non dicatur de Domino : quia is qui ex muliere natus est, passus est : qui autem descendit de cæto, passus non est. *Nobis enim unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, quem hi qui crucifixerunt non cognoverunt cujus esset dignitatis atque virtutis : Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent 34.* Ipsius ergo est Verbi incarnati passio, quæ provenit in carne, quamobrem tota cremabitur in altari. Ipsius ergo est, qui *semetipsum*

27 Act. x, 38. 28 Luc. i, 35. 29 Psal. xlii, 8. 30 Hebr. iii, 14. 31 Hebr. x, 14. 32 I Cor. viii, 6.

33 Psal. cix, 4. 34 I Cor. ii, 8.

totum exinanivit, et formam servi accepit, et habitu inventus est ut homo; humiliavitque semetipsum, obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis⁴⁵. Sic ergo intelligis et hoc quod dicitur: *Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec comeditur ex eo quisquam*. Eandem quippe etiam hæc virtutem atque intentionem habent, unde *omne sacrificium igne consumetur*, LXX dixerunt: *Holocaustum fiet, Aquila edidit, integrum erit*. Non ergo comeditur ex eo quisquam, id est non dividetur, quia dentium est dividere et partiri cibos, cum aliter mandari non possint. Christi autem sacrificium indivisibile demonstratum est, et propterea comedi non potest.

VERS. 24. « Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere Aaron et filiis ejus, ista est lex hostiæ pro peccato: In loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino, Sanctum sanctorum est. Sacerdos qui offeret, comedit ea in loco sancto in atrio tabernaculi. Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto, vas autem fictile in quo cocta est, confringetur. Quod si vas æneum, defricabitur et lavabitur aqua. Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur carnibus ejus, quia Sanctum sanctorum est. Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cujus sanguis inferitur in tabernaculum testimonii ad expiandum in sanctuario, non comeditur, sed comburetur igni. »

Quia non frustra eadem sacrificia repetit, superius diximus, quod et in præsentibus demonstratur.

Locutus est Dominus ad Moysen dicens. Loquere Aaron et filiis ejus. Ista est lex hostiæ pro peccato. Vel peccati, sic quidem Theodotion et Symmachus ediderunt. Quæ est autem hæc lex? In loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino, quia Sanctum sanctorum est. Propterea Aaron et filiis ejus prædicta mandantur, quia offerre pro peccato sacrificium, id est pœnitentiam, sublimium et summorum est, atque a terra sublevatorum, quod non præstat nisi a malo recessio. Ergo ubi holocausta immolantur, ibi et quæ pro peccato sunt occiduntur: quia qui offeret pœnitentiam, jam imitatur cum qui totum semetipsum obtulit Deo et omnimodo recessit a sæculo, unde et holocaustum ejus appellatur conversatio: et utriusque oblatio in conspectu est Domini, placita enim est Deo, quando secundum ejus intentionem offertur: sic autem placita Deo, Sanctum sanctorum recte appellata est: si enim non esset sanctorum sanctum pœnitentiæ sacrificium, nunquam pœnitentem introduxisset in Sancta sanctorum: eumque per peccatum, unde prius expulsus est.

Sacerdos qui offeret, comedit eam. Qui offeret ait, hic autem Christus est, qui nostra peccata suscepit, recteque nostram offeret pœnitentiam.

⁴⁵ Philipp. II, 7, 8. ⁴⁶ Joan. IV, 54.

Quamobrem et Theodotion pro eo quod est *offerens, expians* edidit, id est emundans, et per sacerdotii sui ministerium, perfectum faciens eum qui emundatur. Et quomodo eam manducet Christus a loco cognosce in quo comedit: *In loco sancto, in atrio tabernaculi*. Vel sicut LXX ediderunt, *In atrio tabernaculi testimonii*. Atrium autem tabernaculi testimonii, Ecclesia est; ipsa quippe ante cælum, atrium tabernaculi testimonii est, ubi Christus pœnitentium salutem operatur, quæ salus ejus etiam cibus appellatur: *Meus enim cibus est, inquit, ut faciam voluntatem Patris mei⁴⁶*, voluntas autem ejus est ut peccator convertatur et salvetur. Insuper ait:

Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. Carnes autem pœnitentiæ, intelligimus jejunium, vigiliam, cilicium vestimentum, cum lacrymis orationem, eleemosynam; ex his enim consistit pœnitentia, quæ qui tangit, recte sanctificabitur.

Et si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto. Sanguis pœnitentiæ proprie baptismus est, quia sicut vita omnis carnis sanguis est, sic et pœnitentiæ donum baptismi. Omnis enim qui agit pœnitentiam, si non perceperit baptismum, inutilis ejus est et sine aliquo lucro pœnitentiæ mortuæque et exanimis: quia veterem peccati hominem non aliter quispiam nisi ablutione regenerationis deponit. Quod si dicis, et quomodo qui olim baptizati sunt homines, pœnitentiam agent? cognosce, quia virtus præcedentis baptismatis operatur et in ea quæ postea acta fuerit pœnitentia. Hæc ergo est intentio legislatoris, quia qui comedit carnes prædicti sacrificii, quamvis oblatio sit alterius, sanctificatur. Per hoc autem ostenditur, quia et is qui non eget pœnitentiâ, si quid egerit horum, pœnitentiam agens sanctificatur. Similiter vel si multum parvus quispiam baptizatus fuerit, qui necdum forte peccavit, mundatur. Et quid ei est opus mundatio? Ad hoc ei opus est, quia nemo est mundus a sordibus licet unius diei vita ejus sit super terram, sordem tamen quam ex Adam successione et generatione traxit, retinet: et ideo cum qui sanguine pœnitentiæ aspersus est non dixit sicut immundum lavari, ait enim:

Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa. Id est caro, ipsa est enim vestis interioris hominis, quæ si aspersa fuerit, ibi *lavabitur in loco sancto*, id est hoc ipsum quod aspergitur, lavabitur, non quia maculatum est aspersione: si enim ita esset, utique dixisset vel adjecisset illud; sed hoc quod efficitur ab ipsa aspersione, lavationem appellavit in loco factam sancto, in domo mystica. Spiritus ergo si quis fortis lotus fuerit, sicut sunt, verbi gratia, paganorum aspersiones, non lavatur, quia non in loco sancto aspersionem neque ablutionem susce-

pit. Hæc ergo legislator, baptismatis sermonem A volens introducere, dixit. Evidenter autem proximus est rationi pœnitentiæ sermo baptismatis, unde Joannes pœnitentiam prædicare incipiens, in prædicatione sua inferebat baptismum⁸⁷, ut videlicet mysterio pœnitentiæ in baptisate habente substantiam. Sed ad ea quæ subsequuntur procedamus.

Vas autem fictile in quo cocta est, confringetur. Quod si vas æneum, defricabitur, et lavabitur aqua. Quod est autem vas fictile, et ubi jacens, Paulus ostendit cum dicit: In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea, et fictilia, quædam quidem in honore, quædam autem in contumelia⁸⁸. In contumeliam videlicet ea quæ sunt fictilia. Magnam autem domum, utpote quæ domus Dei est, Ecclesiam intellexit, in qua aurea vasa et argentea justis, fictilia peccatores sunt. Dixitque quippe et Isaias de Jerusalem: Veniet contritio ejus, et comminetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, et non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea⁸⁹. Ergo quia vasa in quibus carnes sacrificii coquantur, in templo sunt, esse autem in templo Dei quædam infirma vasa ex prædictis apostolicis verbis ostendimus, quicunque est in templo vas fictile, id est infirmus quispiam et sordidus, et qui in peccando consuetudinem fecit, ut ex hoc, sicut amator peccatorum, vas contumeliæ nominetur, cocto sacrificio, per quod peccatorum dispensatur remissio, propterea confringitur sive conteritur, quia cum esset infirmus, bona male percepit: videns enim peccata dimitti, putat semper licere peccare, et ex eo quod juratur, altera læsio et contritio infirmitatis invenitur alterius. Quicunque autem fortis est ut æs, et æruginem peccati non habens, hic coctione pœnitentiæ non conteretur, neque confringetur, sed defricatur sive extergitur, id est, diluitur. Et quomodo diluitur? Aqua lotus: videns enim alium pœnitentem, movetur ad compunctionem, et mundatur aqua lacrymarum lotus. Cur autem alterius pœnitentia coqui in vasis, quæ in templo sunt constituta, dicitur? Quia hi qui agunt pœnitentiam, necessariam ad adjutorium habent orationem populi, quibus attestatur Jacobus dicens: Confitemini alterutram peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini⁹⁰.

Omnis masculus de genere sacerdotali, vescetur carnibus ejus, quia Sanctum sanctorum est. Id est, hoc quod pertinet ad pœnitentiæ actionem, forti enim opus est sensu et virili intentione nihil femineum neque fluxum habente, in agenda pœnitentia. Notandum autem, quia sacrificium quidem cum qui offeret sacerdotem dixit comedere: carnes autem sacrificii omnes masculos de sacerdotibus.

id est, omnem de cognatione sacerdotum masculum, quod videtur esse contrarium aliquo modo, nisi competenti expositione solvatur. Quamobrem sacerdotem quidem offerentem integrum sacrificium, et comedentem intelligis Christum. Ipse autem nostram offeret pœnitentiam, ipse et comedet, quia cibum salutem peccatorum habet. Carnes autem sacrificii, quæ pertinent ad pœnitentiam, omnis masculus de sacerdotibus comedet, omnem fortitudinem convenienter exhibens, cui recte dicitur: Viriliter age, et confortare et sustine Dominum⁹¹. Et hæc quidem ita se habent. Sed intuentium est, quem subinferat terminum.

Hostia enim quæ cœditur pro peccato, cujus sanguis infertur in tabernaculo testimonii, ad expiandum in sanctuario, non comeditur, sed comburetur igni. Et cujus sanguis pro peccato in tabernaculo testimonii ad expiandum seu deprecandum offertur? Vituli scilicet congregationis sive Synagogæ, id est vituli, pro peccato pontificis, hoc enim plenissime superius dixit. Quia ergo illa sacrificia multis probationibus ad Christum ostendimus pertinere, recte ea comedi non præcepit, sed igne comburi. Neque enim per ea, per quæ sibi unusquisque remissionem peccatorum profligat, per jejunium, verbi gratia, aut vigiliis vel aliam similem conversationem, unde et hæc nostræ carnis pœnitentiæ dicuntur: nec ergo per hæc Christus communis peccati (id est humani generis, quod populus significat et summi sacerdotis persona, qui quia præest populo, propria facit utique populi peccata) peragit remissionem, sed auctoritate et virtute propria divinitatis. Christi enim passiones, per quas nobis remissio procuratur, non hominis cujusquam puri, sed Dei sunt incarnati. Propter quod non est esibilis hominibus, sed igne consumitur, quia solius Dei est remissionem omni præbere suo plasmati, quod per ignem significat. Deus enim noster ignis consumens est⁹².

CAPUT VII.

VERS. 1-7. « Hæc quoque est lex hostiæ pro delicto, Sanctum sanctorum est; ideoque, ubi immolatur holocaustum, mactabitur et victima pro delicto; sanguis ejus per gyrum fundetur altaris. Offerent ex ea caudam, et adipem qui operit vitalia, duos renunculos, et pinguedinem, quæ juxta illa est, reticulumque jecoris cum renunculis, et adolebit ea sacerdos super altare: incensum est Domini pro delicto. Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus, quia Sanctum sanctorum est. Et sicut pro peccato offertur hostia, ita et pro delicto; utriusque hostiæ una lex erit, Ad sacerdotem qui eam obtulerit pertinet. »

Delictum aliquando quidem recognitum peccatum vocat, aliquando autem illud, quod in ipsum

⁸⁷ Matth. iii, 8 seqq. ⁸⁸ II Tim. ii, 20. ⁸⁹ Isa xxx, 14. ⁹⁰ Jac. v, 16. ⁹¹ Psal. xxvi, 14. ⁹² Deut.

ix, 24.

committitur Deum, sicut illud quod in sanctis perpetratur, quemadmodum superius ostendimus. De his rursus præsens locus dicit. Manifestum est autem ex eo, quod et pro hoc, secundum quod et LXX specialiter dicunt, arietem offerri præcepit. Sed et in quo communionem habet cum sacrificiis aliorum peccatorum, et in quo rursus differt subtiliter discutientes inveniemus.

Hæc quoque est lex hostiæ pro delicto. In quo LXX arietem specialiter, ut supra dictum est, expresserunt dicentes: *Hæc est lex arietis pro pœnitentiâ, Sancta sanctorum sunt. In loco quo immobilabunt holocaustomata, jugulabunt et arietem pœnitentiæ contra Deum et sanguinem ipsius fundent ad basin altaris in circuitu.* Hæc ergo communia sunt cum sacrificio, quod pro alio illo peccato offertur. Propter quod ea ibi interpretata, hic recte prætermittentur. Quid autem his addidit,

Offerret ex ea caudam, et adipem qui operit vitalia, duos renunculos, et pinguedinem, quæ juxta ilia est, reticulumque jecoris cum renunculis, et adolebit ea super altare sacerdos, incensum est Domini pro delicto. Quod LXX sic edunt: *Et omnem adipem ejus auferet ab eo, lumbum et omnem adipem qui operit interiora, et omnem adipem qui est in interioribus, et duos renes, et adipem in eis, qui est in femoribus, et pinnulas jecoris cum renibus et offeret ea ad altare sacerdos hostiam Domino.* Hæc nequaquam pertinent ad aliorum peccatorum sacrificia, oportet ergo ea discutere. Illud autem intendere prius est necessarium, quia delictum ad Deum refertur: quæcunque autem ad Deum referuntur, difficilem habent veniam, ita ut Heli filius diceret: *Si homo peccaverit in hominem, orabit pro eo: si vero in Deum peccaverit, quis pro eo orabit*²²? Necessarie ergo arietem figuram gerentem Domini, de quo dictum est: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*²³, sumi in sacrificio diximus, in quo solo est, peccata quæ in eum commissa sunt relaxare. Oportet autem quæri, quare non omnis aries in holocaustum sit, sicut et vitulus, qui pro populo et pro sacerdote oblatum est, et ipse enim figuram gerere sacrificii Unigeniti est probatus. Sed ibi quidem quia generalis dispensata est remissio, et omnis humani generis peracta est venia, necessarie omne Christi sacrificium offertur, hic autem illud est quod pro eis fit, quibus sacrificium et remissio procuratur. Quæcunque ergo eum possunt salvare, hæc in sacrificium Christi suscipi legislator jussit. Quæ sint autem hæc Paulus ait, *Pacem sequimini cum omnibus dicens, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*²⁴. Quod et nunc legislator significavit per antefactam oblationem: interiorum enim cogitationes sunt intelligibilia interiora, quibus pacem habentibus, pacem cum omnibus habebimus. Oblatione autem renium, et pinnule, et epatis, et femorum sancti-

ficationem significat, quæ nobis ordinata est ad salutem. Notandum autem, quia quæcunque in sacrificio pacificorum, ea in hoc sacrificio præcepti fieri. Adipem jubet offerri. Desiderat enim Christus et eum qui gravia habet peccata, salvare. Cum adipe, secundum LXX, et lumbum offerret. Neque enim solummodo hoc vult, sed et potest. Lumbus autem, utpote forte membrum, significat virtutem.

Duos renunculos, et pinguedinem quæ juxta ilia est. Vult quippe maxime pœnitentis mundari interiorem hominem, vult etiam habere eum et castitatem. Propter quod non solum renium, sed et iliorum, vel femorum pinguedinem, seu adipem auferri jussit, quia hæc commisionis ministeria et seminum putantur. Cum his etiam reticulum jecoris, vel sicut LXX, pinnulam epatis cum renunculis auferri præcepit, et offerri cum aliis in altari hostiam Domino. Vult enim eum qui pœnitentiam agit, concupiscentiam propriam non habere, sed omnem eam offerre Deo. Quia concupiscentias, sive desideria, in hepate moveri dicunt, et nutriri, quarum primitiæ per pinnulam oblate in sanctificatione peragi, omnesque corrigi faciunt. Hæc dicens, addidit:

Pro delicto est. Ostendens, quia non frustra sacrificium hoc differre ab aliis sacrificiis, quæ sunt pro peccatis, dixit, sed quia pro delicto est, id est, in Deum tendit peccatum ejus. Unde et partem Christi sacrificii, quod pro omni genere humano oblatum est, in una etiam persona accipere necesse habuit. Reliqua autem non accepit, quia soli oblationi, quæ pro omnibus oblata est, competunt. Neque enim sola quæ prædicta sunt, Unigeniti sacrificium præstitit: sed et mortuorum resurrectionem, et diaboli condemnationem, maledicti liberationem, paradisi restitutionem, quarum unumquodque virtutem pœnitentis excedit. Ad cujus supplementum, utpote non sibi sufficiente propter magnitudinem peccati eo qui peccavit, partem Domini sacrificii comprehendit. Reliqua autem ei, quod pro omnibus est, sacrificio custodiuntur. Participatur autem eo et iste, pro quo nunc sacrificium fit, cum unus et ipse ex omni massa sit. Postquam autem dixit, quædam sacrificii pro delicto præcipua, subdidit communia quæ de peccatis habet.

Omnis masculus de sacerdotali genere in loco sancto vescetur his carnibus, quia Sanctum sanctorum est. Sicut pro peccato offertur hostia, ita et pro delicto. Utriusque hostiæ una lex erit. Ergo nihil aliud exponere hic, aut addere necesse habemus, quia communia hæc esse pro peccato, et pro delicto sacrificia audivimus. Sufficien-ter autem de his quæ pro peccato sunt in prædictis exposuimus. Sed confirmationem etiam huic legi talem super-addidit:

²² 1 Reg. 11, 25. ²³ Joan. 1, 29. ²⁴ Hebr. xii, 14.

Ad sacerdotem qui eam obtulerit pertinebit. — *Christus autem nobis propitiatio factus est*⁶⁶. Ergo in ipso omne pœnitentiæ sacrificium ministratur et agitur, et omne quod ex pœnitentia quis consequitur, ad eum refertur; ipsius est enim pœnitentia, et propter hanc, ut nos salvaret, advenit; quod manifestum est ex eo quod dixit: *Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam*⁶⁷.

Vers. 8-10. « Sacerdos qui offeret holocausti victimam, habebit pellem ejus et omne sacrificium similæ quod coquitur in clibano, et quidquid in craticula, vel in sartagine præparatur, ejus erit sacerdotis, a quo offertur: sive oleo conspersa, sive arida fuerint. cunctis filiis Aaron mensura æqua per singulos dividetur. »

Non qualiacunque per ea quæ nunc dicuntur, legislator significat: hæc enim sunt in quibus eum perscrutantes ut obstupescamus, dignum est.

Sacerdos qui offeret holocausti victimam, habebit pellem ejus. Quid per pellem intelligi possit, manifeste ostendit hoc quod Deo a diabolo de Job dictum est. Quando enim Job, quem ut abundantem omnibus accusavit, omnem sæculi substantiam, sive omnia quæ circa eum erant disperdidit, ille autem in sua impietate permansit, audiens a Deo: *Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra: vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra*⁶⁸. Cui respondens Saian, ait: *Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*⁶⁹. Ergo pellis divitiarum circumstantia, quasi exterius circumdans est hominem, quam offerre intelligibili sacerdoti hi qui volunt holocaustum fieri, debent. Propter quod hi qui doctrinæ apostolicæ crediderunt, vendentes substantias suas, ad pedes apostolorum ponebant⁶⁰. Quia ergo pellem pro pelle dixit, necessarie divitiarum circumstantiam, quam perdidit Job pro patientia, quæ ei relicta est, intelligimus. Pellem autem, quia multa ex ea utilia fiunt patientiam profitemur. Quæ multa? Acquirentibus se providet bona: patientiam autem eam maxime, quæ in tribulationibus est, unde et David psallebat: *Quia factus sum sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus*⁶¹. Quemadmodum enim uter in pruina juvari et confortari dicitur, sic et patientia crescit tribulationibus. Propter quod et Paulus dixit: *Tribulatio patientiam operatur*⁶². Simul etiam et inferius addidit: *Patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit*⁶³. Quia autem sacerdos offerens nostrum holocaustum, est Christus: *Ipsi enim exhibemus corpora nostra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum*⁶⁴, ipsius necessario esse patientiam, per quam assequimur prædictam conversationem, dici-

atur: quia ipse nobis patientiam demonstravit, prout quidem dicens: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*⁶⁵. Deinde: *In mundo tribulationes habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum*⁶⁶. Non solum autem in ejus doctrinis, sed et in respectu ejus, patientiam in passionibus habemus, Paulo dicente: *Cogitate autem qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes*⁶⁷. Propter quod David ait: *Et nunc quæ est patientia mea? nonne Dominus, et substantia mea ante te est*⁶⁸? Quia autem intelligibile hic describit holocaustum, ipse textus ostendit, ait enim:

Sacerdos qui offeret holocausti victimam. Non boum, aut ovium, aut aliorum similitum, sed hominis. Ubi enim non ab his qui offerunt, sed ab his quæ offeruntur, sacrificia considerantur, necessarie animalium mentionem facit. Hic autem, quia apertius voluit introducere personam Domini, sacerdotem posuit, holocaustum hominis offerentem. Intelligibilia enim nostra holocausta solus Christus offert, ad cujus imitationem eorum hostiæ et conversationes studentur. Post hæc dixit:

Omne sacrificium quod coquitur clibano et quidquid in craticula, vel in sartagine præparatur, ejus erit sacerdotis a quo offertur. Reminiscendum est quia sacrificia hæc theologiæ esse Unigeniti dispensationis diximus, et illud quidem quod est de clibano, diximus significare Virginis partum; quod vero de sartagine est, crucis passionem: illud etiam quod de craticula est, a morte resurrectionem, rationem in omnibus reddentes, et probationem quas oportebat, adjicientes. Quia ergo hæc theologiæ incarnationis proxima sunt, necessarie sacerdotis offerentis eam, Christi videlicet nati et passi et resurgentis, est. Sed nimirum novum tibi videtur quod inferitur:

Sive oleo conspersa, sive arida fuerit, cunctis filiis Aaron æqua mensura per singulos dividetur. Consersum siquidem in oleo sacrificium de simila dicit quod nec in clibano nec in sartagine, nec in craticula mittitur. Ergo et ipsam esse theologiam diximus, sed non de Dominica incarnatione. Ut non ergo omnem theologiam circumscribamus in Unigeniti humanitate, oportet nos et de Patris, et de Spiritus sancti et etiam ipsius Filii, quæ ex Patre est, substantia disputare. Propterea non in semetipso portare hoc sacrificium repetivit, sed filiis Aaron illud, ad theologiam per meditationem proficientibus Scripturarum, deputavit, unicuique æqualiter dispertiens, ut non dissimilia, sed omnes similia de Deo sentirent. Et hoc manifestum, quia hæreticis de tali percipere sacrificio non præcepit, quia non eadem de Deo sapiunt, sed et nimis differentia. Non consersum autem de simila dicit iterum, quando decima ephi absque oleo, et thure, pro peccato offertur, a non valentibus hircum, aut

⁶⁶ I Joan. II, 2. ⁶⁷ Matth. IX, 13. ⁶⁸ Job II, 3. ⁶⁹ ibid. 4. ⁶⁰ Act. IV, 34, 35. ⁶¹ Psal. CXVIII, 85. ⁶² Rom. V, 3. ⁶³ ibid. 4. ⁶⁴ Rom. XII, 1. ⁶⁵ Luc. XXI, 19. ⁶⁶ Joan. XVI, 33. ⁶⁷ Hebr. XII, 3. ⁶⁸ Psal. XXXIII, 3.

ovem, aut par turturum, aut pullos columbarum A offerre in sacrificium. Hoc autem etsi sacrificium Salvatoris significat, tamen quia non theologiæ gratia, sed causa utilitatis offerentis præcepta est, et hanc filiis Aaron deputavit. Oportebat enim, et cum oblatio eadem esset, causa autem eadem non esset, hoc siquidem propter theologiam, illud autem propter paupertatem postulantis pro peccatis offertur, differentiam aliquam sacrificium habere, ut ostendatur, quid pro theologia, et gloria quæ in Christo est, offeratur, quid pro sola utilitate offerentis.

VERS. 11-15. « Hæc est lex hostiæ pacificorum, quæ offertur Domino. Si pro gratiarum actione fuerit oblatio, offerent panes absque fermento conspersos oleo, et lagana azyma uncta oleo, coctamque B similam, et collyridas olei admistione conspersas. Panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis, ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino, et erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem, cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane. »

Quemadmodum holocaustorum et peccatorum sacrificia, sic et ea quæ pro pacificis, sive salutari offeruntur, reiteravit; secundo illud dicens, ut repetitione memoriam eorum legem meditantibus insereret. Subinfert autem ea quæ ante non dixit, ut nobis lectio necessaria, et non despicibilis fiat. Dividi autem illud non frustra, sed et nimis rationaliter prævidit, hæc enim inquisitis legislatoris verbis invenimus.

Hæc est lex hostiæ pacificorum, quæ offertur Domino, si pro gratiarum actione offeret, sive pro laudatione. Vides activam quidem solam esse, rationalem autem, et activam esse vitam, ex his quæ nobis ad pacifica, sive ad salutem transeuntibus dedit, potestatem tribuens, quam ex utriusque voluerimus eligere; quia enim rationale quoddam est sacrificium gratiarum actionis, sive secundum LXX, laudationis; audi David, postquam prohibuit sacrificia quæ secundum legem erant, dicentem: *Immola Deo sacrificium laudis et redde Altissimo vota tua* 69. Audi et Paulum ad Hebræos scribentem per se, dicit autem: *Sic offeramus hostiam laudis semper Deo, fructum labiorum confitentium nomini ejus* 70. Quomodo autem jubet illud offerri?

Offeret panes absque fermento, conspersos oleo, et lagana azyma uncta oleo, coctamque similam, et collyridas olei admistione conspersas Quod LXX ita edunt: *Et similam conspersam oleo, in collyridis panum azymorum offeret munera super altare laudationis salutaris*. Panes sine fermento, sive azymos conspersos in oleo, apostolicos libros; lagana uncta oleo propheticos intellige, quia illi quidem nimis opulenter, illi autem etsi et ipsi opulenter, non tam ex tantum annuntiant misericordiam Dei,

dum misericordiæ, propter inobedientiam Judæorum, permiscet minas. Unde et non conspersa oleo lagana, sed tantum uncta esse dicuntur. Coctam autem similam, et collyridas olei commistione conspersas, vel sicut LXX dicunt: *Et similam conspersam oleo collyridis panum azymorum: similam in oleo conspersam, cum eleemosyna theologiam intelligimus, unde et similia propter subtilitatem dicitur*. Verumtamen in collyridis panibus sine fermento, munera sacrificii pacificorum, seu salutaris præcepit fieri, in apostolicis videlicet Scripturis. Apostolicam autem doctrinam sequi maxime oportet eum, qui salvari desiderat.

Panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis, ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino: et erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem. LXX autem dicunt: *Et offeret de omnibus muneribus suis laudationem Deo, sacerdoti profundenti sanguinem salutaris illius erit*. Per hæc ostendentes, quia quantumcunque homo egerit et vixerit, cucurrerit, et comprehenderit, sive assecutus fuerit, sine adiutorio Domini salutem adipisci sive assequi non potest. Propter quod et Paulus dicebat: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* 71. Ipsi autem sacerdoti profundenti sanguinem salutaris, id est, Christi ministranti et perficienti sacrificium per suum adiutorium, primitias jussit offerri. Attende autem qualiter etiam præsentem legis sanctionem conclusit:

Cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane. Vel sicut LXX: *Et carnes sacrificii laudis salutaris, ipsi erunt videlicet offerenti, et in quacunque die donabit comedetur, non relinquent ex eo usque mane*. Hic mane sacculum futurum appellat, utpote quod totum est lucis et nocti præsentis sæculi succedit. De ipso quippe et Paulus ait: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* 72: David autem dicit: *Mune stabo tibi et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es* 73. Non vult ergo de carnibus sacrificii salutaris in mane relinqui, ut non imperfectam vitam nostram relinquamus, per quam nos oportet salvari: scientes enim quia non restat in illo sæculo operatio, et in memoriam nostram revocantes quinque virgines, quæ quia Sponso vocante venire ad nuptias, oleum emere volebant, a nuptiis exclusæ sunt 74, nihil eorum, quæ ad salutem proficiunt, non manducatum, id est non operatum mane intelligibile relinquamus. Hoc enim nobis et Salomon in Proverbiis dicit: *Non dicas: Vade, et revertere, et cras dabo tibi cum statim possis dare* 75; *neque enim scis quid pariat superventura dies: ne forte, ait, deducaris, ubi non potes, nec misericordiam, nec aliam virtutem operari* 76.

VERS. 16-20. « Si voto, vel sponte quisquam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die. Sed et si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est. Quid-

69 Psal. XLIX, 14. 70 Hebr. XIII, 51. 71 Rom. IX, 16. 72 Rom. XIII, 12. 73 Psal. V, 5. 74 Matth. XXV, 1 seqq. 75 Prov. III, 28, 29. 76 Prov. XXVII, 1 et Jac. IV, 14

quid autem tertius invenerit dies, ignis absumit. Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti : quin potius quæcunque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit. Caro quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni, qui fuerit immundus, vescetur ex ea. Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum quæ oblata est Domino, peribit de populis suis. »

Hæc lex ad primam quidem faciem contraria videtur præcedentibus, sed non ita est discussa, quippe nimis invenitur eis esse concordans. Illud autem scrutantem intelligere oportet, quia umbram habens lex futurorum bonorum, recte multis et differentibus questionibus, ad figuranda ea quæ designantur mysteria, usa est.

Si voto vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die. Sed et si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est : quidquid autem tertius invenerit dies ignis absumit. Omne quidem sacrificium pacificorum seu salutare spontaneum est, unde illud inter dona superiori parte libri hujus, legislator ascripsit ; sed gratiarum actionis, sive laudis sacrificium, quanquam species sit oblationis ejus quæ nunc dicta est, tamen quia rationale quoddam est, propterea in lege voluntarium non habet additum : quia cum sine dubio rationales simus, debitum quodammodo præcipuum Creatori rationale sacrificium debemus. Propterea in eo voluntarium lex reticuit, non illud excipiens a voluntariis, neque enim pro peccatis, sed nec ex promissione oblatum ostendit. Tantum autem tacet, quemadmodum diximus, voluntarium, sive spontaneum, ut cum siletur hoc verbum qui rationales simus, debere nos Deo rationalia sacrificia intelligamus, et omni ei studio adhareamus. Sed quoniam illic in qua die offertur, comeditur, ait, hic autem, in quacunque die offertur, et in crastino : nec hoc contrarium est, apertissime enim et hoc quod dicimus crastinum, denuntiatum præsentis sæculi est, quod testatur Jacobus dicens : *Ecce nunc qui dicitis : Hodie et crastino ambulabimus in illam civitatem et negotiabitur, et lucrum faciemus* ⁷⁶. Et omnino non invenies ubicunque in Scriptura crastinum, assimilatum futuro sæculo, sed dicitur quidem præsens sæculum hodie, quomodo David dicit : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione* ⁷⁷. Et rursus Paulus : *Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur* ⁷⁸. Dicitur autem et eras, non tamen omnino ἀνὰ δ:απολλῆν hodierni : sed quia præsentis sæculi non eadem sunt spatia, sicut in Proverbiis ostendit, *Ne dicas amico tuo : Vade, et cras veni.* Neque enim sæculum describit futurum, sed subsequens, præsentis vite tempus. Propter quod dixit : *Neque enim scies quid pariat superventura dies* ⁷⁹, id est, ne forte in ea moriaris, aut ab aliqua impediaris causa.

Quod utrumque in præsentis sæculo contingit, non in futuro. Unde nec ullo modo diem duplicavit, unam diem tantum dicens in sacrificio gratiarum actionis, sive laudis. Aut forte hinc manifestum est quia his qui rationalem vitam apud se desinierunt et studium quietis, veluti Maria quæ bonam partem elegit, et ad pedes Domini Jesu Christi sedebat, simplex est vita et velox atque ad transitum parata. Eis vero qui activam elegerunt, non ita, sed laboriosa, qualis erat Marthæ quæ turbabatur erga plura ⁸⁰. Unde et ei duplex tempus, propter labores, computatur ; verumtamen legislator, etsi verbis diversis utitur propter opulentiam spiritus, et ut multiplicia redderet, sicut sæpe diximus, intelligentiæ ænigmata, a districta tamen subtilitate non recedit, sed ibi dixit,

Non relinquunt de eo in mane. Non dicens, in crastino, quia crastinum non significat futurum sæculum : hic autem quidquid tertius invenerit dies, ignis absumit, per diem tertium, futurum indicans sæculum, in ipso quippe generalis est mortuorum resurrectio : quam designat tertii diei facta resurrectio Domini quæ mane provenit. Propter quod et mane sæculum diximus significare futurum.

Tunc ergo quod reliquum est de sacrificio pacificorum seu salutarium igne consumetur. Quodcunque enim reliquerimus ad nostram salutem pertinens, inoperatum est, autem inoperatum et hoc quod male operatum est, et ligna, aut fenum atque stipula factum, hoc igne consumetur, nos autem detrimentum patiemur. Sed quid his addidit ?

Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti : quin potius quæcunque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit. Nec hæc frustra præsentis sanctioni addidit, sed quia quidam post finem hujus vite et mortuorum resurrectionem aliam talem vitam, qualis nunc est, describere præsumperunt, mille annorum quoddam sæculum introducentes, in quo, ut aiunt, Jerusalem sensibilibus ædificabitur, templumque ejus, et quæ in ea quondam fuerunt Sancta sanctorum restaurabuntur, et sacrificia offerentur, nuptiæque, et filiorum procreatio, et deliciae quædam cum justitia sensibili, et longe alia conversatio nostra, quam ea quæ nunc est justorum, cum ex mortuis resurrexerimus erit : hanc ergo presumptionem de animo nostro removere cupiens : Si quis de carnibus, ait, pacificorum die tertio comederit, id est, si quis sibi in cogitatione proponat, quia post resurrectionem mortuorum, reliquias hujus vite acturus est, et modo quodam comedat prædicta in mente, utens pro cibo phantasia ; et sperans se comedere eo tempore quo comedere impossibile est, id est, operari : hujus oblatio non suscipitur, nec reputabitur ei. Qui enim falsa de futuro sæculo æstimat, sibi metipsi damnum facit, abominabilem et pollutam oblationem suam

⁷⁶ Jac. iv, 15. ⁷⁷ Psal. xciv, 8 ; Hebr. iv, 7. ⁷⁸ Hebr. iii, 15. ⁷⁹ Jac. iv, 14. ⁸⁰ Luc. x, 40, 41.

constituit. Non solum autem hoc, sed et peccatum a se sibi contrahit; propter quod dixit:

Quin potius quæcunque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit. Ostendens quia et in damno bonorum vivit, et peccato se subicit, quicumque non bona de retributione æstimat Christi: non enim sunt corruptibiles retributiones Dei, nec quæ semel destruxit, illa rursus constituit: præterea non vult virtutes falsa intentione pellui; unde et dixit:

Caro quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed igne consumetur. Carnes dicens virtutes, ex quibus sacrificium salutare constat: verbi gratia, castitatem, eleemosynam, justitiam. Hæc ergo si tetigerint immundum quidpiam, cum forte per superbiam justitia et castitas ad vanam gloriam, et eleemosyna ex injustitia sit, igne incenduntur iudicii futuri. Quod demonstrat Isaias, dicens: *Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum; qui mactat pecus, quasi qui excerebrat canem*⁸¹, et reliqua. Præsentis autem mandati recta conclusio est: *Qui fuerit mundus, vescetur ea. Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum quæ oblata est Domino, peribit de populis suis.* Aperte hic ironiam destruit, et hypocrisin, hæc enim sunt animæ immunditiæ, ita ut horum homo interior lupus appellaretur, cum Dominus dicit: *Attendite ab eis qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intus autem sunt lupi rapaces*⁸². Ii de carnibus hostiæ pacificorum sive salutaris, quæ oblatae sunt Domino, comedentes, qui virtutes quæ a Deo possidentur, non virtutis intentione, sed fraudulenter operantur, pereunt de populo suo, ut non jam oves, sed lupi nominentur et ut manifestum sit, quia de grege expulsi sunt. Quicumque autem extra gregem est, hic in parte bestiarum deputatur: *Et qui tetigerit immunditiam hominis vel jumentii, sive omnis rei quæ polluere potest, et comederit de hujuscemodi carnibus, interibit de populis suis.* Non ergo quemlibet illum solummodo mala mundum esse et carere vult actione si salutarem sive pacificam operatur hostiam, et cupit ejus esse particeps, sed ut etiam ab alterius mali conjunctione abstineat, sive cogitationes ejus sive opera mala sint. Quia enim rationalis et intellectualis est homo, recte immunditiam hominis, eam quæ est in consiliis, et cogitationibus, malitiam intellexit, quod manifestat et Dominus, dicens: *Necdum intelligitis, quia omne quod ingreditur in ore, in ventrem vadit, et in secessum emittitur? Ea autem quæ egrediuntur de ore, de corde exeunt, et illa polluunt hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia, blasphemias*⁸³? Non ea quæ in actione sunt, dicens furta aut adulteria, aut fornicationes, nam hæc quomodo de corde exeunt? sed ea quæ in cogitationibus et consiliis sunt, quia ipsa maximæ sunt immunditiæ

rationalis hominis. Unde quidem cogitationum maliarum Dominus mentionem fecit, et sic addidit: *Hæc autem sunt quæ polluunt hominem.* Jumenta ergo immundas sunt hi qui immundis et terrenis actionibus occupantur; ad terram intendunt, quemadmodum jumenta. Unde et fornicatores *equi admistrarii* appellantur⁸⁴.

Sive omnis rei quæ polluere potest. Quicumque omnia et divinationes, et purgationes, vel dies, et tempora custodiunt, multo magis autem magi et venefici, abominabiles sunt enim apud Dominum. Omnis qui facit hæc, forsitan enim communicat quis malis eorum consiliis, aut actionibus, et hic, utpote prohibitam immunditiam tangens, non potest ea quæ ad hostiam salutarem vel pacificorum pertinent comedere, sive operari. Cum enim nisus fuerit ea quæ ad salutem pertinent agere, et communicaverit operantibus mala et quæ ad perditionem pertinent, peribit de populo suo, id est, de his qui salvantur, nam et alienis communicare peccatis, mortiferum est: unde et David dicebat: *Et ab alienis parce servo tuo*⁸⁵. Et Paulus Timotheo præcepit: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis, temetipsum castum custodi*⁸⁶.

VERS. 25-25. « Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filiis Israhel. Adipem bovis, et ovis, et capræ non comedetis: adipem cadaveris morticini, et ejus animale, quod a bestia captum est, habebitis in usus varios. Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo. »

Admiranda est legislatoris sapientia quemadmodum per ænigmata et parabolas introducat subjectis utilia, caute mandati margaritam quasi in peram componens litteræ. Quamobrem enim adipem boum, et ovium, et caprarum comedi non præcepit: quorumque carnes mundas et esibiles dixit eorum comedi adipem vetuit, nec ejus qui operatur mandatum, quemadmodum est bos, nec simplicis, qui est ovis, nec eorum qui pro peccatis penitentiam agunt, per capram quippe significantur ea quæ pro peccatis sunt sacrificia, cum capram præcepit in his aut hircum immolari, nec horum ergo concedit ut desiderium comedamus? Ad Deum enim illud referri, et Deo offerri jubet, quatenus non sit secundum intentionem humanam, sed Deo soli uniuscujusque rei, quam quis ex prædictis assequitur, desiderium offeratur. Similiter peccatorum desiderium, quod per morticinæ et a bestiis capta significatur: per morticinæ quidem utpote qui elegerunt per quasdam impudicitias et per superbiam peccati mortem. Quod probat Paulus de viduis sic dicens: *Quæ enim in deliciis est vidua, vivens mortua est*⁸⁷. Per ea autem quæ a bestiis capta sunt, intelliguntur hi qui, dum negligunt

⁸¹ Isa. LXVI, 3. ⁸² Matth. VII, 15. ⁸³ Matth. XV, 17-19. ⁸⁴ Eccli. XXXIII, 6. ⁸⁵ Psal. XVIII, 14.
⁸⁶ I Tim. V, 22. ⁸⁷ I Tim. V, 6.

cautelam suam et custodiam, captivati sunt, ab intelligibilibus bestiis comprehensi : quod ut non faciamus, rursus Petrus ait : *Sobrii estote, vigilate, adversarius enim vester diabolus, sicut leo rugiens circuit, quarens quem devoret*⁸⁸. Quorum non concedit adipem comedi : noxiuum enim est nobis horum desiderii uti. Sed nec Deo ea jubet offerri, *desiderium enim peccatorum peribit*⁸⁹. Sed quid præcepit?

Habebitis in usus varios. Transferre ergo illud ad virtutem debemus, ut ad castitatem, aut ad eleemosynam, aut ad iustitiam, aut ad quamcunque speciem bonæ operationis horum desiderium convertamus, resolventes illud, et in alium modum derivantes. Hoc enim est, *habebitis in usus varios.* Quia et adeps, si ad aliquam utilitatem cuiuslibet conficiendi operis necessarius est, subtiliatur atque resolvitur.

Si quis adipem qui offerri debet in incensum Domini comederit, peribit de populo suo. Recte perit, videlicet cogens, aut alio modo suadens ei, qui semetipsum obtulit Deo, non ad supernum oculum desiderium habere, sed ad placendum sibi.

VERS. 26, 27. « Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus, quam de pecoribus. Omnis anima quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis. »

Quia sanguinem animam vult intelligi, sufficienter superius demonstratum est. Vult ergo virtutem nos assequi alternæ dilectionis : et neque justorum, quorum hoc loco, propter altiorem volatum, conversationem significavit, neque peccatorum, quibus pecorum appellatio, pro eo quod ad inferiora intendunt, convenit comedere sanguinem, id est nihil ad eorum operari mortem. Quod autem, sicut edunt LXX, hoc non fieri in omni habitatione præcepit, per habitationes, differentes conversationes innuit. Propter quod oportet a malitia contra proximum, tam sublimiter sapientem, quam mediocriter, vel nullum sapientiæ studium habentem, et ut dicatur breviter, et iustum ab ea, quæ est contra peccatorem, et peccatorem ab ea quæ esse potest contra iustum, abstinere malitia, ut nullas illi moliantur insidias, sciens, quia in sanguinem peccat, et sanguinem comedere eum legislator iudicat, et peribit anima hæc de populis suis, pro eo quod intentionem habuit perdendi proximi. Insuper et hoc intende, qui ea quæ de prohibitis cibis est; et tactu immundorum, sanctionem insinuans animæ, lex mentionem facit : quia maxime ex gentibus populo, cuius esse significationem animalem hominem manifestavimus, mos est omnibus vetitis pollui actionibus, a quibus illum recedere præcepit.

VERS. 28-34. « Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Loquere filiis Israel : Qui offeret victimam pacificorum Domino, offerat simul et sacrificium, id est et libamenta ejus, tenebitque manibus adi-

pem hostiæ, et pectusculum. Cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet sacerdoti, qui adolebit adipem super altare : pectusculum autem erit Aaron, et filiorum ejus, armus quoque dexter de pacificorum hostiis cadit in primitiis sacerdotis. Qui obtulerit sanguinem et adipem filiorum Aaron ipse habebit et armum dextrum in portione sua : pectusculum enim elationis, et armum separationis tuli a filiis Israel, ex hostiis eorum pacificis, et dedi Aaron sacerdoti, ac filiis ejus lege perpetua, ab omni populo Israel. »

Vere qui legem Dei meditatur nocte et die, lignum est plantatum secus decursus aquarum, ut det fructum in tempore suo meditatione irrigatum legis, quæ ut non faciat fastidium, nec deficiat legens, variat sanctionem, differenter de iisdem præcipiens⁹⁰. Hoc autem divinæ est sapientiæ, quæ in omni etiam disciplina hoc operatur. Nam ecce et medicinam invenies morbi tempore, multa præferentem medicamenta, multo magis et in hoc quod animæ profectum et sanitatem præstat. Quamobrem virtutem hujus intendamus sanctionis.

Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Loquere filiis Israel. In quo loco LXX ediderunt : *Et filiis Israel loqueris, dicens.* Non ergo frustra superius diximus, quia ad populum gentium ea quæ tunc dicta sunt maxime pertinebant, hujus enim rei legislator memor, non dixit nunc secundum LXX editionem : *Loquere filiis Israel; sed, et filiis Israel:* hoc ostendens, quia non solum eis, sed et illis loquatur, qui sunt ex gentibus, communis enim eis hæc est secundum spiritum lex. Quid autem ait?

Qui offeret victimam pacificorum Domino, offerat simul et sacrificium, id est, et libamenta ejus. Secundum LXX autem : *Offerens sacrificium salutare Domino, offeret munus suum Domino de sacrificio salutari ejus.* Et quam hoc interpretationem habeat, manifestat plane quod sequitur.

Tenebit manibus adipem hostiæ. Vel sicut LXX : *Manus ejus offerent extra Domino,* id est, ipsum quempiam oportet ea quæ ad pacifica, vel salutem pertinent operari, utpote qui alterius studio, amici forte, aut cognati, salvari non potest. Quemadmodum hæc iniquitas iniqui super eum erit, sic et iustitia iusti super eum erit. Quomodo ante oportet hostiam celebrari?

Tenebit manibus adipem hostiæ et pectusculum. Vel secundum LXX : *Offeret adipem qui est super pectusculum, et pinnam jecoris, et offeret ea, ut imponatur in conspectu Domini.* Pectusculum appellat fidem et confidentiam, quia hæc fortitudini conjuncta sunt. Fortitudo autem animalis, perfectos designare solet, nam et Dominus ad Job ita loquitur. *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum*⁹¹. Secundum LXX autem addit : *Circumposuisti autem ei omne armorum genus, gloria autem pectoris ejus audacia.* Quod

⁸⁸ I Petr. v, 8. ⁸⁹ P'sal. cx, 10. ⁹⁰ P'sal. l, 3. ⁹¹ Job xxxix, 19.

enim præsumit et audet, ex fortitudine et confidentia fit; quia autem cum de sacrificio salutari præciperetur, ventris, et renum, et lumbi, et pinnae, et hepatis, et adipis, et femorum memoriam fecit, omisit autem pectusculum, sed et armum: variare videlicet, sicut dictum est, legislationem volens, et tempus sibi servare de eisdem ipsis frequenter præcepta dandi. Ecce enim nunc ea, quæ prius non dixit, exposuit.

Tenebit manibus adipem hostiæ, et pectusculum. Vel sicut LXX: *Adipem super pectusculum, et pinnam hepatis præciens offerri.* Per pinnam, et renes, etiam ad aliorum quæ jam dicta sunt, semel memoriam nos reducens. Per pectusculum autem, fidem designans et confidentiam, quam offerri Domino vult, ab eo qui salvari desiderat, quia sine fide impossibile est nos placere Deo ⁹⁹.

Quid autem his addidit?

Tradet sacerdoti, qui adolebit adipem super altare. Recte diximus enim, quia omne nostrum desiderium holocaustum fieri vult.

Pectusculum autem erit Aaron et filiorum ejus. Armus quoque dexter de pacificorum hostiis cadit in primitiis sacerdotis. Armus dexter actiones bonæ sunt. Ergo et fidem, et actiones offerre oportet eum, qui salvari vult. Sed quia pectusculum filiis Aaron deputavit, qui sublimes vita sunt, armum autem dextrum sacerdoti, qui imaginem Christi tenet, propter quod solus sacerdos hoc sacrificium perficere potest, offerri aperte legislator ostendit: quia credere quidem, et proponere bona, nostrum est, sive incipere ea; operibus autem perficere, et ad finem perducere ea quæ cœpta sunt, hoc divinæ est gratiæ. Propter quod dixit Paulus: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* ⁹⁹. Solius enim ejus est dirigere actiones. Propter quod et brachium ipse Dei nominatur, ait enim Isaias: *Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est* ⁹⁹? Ut qui ergo ipse est verum brachium, recte nostrum armum, seu, ut LXX dicunt, brachium accepit. Deinde intentionem nostram dilatans legislator subdidit: *Qui obtulerit sanguinem et adipem filiorum Aaron, ipse habebit armum dextrum in portione sua.* Christus est enim, intelligibilem sanguinem pacificorum, et adipem, videlicet animas, et desideria salutarium offerens; qui est quidem de filiis Aaron, non propter cognationem, sed propter propriam dignitatem sacerdos singularis, et in omnibus præcipuus: in ejus portionem armus dexter, seu brachium dextrum, id est omnis bona actio et operis effectus transit. Recapitulans autem quæ dicta sunt, addidit:

Pectusculum enim elationis (seu secundum LXX, propositionis) et armum separationis tuli a filiis Israel, de hostiis eorum pacificis. Quia fidem, et actionem, oblationem specialem de pacificis seu salutaribus sacrificiis vult. Propter quod dixit:

Et dedi Aaron sacerdoti et filiis ejus. Secundum superius videlicet dictam divisionem. Totius autem hujus mandati confirmatio sequitur.

Lege perpetua est a filiis Israel. Non est enim tempus, quo non fidei et actionis oblationem specialiter Deus ab his qui salvantur, accipiat. Paulus quippe ait omnes qui virtutibus pollebant, veluti Abel, Enoch et Noe, et quoscunque cum illis connumeravit, perfici per fidem ⁹⁹.

« Hæc est unctio Aaron et filiorum ejus in cæremoniis Domini, die qua obtulit eos Moyses ut sacerdotio fungerentur, et quæ præcepit dari eis Dominus a filiis Israel religione perpetua in generationibus suis. »

Et quæ dicta sunt, videntur quodammodo ad unctionem sacerdotum pertinere, sed non in præsentem de hac disserere legislator proposuerat: quam enim cum unctione sacerdotum societatem habent ea quæ prædicta sunt, sacrificia? Sed solummodo eorum quæ superius ab eo dicta sunt, vult ostendere dignitatem, et quem profectum præstent his qui ea custodiunt. Quod enim ait: *Hæc est unctio Aaron et filiorum ejus in cæremoniis Domini.* Ad superiora hoc reddidit, ut tu cognosceres, quia custodiens quæcumque lex superius dixit, ad sacerdotis proficit dignitatem, et studendo ea valeas regale sacerdotium, gens sancta dici: aliter autem nequaquam.

Hæc est enim unctio in cæremoniis Domini. Videlicet ex observationibus, quæ in prædictis sunt descriptæ sacrificiis. Propter quod addidit:

In die qua obtulit eos Moyses, ut sacerdotio fungerentur et quæ præcepit dari eis Dominus a filiis Israel. Ergo in his nobis unctionem dedit, et in istis nos vocavit Deus, die qua obtulit eos. Quando autem hoc? Qua die unxit eos, ut sacerdotio fungerentur, id est qua die illos ex filiis Israel unxit, per unctionem scilicet quæ nunc dicta est. Qui enim sublimius vivunt, seu conversantur, recte omni excellentiores sunt populo. Unde et nimis opportune legislator subdidit: *Religione perpetua in generationibus vestris.* Quatenus tuscires, quia inconcussa hæc apud Deum religio est, ut neque dignitate, neque sapientia, neque cognatione justorum, neque alia simili ex re populo, vel plurimis excellere possit quis, nisi ea assecutus fuerit, quæ in superioribus sunt præcepta. Sic enim quispiam et sacerdos fit secundum cognationem Christi veri sacerdotis, qui immaculatam et perfectam demonstravit vitam. Sed quia unctionem per ea quæ superius plane dicta sunt, intellexit, quæ subsequuntur approbant.

Vers. 37, 38. « Ita est lex holocausti et sacrificii pro peccato atque delicto, et pro consecratione, et pacificorum victimis, quas constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando mandavit filiis Israel, ut offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai. »

⁹⁹ Hebr. xi, 6. ⁹⁹ Rom. ix, 16. ⁹⁹ Isa. xliii, 1.

⁹⁹ Hebr. xi, 1 seqq.

Vides differentes conversationes, quæ conjungunt A Deo sive per perfectum honorem sapientiæ qui per holocaustum significatur, sive per mediocrem justitiam, quæ idonea est et quæ a salutem, pertinent operari. Sacrificia enim hæc pacificorum sive per holocausta aguntur, sive per oblationem, recte esse utilia, ut pote dignitatem sacerdotalem præstantia, lex intellexit: et propterea in die qua unctionis legem Moysi in monte Sinai mandavit, etiam ea quæ sunt de sacrificiis subdidit, simulque ea omnia breviter enumeravit, et commemoravit. Nam LXX addiderunt: *Et consummationis*: cum illud in præteritis non inveniamus specialiter verbis legislatoris expressum etiam in ipsa LXX editione. Sed quia simile sacrificium nec pro peccato, nec holocausti, vel delicti, nec sacrificii est salutaris, ut non speciem sacrificii hujus aut nomen ignorarem, in hoc loco sacrificium illud consummationis appellavit, illud te volens intelligere, cujus appellationem omiserat. Quid autem theologia perfectius est? quam sacrificium simile cum oleo et thure oblatum, significare diximus. Sed ubi hæc constituta dixit? In deserto Sinai. Sinai autem, *rubus* vel *tentatio*, interpretatur. Similis est autem rubo tentatio, asperum quippe virgultum est, et quod difficile manu comprehenditur: significatur autem per hunc, quia quemadmodum eorum qui in agone contendunt corona in sudore et labore est, sic et corona bonæ vitæ in tentationibus et tribulationibus consummatur, ut et Paulus dicebat: *Omnes qui volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* ⁹⁶. Maxime si suas oblationes Domino, vel sicut LXX ediderunt, in conspectu Domini offerant. Manifestum est autem quia qui mundam justitiam, et quæ placita est Deo, adeptus fuerit, hic et tentationes patitur, et tribulationes. Neque enim intelligibiles inimici quiescunt, nec tentationes justo desunt, quia abominatio est peccatoribus pietas. Finem autem tentationum et tribulationum, Jacobus nobis sufficienter exposuit: *Beatus vir qui suffert tentationem, quia, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Deus diligentibus se* ⁹⁷.

CAP. VIII.

VERS. 1-3. « Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Tollite Aaron cum filiis suis, vestes eorum et unctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, canistrum cum azymis, et congregabis omnem cœtum ad ostium tabernaculi testimonii. »

Quæ sit vis prædictorum, aperte et opportune in his quæ sequuntur ostenditur, quando legislator subintulerit ea quæ in eis aguntur. Quid autem hæc quæ nunc dicta sunt significant, hoc tibi præcedens sermo tradet, quia unctio, Christo et his qui ejus sunt communis et non communis est: communis quidem, quia ejusdem unctionis sunt et ipsi participes, quamobrem et nos participatione Christi, Christiani dicimur; non communis autem, quia

inæstimabili quadam sublimitate excellit Deus hominibus, et gratia, in qua ei communicamus; quod David significans ad Dominum dixit: *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, virga recta est, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis* ⁹⁸. Sed qui sunt ejus participes? Nos utique de quibus dictum est: *Participes enim Christi facti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmam retineamus* ⁹⁹. Cernis tamen, quemadmodum præcipue exultationis oleo, id est spiritu, præ participibus utique nobis, sicut ait Psalmista, ungitur, ipse siquidem substantialiter, nos vero operatione ejus, et gratia. Propterea ungentur quidem simul cum Aaron filii ejus, sed non talia in eis, qualia et in Aaronis unctione aguntur, sicut manifestant sequentia. Sed etiam in hoc mens in præsentia figenda est, quod non frustra hæc in Christum accipiamus: sciens enim Ecclesiam decere hæc legislator mysteria, convocari omnem cœtum, sive synagogam præcepit, id est quod Græci dicunt ἐκκλησίας ad januam tabernaculi testimonii. Quæ Synagoga non potest aliter ad hanc legem communionem habere, nisi ad Ecclesiam conveniat, apud quam harum figurarum veritas conservatur.

VERS. 4-9. « Fecit Moyses, ut Dominus imperaverat, congregataque omni turba ante fores, ait: Iste est sermo quem jussit Dominus fieri. Statimque obtulit Aaron et filios ejus, cumque lavisset eos, vestivit pontificem subucula linea, accingens cum baltheo, et induens tunica hyacinthina, et desuper humerale imposuit, quod astringens cingulo coaptavit rationali, in quo erat doctrina et veritas. Cydari quoque texit caput, et super eam contra frontem posuit laminam auream, consecratam in sanctificationem, sicut præceperat ei Dominus. »

Quia hæc de quibus sermo est umbra sint, et figura eorum quæ in Ecclesia aguntur, apertissime etiam ipsa quæ nunc proposita sunt testantur.

Fecit Moyses ut Dominus imperaverat, congregataque omni turba ante fores, ait. Quod Græca lingua in LXX expressius translatum est, id est, ἐκκλησιασας τὴν συναγωγὴν. Et quamobrem non dicit, collegit Congregationem sive Synagogam, sed convocata, id est ἐκκλησιάζειν, omni turba, id est Synagoga seu Congregatione? Quia procul dubio et per hæc innuit aliquid, Synagogam illam appellans, quia hoc nomen proprium cœtus populii antiquitus fuit. Convocare autem, id est, ἐκκλησιάζειν præcepit, ut cognosceremus paulo post futuram Ecclesiam, quæ hujus invenitur virtus esse sanctionis. Manifestius autem fit ex eo quod lex Dei, qui Israel eduxit, qui Abraham vocavit, qui omnia fecit quæ per Moysen prophetam scribuntur, ea quæ mystice in Ecclesia aguntur, ante multas generationes spiritus Dei præcepit. Sed et cum se-

⁹⁶ I Tim. III, 12. ⁹⁷ Jac. I, 12. ⁹⁸ Psal. XLIV, 7, 8. ⁹⁹ Hebr. III, 14.

eundem LXX, superius dixisset : *Convoca ad Januas tabernaculi testimonii*, hic ait : *Convocavit congregationem*, non ad januas, sed *ad januam tabernaculi testimonii* : admonens aures nostras evidenter, quod apostolorum doctrinæ, quas esse januas tabernaculi testimonii præcedens sermo exposuit, et Christi doctrina, sunt ipsius linguæ infusæ, et ex his ex quibus ipse docuit. Quemadmodum ergo inter multas januas, et unam januam, sola hæc differentia est, quia illæ quidem multæ sunt, hæc autem una est, sic apostolorum sermones et doctrinæ nihil a Christi doctrina differunt aliud, nisi quia unum Dominicum verbum est, de quo Paulus ait : *Vivus est enim Dei sermo, et efficax, et acutior omni gladio ancipiti*¹. Et Petrus cum cæteris apostolis ait : *Non est æquum relinquere vos verbum Dei, et ministrare mensis*². In multas enim linguas et diferentes divisum est. Quæ cum januæ propter multitudinem sint, ad unum introitum vitæ, id est Christi januam, deducunt auditorem.

Congregataque omni turba ante fores ait : Hic est sermo, quem jussit Dominus fieri. Quis sermo ille, de quo scilicet David dicebat : *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtutem multam*³? Sed et Petrus planius ait : *Hoc est verbum quod annuntiatum est vobis*. Evangelicus siquidem præsens sermo est, quia et Evangelica sunt ab eo annuntiata mysteria, quibus et gratia inest baptismatis. Consuevit enim legislator quoties ecclesiasticorum mysteriorum describit ænigmata, talibus uti sermonibus. Nam et cum de manna scriberet, quod gerit figuram panis, qui de cælo descendit, verbum etiam de eo simile præsentibus ponit : dicens enim : *Hic est panis quem dedit vobis Dominus comedere*⁴, illico subdidit : *Hoc est verbum quod locutus est Dominus*⁵. Sed quid est etiam quod nunc exponit Deum præcipere.

Statimque obtulit Aaron et filios ejus, cumque lavisset eos. Quandois, qui vere est sacerdos, Christus offertur Patri : oblationis enim ejus etiam Daniel meminit, cum dicit : *Et ecce ut Filii hominis cum nubibus cæli, et usque ad Vetustum dierum pervenit, et oblatum est in conspectu ejus*⁶, nostri utique causa et nobiscum, et propter nos offertur. Propterea et nunc eum cum filiis suis dicit oblatum, cum his videlicet, qui sublimiora sapiunt, et qui imitantur eum, quantum fas est hominibus, sicut Paulus ait : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*⁷. Sed oblatio ipsa per baptismum celebratur, quod ait :

Cumque lavisset eos. Certus es autem, quod Christus ad sacerandas aquas baptismatis nostri, in Jordane est fluvio baptizatus. Sed hæc quidem communia sunt Aaron cum filiis ejus, Christo videlicet nobiscum ; sequentia vero nequaquam. Excedunt quippe nos, atque sublimiora nobis sunt, solique primo ac vero sacerdoti competentia.

Vestivitque pontificem subucula linea, accingens

eum balthæo, et induens tunicam. Quod LXX translulerunt : *Et induit eum tunicam, et præcinxit zonam, et vestivit illum hypodytin*. Hic manifeste Unigeniti exsequitur incarnationem, qui quia totum nostrum incarnatus est hominem, tunicam indui et hypodytin dicitur. Duplex est enim nostra conditio : et unus quidem in nobis est de pulvere : alter cælestis ; sed tamen unus uterque. Ait enim Moyses : *Formavit Deus hominem de limo terræ* ; hic est ergo terrenus. *Et insufflavit in faciem ejus spiritum vitæ*⁸ ; apertissime hic cælestis est. *Et factus est homo in animam vivam*⁹ : unum enim animal uterque. Qui si quidem se ad corporea, et voluptates convertat carnales : totus homo terrenus, quasi extincto et concluso cælesti nuncupabitur ; si autem circa sola versemur animæ proficientia, concedamusque ei principatum gerere, et dominari corpori, recte cælestis dicitur, utpote terreno neglecto. Quando Adam per inobedientiam cecidit, procul dubio terrenus effectus est, et propterea audivit. *Terra es, et in terram ibis*¹⁰ ; id est dilexisti corporis corruptionem, habes pœnam peccato tuo similem. Christus autem induitur quidem terrenum, id est illum qui de terra est veterem hominem, quem etiam simul affixit cruci, ait quippe Paulus : *Quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati*¹¹. Indutus est autem et cælestem, quem ipse insufflavit. Sed quia nihil egit terrenum hic, nec corruptioni proximum, procul dubio cælestis dicitur ; hoc Paulus exponens dicit : *Primus homo de terra terrenus, secundus de cælo cælestis*¹², quod duobus modis accipi oportet. Primus enim homo noster, id est corpus, ex terra formatus est, propter quod terrenus dicitur : anima vero de cælo, Dei est enim insufflatio. Rursus primus homo inobediens Adam ex terra terrenus, quia operibus pulveris semetipsum deputavit, secundus homo novus, est Christus, qui de cælo est, non solum quia de cælo descendit, sed quia et dignitatem cælestis servavit, dum nec terrenum aliquid operatus est, nec corruptioni proximum. Ergo tunicam hic terrenum appellat ; de lino enim, quod est ex terra, tunica facta est ; ait enim : *Et fecit eis tunicas lineas* ; hypodytim autem cælestem, quia hypodytis poderis est, simul autem et hyacinthinus est. Hic autem color cæli est, quod vero est color cæli, hoc est actio cælestis, scilicet et subsistentia, propter quod et cælestis dicitur. Multa autem et alia hypodytis habet signantia cælestem hominem ; quæ in constructione tabernaculi, cum pontificalem stolam explanaret, legislator exposuit. De quibus dicemus cum Deus annuerit, ut eam etiam quæ illic est dispensationem contingamus. Nunc autem quæcumque ad hoc quod est in manibus, necessaria videntur, comprehensa sunt ut probaretur quia utrumque nostrum Christus suscepit hominem, et manifestum

¹ Hebr. iv, 12. ² Act. vi, 2. ³ Psal. lxxvii, 12. ⁴ Exod. xvi, 15. ⁵ ibid. 16. ⁶ Dan. vii, 13. ⁷ Philipp. iii, 17. ⁸ Gen. ii, 7. ⁹ ibid. ¹⁰ Gen. iii, 19. ¹¹ Rom. vi, 6. ¹² I Cor. xv, 47.

et occultum, et terrenum et celestem, id est corpus perfectum, et animam perfectam, et in omnibus integram: utrumque enim, utpote utriusque creator salvavit. Illud etiam intende, quemadmodum hypodytin, quod diximus esse celestem hominem, epanytin alii interpretes ediderunt: quia ipse est quo desideramus secundum quod ait Paulus, superindui; dicit autem sic: *Quandiu enim sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod volumus spoliare, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita* ¹². Quia autem antiquum hoc nostræ conditionis fuit superindumentum, et nunc illud, utpote quod semel habuimus, recepturi sumus, in subsequentiis explanavit. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritum. Hypodytin autem illum LXX, velut qui est interior, vel absconsus, dicunt. Sed tamen quia secundus in ordine creationis deductus est, cum prima sit tunica, quæ de terra est, hunc secundum nominant. Atqui hypodytis interior vestimentum est, sed ex eo quod primum eum non posuit creationis ordinem servavit. In hoc autem quod hypodytin dixit, ostendit quia ipse est homo noster interior. His legislator addidit:

Et desuper humerale imposuit, quod astringens cingulo aptavit rationali. LXX autem ediderunt: Et posuit super illum epomidem, et cinxit illum secundum aditum epomidis, et constrinxit illum ad eum. Superhumerale suave Christi jugum est, id est evangelica vita, quam utpote ipse demonstrans, recte super humeros portabat, de qua ait: Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris, jugum enim meum leve est, et onus meum suave ¹³. Unde et lex in Exodo de superhumerali sic dicit: *Et facies superhumerale de auro et hyacintho, et rocco bis tincto, et bysso retorta, opere polymito* ¹⁴. Vel, sicut LXX, *opus variatum epomidasco, hærentes alteram ad alteram*, aliquando unam epomidem, aliquando duas appellans, quia et Dominus jugi et oneris memoriam fecit, in duobus unum dividens, tanquam dividoret epomidem, quod non frustra, sed quia oportet evangelicum hominem, legis mandatum quod dixit: *Non occidas, non adulteres* ¹⁵, et si quod est aliud, nequaquam præterire, duplicemque in hoc ei operationem exhibere, id est, ut non solum ab homicidio, sed et ira, quæ facit homicidium, abstinence simul, non tantum ab adulterio, sed a desiderio ex quo adulterium paritur. Sic una epomis duæque cohærentes, alia alteri inventur, quia non irasci cohibet, et cautum reddit ad non faciendam homicidium. Necessarie autem hypodyti conjunxit epomida, solius enim celestis hominis jugum suscipere est, quod Christus dixit. Quod est autem cingulum, quo tunicam et hypodytin cinxit? Ipsum opus disce, di-

A dicit enim in tabernaculi constructione: *Et facies cydarin byssinum, et zonam, opus varium*. Quia enim cydaris indumentum capitis est, opus autem cinguli sive zonæ, confortare quodammodo et constringere est eum qui cingitur: hoc ostendere legislator proposuit, quia Christus simul creaturam omnem recapitulans, sive restaurans, simul etiam confortans nostram massam, cujus primitias sumpsit incarnationis dispensare mysterium. De quo ait Paulus: *Qui notum nobis fecit mysterium voluntatis suæ, ad dispensationem plenitudinis temporum restaurare omnia in Christo, quæ in cælis, et quæ in terra sunt* ¹⁶. In ipso et David: *Dominus regnavit, decorem induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se* ¹⁷. Manifestat etiam ipse, quemadmodum Christus

B confortavit nostram massam, verbo dispensationis circumcingens primitias, quam et appellavit *fortitudinem*, quia per ipsam et nos fortes facti sumus. Quis autem sit dispensationis modus, Joannes ait: *Verbum caro factum est* ¹⁸. Ideoque cydarim et zonam ait Moyses byssinam esse opus variatum; byssus enim de terra cum sit, carnem demonstrat, quæ ex terra nostra est; opus plumarii, Domini Verbum, qui artifex et variator totius est creaturæ. Ipse sibi carnem a nobis sumptam operatus est: varians in ea mysteria quodammodo, et creationis miracula. Post hoc subdidit secundum LXX: *Et posuit super ea rationale*. Et quomodo: *Quædam &vltvpxa habent, super eum, sed utraque ad idem respiciunt:*

C *Quod astringens cingulo, aptavit rationali in quo erat doctrina et veritas. LXX autem ediderunt: Et imposuit superlogium ostensionem et veritatem*. Hoc autem alibi sacerdotalem exponens stolam, *rationalem judicii* appellavit: secundum rationale enim Christi, id est doctrinam, prædicatio judicii futuri regitur. Ostensionem ergo, id est manifestationem, et cum ea veritatem habet, utpote manifestante hominibus ignotam mysteriorum veritatem. Quatuor autem versuum ei rationale, id est ex quatuor generalibus virtutibus, et ex duodecim lapidibus partialibus quodammodo et specialibus fieri præcepit. Quæ sunt autem hæc? Utique de quibus scribebat Paulus: *Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse, sicut Dei dispensatorem* ¹⁹. Sed quomodo irreprehensibilis, id est accusatione mundus, et a querela omni liber sit, his quæ postea sequuntur ostendit: *Non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, castum, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem* ²⁰. Hæc enim unicuique quidem convenit assequi, maxime tamen sacerdoti, siquidem figuram gerit Christi, qui prædictos duodecim lapides, super pectus propriam portavit. *Cydari quoque textit caput*. Sive, secundum

¹² II Cor. v. 4. ¹³ Matth. xi, 29, 30. ¹⁴ Exod. xxviii, 6. ¹⁵ Exod. xx, 13, 14. ¹⁶ Ephes. i, 9, 10. ¹⁷ Psal. xcii, 4. ¹⁸ Joan. i, 14. ¹⁹ I Timoth. iii, 2. ²⁰ ibid. 3, 4.

LXX; *Et posuit, inquit, super caput ejus mitram.* A que sanctificans aspersisset altare septem vicibus, unxit illud, et omnia vasa ejus. Labrum quoque cum basi suâ sanctificavit oleo. »

Et super eam contra frontem posuit laminam auream, consecratam in sanctificationem, sicut præcepit Dominus. Non frustra eorum quæ præcepit Dominus Moysi, memoriam facit, sed commemorare nos ea, quæ de lamina in tabernaculi constructione dicta sunt, volens: illic enim aperte ejus utilitas, et virtus posita est cum dicit:

Facies et lamina de auro purissimo, in qua sculpsit opere cælatoris sanctum Domino. Vel sicut LXX: *Et facies laminam auream puram, et formabis in ea formationem signi, sanctitatem Domini.* Quam autem formationem, vel quod signum, jam non dicit; dicit autem et in alio loco. *Fecerunt et laminam sacræ venerationis de auro purissimo, scripseruntque in ea opere gemmarum sanctum Domini* ¹¹. Secundum LXX autem: *Et fecit laminam auream, deductionem auri puri, redemptionem sancti, et insculpsit litteras deformatas signis, sanctitatem Domino.* Sed tamen non dicit quæ erant ipsæ litteræ, nec videre nec audire possumus. Illam ergo notam significat etiam formatio, de qua Paulus dicit: *Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus* ¹². Quia enim multa de incarnatione Unigeniti in hac sanctione dicta sunt, ut non omnia humilia de eo putentur, ad substantiam incarnati Verbi principium, de quo Joannes dicebat: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* ¹³, sublevare nos legislator volens, mitram, sive cydarim super caput, propter patrem memoravit. Per laminam et sculpturam, seu formationem sanctificationis incarnati Dei Verbi, qui et sacerdos noster factus est, dignitatem in principio, quam simul cum Patre habet manifestum est, quia exposuit. Propter quod illam et super cydarim seu mitram et contra faciem mitræ sive cydaris imponit, dicit autem:

Ligabisque eam vitta hyacinthina. Sive secundum LXX: *Et superimpones hyacintho retorto:* hyacinthum retortum, humanitatem Christi intelligens pro eo quod inseparabiliter conjuncta est divinitati.

Et erit super tiaram imminens fronti pontificis. Vel sicut LXX: *Et erit super mitram contra faciem mitræ.* Erit super mitram, qui Pater in Filio, et Filius in Patre. Et ante faciem mitræ. Qui enim videt Filium, hic videre et Patrem dicitur: quemadmodum Philippo de Patre percontanti Christus apud Joannem ¹⁴ respondet. Ergo omnis nunc sanctio evidenter in Unigeniti explanata est mysterium.

Vers. 10-11. † Tulit et oleum unctionis, quo linit vit tabernaculum cum omni supellectile sua. Cum-

Ego visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum ¹⁵, propterea ante locutus in prophetis dicebat, ut cognosceret is, qui ejus volebat scire mysteria, quod non per unam imaginem, nec per unum quoddam signum, sed per multa, quia et multa operatur, maxime per carnem dispensatam ab eo, salutem hominum comprehensuri eramus. Et sicut non solum pastor, sed et ovis, et sacerdos, et ostium dicitur: pastor quidem, ut qui hominem convertit sive reduxit errantem; ovis autem, ut qui pro nobis sacrificium factus est; sacerdos vero, ut qui semetipsum obtulit, ostium autem, ut qui viam nobis ostendit scientiæ; sic ejus prophetæ multi similitudinem afferunt, et unicuique quædam credita sunt, ut nostræ dispensationis significaret operationem. Hinc quia ipse erat qui ungebat eos, ipso qui ungebatur, ungens verbo divinitatis, secundum quam ei omnia communia cum Patre et Spiritu sunt a quo ungi dicitur (nam David patrem ungentem dixit, cum ait: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus* ¹⁶; Isaias autem unctionem Filii ad Spiritum retulit, dicens: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me* ¹⁷. Quæ autem Pater et Spiritus, hæc eadem et Filius facit); ergo ratione divinitatis ipse est semetipsum ungens, et ipse est qui ungitur dispensatione humanitatis. Similiter offert et offertur: unde et Daniel oblatum illum quidem videt, non vidit autem qui eum obtulit, quia ipse erat, qui semetipsum offerebat. Ergo ut salvetur figurarum veritas, ungit quidem et offert Moyses, imaginem et ipse Christus gerens, de quo Judæis dicebat: *Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris sicut me* ¹⁸. Quod Dominus ad semetipsum referens dicebat: *Si crederetis Moysi, crederetis utique et mihi, de me enim ille scripsit* ¹⁹. Aaron autem iterum, ut figura veri sacerdotis, ungitur, et aperta est illius imago mysterii. Aspergit ergo Moyses altare, corpus videlicet Dominicum, septies: quia Domini unctio, tota est Spiritus plenitudo, qui in septem operationibus designatur, quemadmodum Isaias dixit ²⁰. Ungit autem et omnia vasa ejus, tam apostoles, quam eos qui eis in tantum similiter vivunt, et domus Christi, et vasa recte nominentur. Sic et Dominus Paulum eligens, Ananias dixit: *Vade, quia vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israël* ²¹. Sanctificat et iterum, sive labrum, baptisma videlicet cum basi sua, per quam intelligimus penitentiam. Supposita est autem hæc baptismati, quia gratiam ejus quam sæpe nostro facimus titubare mendacio, per penitentiam corrigimus, et fulcimus.

Et tabernaculum cum omni supellectile sua sanctificavit. Sanctificatione enim nostrâ, superna quoque

¹¹ Exod. xxxix, 29. ¹² Hebr. i, 5. ¹³ Joan. i, 1. ¹⁴ Joan. xiv, 9. ¹⁵ Osee xii, 10. ¹⁶ Psal. xlii, 2. ¹⁷ Isa. lxi, 1. ¹⁸ Deut. xviii, 15. ¹⁹ Joan. v, 46. ²⁰ Isa. xi, 1, 2. ²¹ Act. ix, 15.

creatura participata est, quæ sancta quidem fuit et antea, sed majorem sanctificationem adeptæ est per carnem Dominicam, quam sumpsit ex nobis. Non autem ridiculum videatur quod dicitur, quia ea quæ in nobis facta est, sanctificatione superna, participata est creatura, postquam concessam nobis in Christo participata est, scientia, quod manifestat Paulus dicens : *Ut notum fieret principibus, et potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientiæ Dei, secundum dispositionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro* ²². Ergo per Ecclesiam superior creatura majoris participata effecta est scientiæ, siquidem ejus sanctificatio justa dicta est.

VERS. 12. « Qui fundens super caput Aaron unxit eum, et consecravit, sive sanctificavit. »

Etsi Christi caput, secundum Pauli verbum, divinitas intelligitur, non frustra tamen, nec extra ordinem, in hoc mysterio sacerdotis ungi nunc caput legislator scripsit : ut cognoscamus, quoniam, quemadmodum caput a pedibus dividi non potest, sic neque Christi divinitas post unionem ab humanitate dividitur. Sed sive ungi dicatur, sive generari, sive pati, sive resurgere, sive assumi dicimus, hoc incarnatum Verbum non dividentes, et dicentes hominem quidem unctum, Deum autem non unctum, sed Deum eundem simul et hominem. Hoc enim et David sine aliqua dubietate approbat, cum dicit : *Sed tua, Deus, in sæculum sæculi, virga recta est, virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus* ²³. Cernis Deum dici qui unctus est, quia omnia carnis suæ manifestum est quod sibimetipsi qui incarnatus est, vindicat. Quæ enim et ejus erat unctio, nisi omnino ipsa incarnatio? Secundum hunc modum caput intelligibilis sacerdotis ungebatur et ipse sanctificabatur.

VERS. 13. « Filios quoque ejus oblatos vestivit tunicis lineis et cinxit baltheo, imposuitque mitras, ut jusserat Dominus. »

Tunicæ filiis Aaron, similes Aaron, et zonæ, seu balthei similes, et cydares sive mitræ imponuntur. Ipsum enim induunt, ipso cinguntur, ipsum portant in capite, unde et Paulus dicit : *State præcincti lumbos vestros in veritate, veritas autem Christus : Et induti lorica justitiæ* ²⁴, ipsum autem qui factus est nobis a Deo sapientia et justitia. Sed et galea nos salutis Paulus indui præcepit : Christus enim salutare est, sicut Symeon testificatus est : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum*. Quicumque enim Christo induuntur, per eum et Patrem induuntur.

VERS. 14-17. « Obtulit et vitulum pro peccato, cumque super caput ejus posuissent Aaron et filii ejus manus suas, immolavit eum, hauriens san-

guinem, et tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum. Quo expiato et sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta ejus. Adipem quoque qui erat super vitalia, reticulumque jecoris, duosque renunculos, cum arvenulis suis adolevit super altare, vitulum cum pelle, et carne, et simo cremans extra castra, sicut præceperat Dominus. »

Quæ prædictæ sanctionis sit virtus, et quomodo unumquodque ejus capitulum in Unigeniti sacrificium accipiatur, præcedens continet sermo. Vitulus pro peccato sacerdotis, sed et pro populi congregatione offertur. Quæ intelligentes, et ea quæ nunc dicta sunt, plene intellecturi sumus. Hæc autem nunc dicimus, quæ sola de sanctione immutata sunt : ibi enim Aaron imponere manus vitulo, hic autem et filios ejus non frustra hoc custodiens, sed etiam unctos scripsit. Quando autem et nos ungemur, et offerimur baptismati, socii Dominicæ efficitur passionis, cujus gerit imaginem baptismata, quod etiam docent hæc Pauli verba : *Quicumque enim in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti ergo ei per baptismum in mortem ejus* ²⁵. Necessarie filii Aaron sacrificio manus cum sint ei communicantes, imponunt.

VERS. 18-21. « Obtulit et arietem in holocaustum, super ejus caput cum imposuissent Aaron et filii ejus manus suas, immolavit eum, et fudit sanguinem ejus per altaris circuitum, ipsumque arietem per frustra concidens, caput ejus, et artus, et adipem adolevit igni, lotis prius intestinis, et pedibus totumque simul arietem incendit super altare eo quod esset holocaustum suavissimi odoris Domini, sicut præceperat Dominus. »

Non unum nobis tantum peccatum, sed multa ex Unigeniti sacrificio sunt donata, id est totius generis humani remissio : vita in philosophia perfecta, et singularis mysteriorum novi testamenti introductio, ad quorum exemplaria et figuras sacrificia, quæ personæ assignantur pontificis, offerebantur, maxime umbram cælestium, per ea quæ in terris agebantur, ostendentia. Quod manifestat Paulus sic de Domino dicens : *Si enim esset super terram, nec esset sacerdos, cum essent qui offerrent secundum legem munera qui exemplari et umbræ deserviunt cælestium* ²⁶. Dicit autem eos, qui in templo Jerusalem tunc immolabant. Quia vero depinxit unum et eundem hominem, sedentem, currentem, et rursus stantem : differentes etiam operationes volens exponere, varias figuras ad unumquodque ejus opus dividere recte compellitur. Propterea lex sacerdotem, in multis imaginem ferentem Domini, nunc vitulum pro peccatis immolare, et extra tabernaculum incendere præcepit : sic enim et Domini sacrificium, ad ablutionem naturæ nostræ peccatorum factum est. Nunc autem iterum ei sacri-

²² Ephes. iii, 9, 10. ²³ Psal. xlv, 7, 8. ²⁴ Ephes. vi, 14. ²⁵ Luc. ii, 29, 30. ²⁶ Rom. vi, 3, 4.

²⁷ Hebr. viii, 4.

ficiam aliud in holocausto arietis præcepit fieri. A Crucifixus enim mundus et renuntians mundo conversatio, quæ est holocaustum, Christum habet primitias, doctoremque et exemplum, propter quod dixit: *Qui non accipit crucem, et sequitur me, non est me dignus*³⁸; id est, qui sic non renuntiat mundo, sicut a me ei traditum est, hoc est enim eum sequi, non est me dignus. Sed cujus rei gratia dividitur holocaustum?

Pedes autem ejus et intestina, sive secundum LXX, venter, lavantur. Interpretatio holocaustomatis, quæ in initio libri facta est, sufficienter explevit: quod autem immutat de sacrificio, hoc necessarie dicitur, quia ibi quidem partes fieri oblationum dixit, corpus per hoc significans et animam debere offerri, in nobis autem hæ divisiones, utpote quæ sibi invicem sunt contrariæ, secundum quod Paulus ait, nominantur³⁹; in Christo autem non sunt divisiones, hominem quippe mundum a peccato incarnatus est, qui non est divisus in operibus carnis, quibus adversatur spiritus, propter quod nec divisionum in eo sacrificio lex memoriam fecit. Pro eo autem quod vitulum quidem in peccato, arietem autem in holocaustum sacerdos offeret, hoc absolute lex significat, ut quia conversatio perfecta per holocaustomatis oblationem cognoscitur, aries necessario in sacrificium offeratur; hic quippe ducatum præbere ovibus euntibus in pascua, et ad egressum ingressumque a caulibus, et in caulas solet, sicut et Christus dux perfectæ conversationis est, a quo videlicet sumpsit exordium, atque ideo intrare per se, et exire ovibus præcipiebat.

Vers. 22-29. Obtulit et arietem secundum, in consecrationem sacerdotum, posueruntque super caput ejus Aaron, et filii ejus manus suas. Quem cum immolasset Moyses, sumens de sanguine, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron et pollicem manus ejus dextræ, similiter et pedis dextri, obtulit et filios Aaron. Cumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dextræ, et pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit super altare in circuitu. Adipem vero et caudam, omnemque pinguedinem quæ operit intestina, reticulumque jecoris, et duos renes cum adipibus suis, et armo dextro separavit. Tollens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino, panem absque fermento et collyridam conspersam oleo, laganumque, posuit super adipem, et arnum dextrum, tradens simul omnia Aaron et filiis ejus. Qui postquam levaverunt ea coram Domino, rursus suscepta de manibus eorum, adolevit super altare holocausti, eo quod consecrationis esset oblatio, in odorem suavitatis sacrificii Domini. Tulit et pectusculum, elevans illud coram Domino, de ariete consecrationis in partem suam, sicut præcepit ei Dominus.

Aperte hæc sanctio eorum quæ circa nos aguntur mysteriorum exponit traditionem, et pascha mysticum, quod Christus cum discipulis suis comedit, significat quod docent ea quæ per partes in sacrificio peragi præcipiuntur.

Obtulit et arietem secundum in consecrationem sacerdotum. LXX autem edunt: *Obtulit Moyses arietem secundum explicationis.* Recte eorum quod in nos celebratum est mysterium, sacrificium explicationis appellatur; ipsum enim nos perfecit cum prius fuisset infirmi; et ab imperfecta lactis educatione produxit, id est ab ea quæ in lege est, de qua Paulus dicit: *Omnis enim qui lactis est particeps, expertus est sermonis justitiæ, parvulus enim est*⁴⁰. Et rursus: *Nihil autem ad perfectum adduxit lex, subintroductio autem majoris spei quæ data est, in hac nos spe constituit*⁴¹. Verumtamen sacrificium hoc eam, quæ dicta est major spes, per quam semper propinquamus ad serviendum Deo, innuit. Cur autem aries, secundus hic nunc aries nominatur? Quia videlicet prius figuratam ovem, cum apostolis cœnans Dominus postea suum obtulit sacrificium, et secundo sicut ovem ipse semetipsum occidit, quod demonstrant sequentia.

Posueruntque Aaron et filii ejus manus suas super caput ejus. Quem cum immolasset Moyses. Necessary simul cum Aaron et filii ejus super caput arietis manus imponunt, quia communem cœnam festivitatis Paschalis cum suis Christus discipulis celebravit. Cum enim quosdam discipulorum ad præparationem domus, in qua Pascha celebraturus erat dirigeret, sic ait: *Dicite patrifamilias quia magister dicit: Ubi est diversorium ubi pascha cum discipulis meis manducem*⁴²? Sed Moyses sacrificium hoc celebrat, quia magis ab aliis ipse Christi figuram gerit. Tunc autem maxime sacrificium suum Christus celebravit, unde et illud incipit; vide enim sequentia.

Quem cum immolasset Moyses, sumens de sanguine, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron et pollicem manus ejus dextræ similiter et pedis dextri, obtulit et filios Aaron. Cumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dextræ et pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit super altare per circuitum. Quis sit sacrificii hujus effectus, unctio aurium et manuum, pedumque demonstrat: pro obedientia quippe nostra, actio bona, atque conversatio celebratur. Unde et aures nostræ unguuntur, ut inobedientia Adam carentes Unigeniti obedientiam consequantur. Post hæc extrema manuum unguuntur et pedum, quia non solum manus, sed et pedes pro actione accipiuntur, quod probatur ex eo quod David dicit: *Pes meus stetit in via recta*⁴³. Et rursus: *Statuit supra petram pedes meos*⁴⁴. Quia autem actiones quasdam bonas quasdam autem malas habemus, et figuram malorum

³⁸ Matth. x, 38. ³⁹ Rom. vii, 4 seqq. ⁴⁰ Hebr. v, 15. ⁴¹ Hebr. vii, 49. ⁴² Luc. xii, 44. ⁴³ Psal. xxv, 12. ⁴⁴ Psal. xxxix, 3.

sinistra gerit, recte dextra ungitur. Confortantur enim ea quæ unguuntur, et destruuntur, atque disperduntur ea quæ non unguuntur, quod aperte demonstrat disperdens Ægyptum angelus, quia ubi unctio immolati inveniebatur, non percutiebat. Sed tamen primus sacerdos sanguine et post eum filii ejus secundum legem ungebantur: quia et ipse Dominus primus in cœna mystica intelligibilem accepit sanguinem, atque deinde calicem apostolis dedit. Sed ecce legislator hic post unctionem Aaron et filiorum, subdidit:

De sanguine reliquum fudit super altare circuitum.

Quod et Christum fecisse invenimus; bibens enim ipse, et apostolis bibere dans, tunc intelligibilem sanguinem super altare, videlicet suum corpus, effudit. Corpus autem Christi Ecclesia est, et omnis plebs ejus, quod specialiter dicentem Marcum invenimus: *Et sumens, gratias agens dedit eis: et biberunt ex eo omnes. et dixit eis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effusus est*⁴³. Illis conveniunt ea quæ sequuntur:

Adipem autem et caudam, omnemque pinguedinem quæ operit intestina, reticulumque jecoris, et duos renes cum adipibus suis, et arno dextro separavit. Pro cauda LXX lumbum, et pro intestinis, ventriculum, et pro reticulo jecoris, pinnam hepatis ediderunt. Cujus autem hæc figuram geruat, in salutari sacrificio, seu pacificorum, per singula discussum est. Non frustra autem ea nunc in ariete consummationis commemorat, sed quia Christi mysticum Pascha, et eorum perceptio, ad salutem hominum provenit, quibus doctorum superædificare sequentia, nostri mysterii præparat virtus.

*Tollens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino, panem absque fermento, et collyridam conspersam olea, laganumque. Pro canistro azymorum, LXX canistrum consummationis ediderunt. Per canistrum autem consummationis, linguam Domini intelligimus; sola quippe præcipuam perfectamque doctrinam introduxit. Propter quod dicebat: Non veni solvere legem, sed implere*⁴⁴; utpote ipse implens quæ minus erant in lege. Bene autem eam et canistrum, tam propter contextum dictorum vocavit, cum multa in parabolis dixerit, ita ut Judæi non omnia intelligerent, quam quia ferculum quodammodo, et mensa totius doctrinæ erat. Quia ergo rationale erat mysterium, et ea quæ efficiuntur, ex ratione subsistunt, recte de canistro consummationis, id est, de lingua sua panem mysticum proponit. Quomodo autem eum proponit panem? Absque fermento, et collyridam conspersam oleo, id est apostolicam doctrinam, legalemque et propheticam. Lex enim et prophetæ, et apostoli ejus memoriam faciunt, lex quidem, dicens: *Hic est panis quem dedit vobis Dominus comedere*⁴⁵. Prophetæ autem: *Panis ei dabitur, et*

*A aque ejus fideles sunt, regem in decore suo videbunt*⁴⁶. Apostoli autem uberius exponunt Christi mysterium, unde nec laganum, nec collyridam, panes autem doctrinæ, utpote magis nutrientes, dicuntur. Quos enim secundum hic LXX de oleo panes appellaverunt, hos secundum hos ipsos LXX collyridas in scenopegia canistrum consummationis exponens, quod accipiebatur in unctione sacerdotis, legislator appellavit, per collyridam significans legis eloquium. Quantum autem collyridæ deteriores sunt panibus, nulli est dubium. Unde apostolorum sermones, prophetarum et legis præponuntur sermonibus: quia majorem perceperunt gratiam, ita ut Paulus diceret: *Posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, deinde prophetas*⁴⁷. Deinde ipsi post evangelicam traditionem, introducunt Christi mysteria, introducunt autem, legis prophetarumque utentes testimoniis. Propter quod eis collyridæ, et lagana simul subjecta sunt, et conjuncta. Sed quid his adjiciat intendamus.

Posuit super adipem et arnum dextrum, tradens simul omnia Aaron ac filiis ejus. Illud lex contestatur, quia omne desiderium, omnemque actionem bonam offerri mysterio sit necesse, si tamen vis illud secundum Dei intentionem legisque suscipere. Sed et prædictum sequens ordinem, ait:

Tradens simul omnia Aaron filiisque ejus. Pius siquidem Christus sua mysteria inchoavit, et tunc ea nobis, qui facti sumus filii ejus per lavacrum regenerationis tradidit.

Et levaverunt ea coram Domino. Ipsum enim mysterium, quod nobis tradidit, hoc cum sua carne in cœlos levavit. Dicens autem levavit eam coram Domino, modum quo obtulerit eis, qui post futuri erant, exposuit.

*Rursumque suscepta de manibus eorum, adolevis super altare holocausti eo quod consecrationis esset oblatio in odorem suavitatis sacrificii Domini. Altare holocausti, Christi corpus dicitur, sed et odor suavissimus, de Christo enim aperte in Canticis cantorum dicitur: Unguentum effusum est nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te*⁴⁸.

Sacrificii Domini. Id est sacrificii et holocausto-matis.

*Sicut mandavit Dominus. Ipse enim mandavit. Quotiescunque hoc bibitis, mortem Domini in vobismet ipsis annuntiate*⁴⁹.

Tulit et pectusculum, elevans illud coram Domino de ariete consecrationis. Seu secundum LXX: Consummationis in partem suam, sicut præceperat ei Dominus. Sicut in sacrificio pacificorum, seu salutari pectusculum, sic et hic offertur, utique intelligibili Moysi, id est Christo pectusculum arietis consecrationis, seu consummationis separatur, quia per pectusculum, fides et confidentia figuratur, sicut pridem diximus. Cum autem ipsius sit sacri-

⁴³ Marc. xiv, 23, 24. ⁴⁴ Matth. v, 17. ⁴⁵ Exod. xvi, 15. ⁴⁶ Isa. xxxiii, 16, 17. ⁴⁷ I Cor. xii, 28. ⁴⁸ Cant. i, 2. ⁴⁹ I Cor. xi, 26.

ficiam, necesse est ut et fides ipsi, quæ in eo est, A deputetur. *Assumens ergo unguentum, et sanguinem qui erat in altari, aspersit super Aaron et vestimenta ejus et super filios ejus, ac vestes eorum. Cumque sanctificasset eos in vestitu suo.* Quod Unigeniti sanguis, et unctio Spiritus, unius sint operationis atque virtutis, et nimis recte oleum unctio- nis, et sanguinem altaris, id est, Dominici corporis legislator unxerit, audi Joannem dicentem: *Tria sunt quæ testimonium præbent, et tres unum sunt, Spiritus, sanguis, et aqua*²². Unum enim effectum sanctificationis habent. Multum recte vestem Aaron ab stolis filiorum Aaron lex separavit. Nam etsi ad imitationem Domini vestem, qui ab eo adoptati sumus, habemus, verum tamen quantum pontificis differat vestis, per anteriora didicimus, aut quid B sit, et quam multiplex. Tunicam enim illam dixit habere superhumerali, et rationale, unde recte et nunc pluraliter nominatur. Ea autem quæ est filio- rum Aaron, etsi uniformis est tunica, tamen et ipsa est. Sed quia multas virtutes una tunica, seu stola habet, Christi enim tunica sive stola, qua hi qui ab eo uncti sunt, induuntur adoptionem habere, incorruptionem habere, et in cælis requiem, et alia talia cognoscitur, propterea appellatur tunica sive stola, licet una sit omnium. *Quicunque enim in Christo baptizati sumus, Christum induti sumus*²³. Sed tamen propter abundantiam dohorum, quæ ex ea sunt pluraliter, nominatur et nimis recte, propter veritatem quæ in ea figuratur. Figurans eam forma, sine restrictione acri, viam quæ in ea est, prætermittere cogitur. Ecce enim cum uniformis sit tunica, sive stola filiorum Aaron, multas tamen, et non unam tunicam nominavit. Si autem intelligibilem sanctificari Aaron aspersione sanguinis et olei cognovimus, non admiremur quod dictum est, ipse enim Christus ad sanctifica- tionem nostram, aspersione proprii sanguinis videlicet, passionem suam pro nobis obtulit. Unde filios Aaron et tunicas seu stolas cum Aaron dixit sanctificari, quia quæcunque in nobis contingunt, ad eum, ut caput scilicet totius corporis necessa- rio reducuntur. Ad probationem autem eorum quæ dicta sunt, Domini sumamus verba; cum enim crucifigendus esset pro nobis, hæc sub orationis D forma, ad instruendam obedientiam apostolorum dixit: *Sicut me misit Pater in mundum, et ego misi eos in mundum, et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate*²⁴. Ergo aperte sanctificationem sacrificium quod pro nobis obtulit, ex quo et nobis sanctificatio proficit, appellavit.

Vras. 31-36. « Cumque sanctificasset eos in vestitu suo præcepit eis dicens: *Coquite carnes ante fores tabernaculi, et ibi comedite eas. Panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro sicut præcepit mihi Dominus, dicens:*

Aaron et filii ejus comedent eos. Quidquid autem reliquum fuerit de carne et de panibus, ignis consumit. De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ. Septem enim diebus finitur consecratio, sicut et in præsentia factum est, ut ritus sacrificii completeretur. Die ac nocte manebitis in tabernaculo observantes custodias Domini, ne moriamini; sic enim mihi præceptum est. Feceruntque Aaron et filii ejus cuncta quæ præcepit Dominus per manum Moysi. »

Præcipua nunc legislator providit, diserevit- que mysteria, et figuraliter per ea quæ nunc con- templatus est, tradidit, intra Ecclesiam ea per- fecti et nullatenus profanorum usibus et auribus B publicari, nec cuilibet volenti profanandi ea esse facultatem. Unde quia tabernaculum testimonii Dei cælum esse, atrium autem tabernaculi hujus Eccle- siam, quia ipsa est ante cæli introitum collocata, ipsa Jerusalem quippe cælestis tenet imaginem, sicut olim prædiximus, intus in carnem sacrificii coqui præcepit. Ait enim:

Præcepit eis dicens: Coquite carnes ante fores ta- bernaculi, et ibi comedite eas. Et, sicut addunt LXX, in loco sancto. Est autem locus sanctus altare, ibi enim Sanctus sanctorum requiescit. Sed quid addidit?

Et ibi comedit eas. Panes quoque consecrationis, sive, ut LXX edunt, et panes qui sunt in canistro consummationis, edite, sicut præcepit mihi Dominus. C *Aaron et filii ejus comedent eos.* Quomodo ergo in his non admiranda sit sapientia spiritus? nullam quippe dubietatem hujusmodi intellectui deliquit: propterea carnes cum panibus comedi præcipiens, ut nos intelligeremus, illud ab eo mysterium dici, quod simul panis, et caro est, sicut corpus Christi panis vini, qui de cælo descendit. Propter quod Eliæ secundum LXX editionem, carnes mane, pane- rum autem vesperi deferebant corvi superne, præ- figurare hoc mysterium Domino volente: quod intus oportet in Ecclesia, in loco sancto, id est, ad altare coqui et comedi: alibi vero nequaquam. Propter quod Paulus Corinthiis præcipiebat: *Convenientibus autem vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare: unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, aut Ecclesiam Dei despiciitis*²⁵? Et hoc ideo, ut illic absolute mystica cœna deberet celebrari. Aaron et filii ejus illud recte comedunt, nisi enim Christus rogatus ore sacerdotum, ipse venerit et cœnam sanctificaverit ea, quæ aguntur, nullatenus sacrifi- cium Dominicum sunt. Sed hoc quod reliquum est de carnibus, et panibus, in igne incendi præcepit. Quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæcunque remanere contige-

²² I Joan. v, 8. ²³ Galat. iii, 27. ²⁴ Joan. xvii, 18, 19. ²⁵ I Cor. xi, 20-22.

rit inconsumpta, non omnino ea quæ una die, vel duabus, aut multis servata sunt; sicut enim apparet, non hoc legislator præcepit, sed quod reliquum est, incendi jubet. Dies autem non commemoravit, ut quæcunque cujuscunque rei causa emergente remanserint inconsumpta, sive tempus in causa sit, sive quid aliud fuerit, ignis opus et consumptio fiat. Ergo ex hoc quod agitur sensibiliter, significatio ejusdam intelligibilis rei, eis qui intendunt, provenit: ut quando ad comestionem sacrificii deficiamus et comedere illud integra non possumus mente forsitan lassescente, sive deficiente, utrum ea quæ videntur, corpus oporteat intelligi Domini, in quod oculis nec angeli possunt prospicere, non relinqui, sed etiam tradi ea igni oportet spiritus, ut ea comedat, quæ nobis sunt ex infirmitate inesibilia. Quomodo autem comedat, cum cogitaverimus, virtuti spiritus esse possibilis ea, quæ nobis impossibilia videntur. Unde et subsequenter disputare legislator videtur. Dicit enim sic:

De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus. Septem cur? Quia quinquagesima dies septenario numero in semetipso multiplicato, et uno ei adjecto perficitur. Unde et hebdomadarum eam festivitatem apud Moysen dici, manifestant sequentia; ait enim, secundum LXX: *Usque ad diem completionis quinquaginta dierum*, pentecosten dicens; complet enim septenarium numerum in semetipso multiplicatum. Et cujus rei gratia dierum consummationis dicuntur, sequentia ostendunt.

Septem enim diebus finitur consecratio, sive consummatio, sicut in præsentiarum factum est. Quia non semel eos consecravit sanguine, et panibus: sic enim cognovimus in præcedentibus peractam consecrationem seu consummationem. His similia et Lucas tradit; ait enim de Domino, et discipulis: *Quibus et præsentavit semetipsum post mortem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei, et convescens, præcepit ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem patris*⁵⁶. Cernis quomodo consecrabat, sive perficiebat eos, apparens eis, et docens de regno Dei, et convescens. Dicens autem ab Hierosolymis non discedere, non præcepit januam tabernaculi progredi vel egredi, id est, non permittit prædicare, usque dum promissionem spiritus, quæ facta est quinquagesima die, acciperent. Non autem exire de januam tabernaculi testimonii, vacare est a verbo doctrinæ, et non prædicare evidenter, quia hostium semetipsum Christus, utpote qui initium est omnis divini verbi, et scientiæ, insinuavit. Introire autem ejus ostium, et egredi, ut præsumere in ipso intelligamus, ipse nobis tradidit quando quosdam aliena docentes, et in errore mittentes, ante præsentiam

A suam, reprehendens dicebat: *Omnes quotquot ante me venerunt, fures fuerunt, et latrones, seu non audierunt eos oves*⁵⁷. Et post hæc subdidit: *Ego sum ostium, per me si quis intraverit, ingredietur et egredietur, et pascua inveniet*⁵⁸. Ingressum per semetipsum, ei egressum divinarum Scripturarum appellans profectum. Qui autem completio dierum illa maxime dicitur, plane per Lucam spiritus tradit: *Et dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes simul: factus est autem repente de cælo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, in qua sedebant: et apparuerunt illis dispersitæ linguæ, sicut ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto*⁵⁹. Non frustra ergo dies completionis dierum, et consummationis Pentecostes dicitur, sed ut completionem quidem dierum septenarum habens, generens autem spiritus plenitudinem implens eos perfectione, quibus infundebat spiritum. Quod si dicatur, quia quadraginta quidem dies cum apostolis, perficiens eos Christus fuit: qui autem secundum legem sunt perfectionis septem dies, integram, sicut diximus, Pentecosten describunt. Sciendum est quia nec in mediis inter Ascensionem et Pentecosten diebus, ab apostolis separatus est: nam quomodo dixit eis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*⁶⁰? Et rursus: *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos*⁶¹. Propterea legislator subdidit:

Sicut in præsentiarum factum est, ut ritus sacrificii completeretur. Vel, sicut LXX, *In die hoc sic præcepit Dominus facere, ut detis pro vobis.* In qua die enim tradidit cœnæ mysterium, in eadem die deprecationem, sive propitiationem insinuavit, id est, peccatorum remissionem, dicens: *Hic est meus sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur, in remissionem peccatorum*⁶². Verbis etiam ipsis, ea quæ in Evangelio scripta sunt; prædicat, sicut cognoscere ex his quæ subsequuntur potes.

Die ac nocte manebitis in tabernaculo. Vel, sicut LXX: *Ad januam tabernaculi testimonii sedebitis septem diebus, die ac nocte.* Dominus vero apostolis ait: *Vos autem sedebitis in civitate, usque dum induamini virtute ex alto*⁶³, sic plane *sedebitis*, ait. Et ipse discipulos hebdomadam dierum, nihil agentes manere, et non prædicare præcepit. Unde ex toto non docentes apostolos, antequam complerentur prædicti dies invenimus; completis autem diebus, Petrus mox prædicationem incipit, quando et additæ sunt animæ circiter tria millia: sic et ipsi per singula mandatum hoc custodierunt, et maxime in eis complentur ea, quæ in subsequentibus dicuntur.

Observantes custodias Domini, ut non moriamini. Sic enim mihi præcepit Dominus. *Feceruntque*

⁵⁶ Act. I, 3, 4. ⁵⁷ Joan. x, 8. ⁵⁸ Ibid. 9. ⁵⁹ Act. II, 1-3. ⁶⁰ Matth. xxviii, 20. ⁶¹ Joan. xiv, 18.

⁶² Marc. xiv, 24. ⁶³ Luc. xxiv, 49.

Aaron et filii ejus cuncta, quæ locutus est Dominus per manum Moysi. Si quæritur cur Aaron filiis suis jungat, invenietur causa omnino necessaria, et ad rei considerationem opportuna. Non enim exire de janua tabernaculi testimonii, id est, non interrim attraheretur evangelicam prædicationem, his qui prædicti sunt præcepit. Cum ergo Christus apparuit apostolis, suam januam non egrediebatur, ipse siquidem erat, qui et prædicandus erat et qui in apostolis loquebatur. Propterea cum filiis et ipse Aaron consecrari, seu consummari dicebatur. Quis sit autem consecrans sive consummans legislator, nequaquam subdidit; ait enim, *Septem diebus finitur consecratio*, sive secundum LXX, *consummavit manus vestras, sicut et fecit*. Manifestum est autem, quod ipse erat qui filios consecrabat, sive perficiebat, qui et perfici in eis sive consecrari, utpote in membris propriis, dicebatur.

CAPUT IX.

VERS. 1-4. « Facto autem octavo die vocavit Moyses Aaron et filios ejus, ac majores natu Israel, dixitque ad Aaron: Tollite vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum, utrosque immaculatos, et offer illos coram Domino. Et ad filios Israel loqueris: Tollite hircum pro peccato, et vitulum, atque agnum anniculum et sine macula, in holocaustum, bovem, et arietem pro pacificis, et immolate eos coram Domino in sacrificio singulorum, similam oleo conspersam offerentes, hodie enim Dominus apparebit vobis. »

Sicut aliquando imago animalis cujusdam, aut virgulti forte depingitur, aut scribitur aut in ære exprimitur, et non quidem aperta in initio operationis, aut scripturæ, aut æris expressio est, in processu autem operis, participali augmento perficitur, sic et quæcunque legislator nunc in figura exponit clariora additamento eorum, quæ per partes sancit, et planiora fiunt. Quia ergo diem consummationis, seu consecrationis Pentecosten intelligi oportet, ostendimus, et quia usque ad eum diem Dominico mandato prædicatio inhibita est, propterea non exire januam tabernaculi testimonii filios Aaron præcepit. Considerandum est qualia consummari et in hac die lex præcepit. Diem enim octavum Pentecosten appellat, quia Pentecostes dies incidit in hac, qua Salvator resurrexit, quæ esse octava creditur: quia figuram gerit primitiarum futuri, sed et consummationis præsentis sæculi, quæ in septem revolvitur diebus.

Pentecostes autem circulus sub prædicto numero est, ergo recte incidit in præsentis sæculo. Consummationem, simulque resurrectionem significat Pentecostes dies: oportebat enim, ut in qua die surrexit Christus in eadem et ritus adveniret. Tunc ergo vocari Aaron, et filios ejus et majores natu Israel ait, Ecclesiam quodammodo, per eorum,

qui dicti sunt, ædificans vocationem. Tunc quippe prius convocatum est Ecclesiæ spectaculum, in qua intelligibilis Aaron, id est Christus, sacerdos esse creditur: filii autem ejus, qui sublimis sunt conversationis, et ideo sacerdotii ministri, et cooperatores sunt. Majorum natu autem Israel, presbyterorum ordo est, ex his quippe corpus Ecclesiæ componitur. Sed Aaron quidem accepit ibi vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum, utrumque immaculatum, et obtulit coram Domino. Tunc enim Christus sacrificium suum inolescere cepit, ex quo spiritus adveniens, Parthos, et Medos, et Elamitas, et omnium gentium primitias, ad apostolorum cœnacula superiora collegit. Accepit autem et ordo majorum natu Israel, quem presbyterorum esse diximus, utpote ipse sortem, et figuram doctorum gerens, et qui ad docendos nos utilis est vitamque perficere in Ecclesia convenientium potest. Quæ autem sunt hæc quæ accepit?

Hircum pro peccato. Pro pœnitentia videlicet sacrificium.

Et vitulum et agnum anniculum in holocaustum immaculatos. Perfectam videlicet, et consummatam vitam, sive conversationem, quæ per hostias, id est per holocausta significatur.

Et bovem, et arietem pro pacificis. Sed ad sacrificium salutare: mediocrem conversationem, quæ tamen potest salvare eos qui offerunt, sicut supra diximus. Coram Domino autem omnia præcepit fieri: oportet quippe omne virtutis opus, utpote vidente Deo, peragi, et non corrumpi, neque vitiari: cum permiscemus ei voluntatem nostram.

Sacrificium similæ conspersæ oleo. Theologiam cum eleemosyna, hoc enim prædicta sacrificia subtiliter nobis olim discussa innotuerunt. Quid autem his nunc subdidit?

Quia hodie Dominus apparebit vobis. Hoc conclusio et probatio est, quia de Pentecoste prædicta omnia dicebantur: in ea enim eis apparuit Dominus, spiritus videlicet, de quo Paulus dicebat: *Dominus autem spiritus est*⁶⁶. Quomodo autem apparebit in eis, dixit Lucas: *Visæ sunt eis dispersitæ linguæ, sicut ignis, et sederunt supra singulos eorum*⁶⁷.

D VERS. 5. « Tulerunt ergo cuncta quæ jusserat Moyses ad ostium tabernaculi, cum ibi omnis staret multitudo. »

Aperte hic Ecclesiam exposuit.

Ad ostium tabernaculi. Vel, sicut LXX, *ante tabernaculum testimonii*, videlicet cœli. Si enim Ecclesia frequentia est angelorum primitivorum, qui scripti sunt in cœlis ante tabernaculum testimonii, id est ante faciem cœli, sic enim et Aquila *ante faciem* interpretatus est, hoc quod dictum est, secundum LXX, *ante Dominum*. Si ergo ita est, pro eo quod ad illam se conversationem apta, ante tabernaculum recte intelligitur. Hic autem omnis multitudo, sive

⁶⁶ II Cor. III, 17. ⁶⁷ Act. II, 3.

synagoga omnis accedit, id est, ea quæ ex omnibus A
et undique est congregatio, omnis quippe contrita
anima, et omnis peccator, omnis misericordiam
necessariam habens, omnis ab errore se convertens,
in hac Ecclesia congregatur, non solum eos, qui
de plateis et vicis sunt, sed et eos qui de viis, et
de sepibus vocari præcipiens, ut regalem cœnam
ingredientes implerent.

VERS. 6. « Ait Moyses : Iste est sermo, quem
præcepit Dominus, facite, et apparebit vobis
gloria ejus. »

Gloriam esse Domini spiritum, manifeste ostendit
quod Paulus ad Corinthios scripsit : *Nos omnes
revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem
imaginem transformamur, de gloria in gloriam,
sicut a Domini spiritu* ⁶⁷. Ut ergo gloria Domini B
videretur, id est, ut adventus celebraretur spiritus,
iste est sermo, inquit, quem præcepit Dominus :
Facite videlicet mysticus de quo præceperat Domi-
nus. *Hoc facite in meam commemorationem* ⁶⁸.
Sermonem autem legislator ex consuetudine illud
vocat, quia plus sermone subsistit hujus dispensatio
mysterii, maxime Dominico verbo ea quæ apparent,
in aliud aliquid majus et intelligibile transferente.
Unde cum manna imaginem panis vitæ, qui
descendit de cælo, præsentaret : *Hic est panis,
ait, quem dedit vobis Dominus ad comedendum* ⁶⁹,
hic est sermo quem constituit Dominus. Quid ergo
ex his, quæ dicta sunt, legislator significat, nisi
quia sine dubio agentibus eis sanctum mysterium,
et Dominicam cœnam celebrantibus, advenit spiri- C
tus ? Quod etsi non planius expositum habemus,
multa quippe studio brevitatis Scriptura divina
prætermisit, quæ fas est ex aliis colligere. Erat
enim dies qui appellatur Dominicus, in quo oportebat
modis omnibus agere apostolos mystica et sacra.
Nam et nos illorum sequentes traditionem, Domini-
cam diem divinis conventibus sequestramus.
Invenimus autem et Christum similiter post
resurrectionem a mortuis, per mysticæ cœnæ, et
panis fractionem manifestatum : quod aperte
quidem Lucas, plenius tamen etiam Joannes evan-
gelista tradit.

VERS. 7. « Dixit ad Aaron : Accede ad altare et
immola pro peccato tuo, offerens holocaustum, et D
deprecare pro te, et pro populo, cumque mactaveris
hostiam populi, ora pro eo, sicut præcipit Do-
minus. »

Ubi nostra translatio planius habet, *pro te et pro
populo, pro teipso, et pro domo tua* LXX ediderunt.
Qui autem sunt domus intelligibilis sacerdotis
Paulo dicente, cognosce; ait enim : *Christus autem
ut filius in domo sua* ⁷⁰; quæ domus nos sumus, si
aduciam et gloriam spei usque ad finem firmam
retineamus. Ergo hi qui profecerunt, et perfectiores
sunt, domus ejus juste appellantur : pro quibus
deprecatur, et pro omni populo, utpote qui nostra

factus est propitiatio. Sed et pro semetipso, cur
hoc, cum propitiationem non egeat, magis autem
ipse præstet propitiationem ? Sed ut nostrum
peccatum suscipiens, etiam pro semetipso depre-
catur : evidenter enim hoc hominis est, et Dei, id
est, sicut hominis propitiationem suscipientis, et
sicut Dei sibimet præstantis. Alter enim homo
sibimetipsi propitiationem præstare non potest.

VERS. 8-14. « Statimque Aaron accedens ad
altare, immolavit vitulum pro peccato suo, cujus
sanguinem obtulerunt ei filii sui. In quo tingens
digitum, tetigit cornua altaris, et fudit residuum ad
basim ejus. Adipemque ac renunculos, et reticulum
jecoris, quæ sunt pro peccato, adolevit super altare,
sicut præceperat Dominus Moysi. Carnes vere et
pellem ejus extra castra combussit igni. Immolavit
et holocausti victimam. Obtuleruntque ei filii sui
sanguinem ejus : quem fudit super altaris circuitum.
Ipsam etiam hostiam in frustra concisam, cum capite,
et membris singulis obtulerunt. Quæ omnia super
altare cremavit igni, lotis prius aqua intestinis, et
pedibus. »

Et cujus rei gratia hæc etiam in hoc loco sacri-
ficia peraguntur, superius diximus. Non ergo necesse
est, iterum eorum virtutem per singula dicere,
quæ in hoc sacrificio peraguntur ; cum olim ea per
ordinem discussimus et cujus comparisonem
gerant nihil intermittentes ostenderit. Et quem
admodum in Domini sacrificio, quod cum unum sit,
non tantum nobis peccatorum præstans remissionem,
sed et vitam perfectam in philosophia, et
consummatam efficiens, necessarie et in vitulum,
qui pro peccato est, et in arietem hunc, qui in
holocaustum immolatur, oportet reputari : unde et
in persona sacerdotis utrumque perspicimus obla-
tum : jam ergo et ad subsequentia veniamus.

VERS. 15-21. « Et pro peccato populi offerens,
mactavit hircum, expiatoque altari, fecit holocaustum,
addens in sacrificio libamenta quæ pariter
offerantur, et adolens ea super altare, absque
cæremoniis holocausti matutini. Immolavit et
bovem atque arietem, hostias pacificas populi.
Obtuleruntque ei filii sui sanguinem, quem fudit
super altare in circuitu : adipem autem bovis, et
caudam arietis, renunculosque cum adipibus suis,
et reticulum jecoris, posuerunt super pectora.
Cumque cremati essent adipēs super altare, pectora
eorum, et arnos dextros separavit Aaron, elevans
coram Domino, sicut præceperat ei Moyses. »

Cujus figuram ea quæ dicta sunt habeant, et
quemadmodum pro peccato hircus penitentiae
sacrificium significet, holocausta autem crucifixi
conversationem : Theologiam vero similia : salutare
autem, seu pacificorum sacrificium, vitam quæ
nos salvare potest, etiam mediocriter sapientes :
sacrificiorum discussio præcedens, unctionem sacer-
dotis ostendit. Ergo qui hujus sanctionis nescit

⁶⁶ II Cor. III, 18. ⁶⁷ Luc. XXII, 15. ⁶⁸ Exod. XVI, 15. ⁶⁹ Hebr. III, 6.

explanationem, illic cum subtilitate perquirens, A etiam Paulus intellexit. Dicit autem sic : *Volo viros etiam hæc per singula sciet. Illud autem nunc necessarie addimus, sancti Spiritus in Pentecosten provenisse descensionem, cum in unum congregati essent apostoli, omnia quæ secundum legem Ecclesiæ agerent, significare consideravit legislator, recte præcedere sacerdotis sacrificia, ac deinde subinferri populi præcepit : oportet enim Ecclesiæ doctrinam a sacrificio Unigeniti inchoare, ut introducantur docentes, quid nobis passio Dominica profecerit, aut contulerit : atque ita subinferretur sermo pœnitentiæ, quem omnes utique, ut homines, necessarium habemus. Unde et Dominus unam doctrinam prædicat, id est pœnitentiam, totumque perfectus subinferri conversationes, atque theologiam illis permiscendas : subdit autem, et quæ corrigentes, sive uncti salvari possumus, quamvis non sublimiter conversemur. In his enim oportet Ecclesiam congregari, et manifestationem Dei gloriæ suscipere. Hæc sine dubio diebus Pentecostes maxime agebant discipuli Domini, propter quod in unum tunc collecti erant, quod manifestat Lucas dicens : *Et dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes simul unanimiter* ⁷⁰. Quid autem erant collecti agere, nisi ea modis omnibus, quæ dicta sunt ? Nam etsi palam non prædicabant, et propterea intus erant, in superioribus sedentes, necdum verba disseminantes, sive palam loquentes, quia de ostio tabernaculi testimonii non erant jussi egredi, usque dum de excelso induerentur Spiritus virtute : vetumtamen in semetipsis quia hæc agebant, manifestum est : et quæcunque decent Ecclesiam, meditari non cessabant ut ipsum videlicet in semetipsis haberent Christum, qui est caput Ecclesiæ. Unde et Matthiam ad apostolatam, cum coniectionatus fuisset Petrus et proposuisset divinæ Scripturæ expositionem, atque testimonia, sorte separaverunt. Sive autem concienari, id est populum exhortari, sive prophetas interpretari, et clericos sociare, ecclesiasticæ dispensationis et ordinis fuit. Ergo manifestum est, quia quemadmodum in Ecclesiis collecti in illis diebus erant, quod et legislator modis omnibus significari considerans, consequenter et ea quæ subsequuntur addidit :*

Vers. 22. « Et tendens manum contra populum, benedixit ei. Sicque completis hostiis pro peccato, et holocaustis, et pacificis, descendit. »

Intende, quia omnem nobis evidentem figuram Ecclesiæ vult exponere : nam postquam dixit, descendit postquam fecit pro peccato, et holocaustis, et pacificis, ostendit quia completionem sacrificiorum, intellexit expositionem eorum, et propterea dixit, *descendit*, per descensionem doctorem sedem designans, de qua post expositionem sacerdotes, quibus figura intelligibilis Aaron credita est, descendunt, et per orationem manus ad cælum levant. Elevationem enim manuum, orationem

etiam Paulus intellexit. Dicit autem sic : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus* ⁷¹. Tendens sive levans ergo manus, benedixit illos : quia perlevationem manuum, per orationem videlicet, sacerdotes populo benedicunt. Sed unde benedictionem præsent ostendunt sequentia.

Vers. 23. « Ingressi autem Moyses et Aaron tabernaculum testimonii, et deinceps egressi, benedixerunt populo. »

Quamobrem prius in tabernaculum testimonii ingrediuntur, et postea benedictionem præstant ? nisi ut non ignoremus, quia de intelligibili tabernaculo, videlicet de cælo, benedictionem proferunt sacerdotes, dicentes sicut Paulus : *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus in Christo* ⁷². Hoc enim nobis et ipse tradens Dominus, quinque panes, et rursus septem benedicens, ad cælum respiciebat. Cur autem non solus Aaron, sed et Moyses Synagogam, seu populum benedicunt ? nisi ut discamus, quia non propria virtute sacerdotes benedictionem præstant, sed quia figuram ferunt Christi, possunt propter eum qui in ipsis est, præstare benedictionis plenitudinem. Unde et Moyses, utpote cui imago est Domini credita ad benedicendum recte comprehenditur. Sed et illud per ea quæ dicta sunt, lex significat : quia non solum is qui sacerdotium sortitus est, sed et omnis justus Christum habens in semetipso, et figuram Domini sui per bonam conversationem, quemadmodum Moyses existens, idoneus est ad donandam benedictionem. Hæc ergo discipulis Domini agentibus, spiritus advenit, propter quod audiamus sequentia.

Vers. 24. « Apparuitque gloria Domini omni multitudini. Et ecce ignis egressus a Domino, devoravit holocaustum, et adipem qui erat super altare. Quod cum vidissent turbæ, laudaverunt Dominum ruentes in facies suas. »

Putas ne aliqua interpretatione præsentia verba legislatoris opus habent ? Ipsa namque verba concordant his, quæ sunt de adventu Spiritus in apostolicis actibus scripta.

Apparuit enim, inquit, gloria Domini omni multitudini. Quomodo, dicat forsitan quispiam ? Utique talis, qualem Ezechiel super Cherubin visam descripsit, aut qualem Michæas, vel Isaias : quorum unus quidem Seraphin in circuitu, alter vero cælestem exercitum vidit. Sed nequaquam fuit una, quæ omnibus, et ubique spiritalibus apparuit gloria, sed differentes visiones, utpote incomprehensibiles præbebat videntibus : præsens tamen similis erat illi, quia intelligibilis egressus est ignis a Domino die Pentecostes, propter quod ait :

Apparuit gloria Domini, et egressus est ignis a Deo. Ergo in specie ignis apparuit, quemadmodum et Lucas exponit : *Et factus est de cælo sonus spiritus*

⁷⁰ Act. 11, 4. ⁷¹ I Tim. 11, 8. ⁷² II Cor. 1, 5.

vehementis, et implevit totam domum in qua erant A
 aetentes, et visæ sunt illis divisæ linguæ, sicut ignis⁷³. Populi etiam omnis memoriam legislator facit : quod et Lucas hoc modo exponit : *Et erant in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi, de omnibus gentibus quæ sub cælo sunt. Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est*⁷⁴. Quia enim non solum convenit, sed expavit, et ipse hoc demonstrat, dicens : *Obstupescabant enim, et admirabantur*, sed et super faciem ceciderunt, etsi non hoc sensibiliter, tamen intelligibiliter pertulerunt : non enim intelligebant quod factum erat, alter autem ad alterum dicebat : *Musto pleni sunt hi, quod proprium erat in terram faciem mentis prosternentium. Quid autem egressus ignis fecit? Devoravit omnia quæ erant super altare holocaustamata, et adipēs, quæ ex pacificis, et pro peccata oblata, altari superposita erant. Tradit ergo nobis sermo, quia necesse sit prædicta sacrificia, et eorum expositiones superponere intelligibili altari corporis Christi, ut ad illud festinet nostræ imitatio, et tunc nutrimenta intelligibilis ignis, id est spiritus sunt, de quo dictum est : *Dominus Deus noster; ignis consumens est*⁷⁵. Unde et nunc pro devorare, Symmachus consumere edidit.*

CAPUT X.

Vers. 1. « Arreptisque Nadab, et Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem, et incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. » Hic eos qui aliena docent, C
 qui in ipsum Spiritum Dei blasphemant, qui inspiratam ab eo Scripturam de qua ait Paulus, *Omnis Scriptura a Deo inspirata, utilis est*⁷⁶, aliter interpretantur, necessarie ab intelligibili igne puniri posuit : qui filii Aaron, ut doctorum habentes habitum, et spiritalia docere fingentes, dicuntur. Unde et linguæ eorum ignis appellatæ sunt : audivimus quippe, quia in specie ignearum linguarum spiritus advenit. Thymiana autem thuribulis, vel ignibus linguarum superimponunt, legalia et prophetarum dogmata, de quibus Ecclesia Christo in Canticis canticorum dicebat : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*⁷⁷. Sed ignem alienum offerunt, neque enim secundum intentionem, aut virtutem Spiritus interpretantur. His egreditur ignis a Domino non absolute, qualis prius. Per illum enim sacrificia incendit. Dominus, et gloria Domini dictus est, hic autem ignis pœnalis est. Utrumque enim Ecclesia habet, hunc quidem ad illuminationem justorum, et oblatorum perfectionem : illum autem ad pœnam impiorum quam his qui blasphemant sacerdotes indicunt, ex subministratione Spiritus, quæ in eis requiescit, cum succedentes. Propter quod et Paulus⁷⁸. Hymeneum et Alexandrum, ut alia scilicet

docentes, punit. Hi coram Domino moriuntur, vidente ipso, et in hac eos morte condemnante, ne imitatione sui aliis causam præbeant mortis. In quo et nimis admiratur legislator, cur ex eo quo debuerant vita frui, id est coram Domino, sustinent mortem, quam male interpretantes divinas Scripturas, patiuntur : in ea re ex qua eos oportet aut benedictionem promereri, maledictioni se subjicientes. Vide tamen qualia subdidit.

Vers. 3. « Dixitque Moyses ad Aaron : Hoc est quod locutus est Dominus. Sanctificabor in his qui appropinquant mihi et in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens tacuit Aaron, » sive ut LXX, edunt, « et compunctus est Aaron »

Et ubi omnino hæc Deum dixisse invenimus? B
 Quando videlicet Moysi dicebat : *Descendens contestare populum ne forte appropinquent ad Deum, et cadat ex eis multitudo : Et sacerdotes qui appropinquant Domino Deo sanctificentur, ne forte recedat ab eis Dominus*⁷⁹. Hæc ergo etsi verbis ab his quæ dicta sunt, differunt, verumtamen intentionem ipsam immutabiliter habent. Præcepit enim populum non approximare Deo, et cognoscere, non quemadmodum invidens eis visionem, sed ut imperfectis, et minus tantæ contemplationis capacibus parcens. Sacerdotes autem appropinquantes sanctificari jubet, ut digni ad videndum et contemplandum fierent Deum : quia veram scientiam a Deo nemo potest sine sanctificatione conquerere. Propter quod Paulus inquit, *sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*⁸⁰. Conspectum ejus, scientiam ejus dicens, id est ejus contemplationem, unde sacerdotes sanctificari præcepit. Vide quomodo minatur in subsequentibus.

Ne forte recedat ab eis Dominus. Id est ne fugiat ab eis ea quæ Dei est scientia, perditio enim eis, scientiæ discessio fit. Sed nunc ea, quæ sicut ex persona Dei per Moysen dicta sunt, verba aggrediamur.

Et sanctificabor in his qui appropinquant mihi. Sanctificationem suam vocat profanorum, sive malorum emundationem, quia corpus nos habet : corporis autem emundatio, sordium abjectio est. Hoc ergo ut bonus, et pius in his qui approximant ei, secundum multitudinem videlicet scientiæ, vel secundum aliquod divinum ministerium, operatur, ut per ipsos terreat, et in conspectu totius populi glorificetur, id est laudetur et manifestetur : utrumque enim glorificationis verbum manifestat, et quæ ex hoc laus Dei, et manifestatio sit. David dicit : *Quia justus Dominus justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus*⁸¹.

In his tacuit Aaron. Sive ut LXX, *compunctus est Aaron.* Ecclesia videlicet, qua corpus intelligibilis Aaron Ecclesia est, unde ipse dixit : *Saule, Saule, quid me persequeris*⁸². Item discipulis de suscipiendis eos dixit : *Qui vos suscipit, me suscipit*⁸³.

⁷³ Act. ii, 25. ⁷⁴ ibid. 5, 6. ⁷⁵ Hebr. xii, 29.
⁷⁶ Exod. xix, 21 ⁷⁷ Hebr. xii, 14. ⁷⁸ Psal. x, 8.

⁷⁹ II Tim. iii, 16. ⁸⁰ Cant. iv, 10. ⁸¹ I Tim. i, 20.
⁸² Act. ix, 4. ⁸³ Marc. ix, 56.

« Vocavit autem Moyses Mizaelem et Elisaphan filios Ozibel patrum Aaron, et ait ad eos : ite, tollite fratres vestros de conspectu sanctuarii, et asportate extra castra. Statimque pergentes tolerant eos sicut jacebant, vestitos lineis tunicis, et ejecerunt foras, ut sibi fuerat imperatum. »

Ab his qui eos ejecerunt, eos qui sublatis, sive ejecti sunt, intellige. Qui autem fuerunt, qui sustulerunt? Mizael et Elisaphan, sive Misaddai et Elisaphan, quorum unus *attrectatio Dei*, id est Misaddai : Elisaphan autem *Dei mei specula* interpretatur. Quicumque ergo scit attrectare Deum, insuper autem et speculari, et Christi quidem carnem contractare : speculari autem per oculos mentis divinitatem, sicut Thomas manu contractans carnem, et fide specularis divinitatem, dicebat : *Dominus meus et Deus meus*⁸⁵. Hic ignem alienae doctrinae auferre, et ejicere illum cum tunicis, a facie sanctorum potest, quia personae sanctorum sunt sacerdotes : tunicae autem sacerdotum, conversatio et vita, quae in sacerdotii induuntur habitu. Ergo cum sacerdotio, quod ei sorte obvenit, a portione sacerdotali expelluntur, non solum autem a sacerdotum, sed et populi, unde addicit :

Extra tabernaculum. Tabernaculum enim Dei, Ecclesiae populus est : filii autem patrum Aaron, sive fratris Aaron, hi qui haec facere possunt, rationabiliter nominantur. Si enim pater intelligibilis Aaron David est, et per eum omne corpus prophetarum creditur. Prophetiae quippe eum manifestum faciunt, atque quodammodo ignorantibus pariunt. Frater autem germanus et, ut ita dicatur, frater prophetiae Evangelium est : omnia enim quae in Evangeliiis acta sunt, a prophetis praedicta sunt. Propter quod prophetico sermone adjuvari ad perfectam scientiam, quia frater fratrem adjuvans, sicut civitas firma Petrus praecipit ; ait enim : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes, sicut lucernae in obscuro loco, usque dum dies illucescat, et Lucifer oriatur in cordibus vestris*⁸⁶ ; id est usque dum in vobis evangelica scientia clareat. Filii fratris patris Aaron, bene et nimis apte hi, qui evangelicam conversationem didicerunt, dicuntur, et hos qui alia docent, arguere et repellere, utpote perfectam habentes scientiam, necessario sunt dispositi. De quo Joannes dicebat. *Omnis qui praecedit, et non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui manet in doctrina, hic et filium et patrem habet. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non offeret, nolite recipere eum in domum, nec ei dixeritis, Ave*⁸⁶. Ergo proprium est eorum, qui edocti sunt evangelicam doctrinam, eos qui adulterina et aliena praedicant, a facie sanctorum et tabernaculi expellere atque projicere.

VERS. 6, 7. « Locutus est Moyses ad Aaron et ad Eleazar, atque ad Itamar filios ejus : Capita vestra nolite nudare et vestimenta nolite scindere, ne forte

moriimini, et super omnem coetum oriatur indignatio. Fratres vestri, et omnis domus filiorum Israel plangent incendium, quod Dominus suscitavit. Vos autem non egredimini fores tabernaculi, alioquin peribitis, oleum quippe sanctae unctionis est super vos. Qui fecerunt omnia juxta praecipitum Moysi.

Non ignoramus quid cydares significant sacerdotum, scilicet quia omnis viri caput Christus, caput Christi autem, Deus : necessarie cydaris significatio quodammodo est simul Unigeniti humanitatis, et divinitatis : hoc enim et per cydaris compositionem superius demonstravimus. Ergo quae oporteat custodire sacerdotes et doctores praecipit : id est, ut nec divinitatem Christi, nec humanitatem negent, nec contradicant, quia Deus ex Deo, et Verbum est ex Patre. Hoc est enim cydarim non auferre e capite, videlicet non nudare intelligibili cydare. Sed nec dispensationem renuant, aut blasphemant. Qui enim Christi dispensationem blasphemant, sacerdotalem rumpunt stolam : quia omnes quidem homines qui in Christum crediderunt, multo magis autem sacerdotes sunt qui Christum induerunt : si quidem quicumque in Christo baptizati sumus, Christum induimur, haec agentes sacerdotes, nec moriuntur, nec congregationi superinducunt iram. Praepositorum enim vitia offendiculum sunt subjectis, et multo magis doctorum discipulis eorum irae Dei sunt occasio. Propter quod et omnem domum Israel, omnem videlicet Ecclesiam, plangere incendium quo incensi sunt a Deo vult : quia damnatum Ecclesiae unius membri, et cujuslibet casus est, quanto magis doctorum, et sacerdotum perditio? Ita ut Paulus de eo qui fornicatus fuerat, Corinthiis scribat : *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis*⁸⁷. Si autem uno ex populo fornicante, omnem Ecclesiam lugere praecipit, multo magis quando sacerdotes, et doctores impie agentes, vel blasphemantes inveniuntur. His ita se habentibus, illud quaeri oportet, quomodo cum per praecedentem sanctionem, septem solos dies non egredi de tabernaculo testimonii praecipisset, his completis, haec enim in octava die aguntur, rursus eis Moyses praecipit, de ostio tabernaculi non egredi? Non ergo contraria sibi saucit, sed manifestum est quod alium hic eis egressum ostii tabernaculi testimonii praecipit custodire. Nam addidit :

Ut non moriimini. Atqui haec non scripsit in superioribus : Ergo additamento comminationis, aliud quidpiam se sanxisse significavit : quia enim ut ignem alienae doctrinae offerentes quidam sacerdotes perierunt. Aliis non exire januam scientiae, videlicet Christi, et traditionis ejus, per ea quae dicta sunt praecipit, id est non transgredi eam quam ipse mandavit praedicationem, sed sequi Dominicum praecipit per omnia : sic enim unusquisque non morietur. Hoc sacerdotibus praecipit, quibus ut magistris, et praedicatoribus verbi ministerium ex dono

⁸⁵ Joan. xx, 28. ⁸⁶ II Petr. 1, 19. ⁸⁷ II Joan. 9, 10. ⁸⁸ I Cor. v, 2.

spiritus creditum est, de quo nunc legislator ait:

*Oleum quippe sanctæ unctionis est super vos. Hujus autem unctionis virtutem, Joannes nobis evangelista demonstrat, dicens: Et vos unctionem quam accepistis ab eo, moneat in vobis. Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium*⁸⁸. Hæc Moyses per spiritum præcepit, et Ecclesia custodit. Ergo consequenter legislator subdidit: *Qui fecerunt juxta præceptum Moysi.*

VERS. 8-11. « Dixit quoque Dominus ad Aaron: Vinum et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini, quia præceptum sempiternum in generationes vestras, et, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, et inter pollutum et mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi. »

Hanc usque nunc legem in Ecclesiis invenis custodiri: Neque enim omnimodo abstinere a vino præcepit, sed quando ad tabernaculum testimonii, aut ad altare ascendimus, id est quando quodcumque ministerium doctrinæ cælestis contingimus. Ministerii enim, altare figura est: tabernaculum autem testimonii, cælestium rerum contractationis, unde et Timotheo Paulus scribebat. *Vino modico utere, propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates*⁸⁹. Qui autem modico utitur, hic tempore ministerii videlicet et doctrinæ, ab omni vinolentia et ebrietate se abstinet. Similiter autem ut sacerdotes hi qui student legem custodiunt, propter quod non solum Aaron, sed et filiis ejus, sublimiora videlicet adeptis, mandatum hoc tradidit. Similia autem his et Paulus ad Ephesios scripsit. *Nolite inebriari vino, in quo est omnis luxuria, sed magis implemini Spiritu sancto*⁹⁰; hebetem quippe ebrietas mentem reddit, et sobrietatem ejus in deterius vertit, ut non intelligantur quæ aguntur, quæ testificatur Isaias, dicens: *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperum, ut vino æstuetis. Cithara et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis*⁹¹. Qui autem opera Domini non vident, quomodo dividere inter sancta et profana, aut munda et immunda, vel quomodo exhortari, et illuminare populum de Scripturis possunt? Unde hoc mandatum sublimius ostendere cupiens, ipsum hoc ait locutum fuisse Dominum. Sed intende, quemadmodum nec hoc a distinctione eorum quæ in Pentecoste acta sunt, alienum sit. Quod enim hic præcepit non fieri, factum esse quibusdam suspicantibus, quando Spiritus gratia advenit, et dicitur. *Quia musto pleni sunt hi, Petrus ut prohibitum negavit, dicens: Non enim sicut vos suspicamini, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia*⁹². Illud

A autem oportet quærere quod cum ea quæ legis sunt, docere filios Israel sacerdotes præcepit, locutum esse Deum per Moysen, non per linguam, sed per manum dicit. Aut omnino dignitatem legis ostendere voluit, quia exposuit quidem eam Deus, scripsit autem Moyses, excepit vero eam, Deo quæ disposita sunt jubente.

VERS. 12-15. « Locutusque est Moyses ad Aaron, et ad Eleazar, atque Ithamar filios ejus qui residui erant: Tollite sacrificium quod remansit de oblatione Domini, et comedite illud absque fermento juxta altare, quia Sanctum sanctorum est. Comeditis autem in loco sancto, quod datum est tibi, et filiis tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi. Pectusculum quoque quod oblatum est et armum qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu et filii tui, ac filiarum tuarum tecum. Tibi enim ac liberis tuis reposita sunt de hostiis salutaribus filiorum Israel, eo quod armum, et pectus, et adipem, qui cremantur in altari, elevati sint coram Domino et pertineant ad te, et ad filios tuos lege perpetua, sicut præcepit Dominus. »

Quia pectusculum confidentiam offerentium, et fidem significat: et brachium, promissæ ab eis conversationis actionem, et correctionem: satis a nobis in his quæ de sacrificio pacificorum, seu salutarum per partes discussa sunt, demonstratum est. Sed quamobrem Aaron et filiis ejus, ea quæ dicta sunt, deputavit, illic enim et eorum distinctionem legislator exposuit, quod hi quidem qui Aaron sunt filii, quid autem ipse Aaron habet præcipuum. Sacrificium enim quod remansit de oblatione, sive ab holocaustis Domini, hoc dixit, quod superest de similia. Aperte ergo Aquila edidit, dicens: *Donum quod reliquum est de frumento.* Hujus interpretatio est: etiam hoc quod legislator subdidit, ait enim:

Et comedite absque fermento juxta altare. Ubique doctrinam theologiæ hanc significat sacrificium similia sine fermento esse, quantum ad exteriorem doctrinam volens, similiter etiam ostendens, quia participalis quædam apud nos est theologia: in cælis quippe ejus est plenitudo. Propter quod hoc quod remansit id est hoc quod superest, comedi præcepit, ut ostendat summum apud eum esse, atque servari. Oportet autem eam comedi juxta altare, id est Christi corpus, ex eo enim nobis theologia omnis ministratur.

Sed quod remansit de similia Aaron erit et filiorum ejus. Quæ vero de sacrificiis pacificorum sive salutaribus sunt Aaron et filiorum ejus: sive secundum LXX et domui ejus, omnis videlicet populi. Theologiæ quippe studere non omnium est, sed sublimium, et appropinquantium Domino, atque eorum qui sequuntur Christum. Consequi autem quæ ad pacifica, seu salutem pertinent, totius plebis sunt, quæ domus intelligibilis sacerdotis nominatur. Est autem Ecclesia, de qua et Paulus dixit: *In magna*

⁸⁸ I Joan. II, 27. ⁸⁹ I Tim. V, 25. ⁹⁰ Ephes. V, 18. ⁹¹ Psal. V, 11, 12. ⁹² Act. II, 15.

domo non sunt solum aurea vasa, et argentea, sed lignea et fictilia⁹⁰. Propter quod non est omnium theologiam assequi.

Vers. 16-18. « Inter hæc hircum qui oblatum fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses exustum reperit. Iratusque contra Eleazar et Bhamar filios Aaron, qui remanserant ait. Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ Sancta sanctorum dicitur, et data est vobis, ut portetis iniquitatem multitudinis, et oretis pro ea in conspectu Domini : præsertim cum de sanguine illius non sit illarum intra Sancta, et comedere eam debueratis in sanctuario, sicut præceptum est mihi.

Quia omne peccatum per pœnitentiam deletur, et quia hi qui prædictum peccatum alterius doctrinæ, et blasphemia commiserunt, salvati non sunt, causam legislator hujus, quæ eis sine misericordia venit, mortis exponit. Hinc introducit Moyses hircum pro peccato, pœnitentiæ videlicet oblationem : quia quærens exquisivit, sicut LXX edunt, quod est, valde quæsit. Iratusque ait his qui relictis erant filiis Aaron, quod non comederint hoc quod pro peccato erat in loco sancto, id est pro eo quod pœnitentiam, in Ecclesiam commissi peccati peragi ut sacerdotes, non fecerint : ipsis enim comedere quæ pro peccato suat, et orare orationem, quæ est pro pœnitentia congregationis, et acquirere præceptum est. Quare? Quia Christus eos in proprium locum ecclesiæ constituit. Ipse autem suæ oblationis sanguinem, quæ pro nostro sanguine oblata est in Sanctum, intus videlicet in cœlestem habitationem, in conspectu Patris sui obtulit. Et in loco sancto, dicimus autem ecclesiam comedi hoc sacrificium, ad remissionem, et propitiationem peccatorum præcepit. Propter quod ait Moyses :

Quemadmodum præceptum est mihi. Id est, quemadmodum præcepi, et mandavi : Christi enim gerere personam etiam Moysen diximus. Inquit autem non ignorans, nam quomodo in præcedentibus causam addidit, cum dixisset enim hircum pro peccato quærens exquisivit Moyses, illico subdidit :

Et hic incensus erat : sive exustum reperit. Ostendens, ut quia alterius doctrinæ peccatum, blasphemia est in sanctum Spiritum, propter quod Stephanus doctores Judæorum, ut prævaricantes legem, et inobedientes, sed duræ cervicis, et duri cordis appellat, ut autem male interpretantibus legem, et prophetas dicebat : *Vos semper sancto Spiritui restitistis⁹¹*, necessarie eis ab intelligibili igne, videlicet spiritus, pro pœnitentia oblatio ablata est, et propterea pro peccato hircus exustus dicitur. Quia scientes, et voluntarie peccantes, etsi se dicunt pœnitere : non pœnitent pure, blasphemia enim eorum cæcaturum est. Propter quod et Paulus dicebat : *Voluntarie enim peccantibus nobis post susceptam cognitionem veritatis, jam non pro peccato relinquitur*

hostia⁹². Dominus autem dicit : *Omne peccatum dimittitur hominibus, blasphemia autem contra Spiritum non relinquitur⁹³*. Hoc Petrus ipso opere ostendit ; quia enim Ananias et Sapphira Spiritui sancto mentiti sunt, ait ad eos : *Quare cæcavit Satanas cor vestrum mentiri Spiritui sancto? Non estis mentiti hominibus, sed Deo⁹⁴*. Tempus enim pœnitentiæ eis non dedit, sciens quia cor cæcaturum in transgressione, et blasphemia spiritus habentes, pœnitere non paterentur. Mox enim eos pœnali condemnavit morte. Ea ergo quæ sequuntur, magis astruere, et explanare ea quæ nunc dicta sunt, possunt.

Vers. 19, 20. « Respondit Aaron : Oblata est hodie victima pro peccato in holocausto coram Domino ; mihi autem accidit quod vides. Quomodo potui comedere eam, aut quomodo placere Domino in cæremoniis mente lugubri? Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem. »

Hodie, quod tempus oporteat intelligi, aperte nobis Paulus tradidit : Cum dixisset enim David : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione⁹⁵*. Et interpretans ipse, quia de præsentis quidem tempore usurpative, proprie vero de tempore quod post adventum Domini est, oportebat intelligi quod dictum est : vide quid subdidit. Quoniam ergo superest quosdam introire in eam, et hi quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem, iterum terminat diem quamdam, hodie in David dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est, dicens : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Si enim eis Jesus requiem præstitisset, nunquam de alio loqueretur. Post hanc diem ergo his quæ prædicta sunt ostenditur, quia aperte tempus post adventum Salvatoris significat, in quo intelligibilis Sabbati hominibus requies prædicata est. Hæc ergo Aaron ex persona dicere Ecclesiæ, ut figuram gerens non solum Christi, sed et Ecclesiæ videtur, ut quia hodie obtulerunt quæ pro peccato suo sunt, et holocausta sua, id est, quia post adventum Salvatoris deputati sunt ministrare, et offerre pro pœnitentia, et philosophicam vitam exponere, alia docentes reprehensi sunt, et talia in eis Ecclesiæ acciderunt, ut sacerdotum et magistrorum lugeret ex blasphemia accedentem mortem, recte comedere hodie pro peccato non potuit, nec orationem adeptus est pœnitentia, quia videlicet Domino Christo displicebat. Subdidit autem, hodie, ut ostenderet, quia si ante remissionem Salvatoris hoc peccassent, forsitan et ignosceretur, ut necdum perfecta effusa scientia, unde et Dominus ait : *Sed non venissem, et locutus eis fuisset, peccatum non habuissent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo⁹⁶*, id est satisfactionem. Hæc ergo cum audisset intelligibilis Moyses, placuit ei, quia Ecclesiam invenit suam doctrinam custodientem. Quod et nos scientes, ab omni quidem alia doctrina, et blas-

⁹⁰ II Tim. II, 20. ⁹¹ Act. VII, 51. ⁹² Hebr. X, 26. ⁹³ Math. XII, 31. ⁹⁴ Act. V, 4. ⁹⁵ Psal. XCIV, 8. ⁹⁶ Joan. XV, 22.

phemia abstinenceamus. Glorificemus autem solum A Spiritus sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

Quemadmodum Deus non frustra creaturam varietate complevit, sed ut ex differentia conditionis nos disciplinam artificis, et quis sit conjiceremus. Nam qui cælos intendunt, ex varietate astrorum maximum eorum artificem, atque conditorem intelligunt Deum. Sed et qui terram considerant, ex differenti positionis ejus habitu, id est ex animalium, virgultorumque et seminum, omnique ejus differentia eum cognoscunt. Sed et hi qui ad immensam aquarum diffusionem transferunt visus, ex spirituum per diversa proveniente motu, insularum quoque, cetorumque magnitudine, et distantia piscium, innumerabiliumque generum natione, Deum esse factorem hujus etiam visibilis sentiunt creaturæ: Sic etiam legem ornat omnibus præceptis, produciens videlicet hominem, et nunc in sacrificiorum oblationibus, nunc autem in ciborum abstinentia, nunc etiam in curatione corporalium morborum aliquando autem et in quibusdam contractibus, quales esse debent hi qui semper volumus esse cum Deo, præcepit. Ergo jam ad ipsa legis verba veniamus.

CAPUT XI.

VERS. 1-8. « Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron dicens: Dicite filiis Israel: Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ. Omne quod habet divisam unguam, et ruminat in pecoribus, comedetis: quidquid autem ruminat, et habet unguam, sed non dividit eam, sicut camelus, et cætera, non comedetis illud, inter immunda reputabitis. Chirogryllus, qui ruminat, unguamque non dividit, immundus est. Lepus quoque, nam et ipse ruminat, sed unguam non dividit: et sus qui cum unguam dividat, non ruminat: horum carnibus non vescemini, nec cadavera contingetis quia immunda sunt vobis. »

Hæc de quibus nunc sermo est, ad ipsa divina eloquia maximam videntur habere contrarietatem, qui enim Noe dixit: *Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum: et quasi olera virentia tradidi vobis omnia*¹: quomodo nunc quædam comedi de his, quæ prius concessa sunt, prohibuit? Quomodo etiam, quando faciebat bestias terræ secundum genus suum, et pecora, et reptilia, dictum est: *Et vidit Deus quod essent bona*², et rursus: *Viditque Deus cuncta quæ fecit, et erant valde bona*³? Nullatenus autem esse bonum, maxime et valde,

hoc quod immundum est, potest. Nunc autem, tanquam oblitus quam de eis protulerat sententiam, quædam quidem animalium munda, quædam dixit immunda. Ergo quædam erunt bona, quædam non bona. Sed non est ita, nam etsi ad modicam castigare Judæorum γαστριμαργίαν volebat, tamen vera legis consideratio manifesta est, et spiritualis præceptorum expositio. Qualesque oportet esse legi studium dantes, docenti intentionem legislator habet. Si enim non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei⁴, sicut panis nutrimentum est corporis, sic et lex Dei nutrimentum est animæ, utpote rationalis rationali virtus et subsistentia. Et sicut in superioribus ex his quæ immolantur, figurat eos qui offerunt, per ovem significans simplicem, per vitulum mandatorum operatorem, per hædum vero penitentem, sicut etiam nunc significat per animalia, eos qui eis vescuntur; ait enim sic:

Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron dicens: Dicite filiis Israel: Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ. Communis est lex, mandatum hoc ad omnes pertinet. totiusque populi est justificatio. Loqui enim filiis Israel, omni videlicet populo, præcepit. Quid autem præcepit loqui?

Hæc sunt animalia quæ comedere debetis, de cunctis animantibus terræ. Nequaquam autem diceret, de animantibus terræ, nisi intentionem haberet ab animalibus cælestibus distinguendi: ibi enim leonis esse vultum, et vituli, et aquilæ, sicut et hominis, dum Ezechiel⁵ animalia Cherubin tradit, edocuit. Ergo in cælestibus animalibus custodia aut alia circumspectione non egemus, ut cognoscamus quæ sint munda. Omnia enim similiter munda et sancta sunt, sicut sancto Deo, et eos qui in circuitu ejus sunt sanctificat astantia. Terræ vero animalia non omnia sunt munda, non propter naturam, sed propter nostrum excessum et quia per iniquitatem naturam depravavimus. Sed quemadmodum munditiam eorum cognoscamus, vel immunditiam, ex his quæ sequuntur intuendum est.

Omne quod habet divisam unguam, et ruminat in pecoribus, comedetis. Animalibus maxima virtus in unguibus esse creditur, quæ etiam cognitionem habent cum dentibus. Unguium siquidem est, ut discerpere quæ apta esui per dentes fiunt, quod utrumque nobis Daniel tradit, quando forte pro-

¹ Gen. ix, 3. ² Gen. i, 10 et alibi. ³ ibid. 31. ⁴ Matth. iv, 4. ⁵ Ezech. i, 1 seqq.

ponens regnum, dicit : *Aspiciebam in visione noctis, A et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, et fortis nimis; dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans* ⁶. Septuaginta autem specialius dicunt : *Ungues eis ærei*. Quia ergo ita est, figurate demonstrat, qui sint qui se ad meditationem devoverunt legis, utrum mundi an immundi : ruminare enim eos, et dividere unguam præcepit. Illa autem animalia unguam findunt, quæcumque unguem usque ad ipsam inferiorem dividunt pellem. Ergo ille munda animalia comedit, qui non solum meditatatur legem, sed et ruminat, id est reconfert, et eructat actione atque operibus. Eructatio enim verborum Dei, et ruminatio mandatorum est et executio : propter quod audi David dicentem : *Eructavit cor meum B verbum bonum, dico ego opera mea regi* ⁷. Ad denuntiationem eorum quæ consecutus est operum, hanc eructationem honorum, atque ruminationem procul dubio intellexit. Non autem ruminare, sed et dividere legis unguam, et distinguere litteram ab spiritu, et tradere quædam secundum historiam solam, quædam secundum contemplationem, quædam vero secundum utrumque intelligere, districtam custodientes in eis divisionem opus habemus. Qui enim talis est, hic consummatus atque perfectus est, et propterea mundus recte dicitur. Quicumque autem unum de his, quæ dicta sunt, minus habet, hic manifeste immundus est, sicut ipsa docet legis littera, ait enim :

Non comedetis illud, inter immunda reputabitur. C Quidquid ruminat, et habet unguam, sed non dividit eam sicut camelus, et cætera, non comedetis, et inter immunda reputabitur. Camelum comedere tumens per superbiam Judæus recte intelligitur, id est Scribæ et Pharisei, ad quos dicebat Dominus : *Liquantes culicem, camelum autem glutientes* ⁸. Isaias etiam dixit : *Hæc enim dixit mihi Dominus : Vade, et pone speculatorem, et quodcumque viderit, annuntiet. Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli* ⁹. Per asinum, gentium : per camelum, Judaicam conversationem significans. Figuratur etiam litteram legis, eorumque grave iugum camelus, utpote qui consuevit onera portare : unde servus Abraham decem camelos D portantes de bonis domini sui ad dispensationem Rebeccæ duxit. Figurabant autem hi decem præcepta legis, quæ non omnia bona Dei, sed tamen de omnibus bonis gerunt, propter hoc quod participalem justificationem habet lex. Ergo Scribæ et Pharisei ruminantem comedunt, quia in legalis litteræ gloriantur meditatione, et in cultu Sabbati, purificationisque, et sacrificiorum, aliorumque similibus. Ungulam autem non dividunt ea quæ ab eis comeduntur, neque discernunt ab spiritu litteram, et propterea eorum scientia immunda est. Tales sunt

et qui leporem comedunt, et qui chirogryllum : ruminant enim et ipsi, sed unguam non dividunt. In populari autem multitudine, Judæorum genus utrumque esse accipitur : debilia quippe esse animalia hæc dicuntur, teste David et Salomone, utrumque animalium debilitates. Salomone quidem cum ait : *Lepusculus, plebs invalida, posuit in petra cubile sibi* ¹⁰. David vero : *Petra refugium erinacis* ¹¹, sive chirogryllis, quorum unum est velox et timidum, cum infirmitate, id est lepus : aliud autem debile quidem, sed rapax et bestiale, atque mortiferum dicunt, id est chirogryllus, quod omni quidem plebeio, maxime autem Judæorum inest populo, de quibus dixit David : *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem* ¹². Timidi autem quantum et infirmi filii Judæorum sint, vox divina ostendit eum dicit : *Væ cordibus trepidis, et manibus remissis.* Injustitia autem quanta, et feritas apud eos erat, audi Isaiam dicentem : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena iudicii? justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ* ¹³. Post hos suem dicit esse immundum, quia dividit unguam, et non ruminat. Qui ergo sint qui æmulentur, ac propterea comedere illum dicuntur, Petrum expositorem et magistrum suscipe : eum quippe qui habet scientiam divinarum, sed non illa bene utitur, actionibusque incongruis eam polluit vitæque immundæ semetipsum tradit. Suem etiam ipse appellavit dicens : *Melius fuisset eis non cognoscere viam justitiæ, quam cognita ea, retro reverti a tradito sibi sancto mandato : contigit enim illis res veri proverbii, Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in colutabro cæni* ¹⁴. Quia ergo ostendimus eum qui legi operam dat ruminare debere, is qui talis est, utpote sordidam habens viam, et non implens legem, recte non ruminare quæ legis sunt, dicitur. Unde et vomit utpote indigestum cibum meditationis legis, et minime ad effectum pervenientem. Ergo, etsi unguam dividit, et litteram dividere scit, a spiritu tamen immundus est. Sed quid his quæ dicta sunt addidit?

Horum carnibus non vescemini, nec cadavera contingetis, quia immunda sunt vobis. Nec camelum, nec leporem, nec chirogryllum, nec suem, inter munda iudicavit : per hæc etiam cætera animalia designans, quæ lex ex his quæ dicta sunt manifesta fecit. Ideo ergo hæc quatuor numero posuit, quia quatuor sunt generales virtutes, prædictorum autem animalium significatio virtutibus caret, quatuor quippe virtutibus est contraria. Nam camelus in Scribarum et Phariseorum superbiam sumptus, sapientiæ contrariis est : stultorum quippe est proprium superbire. Quia autem utroque hoc morbo Scribæ et Pharisei tenebantur, audi ad eos Dominum dicentem : *Stulti et cæci, quid majus est, aurum aut templum quod sanctificat aurum* ¹⁵? Et rursus

⁶ Dan. vii, 7. ⁷ Psal. xlii, 2. ⁸ Matth. xxiii, 24. ⁹ Psal. xlii, 5. ¹⁰ Isa. i, 21. ¹¹ I Petr. ii, 21, 22.

¹² Isa. xxi, 6. ¹³ Prov. xxv, 25. ¹⁴ Psal. cii, 18. ¹⁵ Matth. xxiii, 17.

superbiam eorum hoc modo retundit : *Amant enim primos accubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi* ¹⁶. Sic ergo stulti quidam de ipsis erant et superbi. Lepus ut timidus, fortitudini contrarius est : chirogryllus, ut rapax, justitiæ : sus, ut vita sordida vivens, et immunda, de quo dictum est : *Sicut circulus aureus in naribus suis, sic mulier pulchra et fatua* ¹⁷, castitati contraria est. Horum nec carnes comedamus, id est, nec quam videntur habere virtutem sequamur, in hypocrisi enim illam, et non in veritate sectantur. Multo magis autem morticina eorum tangenda non sunt, nec malis eorum communicandum actionibus, ipsa enim hujusmodi procul dubio morticina sunt viri.

VERS. 9-12. (*Hæc sunt quæ gignuntur in aquis, et vesci licitum est. Omne quod habet pinnulas et squamas, tam in mari, quam in fluminibus et stagnis, comedetis : quidquid autem pinnulas et squamas non habet, eorum quæ in aquis moventur et vivunt, abominabile vobis et exsecrandum erit. Carnes eorum non comedetis, et morticina vitabitis. Cuncta quæ non habent pinnulas et squamas in aquis polluta erunt.*)

Ex eo quod non aperte divina Scriptura genera piscium exposuit, a quibus abstinere vult, superfluum est hæc in præsentibus quærere, nusquam enim piscium in ea invenimus vocabula. Semetipsam etiam ergo in hoc imitatur loco. Verumtamen illud nunc notari oportet, quia quemadmodum in spontaneis sacrificiis, quæ et dona legislator appellavit, aliquando quidem operatores legis, aliquando autem simplices, aliquando vero contemplatores per oblationum significavit modos, aliquando eos qui salvantur ex gentibus, quibus et sacrificia de similia, ut simplicibus, deputavit, quod ostendit ex eo quod dicit, *Si anima obtulerit donum Domino, non addens, Si anima de populo terræ, quemadmodum in aliorum sacrificiorum enuntiationibus solet ; sicut ergo in illis, sic et hic per ciborum abstinentioniam, quales debent esse qui legem meditantur, ostendere cupiens, per ruminare siquidem, et unguam dividere, Judæum significavit, qui debet legis implere mandata et ab spiritu litteram dividere, et legem spiritualiter intelligere, per hæc autem quæ nunc dicta sunt, ostendit de gentibus se loqui. Unde existimo, non expressis nominibus piscium memoriam factam, quia nec nomina suorum scribi super terram cupit Ecclesia, unde et illa David ait : *Scribantur hæc in generatione altera* ¹⁸, videlicet futura in cœlis, ibi enim filiorum ejus scripta sunt nomina, de qua Paulus dicit : *Accessistis ad montem Sion, et ad civitatem Dei vivi, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam et Ecclesiæ primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis* ¹⁹. Et Dominus ad apostolos ait : No-*

A lite gaudere quia demonia vobis subjiciuntur, sed gaudete et exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis ²⁰. Probant autem hæc etiam hujus sanctionis verba, aiunt enim :

*Hæc sunt quæ gignuntur in aquis, et vesci licitum est. Intelliguntur per hæc hi qui ex gentibus salvati sunt, utpote regenerationem habentes in aqua baptismatis, de quibus et Isaias dicebat : *Ecce gentes quasi sicut stultæ* ²¹. Sive, ut LXX, *Sicut aquæ multæ, gentes multæ*. Unde et eis conveniunt quæ sequuntur.*

*Omne quod habet pinnulas et squamas, tam in mari, quam in fluminibus et stagnis, comedetis. Eadem etiam his qui ex gentibus sunt, de meditatione legis aliis præcepit verbis. Vult enim eo habere in meditatione legis pinnulas, vitamque sublimem atque cœlestem, sed expositionem legis huic similem, propter quod non pinnulam habere, sed pinnulas eos vult. Quia autem ignorantia divinæ Scripturæ gentes obtinuerat, non enim susceperant legem, neque prophetas, nec alia in eis erat scientia divina subtilior, ne ergo hoc morbo permanenti et perpetuo laborarent, squamas eos habere vult, quæ facile auferrentur. Quia autem squamæ temporalem, et qua facile careatur, ignorantiam significant, demonstrant ea quæ de Paulo descripta sunt, in apostolorum Actibus ; cum enim zelo judaico Ecclesiam persequeretur, ignoraretque eum quem persequeretur, facile caruit zelo propter ignorantiam : postquam cognovit quem persequeretur, vocatus a Christo, et postquam ei ab Anania evangelizatum est, *ceciderunt squamæ ab oculis ejus, et mox vidit* ²². Ergo in modum squamarum superjacebant instantes ei temporales ignorantiae. Unde nimis consequenter legislator subdidit :*

Quidquid autem pinnulas aut squamas non habet eorum quæ in aquis moventur et vivunt, abominabile vobis et exsecrandum erit. Sunt enim quædam piscium genera, testam pro pelle habentia : quorum squama auferri non potest. Tales sunt qui nec squamas ignorantiae verbo Dei deponere, nec cultrum spiritus suscipere patiuntur. Ili etsi in mari inveniantur baptismatis, etsi in fluminibus pœnitentiæ, abominabiles sunt in omnibus quæ moventur et vivunt in aquis. Et cum vitam sortiti sint in baptismo, vocationem tamen regenerationemque corruerunt : dum pinnulas et squamas non habent, sublimem videlicet vitam, cognitionemque divinorum, quæ cœlestis est, sed cor cæcum in ignorantia detinent : et propterea in his qui squamas habent, non annumerantur. Intende autem, quanta subtilitate sermonum, ut videlicet maxima per eos mysteria et admirabilia significans, legislator utitur ; pinnulis enim squamas conjunxit, quia quemadmodum piscibus, quibus sunt squamæ, his sunt omnimodo et pinnulæ, sic quibus igno-

¹⁶ Matth. xxiii, 6. ¹⁷ Prov. xi, 22. ¹⁸ Psal. ci, 19. ¹⁹ Hebr. xii, 22. ²⁰ Luc. x, 20. ²¹ Isa. xl, 15. ²² Act. ix, 18.

rantia temporalis est, et qua propterea cito careri A possit, his et cognitio sublimis et vita cœlestis adjicitur. Horum ergo qui non sunt tales, nec carnes comedere, sed nec morticina tangere, nec aliquam communionem omnino cum eis habere oportet, quod testatur Paulus, dicens: *Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere* ²³. Adulter, aut avarus, aut ebriosus, aut detractor, non habet pinnulas, ut vitam videlicet habens sordidam et immundam. Idolorum autem cultor in his qui squamas habent, non computatur, duram quippe, et in morem testæ, atque insanabilem habere videtur divinorum ignorantiam, alias nequaquam, postquam Deo conjunctus est, ultra servisset B idolis.

Vers. 17-19. « Hæc sunt quæ de avibus comedere non debetis, et vitanda sunt vobis: aquilam, et gryphem, et halizetum, et milvum ac vulturem, juxta genus suum: et omne corvini generis in similitudinem suam: struthionem, noctuam, et larum, et accipitrem juxta genus suum, bubonem, et mergulum, et ibin, cycnum, et onocrotalum, et porphyrionem, herodionem, et charadrium juxta genus suum, upupam quoque, et vespertilionem. »

Nec eorum qui ad contemplationem vacant, vitam in hoc legislator indiscussam reliquit, sed quemadmodum in oblatione sacrificiorum proprium eis legis capitulum deputavit, ita et in inquisitione ciborum fines eis proprios dedit, quos C producens, et terribiliores faciens, non sicut de pecoribus et de piscibus, etiam de his scit. Ibi enim ait: *Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ.* Et rursus: *Hæc sunt quæ gignuntur in aquis, et vesci licitum est.* Illic autem: *Hæc sunt quæ de avibus comedere non debetis, et vitanda sunt vobis.* Vere abominatione dignum est, et valde inter illicita atque nimis vitanda connumerandum, contemplationi vacantem quempiam sponte tales habere maculas, quales per dinumeratas aves legislator significat; ait enim:

Aquilam, et gryphem, et aliætum, et milvum ac vulturem juxta genus suum. Rapaces, et cibum D alienum male sectantes, quæstibusque injustis gaudentes, per prædicta significat. Quia enim quidam inveniuntur in Ecclesiis, inter eos qui putantur contemplationi operam dare, qui non quemadmodum debent, ad hoc vacant, sed frustra inflantur, audi Paulum dicentem: *Si quis alia docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei qui secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui a*

veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem ²⁴. Hos ergo significant ea quæ nunc dinumerata sunt animalia, victum ex rapina conquiritia. Quædam autem ex his, alias aves invadunt, et ex venationibus earum nutriuntur; alia vero in domos ingredientia, diripiunt quæ repererint ne quidem gerentium obsoniis parcentia, quibus sunt similes quidam qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quos Paulus arguit. Vultur rixis et bellis gaudet, propter cadavera præliorum, in tantum ut etiam sequatur exercitum. Non ergo oportet aliorum casibus pasci atque nutriri cum qui contemplationi dat operam. Corvini vero generis animalia sunt affectionis expertia, quod manifestum est ex eo, quod emissus a Noe, ex prima eum corvus avolatione transgressus est, cui similis Judas circa suum magistrum fuit et Dominum. Struthio avis quidem est, sed volare non potest, totamque vitam suam circa terram occupat, quales sunt quidam Deo militantes, et sæculi se negotiis implicantes. Noctuum vero, pro qua Septuaginta γλαῦκα dixerunt, hanc asserunt in nocte acuti esse visus, sole autem apparente, minus utilitate oculorum frui. Tales sunt qui legis gloriantur contemplatione et scientia, lucem evangelicæ conversationis capere non valentes. Larus animal est in utroque vivens, id est aqua et terra, qui sicut avis quidem volat, ut aqualile autem natat. Cui non male comparantur hi, qui simul circumcissionem venerantur et baptisma, ad quos Paulus dicit: *Si circumcidemini, Christus vobis nihil prodest* ²⁵. Accipiter inter rapaces aves est, habet autem quiddam aliud, propter quod a legislatore positus est, mansuescit quippe, et cooperatur ad rapacitatem. Quem imitantur hi qui mansueti quidem videntur esse, et sensu tranquilli, sunt autem cum potentibus, et avaris, atque rapacibus. Nycticorax animal est, quod in nocte tantummodo repit atque operatur: sicut sunt gentes, intelligibiles noctis operibus, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, idolorum cultus, et his similia. Ibis et porphyrion et quem Septuaginta nominant pelicanus, et cyenus, et herodius, et charadius, longi esse colli, trahereque cibum ex altitudine terræ atque aquarum dicuntur: quæ animalia imitari oportet, nec de inferioribus evellere cibum, sed de cœlestibus. Ille siquidem contemplationi vacat, qui ad superiora mente contendit, et non solum intelligibilem, sed et sensibilem cibum a Deo exspectat: unde ait Dominus: *Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori, quid induamini: scit enim Pater vester cœlestis, quia omnibus his necesse habetis* ²⁶. Upupa lugubre animal amansque luctum est: sæculi autem tristitia mortem operatur. Propter quod oportet eum qui diligit Deum semper gaudere, sine intermissione orare, in omnibus gratias agere: quia gaudium fructus est spiritus. Vesper-

²³ 1 Cor. v, 11. ²⁴ 1 Tim. vi, 3, 4. ²⁵ Galat. v, 2. ²⁶ Matth. vi, 31, 32.

tiliones circa terram volant, ita ut pennis pro pedibus utantur quando ambulant: quod indignum est in eis qui contemplationi dant operam: quorum enim est volatus circa terram, horum etiam contemplatio procul dubio in terrenis occupatur. Non ergo incredulus sis nec dubites, quod hæc etiam, quæ nunc dinumerata sunt, animalia, ad ostensionem figuramque eorum, a quibus abstinere debent contemplationi vacantes, posuit legislator. Sed iniquis: Quomodo horum animalium non cibus, sed imitatio prohibetur, cum pelicano et nycticoraci David propheta semetipsum comparavit, dicens: *Similis factus pelicano sum, factus sum sicut nycticorax in domicilio* ²⁷? Per aquilam autem Moyses ipsum significat Deum, dicentem ad Israel: *Quomodo portaverim vos super alas aquilarum* ²⁸? Nam et prophetæ leonem Christum appellant, leonem autem e diverso esse Petrus diabolum dicit ²⁹; nec tamen secundum hoc leo Christus, secundum quod diabolus dicitur. Absit a nobis, absit ista impietas: sed quia simul regium, necnon rapax, atque immitte est animal, cumque dignitatem laudabilem, vituperabilem tamen operationem gerat, quod quidem laudabile habet, hoc in Christi regno accipitur, quod autem vituperabile, in diabolo, id est rapacitas, immansuetudo. Quod et in aquila considerantur, sine aliqua dubietate reperimus, propter altitudinem enim volatus ejus, figuram ejus in Deum sumpsit Moyses; quia vero rapax, a cibo ejus abstinendum dixit. Propheta autem David, iugens hominem in peccato constitutum, nycticoraci hunc, sicut in nocte viventem, comparavit ³⁰. Per pelicanum autem, utpote per animal amans solitudinem, figuravit eum, qui forsitan amicis desolatus est, aut cognatis, aliorumque simillium societate destitutus.

VERS. 20-22. « Omne de volucris, quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis. Quidquid autem ambulat quidem super pedes quatuor, sed habet largiora retro crura, per quæ salit super terram, comedere debetis, ut est bruchus in genere suo, attacus, atque ophiomachus ac locusta, singula juxta genus suum. »

Ab omni mundos esse peccato, atque actione sordida, eos qui contemplativam vitam pollicentur, oportet. Propterea quicumque quidem volatilibus similes sunt, supernorum videlicet assequi contemplationem promittentes, quæ ducit ad celos, sed reptilibus comparantur, quia depascuntur terram, et concupiscentiis operam dant, etiamsi in quatuor ambulant pedes, id est, etsi evangelicam simulant prædicationem, quæ dixit: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad penitentiam* ³¹, et: *Non habent necesse sani medico, sed qui male habent* ³², a quo latro salvatus est, et adultera justificata est, et qui plus debebant, plus diligere ignoscentem dicuntur;

sed tamen, quia non secundum veritatem, socialem amplectuntur vitam, abutuntur autem compastione prædicationis pro suis voluptatibus, immundi sunt atque abominabiles, utpote qui in tali conversatione, et in tali scientia, turpem quamdam ingrediuntur et immundam vitam. Quibus autem sunt crura excelsiora, ut per ea exsiliant a terra, inter munda propterea ponuntur, quia, cum sint in carne, non secundum carnem militant, sed a sordidis exsiliunt actionibus, et sæcularibus hominibus, ut doceant eos atque instruant, permiscuntur: ita ut et cum adulteris aliquando, et cum publicanis habitent, et tamen immundis eorum non commisceantur actionibus: resiliunt enim ab eis, et avolant, et cum societatem peccati ipsorum refugiant, peccatoribus tamen, ut eos a peccatorum sordibus liberent atque revocent; plerumque cohabitant: sicut Dominus, *qui peccatum non fecit, nec in ore ejus dolus fuit* ³³, cum peccatoribus comedebat et bibeat, doctrina eos institutioneque justificans, et ad sui provocans æmulationem, nihil eorum ipse imitans, nec ab eis inquinatus. Propter quod dixerunt Cantica canticorum: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiens super colles* ³⁴. Oportet ergo nos habere crura sublimiora pedibus, non qualia Judæorum pedes habent, qui in utriusque vestigiis suis, in lege videlicet et prophetis, claudicant; sed qualia habent ea, quæ dicuntur Cherubim, de quibus dictum est: *Et crura eorum crura recta, et pennis natati pedes eorum, recte et indeclinabiles in evangelicis pedibus: de quibus dictum est: Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis* ³⁵. Hic, quamvis super terram ambulet, quamvis cum peccatoribus dispensationis ejusdam gratia juvenis conversetur, illud implens apostolicum: *Si quis vos vocat infidelium ad cænam, et vultis ire, omne quod vobis appositum fuerit, comedite, nihil interrogantes propter conscientiam* ³⁶: tamen volatile permanet et mundus est, sciens a terra emicare atque exsilire, et non adliærere sæcularibus actionibus. Bene autem talium animalium etiam vocabula profulit legislator, bruchum, et locustam, attacum, atque ophiomachus nominans. Cujus autem operationis sint, sive virtutis, Nalum propheta satis explanat, ait enim: *Bruchus expansus est, et avolavit: custodes tui quasi locustæ locustarum, quæ confidunt in sepibus, in die frigoris* ³⁷. Vel sicut Septuaginta, *Emicuit sicut attacus commistus tibi, sicut locusta quæ transcendit materiam, in die frigoris*. Ex quibus cernis quia, etsi peccatoribus commisceamur, etsi in die gelu sive pruina, id est abundantie peccati, *Cum enim*, inquit, *abundaverit peccatum, refrigescit charitas multorum* ³⁸, transiliamus materiam, spinosam videlicet peccatorum exacerbationem, non similes effecti eis, sed subjicientes eos nobis, ut fiant doctrinæ obediens, apertente eos

²⁷ Psal. ci. 7. ²⁸ Exod. xix. 4. ²⁹ I Petr. v. 8. ³⁰ Psal. ci. 7. ³¹ Luc. v. 32. ³² Matth. ix. 12. ³³ Isa. lxxv. 9; I Petr. ii. 22. ³⁴ Cant. ii. 8. ³⁵ Ephes. vi. 15. ³⁶ I Cor. x. 25. ³⁷ Nal. u. ii. 11, 16. ³⁸ Matth. xxv. 12.

mus, et salvabimur, unde ait Paulus : *Factus sum A* *Judæis sicut Judæus, his qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse sub lege non essem : hiis qui sine lege sunt, quasi sine lege essem, cum ipse sine lege Dei non essem, sed sub lege essem Christi. Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem* ²⁸. Sed tamen in morem bruchi, impetum facere et evolare necesse habemus, ut sicut locusta, sive attacus esse, qui pro hujusmodi attacum dicunt, exsilire possimus et emicare. Sic enim apte conveniet, quod in eodem propheta sequitur : *Sol ortus et elevatus est, et non est inventus locus ejus* ²⁹; quoniam, orto justitiæ Sole, qui illuminat abscondita, emicant atque exsiliunt hi qui cum peccatoribus conversantur, ad solatium justitiæ, et non jam locus illorum ille esse cognoscitur, cujus habitum pridem demonstrabant, cum quodammodo uterentur, quos et erat necesse salvari. Ophiomachii autem ab appellatione manifestatur et virtus, quem imitari bonum est, et intelligibilibus repugnare serpentibus : reminiscentes quod, *non sit nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitæ in cælestibus* ³⁰. Hi sunt quippe intelligibiles serpentes, et venenati dracones.

Vers. 23-26. « Quidquid ex volucribus quatuor tantum habet pedes, execrabile erit vobis : et quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, et erit immundus usque ad vesperum. Et si necesse fuerit, ut portet quidpiam horum mortuum, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad solis occasum. Omne animal quod habet quidem unguulam, sed non dividit eam, nec ruminat, immundum erit, et quidquid tetigerit illud, contaminabitur. »

Quod reptibile volatilium quæ in quatuor ambulat pedes, eos qui abutuntur evangelica vita, et vitam sectantur solidam et immundam, significant; dividere autem unguulam, sicut hic Septuaginta dicunt, sed non ruminare, id est legem, quemadmodum oportet, meditari, et litteram dividere ab spiritu, sed non ea quæ in ea scripta sunt operari, neque ita conversari, in præcedenti ostendimus. Unde necessarie eorum morticina, id est actiones, in quibus peccati morte intereunt, fugere præcepit, et nullo modo participari talibus, nec contingere ea. Non solum autem tangentes, sed et portantes, aut accipientes quidpiam ex eis polluantur. Portat autem peccata, qui dicit malum bonum, et amarum dulce, et tenebras lucem, quod Isaïæ prophætæ reprehenditur voce ³¹, quia per hoc exercens alium ad iniquitatem, et invitans ad malum a quo prohibere debuerat, super semetipsum quodammodo suscipit jugum. Non autem oportet quempiam peccatum alterius in semetipsum transferre : ob hoc enim et David ait : *Et ab alienis parcc servo tuo* ³².

Si enim aliorum participes efficiamur peccatorum, immundi usque ad vesperam permanemus, id est, usque dum agamus pœnitentiam. Hanc enim vesperam David ait : *Ad vesperam demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia* ³³. Propterea lavari quoque vestimenta legislator præcepit, aperte demonstrans, quod immundi sumus, usque dum actiones nostras lacrymis diluamus.

Vers. 27, 28. « Quod ambulat super manus, ex cunctis animantibus qui incedunt quadrupedia, immundum erit. Qui tetigerit morticina eorum, polluitur usque ad vesperum. Et qui portaverit hujusmodi cadavera, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperam, quia omnia hæc immunda sunt vobis. »

B Nullum lex tacite præterit peccatum, sed quæcunque actiones per evangelicum testamentum prohibitiæ sunt, textis has prius ænigmatibus, ut utriusque sanctionis consonantiam dicens, confitearis Deum, qui in eis locutus est, timensque recedas ab omnibus quæ prohibuerunt. In quatuor ergo incedit, qui ad evangelicam conversationem migrat. Ambulat autem in manibus, qui quæstus eam causa, lucrique turpis adipiscitur, manibus cito imponens, ut ex ea quidpiam capiat. Commode hic omnibus recte connumeratur atque comparatur bestiis. Sive enim adulterum dicas, sive avarum, sive homicidam, sive detractorem, sive blasphemum, in his omnibus est, utpote omnium peccatis communicans, per injustam manus impositionem. Hujus morticina sunt hi quibus manibus imposuit, in ipsis enim patitur peccati mortem. Qui ergo tangit ea, et qui levaverit ex eis, recte polluitur; qui quidem tangit ea, id est, qui conversatur, dicit; quia nullatenus competenter dignitatem arripuerunt, quam cauponantes olim omnimodo, per hanc justificati sunt, si post hæc in antiquis iniquitatibus non permaneant. Sed et qui portaverit ex his, veluti portans falsum testimonium, perhibendo et docendo dignum, qui indignus est.

Immundus erit usque ad vesperam. Quam superius diximus pœnitentiam. Lavans autem vestimenta mundabitur.

Vers. 29-31. « Hoc quoque inter polluta reputabitur, de his quæ moventur in terra, mustela, et mus, et crocodilus, singula juxta genus suum, *μυγάλη* et chamæleon, estellio, ac lacerta, et talpa omnia hæc immunda sunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad vesperum. »

Nec nunc Dei creaturam legislator accusans, immunda haberi hæc præcepit animalia; nam quomodo ea alio divinæ Scripturæ loco reperies esse laudata? Salomon quippe in Proverbiis dicit : *Quatuor sunt minima terræ, et hæc sunt sapientiora sapientibus* ³⁴. Inter quæ leporem, sive secundum Septuaginta, erinaceum et stellionem computavit :

²⁸ I Cor. ix, 20, 21. ²⁹ Nahum iii, 17. ³⁰ Ephes. vi, 12. ³¹ Isa. v, 1 seqq. ³² Psal. xviii, 14. ³³ Prv. xix, 6. ³⁴ Prov. xxx, 21.

quorum unum superius cum camelo et lepore, ut immundum, lex accusavit. Stellionis autem nunc mentionem fecit. Non ergo natura eorum immunda est, sed nec omnis actio; nam quomodo poterant ista laudari? Sed quædam circa ipsa sunt actiones aptæ irrationabilibus animalibus et quæ nullum iudicium exigunt, quæ nec nobis aptæ sunt, nec proprie nostræ sunt: atque propterea quando a nobis contingunt, immundos nos faciunt. Per terram vero repere, non est hominum, quibus concessum est ut recti incedant, cælumque respiciant: quia, super terram repere, est sordida opera terrenaque gerere. Quæ per differentiam animalium, quæ nunc dinumerata sunt legislator significavit; ait enim sic:

Hoc quoque inter polluta reputabitur, de his quæ moventur in terra. Non quia aliqua repentia sunt munda, omne enim opus quod per terram repit et trahitur, sine dubio immundum est. Propter quod Paulus talia de his qui agunt ea, dicebat: *Quorum Dcus venter est, et gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt*⁴³. Ad hujus autem probationem paulo post invenies legislatorem dicentem:

Omne quod reptat super terram, abominabile erit, nec adsumitur in cibum. Ergo genera nunc reptilium dinumeravit, non quod alia sint munda, alia immunda, sed ut per hæc consequenter reptilia respui discamus, ex horum vita omne genus conjicientes reptilium. Mustela enim animal est dolosum, et valde furtis vacans. Mus propter ventris ingluviem multa quotidie pericula sustinet. Crocodilus duri corii, et malitiosus est, lutoque pascitur. Μυγάλη animal est compositum, non natura, sed vitæ conditione ad deridendum aptum, id est, ut dolos faciat, et rapiat, ventremque repleat: propter quod compositum nomen accepit ex utroque animali, ex quo hæc habet vitia. Chameleon in malo miserescit, et præ infirmitate mansuetum esse se fingit, cum sit immansuetum animal. Stello, id est, ἀσκαλαδῶτης, nimis quidem parvulus, vel miserrimus, venenosus tamen est. Lacerta in sepulcris habitat. Talpa cæcum est animal quod de terra generatur: dicunt enim eam de terra simul et pluvia creari corrupto luto, cum prius pluviam suscipit. Hæc ergo immunda sunt de omnibus quæ reputantur super terram, non quia alia non sunt. Propter quod pollutionem majorem habent, sive malitiam.

Omnis qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad vesperam. Bene ergo probat intentionem legislatoris ipsa littera. Si enim immunda natura essent ea quæ nunc dicta sunt animalia, oporteret immundum esse et qui ea viventia tangeret, nunc autem qui tetigerit morticina eorum ipse solus immundus est. Morticina autem eorum, sunt prædictæ actiones, id est dolus, furtum, duplicitas, sive ironia, et circa alia occupatio, necnon circa terrena festinatio: ex qua mentis

cæcantur oculi. Quia ergo in his animæ contingit mors, morticina recte nominantur: et qui ea tangit, id est, qui in eis polluitur, sicut et Paulus ait: *Bonum est homini mulierem non tangere*⁴⁴, procul dubio immundus est. Nihil enim sic hominem polluit, ut peccatum. Usque dum vespera veniente, de qua David dicebat: *Ad vesperum demorabitur fletus*⁴⁵; ait autem de poenitentia intelligibili: purificatione diluamus.

VERB. 32, 33. « Et super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluitur, tam vas ligneum et vestimentum, quam pellis et cilicium: et in quocunque sit opus, tingentur aqua et polluta erunt usque ad vesperam, et sic postea mundabuntur. Vas autem fictile, in quod horum quidquam intro ceciderit, polluetur, et idcirco frangendum est. »

Admirabili divisione etiam nunc utitur legislator; quia enim aliquando ex negligentia, aliquando peccamus ex opere malorumque studio, sicut illi de quibus Salomon in Proverbiis dicebat: *Cui vā? Cujus patri vā? cui irā? cui rixā? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui student vino et vacant calicibus epotandis*⁴⁶? Recte hos inter eos qui tangunt morticina, posuit. Qui vero per evenientem animæ negligentiam, et ob stuporem defectumque virtutum delinquant, quemadmodum David surgens meridie de strato suo, et ambulans in solario, et Uriæ uxorem lavantem se videns, captus a muliere est, quæ nimis pulchra erat, qui adulterium simul homicidiumque commisit, in hos cadere morticina dicuntur. Neque enim ipsi ad peccatum festinaverunt, sed inciderunt in eis, et quodammodo super se cadens peccatum suscipiunt. Quia autem omnino susceperunt, et non restiterunt, propterea recte immundi sunt, tam vas ligneum et vestimentum, quam pellis et cilicium: id est, sive oram levem quamdam et mediocrem habeat, talia sunt enim vasa lignea, aut ad tingendum sufficientem, sicut est vestimentum, sive patientem, quam pellis significat, sive eam quæ est patientium, hanc enim cilicium, sive saccus significat. Omnino autem vas est, in quo opus possit agi virtutis; sic enim intelligis in quocunque sit opus.

Polluta erunt usque ad vesperam. Id est, usque ad tempus poenitentiae. Tingetur autem aqua lavacri, vel lacrymarum, et mundabitur. Vas autem fictile, qui totus terrenus est, id est, luto sæculi conspersus. In hoc si inciderit morticinum, peccatum quod ad mortem est, interiusque eum penetret, domineturque ei, sicut David dicebat: *Et induit se maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora ejus*⁴⁷, qui non solum ingredi maledictionem, sed et dominari in eo, in quo ingressa est, dicit: necessarie illud conteri præcepit. Neque enim ejus immunditia sicut aliorum, facile purgari potest, labore quippe multo, et contritione,

⁴³ Philipp. III, 19.

⁴⁴ I Cor. VII, 1.

⁴⁵ Psal. XXIX, 6.

⁴⁶ Prov. XXIII, 29.

⁴⁷ Psal.

XLIV, 18.

et quodammodo reformatione contritæ atque humiliatæ mentis eget, sicut ait David, si mundari vult. Unde et beatus Paulus ³⁰ eum qui cum uxore patris fornicatus est, in tantum contrivit, ut Satanæ eum traderet in interitu carnis, quatenus in tali contritione salvaret spiritum.

VERS. 34. « Omnis cibus quem comeditis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit : et omne liquens quod bibitur de universo vase, immundum erit. »

Cibus esse et potum in omni vase bonas actiones intelligimus. Propterea enim dixit : Cibus quem comeditis, et liquens quod bibitur, quia malarum actionum et cibus et potus prohibetur, id est, eorum communicatio. Si ergo in aliqua bonarum actionum, quæ in omni vase sunt, id est, in omni homine sive principe, sive plebeio, sive sapiente, sive imperito, unum quodlibet eorum quæ dicta sunt, incidit morticinorum, necessario immundus erit. Nam etsi non ab initio mala quadam intentione actionem bonam cæperit, sicut hi faciunt qui, propter negotiationem vel lucrum, pietatem fingunt, postea autem incidit actioni ejus superbia, dolus aut hypocrisis, vel simile quidpiam, quod morticinum, utpote mortem quodammodo participantem inferens, dicitur, erit et hic immundus, bonam siquidem actionem mala subingrediens intentio polluit. Quid autem addidit legi, quæ est de cibo?

Si fusa fuerit super eum aqua. Ostendit, quia eas, quæ sunt post baptismum, actiones quæsit, et sermo ei de fidei et baptizato est, de infidei autem actionem illam mentionem facit. Quod probat beatus Paulus dicens : *Scripti vobis in Epistola, non commiseri fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus, alioqui debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripti vobis, si is qui frater nominatur, est fornicator, aut immundus, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de his qui foris sunt, judicare* ³¹ ? In tantum nullus ei sermo est de actione, sive conversatione eorum qui foris sunt.

VERS. 35, 36. « Et quidquid de morticinis istiusmodi ceciderit super illud, immundum erit. Sive clibani, sive chytropodes destruentur et immundi erunt. Fontes vero, et cisternæ, et omnis aquarum congregatio, munda erit. Qui morticina eorum tetigerit, polluetur. »

Extranea quodammodo esse ea, de quibus nunc tractat legislator, apparent : cujus enim rei gratia clibanos et chytropodas in tantum ait esse immundos ut eorum mundationem præciperet ; fontes vero et cisternas, aliasque congregationes aquarum esse mundas scripsit ? An forsitan quia hæc non solent pollui ? Si enim aquarum collectiones pollutiones nostras diluunt, quomodo pollui possunt ? Omnino ergo invenies coherentem legis litteræ

A contemplationem spiritus, quod cognoscimus, si verborum interpretationem secundum virtutem suam scrutati fuerimus. Quid enim clibani vel forte chytropodes nocentur, morticino in eis cadente mure ? Si autem clibani et chytropodes nocentur, quomodo non magis aquarum collectiones, in quibus contingit animalia hæc incidentia computrescere ? Sed quid putas clibani vel chytropodes significant ? Magistros videlicet, in quibus cibi sacræ doctrinæ coquuntur, operationis Spiritus igne supposito. Non est autem mirum, clibanos eos per metaphoram et chytropodas appellari, quia in multis scimus divinam Scripturam talibus usam nominibus. Nam David Moab, id est gentes, lebetem appellavit, ait enim : *Moab olla spei meæ* ³², propter baptismatis aquas, quæ in eis calefiunt. Sed et Ezechiel lebetem Jerusalem appellat, sed plenum carnibus ³³, sive ut Septuaginta, *veneno* : viros in ea male docentes et viventes significans. Secundum hanc ergo rationem, clibani et chytropodes, quibus coquantur cibi, videlicet populi doctrinæ, dici possunt. His ergo si incidit morticinum, id est, si peccati mortificantis actio supervenerit, immundi fiunt et destruantur : *Quia qui docent non furari furantur, et qui prædicant non mæchari mæchantur* ³⁴ ; doctrina siquidem bona est, non est immunda. Nec divina propter hoc abominamur eloquia, quod ex eis quidam forsitan immundi prædicatores effecti sunt, et propterea fontes, videlicet opulentis doctrinæ : et cisternas sive lacus, linguas loquentes mediocria, et doctrinam mutuatam habentes. Sed et collectiones aquarum, eos qui undique hujusmodi verborum affluentiam congregant, esse mundas legislator dixit. Sed quam consequentiam habuit, ut de clibanis et chytropodis loquens, subinferret :

Exceptis fontibus aquarum ? Sed quia per illam magistros significavit, necessarie fontes et cisternas, et collectiones aquarum subdidit, quæ, sicut ostensum est, in doctrina accipiuntur. Propter quod ad Samaritanam Dominus dicebat : *Quicumque biberit de aqua quam ego dabo ei, non sitiet iterum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* ³⁵. Bene autem lex subdidit :

Qui morticina eorum tetigerit, polluetur. Ubi Septuaginta edunt : *Qui vero tetigerit omnem immunditiam animæ morticinorum ipsorum, immundus erit.* Et animam addiderunt, ne forte putetis de repentibus sensibilibus aut bestiis dici : nam eorum qui tangit morticina, non animæ, sed corporis immunditiam tangit. Ergo de doctoribus intelligendum est, qui immundi facti sunt immunda quadam et mala actione. Horum enim doctrinis, quando fuerint secundum legem Dei, intendere, operibus eorum autem nullo modo communicare, nec tractare ea, vel omnino contingere debemus, reminiscentes verborum Dei, quæ ad confirmationem præsentium dixit ad populum, sive discipulos : *Super cathedram*

³⁰ I Cor. v, 4-5. ³¹ ibid. 9-12. ³² Psal. LIX, 10. ³³ Ezech. XI, 7. ³⁴ Rom. II, 21. ³⁵ Jean. IV, 13, 14.

*Moyſi ſederunt Scribæ et Phariſæi. Omnia quæcum- que dicunt vobis, facite et custodite; ſecundum autem opera eorum nolite facere*⁵⁶.

Vers. 37, 38. « Si ceciderit ſuper ſementem, non polluit eam. Sin autem quiſpiam aqua ſementem perfuderit et poſtea morticinis tacta fuerit, illico polluetur. »

Nihil indiuſcuſſum relinquit legiſlator, ſed omnia in ſubſequenti diſcutit, perfectionem legis ſpiritaliſſimam probare deſiderans, eſi imperfecta eis videbatur quando ſolam intuebantur litteram. Differentiam igitur hic infidelium, qui necdum baptizati ſunt exponit, et ſemen utroſque appellat, utpote qui ſuſceperunt regni prædicationem. De quibus Dominus parabolam ſeminis proponens, dicebat: *Bonum ſemen, filii ſunt regni, ſed ſemen quod necdum ſeminatum eſt*⁵⁷, unde Septuaginta ediderunt: *Semen ſativum quod ſeminabitur, id eſt, quod necdum ſeminatum eſt*, ſeminandum autem eſt, illos qui necdum baptizati ſunt, baptizandi autem ſunt, recte appellavit, ſuper hos ſi quid prædictorum morticinorum cadat, quia necdum cautelam myſteriorum acceperunt, nec integram Dei agnitionem conquiſiverunt, quæ illos poſſit remove a ſupervenientibus ex negligentia peccatis, mundi eſſe dicuntur, propter prædictam cauſam venia digni. Super quos vero fuſa fuerit aqua, videlicet baptiſmatis, hi neceſſario immundi ſunt, ſi unum ex his, quæ morticina ſunt, ſuper eos inciderit: oportuerat quippe tanti participatione, dona ad eorum pertinere cuſtodiam. Terret igitur Deus ſpiritus eos qui olim perceperunt baptiſma, ut non ex negligentia peccantes immundi fiant.

Vers. 39, 40. « Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit uſque ad veſperam. Et qui comederit ex eo quidpiam, atque portaverit, lavabit veſtimenta ſua, et immundus erit uſque ad veſperam. »

Quemadmodum peccatores permanentes in peccatis, abominandi ſunt, nequaquam autem recedentes ac pœnitentes: ita juſtis omni ſtudio concurrendum eſt, ſcientibus nobis quia ex eis ſanctificamur. Si autem mortui fuerint gravi peccati morte, non debemus tangere illorum vitam, nec eorum conſervationis eſſe participes, ſcientes quod ſi quis tetigerit, immundus erit, uſquequo etiam ipſe pœniteat. Sed et qui comederit de morticinis eorum, id eſt, qui eos defenderit, quaſi advocatus peccatorum ipſorum, vel auxiliator, et propterea illorum in ſe peccata ſuſcipiens, neceſſe habet lavare veſtimenta ſua, videlicet actiones, quia et ipſe uſque ad veſperum, id eſt, uſque dum pœniteat, immundus erit.

Vers. 41-43. « Omne quod reptat ſuper terram, abominabile erit, nec aſſumetur in cibum. Quidquid quadrupedis ſuper pectus graditur, et multos habet pedes, ſive ſuper humum trahitur, non co-

medietis, quia abominabile eſt. Nolite contaminare animas veſtras, nec tangatis quidquam eorum ne immundi ſitis. »

Jam et hæc ſuperius legiſlator expoſuit. Nunc autem ideo repetit, ut frequenti meditatione ad cuſtodiendam legem moveat auditorem. Quamobrem et a nobis recapitulanda ſunt, quia et quiddam novi addidit præſenti ſanctioni, neceſſariam eis adjiciens actionem meditationis. Quæ reptant ergo ſuper terram, hi ſunt qui terrena ſapiunt: et qui lutulentis paſcuntur actionibus, ſuper pectus, ſive ſuper ventrem ſimiliter gradiuntur, gaſtrimargiæ operam dantes. In quatuor gradiuntur ſuper terram, qui prædicatione evangelicorum librorum, pro eo quod ſalus in eis peccatorum prædicatur, abutuntur in luxurioſam vitam: non intelligentes, quia peccatores, non ut mancant peccatores, ſed ut ceſſent a peccatis, provocat prædicationis. Sed eis qui in quatuor ambulant, addidit, et multos habent pedes, oſtendens, quia licet ſi non ſolum ex evangelicis libris, ſed ex aliis Scripturis, atque ex varia, ſicut ipſis videtur, doctrina hoc confirmare cupiunt, erunt et ſic immundi. Et ut breviter dicatur, omne quod reptat ſuper terram, id eſt, qui terrena ſapiunt, declinare nos oportet et refugere, ſcientes, quia eorum communicatio polluit, et ſimiliter immundus eſt agens, agentique concurrens.

Vers. 44, 45. « Ego enim ſum Dominus Deus veſter. Sancti eſtote, quoniam et ego ſanctus ſum. Ne polluatis animas veſtras in omni reptili, quod movetur ſuper terram. Ego Dominus qui eduxi vos de terra Ægypti, ut eſſem vobis Deus. Sancti eritis, quia et ego ſanctus ſum. »

Omnino prohibet eſſe nos ſocios eorum qui terrena ſapiunt: nec ſi potentes quidam ſint, nec ſi juſtitiam aut ſapientiam fingant, nec ſi forte ſacerdotio vel aliquolibet amicianur dignitate. Unde breviter omnium repentium quæ ſuper terram moventur, mentionem fecit, non ſimpliciter hoc quod eſt repere reſpiciens, ſed ſuper terram repere; nam humiliari quidem bonum eſt, ut autem ad terrenam declinetur ſapientiam, non eſt bonum, nec utilis eſt animabus talis humilitas, a qua liberare volens:

Ego ſum, inquit, *Dominus Deus veſter*. Id eſt, ad cujus imaginem facti eſtis, ut cœleſtia ſapiatis, eum qui in cœlis habitat imitantes: propter quod ſubdixit:

Sancti eritis, quia ſanctus ſum. Qui non hoc adderet, neque duplicaret in nobis ſanctificationem, niſi ejus eſſemus participes et conſortes ejus ſanctificationis effecti, cuſtodire eam per philoſophiam, et ſanctam conſervationem opus haberemus: unde ait:

Ne polluatis animas veſtras. Primum quidem, quia donatum eſt animæ, eſſe ad imaginem Dei: et maxime in ea eſſe ſanctificationem vult, utpote qua principatum ſuper omne animal tenet. Deinde

⁵⁶ Matth. xxiii, 2, 5. ⁵⁷ Matth. xiii, 58.

ostendit pollutionem quam odio habet, non esse de mortuis corporibus, aut cibis immundis, corporibus sicut quidam putant factam, sed eam, quæ animabus ex actionibus malis evenit. Dicens autem non oportere in cunctis reptilibus quæ moventur super terram, animas nostras pollui, omnino competenter addidit:

Ego Dominus qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. Per Ægyptum, Ægypti demonstrans mala, et omnia opera tenebrarum. Ægyptus enim contenebratio interpretatur. Quibus si quis vere carere voluerit, et cum qui vere est Deus, habere suum Deum, non solum idololatriam cavere debet, sed si vere ei adhærere desiderat, quia ille sanctus est, ipse quoque sanctimoniam studeat, sine qua nemo videbit Deum.

Vers. 46, 47. «Ista est lex animantium et volucrum, et omnis animæ viventis quæ movetur in aqua et reptat in terra, ut differentias noveritis mundi et immundi, et sciatis quid comedere aut quid respuere debeatis.»

Recapitulatione more suo nunc etiam legislator utitur, ut norint legentes, de quibus jam lex dixit, et facile ea perscrutentur. Quod autem nunc addidit, admirabile omnique plenum juveninis, notandumque est: prolatam quippe dixit legem dinumeratis animalibus: nec solum ut separet inter munda et immunda, sed ut sciant filii Israel, vel cognoscant inter vivificantes ea, quæ comeduntur. Ergo non cibi nos mundos reddunt nec polluunt, sed nos eos, siquidem nos vivificamus ea quæ comeduntur. Et quemadmodum omnis cibus bonus, et nihil rejiciendum est, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei, sicut ait Paulus, et orationem⁸⁵: sic ea quæ comeduntur, ea videlicet quæ nutriunt animam, id est, bonas actiones, nos vivificamus, si bene eis utamur. Sin autem male, non vivificamus, sed mortificamus. Qui enim ex iniquitate facit elemosynam, mortificat ejus virtutem, sive potentiam. Et qui a cibis abstinent, per linguam verò fratribus detrahunt, de quibus David dicit: *Qui devorant plebem meam, sicut escam panis*⁸⁶; mortificant hi abstinentiam, propter quod beatitudinis est, nosse discernere inter vivificantia ea, quæ comeduntur, animalia, et ea quæ non comeduntur, id est, inter eos qui bene bona agunt, et malas actiones. Hæc sunt enim animalia quæ non comeduntur, et discernit non solum sciens, sed qui scientiam confirmat operibus. Quod pauci in hoc student sæculo, multis eam per dolos inficientibus, multisque adulterantibus per hypoerisin, ut quidam jam dubitent, etiam in veris bonis, quæ sint comedenda, quæ non comedenda, propter quod ait:

Ista est lex. Non solum discernendi, sed sciendi filios Israel. Cognoscuntur autem, vel sciuntur ea

A de quibus dubitatur, quorum dubitationem docendo compescimus, quando legis doctrinæ convenientia docemus.

CAPUT XII.

Vers. 1-5. «Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ. Die octavo circumcidetur infantulus. Ipsa vero triginta diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, et nec ingreditur sanctuarium, donec impleantur dies purgationis ejus. Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menstrui. Et sexaginta et sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.»

Manifesta est legislatoris intentio, antiquum generis humani significantis excessum, atque ideo ex omnibus his conferre nobis desiderat, ut evitemus sæculares res, et actiones carnis, utpote nobis non bene valentibus profligare sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Nam mundus quidem per seipsum bonus est, ortum solis cernere, lunam, stellasque cælum coronantes, terram distantiam, diffusum mare, ut ex his omnibus sapientia colligatur et conjiciatur Opificis. Similiter et corpus bonum est, et nimis bonum quod nobis in virtutibus collaborat. Habet enim instrumentum ad glorificandum Deum, linguam, aliosque qui in nobis sunt sensus, per quos respicientes creaturam mundi, omneque ejus solatium, per hæc aliud intuentes, conjicimus et ex his quæ facta sunt, ea quæ sunt invisibilia. Sed quia et sæculo et carne male simul usi sumus, ita ut Dominus de mundo diceret: *Mundus in maligno positus est*⁸⁷; Paulus autem: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*⁸⁸; et rursus: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato*⁸⁹; et rursus: *Manifesta autem sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, adulteria, immunditia, et quæ his similia sunt*⁹⁰, ab his lex nos liberare conatur, et de hac re multa scribere non cessat ænigmata, sicut et nunc comunia et specialia. Intende quibus verbis ad Moysen Dominus locutus est, ut ille filiis Israel eadem verba ministraret. Faciebat autem hoc non frustra, sed palam demonstrans, quod ipse quidem Moysi loqueretur, ut ad intelligendam virtutem legis idoneo: Moyses autem populo, ut quia non totum capiebat, nec spiritale suscipere mandatum, nec Deo loquente audire legem, sublimiora narrantem. Hinc enim quod ipso Deo legem dante, dicebant ad Moysen: *Loquere tu nobis, et audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*⁹¹. Sed et humiliter eam atque secundum humanam possibilitatem, homine videlicet tradente, suscipiant, ut ad spiritum paulatim ascendatur. Per litteram igitur

⁸⁵ I Tim. iv, 4. ⁸⁶ Psal. LII, 5. ⁸⁷ I Joan. v, 19.

⁸⁸ Exod. xx, 19.

⁸⁹ Rom. VII, 25.

⁹⁰ ibid. 14.

⁹¹ Galat. v, 19.

semen suscipiens est mulier, quæ viri concipit ex A semine. Hanc septem diebus esse immundam dicit, et quamobrem? videlicet quia sator immundus est, utpote hæres Adam, qui per transgressionem immundus factus, atque ita Evæ mistus, omne genus humanum fecit immundum. Aperte autem hoc in sacra Scriptura legitur⁶⁵, quod postquam exiit de paradiso, mulierem suam Adam cognovit, atque ita deduci cœpit humanum genus. Septem autem dies ideo mulierem esse præcepit immundam, quia Adam, per cuius semen suscepit immunditiam, cum genere vitam nostram polluit. Septem dierum numerus significat per quem tempora revolvuntur. Propter quod etiam ejus requies septima dies, id est, intelligibile speratur Sabbatum. Quomodo autem nostram polluit vitam? Inducens ei maledictionem et transferens ad miseriam, eam quam sortiti fuimus ab initio beatitudinem. Quod manifestum est ex his, quæ Deus ad Adam dicit: *Maledicta terra in operibus tuis, spinas, et tribulos germinabit tibi*⁶⁶. Propterea et nunc legislator dixit:

Secundum dies separationis menstruæ: vel sicut Septuaginta: *Secundum dies purgationis menstruæ immunda erit*. Quid autem hoc sit, alii interpretes planius ediderunt: Symmachus quidem dicens, *secundum dies separationis, afflictionis*; Apuila, *separationis, miseræ*; Theodotion, *separationis, doloris ejus*. Miseria autem, et afflictio, et dolor tunc esse cœpit, postquam separatus a paradiso Adam, nostram sortitus est vitam, quia in sudore vultus comedere panem condemnati sumus. Huic sensui planiorem et indubitabilem addidit probationem, cum dicit:

Die octavo circumcidetur infantulus. Dies enim octavus, quoniam septimæ diei, quæ imago est præsentis vitæ, succedit, figuram gerit futuri sæculi, in quo carnem præputii circumcidimus, opera carnis omnia deponentes: tunc quippe non solum non peccaturi, sed nec comesturi, aut bibituri, aut nupturi sumus. *Erimus autem procul dubio, sicut ait Dominus, ex corruptibilibus incorruptibiles*, sicut angeli⁶⁷: et mundi modis omnibus, ex immundis efflicimur. *Seminatur igitur, ait Paulus, in corruptione*⁶⁸; si igitur in corruptione seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale; ergo hic est modus propter quem infantem octavo die jubet circumcidi. Incircumcisum autem perire de populo suo ostendit, quia ante circumcisionem, abominabilem habet carnem et immundam, propter causas videlicet quas superius diximus. Mundatur autem per circumcisionem, quæ imaginem gerit resurrectionis mortuorum. Illud autem nimis quærendum est, quamobrem circumcidi lex præcipiens, ipsius quidem immunditiam tacet, matrem autem immundam esse dicit, usque ad diem in quo infans circumciditur: octavo quippe præcepit die circumcidi, septem

autem diebus ait matrem esse immundam. Aut forte quia inobedienciæ causa Eva seducta exstitit, transgressio autem, sive inobediencia immunditiam nobis sordemque contraxit, ideo hoc quod est amplius, legislator in mulierem convertit. Sed et quærendum est cur hujus rei gratia, in sanguine purificationis suæ manere mulierem præcepit, non sanguine sordido, sed in sanguine mundo, id est, purificationis ejus, sicut in his, quæ sequuntur, ostenditur.

Hæc omne sanctum non tangit, et in sanctuario non ingreditur usque dum compleantur dies purificationis ejus. Si ergo in sanguine mundo triginta tres dies et omne sanctum non tangit, et in sanctuario non ingreditur, unde hujusmodi causam, nisi ex B diebus perscrutatione reperimus? Triginta quippe et tres dies ideo tradidit, ut adjectis septem, cuncti quadraginta fiant. Aliud ergo per hoc legislator significat. Quia ergo in diebus quadraginta masculus dicitur infans formari, duo hæc per ea, quæ dicta sunt probantur: id est, quia ipse quidem substantia generis humani munda est, sicut a Deo creata: *Omnia enim, quæ fecit Deus, erant valde bona*⁶⁹, et multo magis homo. Propter quod ait in sanguine mundo, sive purificationis mulierem sedere. Quia autem per successionem Adæ transgredientis læsus est, necessarie quæ semen suscepit, et concepit, omne sanctum non tangit, et in sanctuario non ingreditur, usque dum compleantur dies purificationis ejus: id est, usque dum compleantur dies quadraginta, in quibus puer formatur. Ipsa quippe imago Dei, mundatio est naturæ nostræ, quamvis fuerit sordidata. Ergo nequaquam ingredi in sanctuario, nec omne sanctum tangere præcepti fueramus, nisi imago Dei semel donata nostro generi, sanctorum nobis præstitisset ingressum. Propter quam salvandam ipse quoque incarnatus est Dominus, suam imaginem salvare volens. Sed in quadraginta diebus ad cælum eam sustulit, secundum quod eam hominem plasmans, in vulva donat, et tunc ad verum sanctuarium natura nostra ingreditur. Aperte autem hæc probantur per ea quæ de genere femineo sancuntur. Quia enim octogesima die formari in utero femine dicuntur, tantundem numerum ad impletionem dierum purificationis earum, quæ semen suscipiunt, præcepit, ait enim sic:

Si feminam peperit, immunda erit duabus hebdomadibus: juxta ritum fluxus menstrui.

Et cum oportet quatuordecim dicere, non sic dicit, sed duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menstrui. Propter quod ad illum nos transmittit sensum, id est, ut in septem quidem diebus esse humanam vitam: fluxus autem menstrui afflictionem ejus, et dolorem, et miseriam intelligamus. Dixit autem duabus hebdomadibus recte, quia duplo genus muliebre multatum est: quia

⁶⁵ Gen. iv, 1. ⁶⁶ Gen. iii, 17, 18. ⁶⁷ Matth. xxii, 50. ⁶⁸ I Cor. xv, 42. ⁶⁹ Gen. i, 31.

enim et Adam maledictionem, in sudore vultus sui manducans panem suum. Habet etiam ipsa terram, spinas, et tribulos germinantem, quæ cum ex terra orta sit, in terram revertitur. Habet etiam pœnam specialem: *In tristitia paries filios, et ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur*⁷⁰. Et propterea duabus, inquit, hebdomadibus immunda erit, juxta ritum fluxus menstrui. Sexaginta autem et sex diebus in sanguine mundo, id est, in purificatione sedebit, sancta non tangens, usque dum compleantur dies octoginta. Quatuor enim et decem, super sexaginta sex addita, octoginta faciunt, in quibus femina formatur. Ergo sine aliqua dubitatione legislator ostendit, quia immundum factum maledicto nostrum genus, nequaquam intraret in sanctis, nisi per imaginem Dei, quam semel sortitum est, et propterea suscipientes semen mulieres, diebus formationis parientorum parvulorum, de sanctis vetantur. Quod si dicis: Quamobrem non magis in utero habentes, diebus formationis, de sanctis matres prohibentur? frustra hoc interrogas: incertum est enim ei, quæ gravida est, utrum marem seu feminam paritura est: et unde manifestum esse poterat quotquot diebus oportebat eam de sanctis prohibere? Ergo manifesta est causa pro qua hæc legislator in illis disposuit.

VERS. 6-8. (Cumque expleti fuerint dies purificationis ejus, pro filio, sive pro filia, deferat agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ, sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, et tradat sacerdoti, qui offerat illa coram Domino, et roget pro ea, et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum, ac feminam. Quod si non invenerit manus ejus, nec poterit offerre agnum, sumat duos turtures pullos columbæ, unum in holocaustum, et alterum pro peccato, orabitque pro eo sacerdos, et sic mundabitur.)

Totam hic intentionem suam legislator aperuit, quia pollutionem non motus naturales faciunt: sed peccatum, de quo David dicebat: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea*⁷¹. Non suæ matris peccatum ali-

quod accusans, sed matrem naturam appellat: immunditiam peccati Adæ et Evæ in omne genus nostrum descendisse significans. Et propterea quando completi fuerunt dies purificationis, secundum prædictum modum, sacrificium pro peccato jubet offerri. Quia et agnum anniculum in holocaustum tunc immolari præcepit, evidenter illud ostendit, et approbat consideranti, quia Dei imago perfectionem generi nostro tribuit. Nam formationem quidem dies ostendunt mundationis, perfectionem autem sacrificium holocausti. Manifestum est enim, quia integram et perfectam conversationem denuntiat holocaustum. Sed et agnum anniculum immaculatum sacrificio deputavit, ex utroque designans perfectionem. Quid enim est agnum, aut aliquid tale aliud in sacrificio, forte non invenientem columbam, aut turturem, offerre, et cur ad ostium tabernaculi testimonii, ad sacerdotem sacrificium ducitur, et quomodo ante Dominum offertur, quomodo etiam propitiatio per sacerdotem obtinetur et agitur, in multis sacrificiis dictum est, quæ pro peccatis offeruntur. Sed hic propter hoc interim legislatoris sapientiam obstupesce, quia evenire poterat ut studentes legem dicerent: Quali deprecatione parientem infantem opus habebat, quæ ipsa non peccavit? non enim ex fornicatione, sed de nuptiis generavit. Interpretari necessitatem hujus deprecationis volens, addidit:

Et mundabit eam a profluvio sanguinis sui. Profluvium sanguinis, inobedientiam dicens: unde immunditia, et pœna ejus in totum genus humanum fluxit, quam et nos deponamus, sacrificia pro nobis quæ dicta sunt, offerentes: duos turtures aut duos pullos columbarum, legis meditationem contemplationemque, et scientiam, sive cognitionem: horum enim habere figuram prædicta animalia demonstratum est. Quia autem negligentia legis immunditiam hominibus introduxit, meditatio et scientia per quam manifeste correctio provenit, mundare liberareque nos ab illata pridem pœna poterit, in Christo Jesu Domino nostro, per quem et cum quo gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER QUARTUS.

PRÆFATIO.

Importunitatem fieri plerique festivitibus putant, sed nesciunt quod summe, sive capitulo festivitatis invideant, et ad deteriora festivitates trahunt: non animo quippe, sed corpore student festa celebrare: unde non negligenter ea dicere, sed ex

D opere festinant. Hoc etiam patiuntur, qui januas in die nuptiarum cantoribus aut citharædis clauserunt, qui plausu, et organorum cantu, lampadibusque nuptialibus destituta sponsalia carpenta præmittunt, quique se amicos sponsi dicentes, cursibus sacris, et tubis, cultu festivitates privant,

⁷⁰ Gen. III, 15. ⁷¹ Psal. L, 7.

quæ sibi exhiberi, et nuptiis sponsæ, utpote cui A
favendum erat, cum domi susciperetur, optaret. Sed Christus non ita: nam existens Verbum, •
festivitates implicat eloquio. Et alii quidem vitulos, •
aut boves, aut oves, arietes, hircos, et capras, •
turtures, aut columbas: qui autem hæc non habe-
bant, crustula, et lagana, et similia pro sacrificio
ad sanctuarium offerebant. Ipse autem doctrina,
sicut oportebat, hostias variabat. Et nunc quidem,
sicut vitulum novellum cornua proferentem et
ungulas, per theologiam Verbum ventilans, ad-
versarios immolabat, nunc autem pro columba
mediatoriam doctrinam explanabat, et pro pari
turturum leges indicebat animæ contemplationis
et castitatis. Erat autem ipse aries ad sacrifi-
cium coronans laudibus justos, et hircos peccatores
ex errore venientes. His ergo et nos festivitatem
ornemus, ipso in sacrificio cultrum, linguam
videlicet præsentis materiæ qui immolavit, talia
tantaque mutuante. Est autem hæc lepra, quam
Moyses legislator proposuit, plurimas ejus prefe-
rens species, multiplicem hujus varietatem passionis
exponens, nec solum lepram quæ in homine, sed et
quæ in lignis et in petris est, trama quoque, et sta-
mine, et pellibus, in quibus operari potest, sed et in
domo integra, similiterque accedentem vestibus,
cum in nulla alia hoc custodisset ægritudine, ut
etiam pigriores intelligant, legislatorem quidpiam
sublimius intueri, atque divinius, meliusque quam
litteræ prodit aspectus. Sed et cum sacerdoti
servaverit discretionem: nec hanc tacet, sed quæ C
ad hanc sunt necessaria, per ordinem describit,
ut tam ipsum constituat modum, quo volens de
his judicare debeat, quam absque inimicitia, vel
gratiæ suspicione in judicio conservare eum, qui
incidere facile in hujusmodi poterat existimatio-
nem, et hunc quidem per inimicitiam retinere,
alium autem gratiæ causa, a passione resolvere,
et amicitie suspicionem dare, nisi forte planam
de eis protulisset legem, quos oporteret separari
a tabernaculo, utpote qui morbo tenerentur. Quos
autem rursus mundatos a passione, suscipi, qui
etiam ne ipso initio inter leprosos, ut de quibus
frustra suspicio habita sit, computandi essent,
quando de eo esse dubietatem lege quoque lata
contingit. Et nimis obstupescendum est, quemad-
modum eum qui in parte corporis lepram habet,
ejicit de tabernaculo, et pœnæ subdit, eum vero
qui toto corpore patitur, mundum dicit, et quem-
admodum si nihil omnino passus sit, præcepit
omnibus permisceri præjudicare, siquidem quod-
dammodo eos qui ex parte leprosi sunt, videtur
et suadere ad non orandum, ut ab instanti liberen-
tur passione, sed magis ut deponat, exundetque
passio per universum corpus, nam illud quidem dis-
ceptatione multa eget, et ad restrictionem legis cogit
sacerdotem judicantem. Istud autem inculpabilis
custodit, et beatos ex multitudine periculorum red-

dit, sed et sanos in fervore ægritudinis, et sæva
comprehensione passionis ostendit. Sed tempus est
jam ad verba legis pergere, ipsa enim nobis ad sin-
gula plane exhibent causas. Verumtamen auditores
illud antea contestamur, ut is qui discere desiderat,
nimis indoctorum, sicut ego sum, dicta despiciat.
Neque enim propria dicimus ut fallaces accusemur,
quippe quibus parva de proprio ministrantur: Dei
autem est, qui ubi vult inspirat, et qui pueris, vel
pigris hominibus, nimisque imperitis, majora sæpe
quam prophetis revelat. Quod manifestum est ex eo
quod populus ille Jesum super asinum sedentem lau-
dans, vocem emisit, quæ amplius omni prophetica
tuba notanda sit. Legem autem Ecclesiis in mystico
ministerio latam scitis vos qui servitis mysteriis,
B
quamobrem non oportet profanorum aures onerari
verbis, quorum prophetis pars non omnia capienti-
bus, credita est: in quo et ego nimis admiror, et pro
magno miraculo quod accidit, habeo: quia quod pro-
phetica vox, quæ ante multas generationes prædicata
est, latuit, populus indoctus ostendit, et ipse reliquum
inspiratum creditumque capitulum est, ita ut dicatur
et a nobis aliquid, quod quidem auribus auditorum
prosit, necdum autem ab anterioribus dictum, si
Deus donet, ut libenter suscipiatur: *In ipso enim
vivimus, movemur et sumus* 72; sicut præcepit Paulus
etiam nos dicere, et tanto magis quanto, ut guber-
netur lingua nostra de cœlo, cum nimis simus
indocti, opus habemus. Ita se habet legis leprosi,
quæ ab ipso Deo ad Moysen dicta est, littera. C

CAPUT XIII.

Vers. 1-17. c Locutus est Dominus ad Moysen et
Aaron, dicens: homo in cujus carne et cute ortus
fuerit diversus color, sive pustula, aut quasi lucens
quippiam, id est, plaga lepræ, adducetur ad Aaron
sacerdotem, vel ad unumquemlibet filiorum ejus. Qui
cum viderit lepram in cute, et pilos in album mu-
tatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorum
cute et carne reliqua, plaga lepræ est, et ad arbitrium
ejus separabitur. Sin autem lucens fuerit candor
in cute, nec humilior carne reliqua, et pili coloris
pristini, recludet eum sacerdos septem diebus, et
considerabit die septimo. Et si quidem lepra ultra
D
non creverit, nec transierit in cute priores terminos,
rursus includet eum septem diebus aliis, et die
septimo contemplabitur: si obscurior fuerit lepra,
et non creverit in cute, mundabit eum: quia sca-
bies est, lavabitque homo vestimenta sua, et mu-
dus erit. Quod si postquam a sacerdote visus est, et
redditus munditiæ, iterum lepra creverit, adducetur
ad eum, et immunditiæ condemnabitur. Plaga lepræ
si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem, et
videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, et
capillorum mutarit aspectum, ipsa quoque caro viva
apparuerit, lepra vetustissima judicabitur, atque ino-
bita cuti. Contaminabit eum sacerdos, et non recludet,

72 Act. vii, 28.

quia perspicue immunditia est. Sin autem effloruerit a pluribus, sed etiam omnino ad interpretationem cauti- discurrens lepra in cute, et operuerit omnem carnem a deduxit lectio, sed prout auditus suscipiens, quan- tum habeant, et reliqua veritatis conjicit, et ad se- metipsum colligit mentem. Neque enim parva quæ- libet discenda sunt, sed quorum a Deo præstolanda sit scientia, qui nullius horum invidet cognitionem, et qui neque ea, quæ petitur, indiget. Hoc enim ait Jacobus ⁷³, qui Domini frater est appellatus, im- properantis esse proprium, propter quod in ipsum confidentes, simulque in nobis; dabit enim in his, quæ dicenda sunt, gratiam. Interpretationem in- choemus. Ostendit enim sermo, ex parte quidem le- prosam Judæum populum, utpote in parte trans- gressorem legis, propter quod eum sacerdos, ut im- mundum, expellit: toto autem corpore leprosum, gentilem, qui totam transgreditur legem. Verumtam- en mundum eum sacerdos judicat, quia legis jugo subjectus non fuit. Oportet autem, ut tamen arbitrator, prius litteræ decurrere expositionem. Sic enim spiri- talem intellectum ultro semetipsum ingerentem re- periemus: deficiente circa causas, et usque ad finem sensum suum exserere non valente littera, sicut in præ- senti cognoscimus. Sed primum quis sit qui legem fert, et ad quem proferat, attendamus.

Item secundum Septuaginta textum:

Et locutus est Dominus ad Moysen et Aaron dicens: Homini cui facta fuerit in pellicula corporis ejus cicatrix significationis, *τηλαυγής*, aut *αὔρα- σμα*, et facta fuerit in pellicula corporis ejus cica- trix ad maculam lepræ, et venerit ad Aaron sacerdotem, aut unum filiorum ejus sacerdo- tem, et viderit sacerdos maculam in pellicula cor- poris, et pilum in macula mutaverit album, et aspectus macule humilior a pellicula corporis, macula lepra est: et videbit sacerdos, et contami- nabit eum. Si autem *αὔρασμα* album fuerit in pel- licula corporis ejus, et humilior non fuerit aspectus ejus a pellicula, et pilus ejus non commutatus fuerit in album pilum, ipsa est obscura. Et separabit sacerdos maculam septem diebus, et videbit sacerdos septima die, et ecce macula permanet contra eum, non de- cidet macula in pellicula. Et separabit eum sacerdos septem diebus secundo, et videbit sacerdos septima die secundo, et ecce obscura macula lepræ non decidit in pellicula. Et mundabit eum sacerdos, sig- nificatio enim est, et lavans vestimenta ejus, mun- dus erit. Si autem commutata decidit significatio in pellicula, postquam viderit eum sacerdos, ut emun- det illum, et videbitur secundo sacerdoti, et videbit sacerdos, et ecce decidit significatio in pelle, et con- taminabit eum sacerdos, lepra est. Et macula lepræ si fuerit ad Aaron sacerdotem, et videbit sacerdos, et ecce cicatrix alba in pelle, et hæc mutabit pilum album a sano carnis vivæ. Si fuerit cicatrix, lepra inveterata est in pelle corporis ejus. Et conta- minabit eum sacerdos, et separabit eum qui im- mundus est. Si autem florens effloruerit in pelle lepra, et operuerit omnem pellem maculæ, a capite usque ad pedes, per totum visum sacerdotis, et videbit sacerdos, et ecce cooperuit lepra omnem pell in corporis. Et mundabit eum sacerdos a macu- la, quia totam commutavit in albo, mundus est. Et quacunque die apparuerit in eo corpus vivum, con- taminabit. Et videbit sacerdos corpus sanum, im- mundus est, lepra est. Si autem restitutum fuerit corpus sanum, et commutatum fuerit in album, et veniet ad sacerdotem, et videbit eum sacerdos, et ecce commutata est macula ejus in album, mundabit sacerdos maculam, et mundus erit.

Profunda est, sicut cernis, lex, et non solum verbis

Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron. Quando loquitur Deus, duplex est fidelis auditus. sicut David propheta ait: *Semel locutus est Deus, duo hæc audi- vi* ⁷⁴, litteram videlicet, et spiritum. Ergo spiritus, ut sublimiori Moysi: litteram autem, ut subjecto Aaron loquitur; quia enim sublimis erat Moyses, et propterea dignus spiritu: subditus autem Aaron, et aptus auditui populi, egentis littera, ipso Deo dicente de Aaron ad Moysen: *Ipse loquetur ad populum, et ipse erit os tuum, tu autem ei eris in his, quæ ad Deum pertinent* ⁷⁵. Ergo quod erat legis excelsus, hoc ad Moysen dicebatur, ipse quippe habebat ea, quæ ad Deum pertinebant, id est, ea quæ sunt spiritus. Quod autem erat subjectum, et humilium, hoc ad Aaron, ipse enim Moysis erat os ad populum, legem secundum litteram accipientem, quam et primam nos exponere promisimus. Lepræ ergo species, aut nimis aut mode- rate obscura est, et quodammodo obumbrata, et in- terim occulta sub pelle, necdum effervescente pas- sione, quamobrem et nimia indiget deliberatione. Alia autem species ejus est, quæ nimis clara est, et valde perspicua, ita ut simplex sit, et aperta cog- nitio. Ex his primam speciem Septuaginta se- cundum quos pene totus hic sensus secundum litteram exponitur, cicatricem significationis recte appellaverunt, id est, cicatricem, passionem signi- ficantem. In duas autem partes hanc, id est, in nimis dubitabilem, et in minus dubitandam divise- runt. Ex quibus unam *τηλαυγής*, aliam autem ap- pellaverunt *αὔρασμα* *τηλαυγής* quidem, quia de longe videntur: *αὔρασμα* autem, quia nimis obscu- ra est, parvamque habet passionis insinuationem, et hanc dubitabilem, ut proximi disceptatione

⁷³ Jac. 1, 5, 6. ⁷⁴ Psal. lxi, 12. ⁷⁵ Exod. iv, 16.

egeat, quatenus et luce passionis hi qui iudicant, sicut hi qui lapides inspiciunt pretiosos, egeant. In hac frequenter jubet sacerdotem considerare, et non credere obvientibus, sive occurrentibus primæ probationis aspectibus. Sed et si consideratio cicatricis necdum appareat humilior pelle, neque in loco pilus commutatus a passione albus factus fuerit, septem tamen dies separabitur ad aliam considerationem, et rursus alios septem dies: forsitan enim effervescente per tempus passione, manifestior morbus efficitur. Permanente autem obscura cicatrice, et nulla facta in pelle permutatione, significationem dixit, non autem lepram manifestam, cum qua significationem non subdidit, custodiens eam his qui secundum spiritum accipiunt legem, et qui quod minus est, vel magis, latet, revelare, atque addere possunt contemplativis interpretationibus spiritus. Verumtamen non malum esse nimis significationem manifestaverunt: nam quomodo mundatus erat sacerdos, id est, habentem mundum denunciaturus, qui nequaquam hujus egeret, si ex toto fuisset liber? Propter quod eam obscuram appellavit, nec rursus inter munda post iudicium si mala fuisset, cujusdam passionis facta est significatio. Si autem sic habens incidens significatio in pellicula, id est, si effusa fuerit, et plus quam prius latior in pellicula processerit, et non immutatus fuerit pilus, hoc enim hic non reprehendit, polluit eum sacerdos, lepram esse passionem iudicans, ipsius quidem cognitione dubitabili, utpote obscura existente cicatrice. Alba autem existente, et similem mittente pilum pelli, polluit hunc sacerdos, et immundum ejici præcipit, etiamsi fuerit pars cicatricis sana, et carnem habens viventem, id est, sub passione lepræ non constitutam. Cujus autem rei causa?

Quia lepra, inquit, inveterata est. Admirandum est hoc, nimiamque imperitiam vel magis reprehensionem legali ingerens litteræ, unde enim debuit sanabilis arbitrari passio, id est, ex vivo corpore, vivaque carne: illinc illam magis desperat, lepramque inveteratam dicit Deus, id est, non sanabilem seu diu manentem, et quasi passionis senescentem loco. De hac re rursus hoc quod sequitur invenies obscurius: quia eum qui toto leprosus est corpore, et a pedibus usque ad caput opertus morbo, munda teneri lepra, hoc de eo iudicante sacerdote vult.

Si autem in eo visum fuerit aliquando corpus vivens, revocat sacerdos iudicium suum: et polluit eum. Si autem remutatus fuerit in album, et tota pellis ad passionem lepræ translata fuerit, mundat eum sacerdos, cui iudicare præceptum est. Si autem et hæc recte dicta sunt, quamvis hoc nemo dicat: quam tamen satisfactionem ad aliam hanc reprehensionem reperiemus? Quia leprosus non voluntariæ passionis, sed quam invitatus sustinet, pœnas

A solvit, et qui debeat a lege mereri misericordiam, punitur: cumque dignus esset auxilio propter infirmitatem, hoc caret, subijciturque noxæ. Qui si potuisset resistere, nunquam ei prævaluisset infirmitas: quique reprehendit naturam, cujus esse arbitratur accedentem molestiam, et non intentionis aut voluntatis suæ. Quid enim ageret, ut in hoc non incideret morbo? Sed ait quispiam peccati vindictam, vel pœnam esse hanc passionem: et primum quidem Mariam⁷⁶, deinde Oziam⁷⁷ proponit: quorum illa quidem fratri detraxit; ille autem, dum esset rex, incensum inferre præsumpsit in sanctis: solis quippe hoc sacerdotibus licebat, atque ideo non differente Deo pœnam eorum, leprosi effecti sunt. Ergo oportebat, ut hoc aperte lex B diceret ad excusandum legislatorem, contra eos qui eum putant injuste de leprosis sancire, et non solum hoc de leprosis, sed et de his qui vulneratos habent oculos seu auditus, aut reliquos sensus, aliisque infirmis, et paralyticis æstimabitur. Quod manifestum est ex eo quod discipuli cæcum a nati- vitate videntes, Dominum interrogantes dicebant: *Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur*⁷⁸? Tu autem mihi non relidas Christi rêsponsonem scienti quidem, sed quomodo multi habeant de passionibus, quæ nobis eveniunt, quærenti. Sed et ipse Dominus: *Dimittuntur tibi peccata*, volens erigere paralyticum, dixit. Sicut ergo Deo odibiles, etiam hos de tabernaculo expelli oportebat, et injustitia levis putaretur, si alii simul injustitiam potirentur. Si autem dicitis, quia omnimodo in his passionibus peccata puniuntur, nam et eum qui fluxum seminis patitur, a tabernaculo prohibet, et eam quæ fluxum patitur sanguinis, verum quidem dicitis, sed non hoc tam satisfactio est, quam rursus alia scriptoris accusatio, qui necessitates naturæ condemnat, quas defensare debuerat, ut non factorem in naturalibus accusationibus injuriaret. Quamobrem necessaria nobis est contemplatio legis, et vitii spiritalis interpretatio, mentisque oculum oportet oculo carnis præponere, ut hoc quidem ad intelligentiam eorum quæ sanciantur, illo vero utamur ad legendum. Legis ergo rursus proponatur littera.

D *Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron dicens: Homo in cujus carne et cute ortus fuerit diversus color, sive pustula, aut quasi lucens quidpiam, ia est, plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel unum quemlibet filiorum ejus. Qui cum viderit lepram in cute, et pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorum cute et carne reliqua, plaga lepræ est, et ad arbitrium ejus separabitur. Simpliciter, seu generaliter hominem divina Scriptura appellat eum, qui Dei imaginem, et nostræ conservet naturæ dignitatem. Propter quod audi Sapientem: Magnum est homo, pretiosum vir misericors, in Proverbiis dicentem. Hominem vero aliquem peccato-*

⁷⁶ Num. xii, 10 seqq. ⁷⁷ Il Paral. xxvi, 19. ⁷⁸ Joan. 4x, 2.

rem, quasi male formatum numisma describit, quod A exprimit in parabolis Dominus, dicens: *Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit, et cogitabat intru se dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*⁷⁸. Et rursus: *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones: qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto*⁷⁹. In utroque autem personam suscipit peccatoris. Quod autem in Job continetur historia, nihil oberit nostris: quia dicens secundum Septuaginta: *Homo quidam erat in terra Ausitide, illico subjunxit, cui nomen erat Job*⁸⁰. Additamento quippe nominis, insignificatum eum qui describebatur, minime dereliquit. Pellis autem, seu cutis nomine, nunc uniuscujusque caro, nunc autem ejus designatur cognatio. Propter quod in libro Job ex persona diaboli decipientis, ea quæ viro illi fortissimo evenerunt tunc, quando cum alia substantia, filios, filiasque ejus, domum super eos sepulturæ vice congerens disperdidit, dicitur: *Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*⁸¹: id est, pellem quidem cognationis per filios perdidit, sed tamen sufficit ei, quod pellis carnis ejus salva est, minimeque corrumpitur. Propter quod subdidit: *Alioquin mitte manum tuam et tange os ejus, et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi*. Quod autem nostra editio habet:

Homo in cujus carne et cute ortus fuerit diversus color, sive pustula, aut quasi lucens quidpiam, id est plaga lepræ, Septuaginta transtulerunt: Homini si cui facta fuerit in pellicula corporis ejus cicatrix significationis apparens. Cicatrix significationis, peccatum significat, ex his quæ apparent, manifestans, quod occultum est, et latens animæ vitium. Ac deinde cicatricem hanc quidem τηλαυγήν, illam autem appellavit ἀγασμα: quia peccatum hoc quidem aperte ex se, et sine aliqua dijudicatione denuntiant ipsi motus animæ. Hæc autem, necessaria habent, extra quod lucem peccatoris quis videt, et considerationem judicantis quale sit, utrum verum an falsum. Si ergo peccatori, sicut prædicti Septuaginta edunt, cicatrix significationis in pellicula corporis sit, videlicet peccatum in carne, quod significet animam quoque compati corpori: est autem τηλαυγής hoc, aut ἀγασμα, id est, aut nimis manifestum, aut inspicientis egens disceptatione: sic hoc in maculam lepræ habebitur. Lepram autem intelligimus legis transgressionem: quia quemadmodum leprosus, dum totus sit sanus, ex parte aliqua leprosus factus, nihil juvat ex salute minime facti leprosi corporis, sed removetur a tabernaculo, ut immundus; sic et qui legis præcepta ex aliqua

A transgreditur parte, nihil ex custodia mandati jvat alterius: *Qui enim totam legem custodit, peccat autem in uno, factus est omnium reus*⁸².

Hic ad Aaron sacerdotem adducetur, aut ad unum quemlibet filiorum ejus. Filii autem sacerdotis sunt cognati ejus secundum spiritum, a quo et sacerdotii habent dignitatem. Sunt autem hi, in quibus perfecta est plenaque philosophia, ut et discernere possint sublimia, et animæ judicare motus absconditos. Sed quomodo judicant?

*Vident lepram in cute, et pilum ejus, si in album mutatus fuerit, ac ipsam speciem lepræ humiliorem cute, et carne reliqua. Per pilos autem significat cogitationes quibus ornatur anima, mensque contegitur cum easdem ipsa pariat cogitationes: sibi nam et caput capillos generat, et ornatur ex eis, ac tegitur. Propterea capilli capitis nostri numerati dicuntur*⁸³, cogitationes videlicet mentis. Caput enim ipsa, quia principale est animæ, dicitur. Cur autem numerati sunt? procul dubio dicturus est, quia per eas utique judex judicaturus est hominem, id est, accusantibus eis, vel excusantibus, sicut ait Paulus: *In tempore quo nostra judicabuntur occulta*⁸⁴. Propterea intelligimus in Nazaræi capite ferrum non ingredi, dum aliis sine culpa inferatur: quia quibus sunt superflui capilli, non solum nihil nocet, sed et lucrum est, tonderi: quibus autem non sunt superflui, damnum est, propter naturalis decoris spoliationem capillorum depositio. Sic quibuscunque superflue cogitationes importunæ sunt, bene ab eis commutatione consiliorum, vel obvencientium omnium phantasiarum, more tonsuræ carent. In Nazaræo autem non sunt, totus enim sanctus est. Propter quod ferrum in capite ejus non ascendit, cum bono utatur consilio, et capillos cogitationum necessarios, et non superfluos habeat, ex quibus non incidit, cum non tractet deteriora, neque commutet. Si ergo pilum in albo hic, de quo nunc est sermo, commutaverit, cogitationem convertens in impudentem conditionem, manifestamque peccati, ipsaque species lepræ humilior fuerit carne, et cute reliqua, hanc enim considerat, et si viderit apparuisse nimiam infirmitatem, atque defecisse naturalem virtutem, quod est species lepræ humilior cute, aut carne reliqua, separat et immundum eum recte sacerdos judicat, utpote languentem quidem ex intentione sua, et voluntate. Hoc enim qui pilum commutat, innuit nimis, quia est infirmus, et propterea semetipso humilior, unde et recte veniam non meretur. Vinci enim ab Abraham, et ab alio majori, portabile est, ut quædam habitudo, vel potentia prodatur: vel bonum, quod ut operaremur, a Deo percepimus. De quibus habitibus quædam mihi Paulus innuere videtur, inquit: *Unicuique sicut Dominus dividit, unumquemque sicut vocavit Deus*⁸⁵; cum a semetipso quispiam deterior fiat, importabile est.

⁷⁸ Luc. XII, 16-19. ⁷⁹ Luc. X, 30. ⁸⁰ Job I, 1. ⁸¹ Rom. II, 16. ⁸² I Cor. VII, 17.

⁸³ Job II, 4. ⁸⁴ Jac. II, 10. ⁸⁵ Matth. X, 30

VERS. 4-8. « Si autem lucens fuerit candor in cute, nec humilior carne reliqua, et pilus coloris pristini, recludet eum sacerdos septem diebus, et videbit, et considerabit die septima. Et siquidem lepra ultra non creverit, nec transierit in cute priores terminos, rursus includet eum septem diebus aliis, et die septimo contemplabitur. Si obscurior fuerit lepra, et non creverit in cute, mundabit eum, quia scabies est, lavabitque homo vestimenta sua, et mundus crit. Quod si postquam a sacerdote visus est redditus munditiæ, iterum lepra creverit, adducetur ad eum, et immunditiæ condemnabitur. »

Maximam in hoc legislatoris, dignamque Deo clementiam contuere, ipse quippe erat lator legis, qui ducatu litteræ ad huiusmodi contemplationem legis utitur. Quid autem hæc littera vult?

Si autem lucens fuerit candor in cute, nec humilior carne reliqua, et pilus coloris pristini, mundum sacerdos iudicat omnique suspicione carentem. Licet manifestum sit, quod in suspicionem venerat peccatum, mens tamen quæ deliquit, quæ procul dubio per aspectum significatur secundum traditionem Septuaginta, *humilior carne reliqua* non fuerit, id est, semetipsa, neque ab habitu, quam sortita est, infirmior: nec per eveniens peccatum immutaverit cor, delictrixque peccatorum fuerit effecta; hoc est enim, nec candorem humiliorem videri carne reliqua, et pilos esse coloris pristini: sed et obscuriorem aspectum, sicut Septuaginta edunt, habeat, quem esse mentem diximus: adhuc quippe propter semel commissum delictum, obscura ac dubia est, tamen hunc removeri non præcepit, sed ut peccantem, septem dies, et alios totidem removet a tabernaculo sacerdos, probationis simul, emendationisque gratia, munditiæ restituit. Post hoc, si inspiciens bis, obscuriorem invenerit maculam, nec crescentem in cute: si enim crevisset peccatum, augmentatum transisset in carne reliqua, diffusumque carni, immundum eum, qui in deterius proficit, ostenderit: qui non crevit, sed permansit similiter aspectus, sive species obscurior. Quid enim iniquitate obscurius est? de quâ caligant oculi, ut neque Deum, neque hoc quod expedit, perspicue intendere permittamur. Vel si aspectum obscuriorem, dubiam quibusdam, incertamque dixeris peccati suspicionem, id est, utrum sit, an non, necessarium habet et hæc sacerdotem: utpote qui novit quomodo munditiæ restituat. Ille autem simplicior eam denuntians, brevinque, aqua diluit vestimenta, baptismatis videlicet, sive pœnitentiæ: est enim efficax aqua pœnitentiæ lacryma, quam nemo peccat gratiæ reliquias appellando baptismatis. Quod ergo ita se habet, Septuaginta passionis significationem propterea ediderunt: quia quæ sunt occulta, ex parte prodidit, et latere omnimodo non permisit, sed instituit sacerdotem medici vicem in

A hoc habentem, quod medicamentum debeat adhibere. Siquidem et adhibuit, tu autem cognoscens, quia significationem appellet tale peccatum, non abscondas malum a vero sacerdote, licet dubium tectumque sit aliis, sed ostende ac prode. Diebus enim quibus te separans sacerdos a sanctorum tabernaculo, rursus suscipiet rursus quo oportet modo vestimenta prius carnis, sicut ait legislator, diluentem. Sed vide, et veniam percipiens custodi, nec polluas, postquam semel laverit tunicam carnis. Nam si etiam post hæc significatio passionis incidit in pellicula, vel, secundum nostram editionem, creverit, et rursus a meliori parte ad peccatum reciderit, commutatusque fuerit, videbit sacerdos, et illico vergentem ad deteriora reperiens, immunditiæ condemnabit. Subsequuntur Septuaginta, et dicunt: *Quia lepra est*. Aperte enim huius, qui talis est, anima ad profanas declinans voluptates, leprosa sit. Propterea et Paulus eum qui in Corintho fornicatus est⁸⁶, quia significatio passio fuit, manifesta enim erat, nec occultabatur, a sanctorum removet tabernaculo, et tradi Satanæ in interitum carnis præcepit. Qui cum inspexisset secundo passionem, et vidisset quia non crevit, sed et eum qui passus fuerat per lacrymas pœnitentiæ vestem carnis abluisse, e vestigio suscipi iussit. In ipsis autem apostolicis hæc intelligis verbis, de eo enim qui fornicatus fuerit Corinthiis scripsit: *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui quis habeat*. Ecce significationem audisti. Manifesta quippe fuit passio, ita ut usque ad Pauli perveniret auditus, propter quod de tabernaculo eum ejici præcepit. Ita quippe dicit *tradi*, qui huiusmodi est, *Satanæ in interitum carnis*. Et rursus: *Auferre malum de medio vestri*. Quia autem vidit vestem carnis potentia mundatam, rursus eum suscipi iussit. Et quomodo hoc certum est? *Obsecro*, inquit, *confirmate in eo charitatem, ne forte majori tristitia absorbeatur*⁸⁷. Quia huiusmodi est: ergo manifestum erat, quia pœnituerat, et ut in peccato deprehensus vehementer affligebatur, interea ne quid ex nimia tristitia pateretur, neve in desperatione corrueret peccans, præcurrit Paulus, et eum qui jam munditiæ restitutus fuerat, suscipi præcepit. Quod autem septem diebus a tabernaculo non semel, sed bis sacerdos susceptum separat, querere et scire studiosos oportet: siquidem secundo hoc fieri in lege propter hoc præceptum est, ut ostenderet non negligenter, sed studiose eum debere inspicere, et duplici probatione transacta, districtius in eo ferri iudicium: manifestum quippe erat sacerdoti peccatum. Sed cum animum passioni consentientem suspicabatur, non tamen manifeste sciebat, necessarie illum iterum inspiciebat. Est quippe invisibilis, et ad inspectionem difficilis. Hoc Dominus non sicut Petri animum post negationem, sed

⁸⁶ I Cor. v, 1 seqq. ⁸⁷ II Cor. ii, 7, 8.

secundo, ac tertio, quemadmodum se haberet, interrogat⁸⁸, non ut ignorans : hoc enim in responsionibus suis ipse Petrus manifeste probat, quas aperte ipse ad scientem nihilque ignorantem referret, sed qua dispositionem perscrutabatur animi, dicebat quippe : *Simon Jona, amas me? Docere nos vultis quomodo perscrutemur, et quomodo judicemus : per frequentem videlicet inquisitionem. Septem autem dies non frustra posuit, sed ut necessarium præsenti intentioni numerum honoravit, in ipso quippe omne vinculum omnisque obligatio ex lege cessabat. Nam annis septem Hebræorum relaxabatur servitium. Jubilæo autem, qui septem constabat hebdomadibus, omnium Judæis concedebatur remissio debitorum, et omnis terra eorum a possidentis credito liberata, anteriorem revertebatur ad dominum. Sed et Babylonicam populi captivitatem septuagesimo anno Jerusalem restitutam fuisse cognovimus. Propterea Petrus a Domino inquit, dicens : *Si peccaverit in me frater meus, quoties dimitto ei, usque septies? Ille autem respondit : Non dico tibi, usque septies, sed usque septuagies septies*⁸⁹. Inquisitionisque pusillitatem reprehendens, ait : *Non dico tibi septies. Et subdidit : Sed usque septuagies septies*⁹⁰. Ergo nec sic ab eodem cessat numero, sed ipsum multiplicans, cum eo multiplicat et remissionem. Si quis autem rursus inquirat, quam ob causam numerum hunc in prædictis posuerit capitulis, brevem innuemus rationem : moras quippe, dum ad alia necessaria urgeamus, fieri tempus non patitur. Septenarius ergo numerus totius habere præsentis vitæ creditur plenitudinem, quæ in se septem diebus rotæ modo volvitur, quo completo, recte omne vinculum omneque peccatum sæculi cessat, atque omne servitium. Quamobrem septima in divinis Scripturis requies nominatur, quemadmodum et Paulus de Moyse ait : *Dixit enim in quodam loco die septima : Sic et cessavit Deus ab omnibus operibus suis*⁹¹. Et paulo post subdidit : *Qui autem intravit in requiem ejus, et ipse requievit ab operibus suis, sicut et a suis Deus*⁹². Sed et Ecclesiastes ait : *Da partes septem, necno⁹³ et octo*⁹⁴. Providentiam haberi præsentis sæculi præcipiens et futuri, quatenus sic in præsentis sæculo vivamus, sicut expectantes futurum. Et hæc quidem ita se habent, sed cum majori studio sunt discutienda sequentia.*

Vers. 9-11. « Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem, et videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, et capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparebit, lepra vetustissima judicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos. et non recludet, quia perspicue immunditia est. »

Non tibi videtur quasi superfluum esse legislator eademque repetens in hoc atque eodem libro, sed

nec distinxit in medio, ut videatur exercere studioso frequenti legis meditatione memoriam. De quibus enim superius plane atque sufficienter exposuit, de his hæc rursus apparet legislator adjicere : sed non ita est, nam etsi verbis est proximum, multum tamen diversam atque differentem habet intentionem. Hic siquidem non de quolibet simpliciter peccato, sed de manifesta transgressionem legalis dicit litteræ, propter quod plagam lepræ, passionem ipsam appellavit. Non ignoramus autem, quia lepram dixerimus legis esse prævaricationem, quia nocet etiam, cum particularis sit, sicut lepra, licet parvam partem comprehendat corporis. Quam legem autem existimavit propriam? Non eam, quæ est de invidia et adulterio, rapacitate et avaritia⁹⁵, et de honorandis parentibus, nam similis lex erat et gentibus; sed eam, quæ de sacrificiis et purificationibus sanciebat : Non tangas, non gustes, non contrectes eam, quæ circumcidi carnem jubeat. Hæc enim erant ejus propria, cum gentibus communionem non habentia. Si ergo plaga hujus lepræ in homine orta fuerit, et videns eum sacerdos, album colorem in cute perspexerit, prævaricationem manifestam, apertamque litteræ illæ, quæ voluntate atque ex studio egerit : hoc enim esse capillorum aspectum in album mutari, id est, aperte animi in aliqua prævaricatione transferri, superius diximus. Habet autem ipsa species vivam carnem, ut qui videlicet, etsi in aliquo transgreditur, in aliis tamen legem defendit. Quam frustra sanam carnem appellaret, nisi et beatus Paulus sic illam appellasse videretur, ait enim : *Justificationes carnis usque ad tempus correctionis imponitis*⁹⁶.

Lepra vetustissima judicabitur. Consenescit enim peccato, et corrumpitur, quia pugnam in se continuam, et rixam habet, dum in aliquibus legem despicit, in aliquibus defendit.

Propter quod eum contaminat sacerdos et non recludit. Vel sicut LXX, et separat, quia perspicua immunditia est. Quomodo enim non abominabilis et immundus est, qui legem inhonorat, quam ipse sibi necessariam esse ex parte custodiendo, confirmat? Quia enim hæc in subsequentibus planiora, nimisque manifesta sunt, ad ea ipsa nos jam ordine compellente pergamus.

Vers. 12-17. « Sin autem effluerit discurrens lepra in cute, et operuerit omnem cutem a capite usque ad pedes, et quidquid sub aspectu oculorum cadit, considerabit eum sacerdos, et tenori lepra mundissima judicabit, eo quod omnis in candorem versa sit. Et ideo homo mundus erit. Quando vero caro vivens in eo apparuerit, tunc sacerdotis iudicio polluetur, et inter immundos reputabitur. Caro enim viva, si lepra aspergatur, immunda est. Quod si rursus versa fuerit in albedinem et totum hominem operuerit, considerabit eum sacerdos et mundum esse decernet. »

⁸⁸ Joan. xxi, 15-17. ⁸⁹ Matth. xviii, 21. ⁹⁰ ibid. 22. ⁹¹ Hebr. iv, 4. ⁹² ibid. 10. ⁹³ Eccle. xi, 2. ⁹⁴ Hebr. ix, 1.

Non egemus multis sermonibus in præsentis loci expositione; sequentia prioribus, et priora sequentibus ad interpretationem concurrunt. Propter quod Jacobus dicebat: Omnis prophetiæ Scriptura propria interpretatione non sit: unaquæque enim maxime ex consequentibus explanatur. Lepram in cute didicimus legalis esse litteræ prævaricationem. Bene autem dixit, in cute, quia Sabbatorum circumcisio, vel purificationum, quæ per legem sancuntur, transgressio, non afferunt animæ læsionem: coercet quippe legis littera exteriorem hominem. Si ergo eadem lepra tegat omnem cutem, a capite usque ad pedes, et quidquid sub aspectu oculorum sacerdotis cadit, mundum eum decernit. Si enim quispiam a tota legis litteræ recedat custodia, et neque circumcisionem neque ciborum differentiam, neque Sabbatorum custodiam, nec pollutionum, aut sacrificiorum, aut aliquorum aliorum talium exerceat opera, sed ab omnibus legalibus elementis recedat, atque a capite usque ad pedes, a primo videlicet usque ad ultimum horum mandatorum, ad meliora cucurrerit atque perfectiora, feceritque hoc in conspectu sacerdotis, id est Christi, ut ipse videns transgressionem imperfectorum, suscipiat, teneri eum lepra mundissima judicabit, eo quod omnis in candorem versa sit; ad claritatem videlicet hic semetipsum, ad evangelicam conversationem transtulit, sicut modo auditis: *Luceat lux vestra coram hominibus*⁹⁵. Et rursus: *Sicut in die honeste ambulemus*⁹⁶. Propter quod filii lucis, non noctis neque tenebrarum nominantur.

Quod si caro viva in ea apparuerit. Id est, Judæi cum mandatum, quia viventia non propter accipientes, sed propter dantes illa putantur eloquia, magis autem et propter accipientes. Si secundum illum modum, quæ data sunt, custodiantur, necesse est, ut qui nec hæc operatur, neque illa a quibus recessit, polluatur. Sed utriusque probationem proferamus. Viventia quidem quia dicantur legalia Judæorum mandata, audiamus Stephanum de Moyse Judæis dicentem: *Hic est qui fuit in Ecclesia, in eremo cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum patribus nostris, qui suscepit verba viventia dare nobis*⁹⁷. Ecce verba viventia appellavit justificationes legis. Quid autem subdidit? *Cui noluerunt obedientes esse patres nostri*⁹⁸. Et quidem obedierunt quantum ad faciem apparentis litteræ, sed non obedire dixit, non obedire menti, nec intentioni, sed in solis litteris legem dantis. Quod autem a servitute legis recedens, et postea quidpiam legis gerens, reprehensionem sacerdotali subjicitur, et inter immundos reputatur, docet Paulus Galatis præcipiens: *Ecce ego Paulus dico vobis: Si circumcidimini, Christus vobis nihil prodest*⁹⁹. Et rursus: *Dies custoditis, et menses, et annos, timeo ne forte*

*A frustra laboraverim in vobis*¹. Et rursus: *Qui in lege justificamini, a gratia excessistis*². De Judaicis etiam traditionibus ait: Si enim quæ destruxi, hæc eadem iterum reædifico, transgressorem me constituo.

Quod si color sanus. Hoc est enim vivens, sanus autem dicitur secundum Judæorum æstimationem atque legalem comprehensionem, non autem secundum veritatem.

Recesserit, mutatusque fuerit in album. Id est in ecclesiasticam conversationem, veniet ad sacerdotem, Christum, et mundum eum esse decernit, veniam primæ concedens infantie, eadem ratione qua totus leprosus ex multitudine, quæ putatur immunditiæ, secundum legem, mundus efficitur. Ita et plebs de gentibus, in multitudine et perfectione legalis litteræ, prævaricationis munda per ipsam legem efficitur, quæ non litteram, sed spiritalem mandati querit intelligentiam.

VERS. 18-23. « Caro et cutis in qua ulcus natum est, et sanatum, et in loco ulceris cicatrix apparuerit alba, sive subrufa adducetur, homo ad sacerdotem. Qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, et pilos versos in candorem, contaminabit eum: plaga enim lepræ orta est in ulcere. Quod si pilus coloris est pristini, et cicatrix subobscura, et vicina caro non est humilior, recludet eum septem diebus, et si quidem creverit, adjudicabit eum lepræ. Sin autem steterit in loco suo, ulceris est cicatrix, et homo mundus erit. »

C Beata est continua legis meditatio, atque conversatio, habereque semper in manibus thesaurum, ex quo cognitionis Dei procedunt divitiæ. Quamobrem nos quoque cum omni studio, ea quæ nunc sunt in littera latentia, perquiramus. Ulcus natum et sanatum, per pœnitentiam curatum peccatum est. Quid enim sic vulnerat animam, et complet maculis, quomodo peccatum? Unde et David dicebat: *Computruerunt, et deterioraverunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ*³. Quid autem rursus curat animæ vulnus? Quo oportet modo peracta pœnitentia, locus hujus vulneris est actio et consilium circa quod peccatum gestum est, veluti David locus ulceris fuit desiderium corporis, propter hanc enim et in Bersabee adulterium, et in Uriam homicidii crimen admisit⁴; Achab autem cupiditas, per quam in amorem Nabod vineæ concidit⁵; Judæ vero avaritia, hæc enim proditiōnis consilium dedit; Paulo⁶ vero per ignorantiam zelus, a quo devictus Jesum persecutus est.

D *In loco ulceris cicatrix alba.* Id est lucida, et ita manifesta, ut etiam de longe videatur, id est, quæ evenit peccandi ex peccato præsumptio: secundum quam ille propter hoc quod semel adulteratus est adulter, hic autem propter persecutionem persecutor, alter autem propter latrocinium latro, etiamsi jam a tali actione recesserat, appellatur. Annon

⁹⁵ Math. v, 16. ⁹⁶ Rom. xiii, 13. ⁹⁷ Act. vii, 38. ⁹⁸ ibid. 59. ⁹⁹ Galat. v, 2. ¹ Galat. iv, 11. ² Galat. v, 4. ³ Psal. xxxvii, 6. ⁴ II Reg. xi, 1 seqq. ⁵ III Reg. xviii, 1 seqq. ⁶ I Tim. i, 13.

hoc nomine Raab meretricem post multas generationes, eamque quæ Domino unguentum obtulit appellamus, cum utraque se a fornicatione suspendirint? Sed quamobrem cum ulcus dixisset album, hoc ipsum tamen dixit album seu rufum fieri? quia album quidem dixit, quod sit ex vulnere legalis transgressionis, albam legem vocans. Non enim erat calefacta Sole justitiæ, et propterea rubra non erat. Ergo rubrum quod ex evangelica venit prævaricatione, evidentius appellatur. Utrumque tamen in Christum est, in quo ab Ecclesia in Canticis canticorum dicitur: *Patruelis meus albus et rubicundus*¹. Ipsi enim est lex, ipsius Evangelium, ipse prius legaliter circumcisis, et pro emundatione offerens, evangelice postea conversatus, Judæorum baptismata, Sabbatique custodiam, et temporales prohibuit purificationes. Sed quæ est, inquis, legis transgressio? Ad ipsum pertinens utique Christum, ejusque mysterium, id est, idolothyti omnis sanguinis, et suffocati esus. Nam hæc etsi legalia sunt præcepta, Ecclesiam tamen ea custodire apostoli præceperunt, quod ostendit Jacobus dicens: *Visum est sancto Spiritui, et nobis, nihil amplius superimponere vobis oneris, exceptis his, abstinere ab idolothytis, et sanguine, et suffocato, et fornicatione*². Evangelica est autem, quæ etsi non secundum legem erat: *Quicumque dixerit fratri suo, Fatue, reus erit iudicio. Et qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*³. Si ergo sanato albo, et pœnitentia curato peccato, in loco ulceris, in regione videlicet peccati, ulcus album aut rubeum videatur, secta quædam prædicti peccati evangelici, sive legalis, apud peccantem reperta fuerit, necessarie ad iudicium hoc sacerdotis venit.

Qui si viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua. Id est, humiliorem factam a semetipsa mentem manifesteque animum mutatum ad malitiam, hoc enim est pilos in candorem verti, contaminabit eum sacerdos. Semel enim in habitudine peccati factus est, et animæ mala depastio per ulcus incubuit, unde lepram ex vulnere, et florentem eam passionem legislator appellavit.

Quod si pilus coloris est pristini, et cicatrix subobscura. Id est, pœnitentis visus. Sic diebus septem eum recludi præcepit: pro eo quod omnino in tali suspitione venerit, tempus definire suspitioni voluit. Et siquidem creverit, et mala gloriatio multiplicata fuerit, adjudicabit eum lepræ. Dicit autem lepram animæ immunditiam, quæ crevit, sive effloruit posterioribus actionibus multiplicata. Si autem non est multiplicata, sed steterit in loco suo, nihil enim amplius in hoc peccasse invenitur, nisi solum hoc peccatum, quod omnes cognoverunt, de quo et egit pœnitentiam: mundum illum sacerdos iudicat. Cicatrix enim vulneris quia passus est,

non autem quia adhuc patitur, ostendit. Sed utamur exemplis his ad subtilem prædictorum probationem. Peccavit Pilatus in Domino, causam non inveiens in eo mortis, et tamen condemnans eum: sed peccati huius ulcus sanatum est, cum manus lavisset, et dixisset: *Mundus ego sum a sanguine justis huius*¹⁰. Sed non perseveravit, cum Christum postea flagellaverit. Ergo majorem post et deteriorem cicatricem habuit peccati. Et recte eum sacerdos contaminavit, Christus videlicet, quando ad eum dixit: *Propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet*¹¹. Nam cum crudeliorem Judam diceret, nec hunc a peccato reliquit immunem. Peccavit et Paulus, sed cum ulcus sanatum fuisset per vocationem, cicatricem peccati in tantum sanavit, ut ipse per persecutorem appellaret, ait enim: *Non sum dignus appellari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei*¹²: et non illud postea dilatavit. Quamobrem videns illum sacerdos cœlestis, mundum iudicabit, quando Anania dubitante, et nolente ad eum accedere, ut videlicet persecutorem atque inmundum, dicebat: *Vade, quia vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.*

VERS. 24-28. Caro et cutis, quam ignis exusserit, et sanata, albam sive rufam habuerit cicatricem; considerabit eam sacerdos. Et ecce si versa est in albedinem, et locus ejus reliqua cute humilior, contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est. Quod si pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, et ipsa lepræ species fuerit subobscura, recludet eum septem diebus, et die septimo contemplabitur. Si creverit in cute lepra, contaminabit eum: si autem in loco suo candor steterit non satis clarus, plaga combustionis est, et idcirco mundabitur, quia cicatrix est combusturæ.

Quibusdam legislator de eisdem videtur loqui, sed non ita est: nam secundum aliquid eadem dicit: secundum autem aliquid, differt, cum passionem quippe proponat alteram, eandem tamen passionis subinfert dijudicationem. Superius autem de aliquo ulcere obviente locutus est, quod ex ægritudine corporis generatur et proficit; hæc enim solet Scriptura sacra ulcera appellare. Quæ vero sunt de ferro, aut lapidibus, aut alia aliqua percussione, plagas vocat et vulnera. Propter quod de Lazaro inquit: *Quia canes venientes lingebant ulcera ejus*¹². Mundæ quippe carnis, fame morboque corrupta erant illa vulnera. De eo autem qui descendit in Jericho et incidit in latrones, *Plagas*, inquit, *imponentes ei, recesserunt*¹⁴: deinde post paululum, plagas istas, sicut vulnera, alligare Samaritanum præcepit; manifestam differentiam ulceris, et vulneris, aut plagæ, ipse per Scripturas Spiritus divinus ostendit. Quid ergo vere ulcus est neglectæ carnis

¹ Cant. v, 10. ² Act. xv, 28, 29. ³ Matth. v, 22, 28. ¹⁰ Matth. xxvii, 24. ¹¹ Joan. xix, 11.

¹² I Cor. xv, 9. ¹³ Luc. xvi, 21. ¹⁴ Luc. x, 30.

nostræ, nisi corporum voluptas, et ebrietas et γαρ-
στραπυρία? Hæc autem luxuriante corpore et
in semetipso exsiliante proveniunt. Ignis autem,
major invidia, ignis latens et consumens paulatim
habentem se, propter quod Isaias ait: « *Zelus ap-
prehendet populum ineruditum, et nunc ignis adver-
sarios consumet* »¹⁴. Zelum imperitorum dixit invi-
diam zelantem, non ut imitentur virtutes, sed ut
illas impediunt, operantemque perimant. Si ergo
combustio alicui homini, videlicet peccatori, ex in-
vidia contigerit, et sanatus fuerit pœnitentia, scruta-
tur cicatricem, ne forte post pœnitentiam in passio-
nem recidat. Et si reversum invenerit, contamina-
bit eum, immundum recte iudicans. Terra enim,
sæpe venientem super se bibens imbrem, et proferens
herbam opportunam illis a quibus colitur, benedictio-
nem accipiet a Domino; proferens vero spinas ac
tribulos reproba est, et maledicto proxima, cuius fi-
nis in combustione, sicut Paulus ait¹⁵. Si autem non
inventa fuerit redisse ad iniquitatem suam invidia,
nec ex operatione posteriori, diffusum priori pec-
cato latens ulcus habuerit, mundum illum sacer-
dos iudicat, utpote qui semel per pœnitentiam est
mundatus. Discernit autem, et pilum intendens, si
mutabit in album, et si humilior est a cute locus.
Quæ omnia plenissime in superioribus interpretati
sumus, ideo enim his brevitatis adhibenda est, ut ad
futura curramus.

VERS. 29.-34. « Vir, sive mulier, in cuius capite
vel barba germinavit lepra, videbit eos sacerdotes:
et si quidem humilior fuerit locus carne reliqua et
capillus flavus, solitoque subtilior, contaminabit eos,
quia lepra capitis ac barbæ est. Si autem viderit
locum maculæ æqualem vicinæ carni, et capillum
nigrum, recludet septem diebus, et die septima in-
tuenitur. Si non creverit macula, et capillus sui
coloris est, et locus plagæ carni reliquæ æqualis,
radetur homo absque loco maculæ, includetur
septem diebus aliis. Si de septimo visa fuerit stetiase
plaga in loco suo, nec humilior carne reliqua,
mundabit eum, lotisque vestibus, mundus erit. »

Non de quibuslibet hic, sed necessariis hoc man-
datum lex dedit. Neque enim de solis actionibus
ei, sed et de futuris divinis dogmatibus pertinebat.
Omnino ergo competenter loquitur, primum qui-
dem distinctionis vitæ, deinde eorum quæ ad dog-
ma pertinent diligentem curam gerens. Legem au-
tem ponit, non jam specialiter homini alicui, sed
quid ait?

Vir sive mulier. Distinguens planius quid opor-
teat intelligi hominem. Cur autem hæc explana-
tione in hoc eguit? Ut videlicet non ignosceretur
mulieri, cum infirma putatur, quæ peccat in dog-
mate. Hoc ergo peccatum lepram in capite, et in
barba propterea appellat, quia hæc sunt pretiosiora
nostræ corporis, et ex hoc ostendit, non circa quæ-
libet impietatem dogmatum provenire, sed erga valde

A necessaria, et sine quibus non potest, sicut nec
sine capite homo, subsistere. Propter quod et David
fraternitatis amorem, summum omnium mandato-
rum volens ostendere, unguento hunc, a capite in
barbas descendentem, comparavit: sic enim ait: *Ecce
quam bonum et quam jucundum habitare fratres
in unum. Sicut unguentum in capite, quod descen-
dit in barbam, barbam Aaron*¹⁶. Quando ergo errare
cuiquam in divinitate contingit, maculam lepræ in
barba et in capite habet, hunc sacerdos inspicit,
et si viderit humiliorem locum carne reliqua, et
miseriorem præsumptionem ex blasphemia factam.
Quomodo autem hoc sit, id est:

Si pilus flavus, solitoque subtilior fuerit. Id est,
etsi non unius, ad modicum tamen animum ad blas-
phemiam intendit. Hoc enim subtilem esse pilum,
et neque efflorere, sed flavescere ostendit.

Contaminabit eos sacerdos. Quare? *Quia lepra ca-
pitis, ac barbæ est.* Vel sicut LXX edunt, *vulnus est.*
Vulneratus enim a diabolo et collisus, ad tantam
pervenit impietatem, quia sæpe contingit quempiam
contra voluntatem suam loqui impia.

*Si viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, et
capillum nigrum.* Ut non exuberet hoc, quod ex dia-
bolica operatione animæ est vulnus inflictum, id est,
impietas dogmatum.

Recludet eos septem dies sacerdos. Non pro pœna
tantum, quantum districtæ probationis causa, tem-
pus enim omnibus quidem, districtius tamen in his,
quorum lingua circa divinitatem vacat, intuendum
est. Deinde quomodo post reclusionem iudicat? Ad-
miranda est districtio, quam contra eos qui im-
pie in dogmatibus agunt, servat. Si non creverit
macula, videlicet impietas, et capillus sui coloris est,
id est, nec capillus flavus in ea est, cum non possit
cogitatio propter negotiationem cognosci, utrum
sponte, aut invitus impie egerit, tunc jubet radi ho-
minem absque loco maculæ. Aperte ergo talia radi
præcepit verba, et castigari, si forsitan ex eis com-
prehendi possit, utrum per subreptionem sicut even-
nire frequenter solet, an malevole de Deo impia
sit locutus. Vulnus autem antiquum non præcepit
radi, quia verbum in quo delinquitur, quando semel
qui peccavit negaverit, dijudicari jam non oportet.
Quis enim reum videlicet peccati, eum qui quod
confessus est lingua, voluntate se protulisse negat.
Quando autem de eo sic iudicans, non comprehen-
derit crevisse maculam, nec dilatam in eo vide-
rit impietatem: quoniam blasphemans, omnino
polluit stolam baptismatis, recte eum præcepit per
pœnitentiam lavare vestimenta, et tunc mundus
erit: quia omnis impietas per mandam pœnitentiam
mundatur. Verumtamen hic si prædicto man-
dato modo, impia rursus locutus fuerit, non inspi-
ciet sacerdos de pilo flavo, non quæritur, inquit,
quo animo impia locutus sit, sed quia in ea de qui-
bus pœnituit, recidit, immundum eum recte esse

¹⁴ Isa. xxvi, 11. ¹⁵ Hebr. vi, 7, 8. ¹⁶ Psal. cxxxii, 1, 2.

judicat. Si non capillus niger fuerit, id est, si non lugens apparuerit impietatem : lugens vero non solum habitu, sed et animo et cogitationibus : nigrum namque manere lugentium est proprium. Quoniam autem interiorem hominem oportet lugere peccantis, quem cogitationes contegunt, recte ejus pœnitentiam per pilum nigrum significavit. Propter quod Ecclesia Dei servitium diligens in luctuosa stola pœnitentiæ decoratur : et ideo formosam se, quia nigra est, dicit, sicut legitur : *Nigra sum, sed formosa filia Jerusalem* ¹⁷ ; id est, quia in pœnitendo stola sum luctus induta. Sic ergo eum qui pœnitentiam agit sacerdos mundat, quoties ei hoc evenire conspexerit. Sed sufficienter de his quæ in Deo committuntur, impietatibus, tam ex voluntate quam ex ignorantia, locutus, ad alia vulnera moderatiora sermonem vertit.

Vers. 38, 39. « Vir et mulier in cujus cute candor apparuerit, intuebitur eos sacerdos : si deprehenderit subobscurum alborem lucere in cute, sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi, et hominem mundum. »

Jam et nos sicut David studiosi in legis scientia, cum eo dicamus : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit illis* ¹⁸. Cum maxima distinctione superius in divinis dogmatibus, et eorum prævaricatoribus usus fuisset, nunc quia de illis loqui supplevit, recte suæ austeritatem deposuit distinctionis, et de his, quæ sunt secundum legem Judaicam, dogmatibus loquitur, et quæ in ea sunt culpas, subobscurum alborem et lucentem esse dixit ; quemadmodum ergo cicatricem albam esse diximus transgressionem legalis litteræ, sic et ejus ignorantiam subobscurum alborem et lucentem intelligamus dici. Ignorantiam autem non omnium quæ dicit, nec eorum quæ communia cum lege naturali, vel evangelicis præceptis sunt, possidet. Neque enim ignorare, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, cuilibet ignoscitur : sed quorundam partialium parvorumque mandatorum ignorantia, veluti quando oportet mundari menstruatam, quando offerri pro pariente masculum, quando etiam pro ea quæ feminam peperit. Propter quod ea subobscurum alborem, utpote parvas cicatrices, parvam jam præceptorum ignorantiam habentem, appellavit ; qui ergo talis est non habet necesse mundari : neque enim ad justificationem pertinent Judæorum, sed ut aggravaretur eorum jugum, tradita sunt. Propter quod et Deus per prophetam dicebat : *Dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent* ¹⁹.

Vers. 40-43. « Vir de cujus capite capilli fluunt, calvus ac mundus est. Et si a fronte ceciderint pili, recalvaster et mundus est. Si autem in calvitio, sive in recalvitio albus, vel rufus color fuerit exortus, et hoc sacerdos viderit, inquinabit eum : haud dubie lepra est, quæ orta est in calvitio. »

Reminiscendum est, quia capillos pro cogitationibus intelleximus : ornare quippe caput ac tegere constituti sunt, sicut cogitationes mentem. Non autem inordinatas cogitationes deducamus ad medium, quia et capillorum incompositio fœditatem pro ornato præbet. Insuper, quemadmodum capillorum quidam decidunt, alii autem renascuntur, nulloque tempore nasci cessant, sic et his quæ sunt in his cogitationibus decidentibus, aliæ renascuntur. Ergo hic calvum appellat simplicem hominem, non eum qui omnino insipiens est, aut irrationalis. Quis enim est homo, qui non capillos, licet paucos, in capite habeat ? Hunc ergo describit, qui cogitationes paucas præ simplicitate gerit, eumque mundum recte esse præcepit : sic quippe ei inditum est sorte naturæ, unde eum et columbæ comparat Dominus. Quare autem hujus personam omnino in dubietatem legislator adluxit ? Quia melius est cum innocentia habere etiam prudentiam, quod manifestum est ex his quæ Dominus dicebat : *Estote sapientes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* ²⁰. Sed licet hoc laudabile sit, illud tamen accusandum non est. Quemadmodum enim mundum æstimat eum qui ex toto simplex est, sic et illum, qui ex parte est, maxime hunc qui ex simplicitate est ; nam hoc intelligendum est in capillis fluentibus, hoc est rarescentibus in fronte, quem et calvastrum appellavit. Hic autem priore deterior est : nam melius est quidem virtutes abscondere, si tamen aliquis gloriam earum prodat, tolerabilis passio est, et vicina veniæ. Propter quod erit mundus, quia secundum faciem, divina Scriptura prædi virtutes, et eorum hominibus per eas dicit ornari. Attende Paulum dicentem : *Ea quæ secundum faciem sunt, videte. Si quis videtur sibi Christi se esse, hoc cogitet iterum apud semetipsum, quia sicut ipse Christi est, ita et nos* ²¹. Hoc ait, si nullum peccatum ex simplicitate simplicis committatur. Si autem facta fuerit in calvitio ejus, aut in recalvitio macula alba, aut rufa, lepra est. Quare ? Quia nemo sic est simplex, ut nesciat, quia non debeat mannam in ignem mittere, neque in præcipitii altitudine semetipsum dare, neque abuti gladio in locis vitalibus. Si autem hæc scit, quomodo non amplius norit, quod occidere malum sit, quod detrabere pessimum, quod idolothyta comedere impium, atque mulierem alienam concupiscere sit iniquum ? Si ergo enim sacerdos maculam habentem albam aut rufam in calvitio aut in recalvitio ejus, id est, in ea quæ est ex toto, vel ex parte, simplicitate, evangelicam, vel legalem eum normam peccantem prævaricatum fuisse reperit, condemnabit, sive contaminabit eum. Quare ?

Quia haud dubie lepra orta est in calvitio. Vel, sicut LXX, *quia in capite ejus macula ejus*, ait ; id est, quia in validis et necessariis peccavit, in quibus nemo peccans veniam meretur. Naturalis enim lex, ad quam necessaria legis tendunt, et

¹⁷ Cant. 1, 4. ¹⁸ Psal. CXLVII, 20. ¹⁹ Ezech. XX, 11 sec. LXX. ²⁰ Matth. x, 16. ²¹ II Cor. x, 7.

multo magis evangelica præcepta, nec animabus A ostendeturque sacerdoti. Qui considerans, recludet quidem sunt aliena simplicibus.

VERS. 44-46. « Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, et separatus ad arbitrium sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste coniectum, contaminatum ac sordidum, clamabit omni tempore quo leprosus est, et immundus solus habitabit extra castra. »

Ea quæ ad faciem est interpretatio litteræ, omnino multis videtur esse ridicula. Quid enim prodest vestimenta dissuere, aut caput habere nudatum, os coniectum? Nec ille enim qui corpore leprosus, olorem spirat pudoris, ut recte os suum hujus rei operiat gratia. Sed quia leprosum legislator intellexit eum, qui secundum prædicta peccata immundus est, necessarie ejus dissolvi vestimenta præcepit, ut per hoc cognosci possit quia dissolutas habeat virtutes atque vires animæ: quæ eam ab æstu atque gelu peccati poterant custodire. Habere autem eum et caput nudatum præcepit, utpote salutis galeam non habentem, quæ Paulus inter intelligibilia arma sumi præcepit²². Os etiam non frustra operiri præcepit, sed quia cum mali odoris peccatum sit, et omnem pravam emittat exhalationem, multo magis tamen eam quæ per linguam est, possidet: simul etiam et a doctorali dignitate hunc qui talis est prohibet. Quomodo enim culpæ casum coerceat, qui est ipse culpabilis? Quomodo qui furatur, præcipiat non furari? qui mœchatur, jubeat non mœchari? Unde et David dicebat: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos post te*²³. Et non quidem semper hoc esset omni tempore quo leprosus est, id est omnibus diebus, quibus in eo fuerit macula. Quid ergo per hæc significat? Quia etsi semel peccaverit, etiamsi non addiderit ad peccandum, immundus tamen usque dum pœniteat, dicitur: quia sine pœnitentia lepra peccati penitus non mundatur, ideoque macula intelligibilis lepræ in ipso manet. Præterea verus leprosus, id est peccator, solus ac separatus habitat, tam ut confundatur, quam ut nullus societatis ejus contagio noceatur. Unde Dominus Petro, de eo qui peccaverat, et Ecclesiæ ut converteretur atque emendaretur, detrectabat obedire: *Sit tibi, inquit, sicut ethnicus et publicanus*²⁴. Habitabit quippe extra castra. Legis quippe mandata evangelicis nimis sunt, secundum spiritum, consonantia, unde Joannes separans ab intelligibili tabernaculo intelligibilem leprosum in catholicis Epistolis scribit: *Quicumque venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, non recipiatis eum in domum, et ave ei ne dixeritis*²⁵.

VERS. 47-59. « Vestis lanea, aut linea, quæ lepram habuerit in stamine atque subtegmine, aut certe pellis, vel quidquid ex pelle contextum est, si alba aut rufa macula fuerit, infecta lepræ reputabitur,

septem diebus, et die septimo rursus aspiciens, si crevisse deprehenderit lepra perseverans est, pollutum judicabit vestimentum, et omne in quo fuerit inventa, et idcirco comburetur flammis. Quod si eam viderit non crevisse, præcipiet, et lavabunt id in quo lepra est. Recludensque illud septem diebus aliis, et cum viderit faciem quidem pristinam non reversam, nec tamen crevisse lepram, immundum judicabit, et igne comburet, eo quod infusa sit in superficie vestimenti, vel per totum, lepra. Sin autem obscurior fuerit locus lepræ, postquam vestis est lota, abrumpet eum, et a solito dividet. Quod si ultra apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis et vaga, debet igni comburi. Si cessaverit, lavabit ea quæ pura sunt secundo, et munda erunt. Ista est lex lepræ vestimenti lanei, et linei, flaminis atque subtegminis omnisque supellectilis pellicie, quomodo mundari debeant vel contaminari. »

Indecorum quidam forsitan ac nimis abjectum legislatorem æstimant, quia de stamine atque subtegmine, quod trama vulgo nuncupatur, loquitur, relinquens quæcumque animas audientium legem possunt ad meliora componere. Quid enim, inquit, sordidatum stamen, quid subtegmen, sive trama leprosum factum, quid pellicium vas maculam habens, nostræ oberit vitæ? Unde non nos oportet ad solam intendere litteram, sed ad fructum spiritus: qui quemadmodum sub folio, ita sub littera legalis vineæ custoditur. Tantam enim curam nostri legislator gerit, ut non solum de illa cautus faciat lepra, quæ ex his quæ jam dicta sunt, peccatus evenit, sed et de hac quæ frequenter circa virtutes evenire, dum male eis aliquis utitur, solet. Alia ergo vestimenta animæ, alia vestimenta sunt corporis: quæ nec sordidata, nec exspoliata contristant, quomodo ergo Joseph pertingente Ægyptia vestimentis spoliandus erat, vel quomodo pills cameli Baptista Joannes indutus erat. Sed ea quæ sunt animæ oportet esse clariora, de quibus Salomon dicebat: *Omni tempore sint vestimenta tua candida*²⁶. David ergo ait: *Omnis gloria ejus, filiæ regis ab intra, in fimbriis aureis circumdata varietate*²⁷. Gloriam intra, animæ decorem asserens, in fimbriis aureis, quæ videlicet sunt virtutes. Sed horum vestimentorum quædam sunt lanea, quædam linea: lanea, pretiosa et magna, multumque animam calefacientia; linea vero, vilis, parumque calefacientia. Lanea vestis, animæ est virginitas; linea, castitas conjugalis. Lanea, a quæstu, vel a possidendo continentia; linea, habitatum largitas rerum. Laneum, eremi philosophia; lineum, in civitate honestas, sive modestia. Laneum usque ad mortem pro veritate certari; lineum falsa non loqui. Unde et Salomon Ecclesiam duplicibus vestitam per significationem asserens dicebat: *Quæsiuit la-*

²² Ephes. vi, 15. ²³ Psal. XLIX, 16, 17. ²⁴ Matth. XVIII, 17. ²⁵ II Joan. 1, 10. ²⁶ Eccle. IX, 8.

²⁷ Psal. XLIV, 10.

nam et linum, et operata est consilio manuum suarum 27. Et rursus: *Stragulatam vestem fecit sibi byssus et purpura indumentum ejus* 28. Habet enim Ecclesia lanea vestimenta et linea, byssum et purpuram, eos qui in conjugio et in virginitate decori sunt, omniaque alia quæ a nobis modo sunt dicta e diverso lanea vestimenta ac linea significare prædiximus. Sed quia staminis atque subtegminis ex quibus contextuntur vestes, legislator mentionem fecit, ipsam nunc subtilitatem explicemus. Non enim solummodo virtutes, sed ea ex quibus constant, perscrutari desiderat. Duo ergo hæc veram nobis procurant virtutem: intentio nostra, et divinus nutus sive gratia; et subtegmen quidem innuit nostram intentionem: stamen autem Dei nutum et recte, quia stamen est in vestimento firmius: quomodo et Dei nutus sive gratia indisruptibilis in nobis, atque incommutabilis perstat, sustinens subtegmen nostræ intentionis ut perficiatur bonæ actionis vestimentum. Pelles ex quibus confici quid potest: tentationes pro pietate seu fide, et pro virtute tribulationes dicit pelles. Quare? Quia quemadmodum mortua pellis est, de qua fieri potest vas, verumtamen de ea uter forsitan, aut cadus, aut stratum, aut pellis tabernaculi, aut aliquid aliud sit utile: sic et tribulationes, et tentationes mortificant in sæculo hominem: humiliant enim eum, et valde in nihil redactum ostendunt. Vas tamen ex eis bonum et utile fit, patientia atque probatio, quæ omnimodo a Domino coronam consequitur; ait enim Jacobus: *Beatus vir qui suffert tentationem, quia, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Deus diligentibus se* 29. Ait et Paulus: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes autem non confundit* 30. Vides quanta utilia vasa ex pelle tribulationum et tentationum fiunt. Quia enim pelles tribulationes et tentationes appellari non sit incongruum, audi Job dicentem de suis tribulationibus et tentationibus: *Pellis mea, consumptis carnibus, adhæsit ad os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini teigit me* 31. Prohibet ergo nec in virtute perfecta, quod est vestimentum, vel si magna est, vel si mediocris, hæc enim laneorum et lineorum differentiam diximus, maculam inveniri albam aut rufam; vel sicut LXX, viridantem aut flammantem. Dicit autem viridantem superbiam, flammantem *xevoδoſtav*; hæc enim fuit angelorum prævaricatio, quia ubique Christus virtutes a vana gloria liberare esse præcepit, et neque jejuna, neque misereri ad placendum hominibus jubet: perdere quippe mercedem suam eos qui ita faciunt, affirmavit. Qui enim ab hominibus laudari volunt, quomodo jam laudari a

A Domino expectabunt? Viridans autem superbia intelligitur, quia ad modicum floret, velut virentia, ita ut diceret David: *Vidi impium superelevatum et exaltatum super cedros Libani, et transivi, et ecce non erat* 32. Et rursus de eisdem: *Sicut fennum, ita decident, et sicut olera herbarum cito cadent* 33. Sed et Moabitarum populus, qui tantæ superbix subiacebat, ut aliis omnibus gentibus Israel timentibus, ipse transeundi aditum nullatenus daret, sed armis uteretur, et Balaam ad maledicendum mercede conduceret, viridis ager ipse quoque a Balaam, quanquam ignorante quid diceret, appellatus est: dixit enim ad majores natu Madian: *Sic delebit hic populus omnes qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas usque ad radicem carpere* 34. Ergo aperte probatum est, quia superbiam, seu vanam gloriam prohibet adhærere virtuti. Sed nec in stamine, sive in subtegmine, vult lepram quæ dicta est, evenire, id est, ut nec ipsi cum superbia, vel vana gloria, virtutes intendamus, nec a Deo talem gratiam nobis concurrere deprecemur. Sed nec tentationes cum aliquo ex his nos legislator sustinere desiderat: quod si tale quidpiam forsitan, ut hominibus, evenire contigerit, inspicere ea sacerdotem vult, et neque virtutem, neque intentionem virtutis, nec tentationum patientiam repellere: mox et denunciare immunda, ex suspitione superbix, vel vanæ gloriæ præcepit: nec rursus sicut munda suscipere, sed separare eos septem diebus, et tempore discernere passionem. Et quidem si creverit; immunda sunt omnia prædicta, in quibus istud evenerit, quia lepra perseverans est, propter quod et flammis jubet illa comburi. Ergo flammam gehennæ significat, et futuri temporis memoriam facit: neque enim dixit: *In igne concrematur, sed in igne concremabitur*.

Si autem post reclusionem eam viderit non crevisse, præcipiet, et lavabunt id in quo lepra est. Id est, diluere ea illum per poenitentiam præcepit. Deinde post dilutionem recludere illud septem dies rursus jubet, ut cognoscat, utrum inveniat maculam superbix, vel vanæ gloriæ, permanentem: quamvis non creverit, tamen incommutata ab hoc est, quia ad poenitentiam non migrat, immundum est, et igne comburetur. Corroborata est enim passio, et propterea per virtutem homo nec corrigere in alium vult, nec intendere.

Si enim obscurus fuerit locus lepræ. Id est incerta lepra et dubia, postquam vestis est lota per poenitentiam, abscondere passionem a vestimento virtutis, cæterorumque quæ dicta sunt, præcepit. Quomodo ergo superbiam abruptit? Valde videlicet se humilians, similiter et vanam gloriam omnibus a se removens modis: id est, ut nec honoribus, ex quibus superbix passio nutritur, nec laudibus, quibus vana crescit gloria, delectetur, vel gaudeat: siveque

27. Prov. xxxi, 13. 28. ibid. 22. 29. Jac. i, 12. 30. Rom. v, 4. 31. Job xix, 20, 21. 32. Psal. xxxvi, 36. 33. ibid. 2. 34. Num. xxii, 4.

conversetur, ut ne quidem in suspicionem unius horum incidat, et tunc mundus esse poterit.

Sin autem ultra apparuerit in his locis, quæ prius immacolata fuerant. Id est in vestimento, vel in subtegmine, vel in stamine, vel in pelle, id est in virtute, aut ipsis tentationibus, adhuc eandem sustineat passionem, pro qua ablutus est, vel pœnituit, atque in ea permanet immundus, huiusmodi reputatur, et ignis enim gehennæ suscipit.

Quia lepra volatilis et vaga est. Id est, quia hoc quod semel maculæ dilutum fuerat, id est, postquam semel a suspitione mundatus est, rursus lavari vult, ut tunc mundus nominetur. Unde apertissime illud tibi intelligere legislator innuit, quando de eodem peccato frequentibus vult lacrymis pœniteri. Frequentis enim commemoratio, nec ipsum vulnus permittit prævalere, nec aliud. Quia ergo et de eventionibus in virtutes maculis, legislator purificationes præcepit, jam per quæ leprosum mundet, agnosce. Hoc ergo intendens, invenies quia legislatori de lepra illa curæ fuit, quæ ex delictis in animabus nostris infligitur.

CAPUT XIV.

VERS. 1-9. « Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Hic est ritus leprosi, quando mundandus est : Adducitur ad sacerdotem, qui egressus e castris, cum invenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui purificatur, ut offerat pro se duos passerres vivos, et quos vesci licitum est, et lignum cedrinum, vermiculumque, et hyssopum : et unum e passeribus immolari jubebit in vase fictili, super aquas viventes : alium autem vivum cum ligno cedrino, et cocco, et hyssopo tinget in sanguine passeris immolati. Qui asperget illum qui mundandus est, septies ut jure purgetur, et dimittet passerem vivum ut in agrum evolet. Cumque laverit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis et lavabitur aqua. Purificatusque ingreditur castra, ita duntaxat ut maneat extra tabernaculum suum septem diebus, et die septima radat capillos capitis barbamque et supercilia ac totius corporis pilos, lotis rursus vestibus et corpore. »

Quia non nos oportet arbitrari negligenter quidpiam legislatorem dicere, illud te oportet notare præ omnibus, quia nunc quando de mundationibus sancit, soli Moysi, non etiam Aaron sicut superius, loquitur : quia Moyses præcipue imaginem Christi, secundum iustos qui dicti sunt, gerit modos. Soli autem Christo communis lepræ competit emundatio. Propter quod nec de lepra unius modi, quæ sit in vulnere, verbi gratia, aut in ustione, aut aliter, loquitur, sed ait :

Hic est ritus leprosi. Per hoc omnem speciem lepræ complecti volens, quia et Christus omne genus peccatorum mundavit. Ergo et nimis similitudo est mysterio ejus præsens materia, quod ex

eo discimus : quia leprosum non ire ad sacerdotem, sed ad eum ire sacerdotem præcepit, sicque adduci enim qui mundandus est. Quemadmodum et Christus ad nos venit, et ad eos qui ab eo mundari atque abluere necessarium habebant. Et extra castra, ad intuendum eum qui mundandus erat, egredi sacerdotem præcepit : sicut nos Christus extra castra, per passionem crucis, dispensationisque quæ tunc peracta est, visitavit. Non prius autem hoc egit, quam videret, quia macula lepræ ab eo sanaretur, id est, antequam nos caruisse vidisset terrore. Quando ergo in eum non solum ex plebe Judaica crediderunt, sed et pagani ascendentes eum videre cupiebant, nuntiantibus hoc discipulis dixit : *Venit hora ut glorificetur Filius hominis* ²⁴.

Quando vidit quod præparatum esset humanum genus ad liberationem, salutemque per crucem, hoc enim et gloriam suam appellavit, tunc quid suscepit?

Videlicet duos passerres vivos quos vesci licitum est. Habuit enim hæc Christus, divinitatem scilicet et humanitatem, quia munda Christi etiam humanitas, et vivens est. Munda quidem, utpote quæ proprium peccatum non habuit : viva autem, ut quæ genita non est ex viri immunditia, et ideo non fuit maledictioni mortis obnoxia.

Sumet, inquit, et lignum cedrinum. Id est crucem. Cedro autem ideo significatur, quia cedrus in lignis fortis est : nam et arca de lignis cedrinis facta fuisse asseritur : quia lignorum imputribilium in constructione ejus Moyses mentionem fecit.

Sumet et vermiculum. Quod LXX edunt, *coccinum totum*, videlicet passionem : dicitur enim, propter tincturam sanguineam, coccinum. Unde chlamydem coccineam, cum duceretur ad passionem, eum milites induerunt. Tortum autem esse quare dixerunt? Propter passibilitatem, impassibilitatemque connexam, propter quod in eo passio secundum quemdam est modum. Hyssopus autem boni odoris, gratia Spiritus, cooperatrix emundationis nostræ est, unde David : *Asperges me, inquit, hyssopo, et mundabor* ²⁵. De passeribus ergo, quos diximus esse Christum, hunc præcepit immolari, vel occidi, id est, id quod erat passibile, et quod poterat occidi, et occidi in vase fictili, super viventes in nobis, id est pro nobis, siquidem sumus vas fictile, de luto videlicet facti. Unigenitus secundum carnem occiditur super aquas vivas, id est baptismatis. Mors ejus quippe nostrum figurat baptismum, quod ostendit Paulus, dicens : *Quicunque in Christo baptizati sumus, in morte ejus baptizati sumus* ²⁷. In hoc vivens passer, et lignum cedrinum, et coccinum tortum, et hyssopus tingitur : omnia enim hæc comprehenduntur in virtute baptismatis, quod diximus Dominicæ esse passionis figuram significationemque. Sed vivens passer, quem in Unigeniti necessarie divinitatem accipimus, in sanguine hic occidit

²⁴ Joan. xi, 4. ²⁵ Psal. l, 9. ²⁷ Rom. vi, 5.

passeris, et aqua sngitur, id est in gratia baptismatis, quia non in hominis passione, sed Dei et hominis passione baptizamur. Deinde post hoc vivens passer in agrum ut avolet, dimittitur. Ergo impassibilis divinitas, et inseparabilis erat a carne, quæ passa est, unde et separabilis in sanguine baptizatur, ut impassibilis viva in agrum avolet : ad latitudinem videlicet contemplationis emittitur, quo illum dimittente, nostro videlicet intellectu. sub hujus enim contemplatione tenetur, solummodo sponte detenta, cum a nullo alio detineri possit. Insuper is qui mundatus est, vestimenta lavat, videlicet actiones, et si quas virtutes habuit, quia et has peccato polluit; lavat autem poenitentia : et radit pilum, id est omnem cogitationem deponit, quia omnes eas habebat immundas. Et lotus aqua poenitentiae aut baptismatis, tunc necessarie mundabitur. Nam etsi mundum eum superius nominavit, ait enim :

Cum visus fuerit esse mundatus, offeret duos passeres. Sed eum qui aptus erat ad mundationem dicebat : nam quomodo is, qui jam mundus est, adhuc necesse habet mundari? Tunc in castra ingreditur, ut conventui nostro intersit, atque intelligibilium contractuum socius, et alterius commisionis, quæ cum fidelibus habetur, acquirat fructus. A qua quia prohibentur hi qui necdum mundati sunt peccatores, audi Apostolum dicentem : *Si is qui frater nominatur, aut adulter est, aut avarus, aut detractor, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere.* Veruntamen septi in dies extra tabernaculum suum manet, adhuc a sanctorum communione, propter subtiliorem custodiam, et paulatim ad meliora profectum, separatus; tabernaculum enim uniuscujusque nostrum mysteriorum adeptio est, a gelu tegens nos, et ab aestu tabernaculum in quo cœnat cum Deo, sicut cum patre filii, aut cum sponso sponsa, vel si aliquid aliud dicitur, quod magis ad proximitatem cognationis pertinet.

Et die septima radet capillos capitis barbamque, et supercilia ac totius corporis pilos. Sed hic non solum caput, sed et barbam, et supercilia, et omnem simpliciter pilum, qui in omni corpore est, ac per hoc et occultarum partium præcepit. Nullam ergo ei cogitationem veterem remanere vult, non solum illas quæ ornatum homini, utpote rationali, et multa de divinis disceptanti præbent : illas enim per caput, propter ornatum, et multitudinem significat, sed nec has quæ hominem contemplativum constituunt, de sublimibus et diviniorebus rebus cogitantem. Hoc enim superciliis designatur, quæ in altioribus sunt sita, et circa contemplativorum manentia sensuum organa. Sed nec illas, quæ discretionalem continent, per barbam recte significantur, quia barba maxime inter virile genus et muliebrem dijudicat. Hæc autem non quomodo carere

A eum cogitatione cupiens præcepit, sed novum totum, et quasi modo genitum fieri volens, et exspoliare veterem hominem, ut capiat novum. Quomodo enim ei qui antiquum rasis pilum, alius novus et recens nascitur, sic et huic veteribus carenti cogitationibus, aliæ novæ ad meliora pullulant. Lavare etiam rursus vestimenta sua, id est actiones mundas.

Et lavabit iterum corpus aqua. Secundo utique illud lavans, nobis autem non est secundum baptismam. *Unus enim Dominus, una fides, unum baptismam.* Et quomodo secundo lavabitur, nisi absolute per lacrymas? Hoc enim non semel, nec bis, sed tertio, et frequenter licet peragi : quia et David dicebat : *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Sufficiunt ergo et hæc satisfacere intendenti, quia ea quæ sunt spiritalia, spiritalibus lex præcepit, et vere lepram, id est peccatum, nos timere desiderat. Propter quod ejus emundationes plurimas præcepit, cum in nullo eas aliorum, quæ circa corpus geruntur, præcepisset. Subtilior tamen probatio erit horum ex subsequentibus.

VERS. 16-20. « Assumet duos agnos immaculatos, et ovem anniculam absque macula, et tres decimas similæ in sacrificio, quæ conspersa sit oleo, et seorsim olei sextarium. Cumque sacerdos purificans hominem, statuerit eum, et hæc omnia, coram Domino in ostio tabernaculi testimonii, tollet agnum et offeret illum pro delicto, oleique sextarium. Et oblatis ante Dominum omnibus immolabit agnum ubi immolari solet hostia pro peccato, et holocaustum, id est, loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita et pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia : Sancta sanctorum est. Assumensque sacerdos de sanguine hostiæ quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundantur, et super pollicem manus dextræ et pedis. Et de olei sextario mittet in manum suam sinistram : tingetque digitum dextrum in eo, et asperget septies contra Dominum. Quod autem reliquum est olei, in lavam manum fundet super extremum auriculæ dexteræ ejus qui mundatur, et super pollicem manus, ac pedis dextri et super sanguinem, qui fusus est pro delicto, et super caput ejus. Rogabitque pro eo coram Domino, et faciet sacrificium pro peccato. Tunc immolabit holocaustum, et ponet illud in altare cum libamentis suis, et homo rite mundabitur. »

Scimus quia lex spiritalis est; quod propterea Paulus ait ¹¹, ut spiritaliter dijudicantes non damnificemur fructibus legis, qui occultantur in littera. Postquam enim prima die qua egreditur sacerdos extra castra, immolari ad emundationem leprosi præcepit : ecce rursus nunc octava die, alia pro eo sacrificia fieri jubentur. Octava ergo dies eandem quam prima vim gerit, quia omne præsens tempus in hebdomadibus conciditur. Post quas octava est,

¹¹ I Cor. v, 11. ¹² Ephes. iv, 5. ¹³ Psal. xli, 4.

¹⁴ Rom. vii, 1 seqq.

æquam, ut diximus, virtutem primæ gerens, vel omnino ipsam renovans. Est autem hæc in qua Salvator resurrexit, in qua in castra ingrediemur. Post dies enim septem eum qui mundatus est leprosus, die videlicet octava, in castris ingredi præcepit: sed castra qualia? utique illa quæ Jacob patriarcha vidit, quando angelis sibi occurrentibus, locum castra Dei appellavit⁴². Ad hæc mundatus leprosus, utpote olim justificatus, tempore resurrectionis venit. In cujus figuram, octavam diem, sicut diximus, legislator accepit. Quæ autem in octava die agi præcepta sunt, imaginem ejus, quod secundum nos est mysterii gerunt. Præcepit siquidem duos agnos immaculatos anniculos sumi, et ovem anniculam immaculatam unam, quorum quidem unum pro peccato, alium autem in holocaustum præcepit immolari. Omnia autem hæc figuram gerunt sacrificii Salvatoris. Ipse enim propter nostra peccata et delicta, hostia ipse in holocaustum fuit. Ex utroque autem genere propterea sacrificium offerri præcepit, ut ostenderet quia Christus pro nobis occisus, simul masculum feminamque salvabit. Non frustra autem agniculum in utroque præcepit, sed perfectum per hoc sacrificium figuravit, cujus sacrificii, sicut dictum est, ista figuram gerunt; perfectam enim in prædictis animalibus sunt annicula animalia, ita ut et ad filios generandos sint idonea. Sed quia eum qui mundatur, super sacrificium Unigeniti etiam fide totius Trinitatis signari oportet, tres decimas similæ, id est Trinitatem Patris, et Filii, et sancti Spiritus, habentem in unaquaque persona perfectionem. Perfectus quippe est denarius numerus, propter quod et Dominus dicebat: *Simile est regnum cælorum mulieri, quæ accipiens fermentum abscondit in farinæ tria sata, usque dum perfermentaretur totum*⁴³. Sumi autem hæc conspersa oleo in sacrificium jubet: sacrificium autem dicit Unigeniti, quod in oleo conspersum est, quia ob compassionem nostram gestum est. Sed quomodo dicimus in eo tres offerri similæ decimas? Aut quia etsi Unigeniti passione, tamen totius Trinitatis, hoc quod ex illo sacrificio actum est, mysterium fuit. In nomine enim Patris, atque ipsius unigeniti Filii et sancti Spiritus etiam baptismum agitur, in quo in morte Christi baptizamur, et totum ipsum mysterium in eo sanctificatur. Præcepit autem et sextarium olei sumi, quia fide intelligitur, et agitur unumquodque eorum quæ prædicta sunt. Quæ juste sextarius nominatur, quia quemadmodum sextarius mensura est, vel si cotylam secundum LXX dicamus, eadem mensura uniuscujusque minus et plus non capit. Quod enim plus est, effunditur, minus autem propterea non suscipit, quia hoc quod minuitur nequaquam jam sextarius, vel cotyla poterit appellari. Sic et fides ad mentis nostræ mensuram datur, quæ non capit amplius aut minus quam unicuique a Deo est dis-

perlita cognitio: quod ergo minus est aut amplius, ad infidelitatem tendit. Sed quamobrem sextarium olei, vel cotylam dixit? quia miseratus, inquit, Deus humanum genus cum illud ad explenda legis opera infirmatum vidisset, jam non ex operibus salvare, sed per gratiam hominem voluit. Gratia vero ex misericordia atque compassionem præbetur, et fide comprehenditur sola, non ex operibus, ut Paulus dicit⁴⁴. Nam *gratia jam non erit gratia*⁴⁵. His ergo acceptis, ad ostium tabernaculi testimonii, ad ingressum videlicet scientiæ Dei qui mundatus est, adducitur. Sacerdos autem sumens agnum unum pro delicto immolat. Atqui si de corporali passione esset hæc sanctio, sicut quibusdam videtur, quid erat necesse agnum pro peccato immolari? Sed quia adumbrat propter infirmitatem Judæorum mysteria, atque spiritalem intellectum abscondit in littera, sic etiam dat quasdam occasiones contemplationis per litteram, et verba quæ significant intellectum spiritus. Unde et nunc cum agnum unum pro peccato præcepisset immolari, qualem non dicit, quia ipse est procul dubio tam pro delicto, quam illius cujus aures a lepra detinebantur. Propter quid ergo sic facit, nisi forte ut auditum muniat, et cautum reddat? Quia ipse a dracone seductus, peccatum ut seduxit. Per actiones autem manum significat, per pedem vero omnes nostros motus et vias comprehendere et prævenire voluit. His enim custoditis, per sanguinem intelligibilibus agni, et fidem quæ in eum est, quæ nobis per misericordiam et compassionem ejus donata est intelligibilis lepra nequaquam poterit hominem penetrare, quanquam et oleum sextarii, seu cotylæ, quam esse fidem dicimus, in manu mittere sacerdotem vult, ut sacerdotis fides, per quam et nos proficimus, in operibus ostendatur. Nec enim aliter vim suam exserit, nisi manus assumpta fuerit, id est actione confirmata, et signata operibus. Mittit autem oleum in sinistram manum, et intingit digitum dextrum in oleo sicut ait Paulus: *Per arma justitiæ a dextris et a sinistris, conversatus per gloriam et ignobilitatem, per infaniam et bonam famam*⁴⁶, et quæ his similia sunt.

Tunc asperget septies contra Dominum. Præsumit enim talis sacerdos apud Deum, quando mundare eos qui necessitatem patiuntur, et dimittere eis peccata potuerit. Propter quod septies aspergit, quia numerus iste remissio peccatorum esse demonstratus est. Sed postquam fuderit super extrema dextrarum auricularum, et super pollices manus, ac pedis dextri, secundum quod supra diximus, reliquum olei in caput fundit ejus qui vocatus est ut mundaretur: per caput sanctificationem omni præstans corpori, christumque Domini eum qui mundatus est, per hanc unctionem efficiens. Tunc, inquit, pro peccato sacrificium offertur: qualiter autem, non dicit, ex his enim quæ de delictis dicta sunt,

⁴² Gen. xxxiii, 2. ⁴³ Luc. xiii, 21. ⁴⁴ Rom. iii, 20-22. ⁴⁵ Rom. xi, 6. ⁴⁶ II Cor. vi, 7, 8.

possunt etiam ea quæ pro peccato sunt, conjici: A vicina enim sunt, et communia utpote in communi materia. Post hoc immolat holocaustum, et ponit illud in altare, tam pro ordine sacrificiorum, quam pro eo qui paullisper provenit legis profectu. Prius enim sacrificium peccati et delicti posuit, et tunc holocaustum. Ergo prius nos Christi sacrificium a delictis et peccatis mundat, et tunc nostrum conficitur holocaustum. Et propterea primum a delictis dicens, deinde hæc subdidit, quia de Christo et hæc et illa dicebat, et ad unum sacrificium, quod ex hostia nobis sanctificationem præbet, quod nos ad altare ascendere facit. Quando enim intelligibilis emundatione spiritus totum nostrum corpus et animam sanctificantes, spiritales facti fuerimus, tunc digni ad ascensionem altaris efficitur: tunc plenissimam accipimus mundationem, postquam jam aliam necessariam non habemus. Audisti enim nunc emundationum profectum, quarum hæc quidem nos a pollutione lepræ liberat, alia autem in castris introducit Dei; hæc autem ad altare ipsum deducere, utpote plenissime mundatos, atque sublevare potest. Cum autem vocemur ad sequentia, necesse est ut ad ea cum omni studio transeamus.

VERS. 21-32. « Quod si pauper est, et non potest manus ejus invenire quæ dicta sunt, sumet agnum pro delicto ad oblationem, ut roget pro eo sacerdos, decimamque partem similæ conspersam oleo in sacrificium, et olei sextarium, duosque turtures sive duos pullos columbæ, quorum sit unus pro peccato, et alter in holocaustum, offertque ea die octavo purificationis suæ sacerdoti ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino. Qui suscipiens agnum pro delicto, et sextarium olei, levabit simul; immolatoque agno, de sanguine ejus ponet super extremum auriculæ dextræ ejus qui emundatur, et super pollices manus ejus ac pedis dextri. Olei vero partem mittet in manum suam sinistram, in quo intingens digitum dextræ manus, asperget septies contra Dominum. Tangetque extremum dextræ auriculæ illius qui mundatur et pollices manus, ac pedis dextri in loco sanguinis qui effusus est pro delicto. Reliquam autem partem olei, quæ est in sinistra manu mittet super caput purificati, ut placet pro eo Dominum. Et turturem, sive pullum columbæ offeret, unum pro delicto, et alterum in holocaustum cum libamenti suis. Hoc est sacrificium leprosi qui habere non potest omnia in emundatione sui. »

Admirabili erga eos qui legem accipiunt legislator condensatione utitur. Ecce enim veniam paupertati dat, et moderata pauperi sacrificia esse præcepit, ne forte obstupescat, dum majora ei, quam virtus est, præcipiuntur. Sed quia nec eorum quæ dicta sunt quidpiam facile in quæstu pauperum invenimus, qui enim non habet panem, unde agnum? qui autem pecunia eget, unde emat columbam vel turturem? manifestum est quod aliquam

contemplationem intendat, et ad occulta spiritus deducat eum qui vult ingredi ad thesauros absconditos scientiæ. Cum liceret enim ei coarctare sacrificiorum numerum, propter paupertatem offerentis, hoc omittens, vilia quædam ei, et non magni pretii exquirat, quod facit tam paupertati ignoscens quam etiam lucro sacrificiorum, volens dat intelligere a qua lepra malitiam significat, deinde hujus emundatio est pœnitentia. Hæc autem opera necessaria habet, quæ virtutibus et actionis studio valeant delere peccata, propter quod Joannes Baptista populo Judæorum dicebat: *Facite fructum dignum pœnitentiæ*⁴⁷. Consideravit enim, sicut subtilis legislator, eos qui non omnia possint, quæ pertinent ad districtam rationem pœnitentiæ exhibere, opus enim habet pœnitentia orationem intentam, elemosinam, vigiliam, saccum, jejunium; postremo etiam illa quæ David dicit: *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*⁴⁸. Et: *Lavabo per singulos noctes lectum meum; lacrymis stratum meum rigabo*⁴⁹. Sed et: *Cinerem sicut panem manducabam, et potum meum cum fetu miscebam*⁵⁰. Sunt etenim qui hæc omnia forsitan propter senectutem, aut propter nimiam corporis infirmitatem, vel aliam necessitatem, agere non possunt, sicut in alio negotio præsentis libri interpretati sumus: ignoscit his, quia volunt quidem, non invenit autem manus eorum. Non possunt enim, et utpote veniam dans, alteram eis viam pœnitentiæ, alia genera sacrificiorum exquirat, et ante omnia quidem agnum dicit: oportet enim unumquemque pœnitentiam agentem ad benignitatem ante omnia migrare et hanc studere, quia hæc etiam cuilibet facilis ad adipiscendum est quam a malis abstinuerit.

Decimam partem similæ conspersam oleo. Id est Christi theologiam assequi, qui oleo seu misericordia nostri contemperari passus est carni. Et sextarium, seu secundum LXX, *cotylam olei unam*; hanc autem esse manifestissime fidem in anterioribus demonstravimus. Sed quid offerri cum his legislator præcepit?

Duos turtures, vel duos pullos columbarum. Hæc autem facile reperiuntur a quolibet, id est continuam legis meditationem, quæ non solum ex lectione, ne forte et hanc dicas esse quibusdam difficilem, sed et ex contemplatione, quæ est in animo et mente, conficitur. Quæ utraque pro sacco et jejunio et lacrymis, et cinere, cibo sunt, atque similibus, si illa ad humiliandam carnem et refrenandam animam a terrenis operibus agimus. Facit autem hæc etiam legis meditatio, et continuum hoc studium districtaque divinorum mandatorum atque beneficiorum contemplatio, et perscrutatio necessarie hæc sacrificia pro illis introduxit, quæ etiam David exponit dicens: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit*⁵¹. Quod manifestat

⁴⁷ Matth. iii, 8. ⁴⁸ Psal. xli, 4. ⁴⁹ Psal. vi, 7. ⁵⁰ Psal. ci, 10. ⁵¹ Psal. i, 1.

agni sacrificium omni carentis macula, atque propterea innocentiam signans. *Sed in lege Domini fuit voluntas ejus*⁵⁵: illius videlicet qui mundam habet scientiam, per contemplationem innocentium cogitationum quales quosdam Paulus dicit: *Legem non habentes, et opera legis scripta in cordibus suis*⁵⁶; per disciplinatas castasque cogitationes demonstrantes, qualis quodammodo est turturis oblatio. Unde cognitionem animali ipse Dei spiritus per Jeremiam prophetam inesse testatus est: *Turtur, et hirundo, et ciconia, custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit iudicium Domini*⁵⁷. Sed quid David supradictis addidit? *Et in lege Domini fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte*⁵⁸. Huic comparamus columbam, quam quasi meditandi vim habere Isaias propheta dicit, ait enim: *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo; meditabor ut columba*⁵⁹. Invenit ergo legislator viam, per quam et infirmum mundare Deo quæ possit offerre. Et propterea legis hujus subsequencia non immutavit, ostendens quia, etsi manus cujusquam non inveniat hoc quod poenitentiae intentio secundum primam rationem exigit, ignoscitur quidem ei, sicut ex infirmitate patienti: præcepit tamen quæ illi eandem emundationem, eandemque oblationem ad Deum profligare possint. Post hæc ad aliam dispensationem, eidem materiæ cohærentem, transit.

VERS. 55-47. Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron dicens: Cum ingressi fueritis in terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem: si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibi cuius est domus, nuntians sacerdoti, et dicit: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea. At illi præcipiet ut efferant universa de domo priusquam ingrediatur eam, ut videat utrum lepra sit, ne immunda fiant omnia quæ in domo sunt. Intrabitque postea, ut consideret domum lepræ. Et eum viderit in parietibus illius quasi valliculas, pallore, sive rubore deformes, et humiliores superficie reliqua, egredietur ostium domus, et statim claudet eam septem diebus. Reversusque die septimo, considerabit eam: si invenerit creviase lepram, jubebit erui lapides, in quibus lepra est, et projici eos extra civitatem, in loco immundo, domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, et spargi pulverem rasuræ extra urbem, in loco immundo, lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerint, et luto alio liniri domum. Sin autem postquam eruti sunt lapides, et pulvis elatus, et alia terra lita, ingressus sacerdos viderit reversam lepram, et parietes aspersos maculis, lepra est perseverans, et immunda domus quam statim destruent: et lapides ejus ac ligna, atque universum pulverem projicient extra oppidum, in loco immundo. Qui intraverit domum, quando clausa est, immundus erit usque ad vespertum. Et qui dormierit in ea, et comederit quidpiam, lavabit vestimenta sua.

Qui juvari desiderat, sancta spiritalia negligenter meditari non debet, ea quæ maxima circumspicere ei necesse est, in quibus inimici indoctique offendunt. Nam ecce quidam in nuper lecta lege hoc reprehendunt, quia, secundum quod LXX asserunt, Deum diceatoni Moyses introduxit: *Dabo maculam lepræ in domibus vestris, in terra promissionis vestræ*. Putasne, Deus, inquit, inducit mala? Quibus respondemus, Etiam: sed nec turpia sunt nec mala, ea quæ alligunt ad eruditionem, seu pœna pro juvenine constituta, veluti fames, terræ motus, hiatus terræ, tempestas maris, bellum atque similia, sicut et ipse per prophetam dicit: *Ego Dominus, et non est alius, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans mala*⁶⁰. Quibus similia et alter propheta dicit: *Quia descenderunt mala a Domino in portam Jerusalem, tumultus, quadrigæ stuporis, habitanti Lachis*⁶¹. Sed et propheta Amos ait: *Si est malum in civitate, quod Dominus non fecit*⁶²? Quæ quidem Deus, non ut noceat, ingerit, sed ut valde juvet hominem: afflictus quippe humiliatur, humiliatus autem currit ad eum qui erigere potest, dicitque cum David: *Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discerem justificationes tuas*⁶³, et festinat ad medicum, qui eum liberet a vulnere. Et hæc quidem ita se habent. Sed nos ad contemplationem, quæ imminet, recurramus, ne forsam legislatorem quasi de lignis, et lapidibus, et parietibus insensatis sancientem, quidam eorum qui circa exteriorem sapientiam errant, reprehendere nitantur, a quibus quia mali sunt, mala etiam bona judicantur. Nunc enim legislatoris intentio est, de veris domibus videlicet ea læsis sancire, id est quæ in illis passionibus curabiles, facilesve ad emundationem, quæve sint incurabiles, destructionemque plenissimam ingerentes. Sed horum modum discimus, cum ad ea quæ dicta sunt, venerimus. Possessionis nostræ terra est, quam nos possidemus, hæreditas gentium. Ipsa est enim nostra possessio, etsi tunc hostium nostrorum fuit: in hac enim nos Deus acquisivit, et eos qui quondam non erant populus, nunc populum habet Dei, propter quod possessio recte nominabitur. De hac terra Dominus dicebat: *Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum et intelligit*⁶⁴. Domus enim nostræ Ecclesiæ sunt, de quibus Paulus dicebat: *Si tardavero, ut scias quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi*⁶⁵. In his, secundum LXX, dare se maculam lepræ Deus promittit. Quod manifestant ipsa legislatoris verba; cum enim dixisset: *Et dabo maculam lepræ in domibus, terra possessionis vestræ. Et veniet cujus est domus*, illico subjunxit: *Nuntians sacerdoti, et dicit: Quasi macula lepræ videtur mihi esse in domo mea*. Hoc autem sententias passionem est, quod non est cujuslibet domi, et tale quale Deum concedet impertiri. Si enim decet medicum, ut non concedat ægotum quædam mortifera

⁵⁵ Psal. 1, 2. ⁵⁶ Rom. 11, 45. ⁵⁷ Jerem. VIII, 7. ⁵⁸ Psal. 1, 2. ⁵⁹ Isa. XXXVIII, 14. ⁶⁰ Isa. XLV, 6, 7. ⁶¹ Mich. 1, 12, 15. ⁶² Amos III, 6. ⁶³ Psal. CXVIII, 71. ⁶⁴ Matth. XIII, 25. ⁶⁵ I Tim. III, 15.

agere, decet et Deum non concedere peccatori, insensibilitatis morbo diutius detineri, ne in profundum inferni peccans in æternum ruat, quod David orans dicebat : *Ne avertas faciem tuam a me, et ero similis descendentibus in lacum* ⁶². Hoc donum sensus Ecclesiæ datur : Synagogæ autem Judæorum non datur, quod manifestum est ex eo quod ipse Deus per Osee prophetam ait : *Quoniam nisi cum meretricibus versabantur, et cum effeminalis sacrificabant. Et populus non intelligens vapulabit* ⁶³. Et rursus : *Dedit eis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant* ⁶⁴. Alium etiam prophetam audivimus, dicentem : *Claverunt oculos suos, ut non viderent, et aures suas aggravarunt, ne audirent* ⁶⁵ : utpote a justo iudice ex suo peccato puniantur. Ecclesia autem non ita, sed quoties peccat, facit eam Deus sentire peccatum. Unde et eum qui in Corintho fornicatus est, Paulus Satanæ tradidit, ut afflicus ab eo, peccatum sentiret : *Tradidi, inquit, eum qui huiusmodi est, angelo Satanæ in interitum carnis* ⁶⁷ : similia præsentibus legislatoris verbis dicens. Et hic quidem, secundum LXX, *Dabo, inquit, maculam lepræ*, non quasi ingerente Deo lepram, sed velut exercente atque arguente. Ille autem ait : *Tradidi huiusmodi angelo Satanæ*; atqui acceperat eum olim per illicitam fornicationem, sed ut majori potestate ab eo castigatus, ait enim : *In interitum carnis, ut spiritus salvus fiat, sensum peccati perciperet, fieretque emendator* : simul etiam ut manifestaretur aliis, quatenus eum minime debeant imitari. Sed est domus hæc terræ possessionis, id est Ecclesiis hæreditatis gentium. *Cum ingressi fueritis, Moyses et Aaron, in terram Chananeorum*. Quænam est hæc? *Quam ego dabo vobis in possessionem*. Quia ergo septem numero gentes, id est Chananeæ, Pherezæ, Gergesæ, Amorrhæi, Gubusæi, Cethæi, et Haradæi, terram promissam Abraham possidebant. Imaginem autem gerebant hæ septem iniquorum spirituum, de quibus Dominus in Evangeliiis dicit : *Cum spiritus immundus exierit ab homine, assumet alios septem spiritus, nequiores se, et habitat in homine, cujus novissima sunt deteriora prioribus* ⁶⁸. Hi autem spiritus veram terram promissam ipsi Abraham, id est gentium hæreditatem possidebant, ipsi enim dictum est : *Quia patrem multarum gentium posui te* ⁶⁹. Quando Moyses et Aaron, lex videlicet et prophetæ, horum enim figuram hi gerunt, quia Aaron Moyses, qui figuram legis gerit propheta esse dictus est, ingressi fuerint inter gentes, tunc per eos Deus tyrannidem obtinentes in gentibus, qui sunt intelligibiles, Chananeos prædictos expellit spiritus : possessionem autem legis et prophetarum, et hæc prædicantium ipse esse concedit gentes, qui eas proprio sanguine, tam per oblationem regenerationis, quam renovationem sancti Spiritus, quem effudit abunde

A super nos, liberans nos ab his quibus dudum serviebamus, ut et hi qui ex generibus sunt, possint Isaiæ Cautiorem dicere : *Damine Deus noster, possederunt nos domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui* ⁷⁰. Quæcumque autem ejus possessio est, etiam servorum ministrorumque ejus procul dubio est. Ergo quando prophetæ et lex in gentium hæreditatem ingressi fuerint, ministrantes evangelicæ prædicationi, et ea quæ nunc de intelligibilibus domibus dicta sunt, apparere poterint.

Ibit cujus est domus, nuntians sacerdoti, et dicet : Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea. Quæ enim sunt domesticæ Ecclesiæ, ut propterea dicat :

B *Ibit cujus est domus*. Audiamus Paulum dicentem : *Salutate Priacam, et Aquilam, et domesticarum eorum ecclesiam* ⁷¹. Qui ergo huic præest, si sentit lepram intelligibilem, id est, si mala et impiæ doctrinæ sensum quempiam comprehenderit : timens ne hoc quod studuit ad justitiam, fiat ei ad iudicium, veniat ad sacerdotem, qui discernere potest, ipse enim non absolute sacerdos est, quod manifestum est ex his quæ rursus Paulus ad Colossenses scripsit : *Salutate Nympham, et domesticam ejus ecclesiam* ⁷². Quia multi propter zelum et pietatem ecclesias domesticas constituentes, in eis doctores divinorum, ministrosque, necnon ad communionem atque exultationem eorum convenientes, suscipiebant. Is ergo qui huiusmodi est, ibit ad eum qui veri sacerdotii figuram gerit, quales fuerunt Petrus, vel Paulus, vel Timotheus, cæterique qui eorum doctrinam virtutesque custodierunt, irreprehensibiles permanentes. *Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse* ⁷³, ut propterea possit aliena iudicare peccata. Et dicet : *Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo*, id est, sensus impiæ doctrinæ in mea domestica apparet Ecclesia. *At ille præcipiet, ut auferant universa de domo*; sive ut LXX edunt, *Et præcipiet sacerdos detegere domum, et non florebit in omnem domum*; id est : Præcipiet recedere omnem populum qui in ea colligebatur. Hic est tectum domus, sive instructura, secundum quod frequenter ostendimus. Discedere autem eos præcepit, id est opere ostendere, quod alieni sint a malo, quod apparuit in Ecclesia, et non communicent pœnæ, quæ est impiis ingerenda. Propter quod et Moyses, quando Dathan et Abiron ad puniendam atque discernendam deducturus erat, recedere reliquam multitudinem, ut non participes efficerentur pœnæ, præcepit : hoc est enim quod ait :

Ne immunda fiant omnia quæ in domo sunt. Intrabitque postea idem sacerdos, ut consideret domus lepram. Et cum viderit in parietibus illius, quasi valliculas, pallore sive rubore deformes. Parietes domus recte dicuntur hi qui eam continent, id est, ordines

⁶² Psal. cxlii, 7. ⁶³ Osee iv, 14. ⁶⁴ Rom. xi, 8. ⁶⁵ Zachar. vii, 11. ⁶⁷ I Cor. v, 5. ⁶⁸ Matth. xii, 43, 44. ⁶⁹ Gen. xvii, 4. ⁷⁰ Isa. xxvi, 13. ⁷¹ Rom. xvi, 19. ⁷² Coloss. iv, 15. ⁷³ I Tim. iii, 2.

divina dicentium atque docentium. Ex his quippe vere consistit Ecclesia, et non sicut quidam putant, ex lignis atque lapidibus. Unde et Moyses, quando colligere jubebatur Ecclesiam, non ligna, et lapides, cæteraque similia, sed plebem, seniores, Levitasque convocabat. Secundum quam etiam rationem, Jacobus, et Cephas, et Joannes columnæ Ecclesiæ dicebantur. Ergo parietes recte ministri sacrorum, doctoresque : utpote ipsi stabilitatem Ecclesiæ fulciant ut plebem quodammodo intra semetipsos colligentes. Pallens autem, seu ut LXX, viridans, et rubicunda macula qualis quæve sit, satis interpretatio præcedentis sanctionis ostendit. Esse enim illam vanam gloriam atque superbiam demonstravit. Ex quibus maxime parietes Ecclesiæ corpusque sacra ministrantium doctorumque ad malos ac nefarias, impiasque doctrinas prorumpunt. Si ergo aspectum parietum, valliculas seu fossas habentem, id est, si humiliora sacra ministrantium, vel magistrorum opinionem, valescentemque quodammodo ex comprehenso peccato perspexerit, *Egredietur ostium domus, et statim claudet eam septem diebus.* Ecclesiæ moderatam ingrens increpationem, qua poenitentiam percipit veniam, et absolvitur. Septenarius ergo numerus peccati veniam significat.

Reversusque die septima considerabit eam : si invenerit crevisse lepram, jubebit erui lapides, in quibus lepra est, et projici eos extra civitatem in loco immundo. Et hoc, quia diffusam maculam non invenit, nec exuberantem impietatem, id est, his quidem qui peccaverunt, utpote poenitentibus, ignoscit et ut ex infirmitate peccantibus. Dogmata autem et syngammata, in quibus est intelligibilis lepræ, videlicet impietatis macula, hæc non solum extra domum, sed extra civitatem recte projiciunt, non solum de una Ecclesia, sed de universali ejicientes. Universalis enim Ecclesia Jerusalem est, civitas Dei vivi, quæ continet Ecclesiam primitivorum conscriptam in cælis⁷⁴. Quamobrem etiam in locum immundum projiciunt, inter hæreticorum videlicet ventricula : hic est enim locus immundus, quia omnia recipit dogmata impietatis. Et quid post hæc ?

Domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, et spargi pulverem rasuræ extra urbem, in loco immundo. Radunt domum, qui libros ecclesiasticos intelligere atque discernere subtiliter student, ut ipsi omnem malitiam diligenter perscrutantes, insidentesque doctores in pravis libris, rosario dijudicationis excutientes, nullas in ea impietatis sinant remanere reliquias : sed et quæ abraserint, hæc in prædictum immundum locum, sicut immunda et in immundis inventa recte deportant, lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerant, et luto alio liniri domum. Quod lapides oporteat intelligi dogmata exponentium divinam legem et syngammata, de

A quibus quando sacræ doctrinæ sunt, non incongrue dicitur : *Lapides sancti voluntur super terram*⁷⁵. Et rursus : *Quicumque ædificaverit super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos.*⁷⁶ Pulverem vero eam quæ participalis est, interpretationem atque doctrinam, ipse Moyses legislator significat, secundum LXX. Quando ergo Deuteronomium filiis Israel edebat, hæc ad nos dicebat : *Et erit quacunque die transgressi fueritis Jordanis terram, quam Dominus Deus tuus dabit, statues lapides grandes, et lines eos pulvere, et scribes super lapides omnes sermones legis hujus*⁷⁶. Deinde lapidum vim tradens, apertius addidit : *Et scribes super lapides omnem legem hanc apte nimis.* Lapis autem legem non explanat, sed explanant eam exponentium dogmata atque syngammata ac participalis interpretatio : quorum hoc quidem per lapides, aliud autem per pulverem significavit. Unde et Dominus apostolis præcepit, ut contra eos qui non susciperent verbum eorum atque doctrinam, etiam pulverem excuterent pedum : *Quicumque non receperit vos, nec audierint, exeuntes inde excutite pulverem de pedibus vestris, in testimonium illis*⁷⁷. Quod in his verbis præcipientem Dominum Marcus refert, quia enim pedes, evangelicos libros eos, quod in ipsis iter doctores agant, divina intelligit Scriptura, unde ait : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem*⁷⁸. Recte pulverem sub pedes eorum, evangelicorum librorum videlicet interpretationem, propter nimiam accepit subtilitatem. Lapidem ergo eradi, et pulverem alium inferri dicens, purgata ab omni malo dogmata, atque doctrinam pro malis illis inferri, et Ecclesiam liniri sine ulla dubietate : hoc enim nobis consideratio legis evidenter ostendit. Annon et Paulus lepram dogmatum in doctoribus Antiochenæ cernens, Jacobo utpote sacerdoti magno nuntiavit⁷⁹ ? Quia erasis pravorum doctorum notis dogmatibus, aufrens lapides in loco eorum : rectissimas Hierosolymitanæ ecclesiæ litteras, et pulverem : suam videlicet doctrinam addens, unxit Ecclesiam curavitque quod acciderat. Sed nec sic eam relinqui indiscussam in subsequentibus sancivit : quia enim iniquitas in eos, qui pravorum dogmatum morbo afficiuntur, cito revertitur, et propterea ait :

D *Sin autem postquam eruti sunt lapides, et pulvis elatus, et alia terra lita, ingressus sacerdos videris reversam lepram et parietes aspersos maculis, lepra est perseverans, et immunda domus.* Si enim ejectis malis dogmatibus, et aliis sanæ doctrinæ introductis, ipsa rursus impietatis doctrina inveniatur aspersa, id est diffusa, sive exuberans, tunc sacerdos non ex longinquo auditu, sed inspectione sua cognoscit, quod permanens est impietatis passio, et immundat aliam ministrorum doctorumque Ecclesiam in qua fuerit aspersa seu diffusa. Impietas recte discernatur, quod ostendent sequentia : ait enim :

Quam statim destruent, et lapides ejus ac ligna,

⁷⁴ Hebr. xii, 22, 23. ⁷⁵ Zachar. ix, 16. ⁷⁶ I Cor. iii, 12. ⁷⁷ Deut. xxvii, 4-8. ⁷⁸ Marc. vi, 11. ⁷⁹ Isa. lvi, 7; Rom. x, 15. ⁸⁰ Act. xv, 1 seqq.

atque universum pulverem projicient extra oppidum, A in locum immundum. Id est, non solum jam condemnant dogmata, sed et ipsos in quibus inventa fuerint, et hos ex quorum locutione impia ecclesia constiterat, omnemque ipsam destruunt Ecclesiam. *Odivi enim, inquit, congregationem malignorum, et cum impiis non sedebo, sicut David dicebat*⁸⁰. Ergo et extra eam, quæ in cælis est constituta, viva videlicet ac vera excluditur civitate et cum immundis reputatur hæreticis.

Qui intraverit in domum istam, quando clausa est. Id est, quæ multæ seu pœnæ subjecta est.

Qui ingressus fuerit. In quolibet ei communicans conventiculo immundus erit usque dum pœniteat. Et multo magis qui in ea dormit, hic siquidem non aliter suscipitur, nisi lacrymis laverit intelligibilem stolam. Dormire autem in ea intelligimus requiescentem in verbis ejus, et non consuetudinis alicujus causa in ejus consiliis divertentem.

Sed et qui comederit in ea. Cibum scilicet mysticum similem legis, et eundem juris sortita est effectum: quia illius mysteria percipere præsumpsit Ecclesiæ, quam destruxit sacerdos, reperiens impie agentem, et doctrinas malas, id est, ligna, fenum, stipulam habentem. Unde non solum lapides ejus, neque enim erant pretiosi, sed et ligna utpote conjuncta feno ac stipulæ project.

VERS. 48-53. « Quod si introierit sacerdos in domum, et viderit lepram non crevisse postquam de novo lenita est, purificabit eam reddita sanitate. Et in purificatione ejus sumit duos passeris lignumque cedrinum, et vermiculum, atque hyssopum. Et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas, tollit lignum cedrinum et hyssopum, et coccum, et passerem vivum, et intinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viventibus, et asperget domum septies, purificabitque eam, tam in sanguine passeris, quam in aquis viventibus, et in passere vivo, lignoque cedrino, et hyssopo, atque vermiculo. Cumque dimiserit passerem avolare in agrum libere, orabit pro domo, et jure mundabitur.

Cujus imaginem hæc sacrificia, de quibus loquitur legislator, gerant, per subsequencia subtiliter exponemus: quando ea et in unoquoque leproso accipi præcepit. Hoc autem necessarie dicitur, quia manifeste apparet quod legislator illam magis in Ecclesiam docentium iniquitatem, quæ est in dogmate reprehendat, et in dispensationem ejus, qui

pro nobis est incarnatus, committitur. Et propterea in domum mundandam hæc accipere sacrificia præcipit, quæ mysterium ejus passionisque figurant, utpote quæ sufficienter per has, quæ de his sunt, heologias possit sanare peccantium linguas, omniaque eorum mundare peccata.

VERS. 54-57. « Ista est omnis lex lepræ, et percussuræ lepræ, vestium, et domorum cicatricis, et erumpentium papularum lucentis maculæ, et in varias species coloribus immutatis, ut possit sciri quo tempore quid mundum vel immundum sit. »

Ista est omnis lex lepræ: quia latius sanctionem lepræ exposuit, necessarium judicavit ejus reiterare capitula, et prius quidem complexive genus, post hæc autem species per partes exponit; cum enim dixit:

Ita est omnis lex lepræ, complexive genus ostendit. Species autem sunt apertissimæ, quas in subsequentibus addidit, præponens recte percussuræ, quod non est qualecunque peccatum: omnium quippe esse hoc deterius diximus. Est autem dogmatum impietas, quæ contingit quibusdam de populo, de quibus et legislator dicebat: *Vir, aut mulier, in quo fuerit plaga lepræ.* Si autem tantummodo sacerdotum memoriam fecisset, mulierem minime nominasset. Post hæc lepram, quæ est in virtutibus, posuit; hæc sunt enim animæ vestimenta, id est ea quæ sunt in Ecclesiarum doctoribus ac sacerdotibus. Hi enim domus et parietes terræ possessionis ostensi sunt. Deinde cicatricis et erumpentium papularum memoriam facit, lepram veram describens, eam quæ in peccatis, sive dubiis, sive probatis omnibus, his subdidit:

Ut possit sciri quo tempore quid mundum vel immundum sit. Ostendens, quia tunc delinquens immundus est quando sciens peccaverit; quando autem ignorans, veniam propter ignorantiam meretur, sicut et cæcus offendens, ita ut Dominus de Judæis diceret: *Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc autem dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet*⁸¹. Sed nos oculis scientiæ ad ea quæ expediunt utamur, ut per ipsos evitemus peccata, conquiramusque munditiam. Sciamus diem in qua mundabimur scientesque occurramus, et totam legem lepræ custodiamus. Mundi enim hoc modo in dominicis tabernaculis habitabimus, in Christo Jesu, per quem et cum quo gloria Patri, cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER QUINTUS.

PRÆFATIO.

Qui legis meditationi operam dant ad quem finem, quantumve conscendant, quamque beatitudinem

spiritus gerant, David propheta plane exponit. Eum enim qui habet voluntatem in lege Domini, et diebus et noctibus in ea mediator est, dicit: *Sicut*

⁸⁰ Psal. xv, 5. ⁸¹ Joan. ix, 81.

lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, A quod et dabit fructum suum in tempore suo, et folium ejus non decidit⁸². Quid autem faciendum credimus ut possit aliquis lignum inveniri vitæ? nisi id quod Dominus dicebat: *Scrutamini Scripturas, quia in ipsis vos putatis vitam æternam habere. Et ipse sunt quæ testimonium perhibent de me⁸³*. Sed et illo loco prophetice psalmodiæ: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, ut mitiges eum a diebus malis⁸⁴*. Cognoscimus enim et liberationem nobis peccatorum, et lævigationem ab his quæ nos terrent in die mala, doctrinam sanctarum nobis providere Scripturarum. Sed et profectum animæ non modicum ex ea carpimus, propter quod et Paulus scribit ad Timotheum: *Hæc meditare in his, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Intende tibi metipsi et doctrinæ, permane in eis. Hoc enim faciens, et temetipsum salvabis et eos qui te audiunt⁸⁵*. Cum prædictis omnibus, tam nostram ipsorum salutem quam aliorum peritorum læuamur studium, et propterea nullus labor, neque sudor, vel eos qui eas exponunt, vel indoctos legentes a sacrarum Scripturarum remove debet perscrutatione, præsertim cum magna utilitas sub spiritu legis hujus sit: illi ex eis autem capiant margaritas, qui frequenti eas meditatione operantes effodiant. Sed ea quæ sequuntur hujus Levitici libri exsequamur per ordinem, superædificantes fundamentum, quod jam Christus, sicut quidam sapiens architectus, per nostram posuit linguam: sicut quidam instructor sapiens per vile instrumentum lapidem poliens angularem, ut magnitudinem domus ostendat, et ut instrumentis vilibus magna perficiat.

CAPUT XV.

Vers. 1-3. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron dicens: Loquimini filiis Israel, et dicetis eis: Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit, et tunc judicabitur huic vitio subiacere, cum per momenta singula adhæserit carni illius, atque concreverit fœdus humor.

Omnis quidem propheta Dei admirabilis est, utpote cui sunt credita spiritalia. Sed admirabilior Moyses, sicut cui majora sunt credita, tanta sapientiæ præcepit celsitudinem: nam quia infirmus erat qui ab eo legem percipiebat populus, et qui perfectiora dogmata audire non poterat, tam infirmitati condescendere volens populi, quam dignitati non injuriare, legis invenit viam per quam et celeret sublimia, nec ea propter auditorum infirmitatem directe proferre potuisset. Nam ecce etiam nunc cum per legem leprosi multas peccatorum exposuisset species, eum qui fluxum seminis pateretur, adjecit. Per quam alteram speciem peccati rursus exponit, et eum qui profluvium patitur doctrinæ, ex qua corpus ipsius subsistit, id est ex qua salu-

tem habet, hunc esse jure dixit immundum utpote qui doctrinam non caste, sed contra naturam, id est contra ejus jura et legem inordinate corrupteque diffundit, ut ex ea etiam mores corrumpet populorum: quæ cognoscimus per partes, ut textus seriem disserentes.

Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron dicens: Loquimini filiis Israel, et dicetis eis. Recte Moysi quidem et Aaron locutus est, sed tradi filiis Israel, id est omni populo, mandatum jubet: quia quæcunque per doctrinam divinam scilicet sancitur seu scribuntur, primum quidem principibus egent populi, quia ipsis maxime divina est credita doctrina, ipsique demonstratur, cum quo jam modo a ministris, aut his quibus omnino credita est debeat studere. Quia autem effectum ejus populus respicit audientem, vide mandatum ejus in secundo ordine filiis Israel tradi, quod bene legislator competenterque custodivit, et post hoc dixit: *Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit. LXX autem sic dicunt: Viro viro cui factus fuerit, etc.* Quoties enim duplicat hoc, unde mandatum datur, intentionem legis cupit ostendere secundum LXX; et quantam sollicitudinem habeat legislator, ut nihil ejus penitus prætereat: sicut quando dicit: *Homo homo de filiis Israel, et de adventis, et qui conjuncti sunt eis, qui fecerit holocaustum, aut sacrificium, et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit ad faciendum hoc Domino, exterminabitur homo ille de populo ejus⁸⁶*. Et his alia similia, de quorum conservatione maximam legislator curam gessit. Hic autem secundum prædictam meditationem non dixit homo homo, sed viro viro, duplicans quidem, quemadmodum et ubi personam. Propter fortitudinem vero sic appellatur a latore legis, quia vocabulum hoc mos est geminam innuere significationem. Id quod ostendit Salomon dicens: *Virum autem fidelem quis inveniæ⁸⁷*? Sed et Paulus: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi⁸⁸*. Ergo duplicatio appellationis quantum ei pertineat, de mandato manifestavit. Quod autem viro dixit, et non simpliciter homini, demonstravit quod doctoris innueret personam: in hoc enim necessarie demonstrat perfecti formam. Sed huic si factus fuerit seminis fluxus, immundus erit. Quo autem modo, audi sequentia:

Et tunc judicabitur huic immunditatis subiacere. Id est, hæc probatio immunditatis ejus; judicium autem immunditatis ejus, in hoc loco dixit legem illam, quæ immunditiam ejus probat. Et quis est hic qui fluxum patitur seminis? Semen intelligitur doctrina, ait Paulus: *Si nos vobis spiritalia seminavimus⁸⁹*. Sed et Dominus ait: *Omnis qui audit verbum, et non intelligit: venit malignus, et rapit quæ seminata sunt in corde ejus⁹⁰*. Quia autem dicunt LXX: *Viro*

⁸² Psal. i, 2, 3. ⁸³ Joan. iii, 39. ⁸⁴ Psal. xciii, 12. ⁸⁵ I Tim. iv, 15, 16. ⁸⁶ Levit. xvii, 3, 4. ⁸⁷ Prov. xx, 6. ⁸⁸ Ephes. iv, 13. ⁸⁹ I Cor. ix, 11. ⁹⁰ Matth. xiii, 19.

si fuerit profluvium seminis ex corpore ejus, ex quo consistit corpus ejus segregandum est, quod corpus duplex hic tradit, id est, hoc quidem ex quo semen fluit, aliud autem, quod per fluxum seminis subsistit. Quia ergo ex inordinatè procedente semine generandum fuerat quoddam corpus, subsistereque poterat, necessario primum corpus, ex quo fluxus est ejus, qui seminis fluxum patitur, modis omnibus intelligitur. Aliud autem consistere, inquit, per fluxum, id est, hoc quod ex eo generari debuerat, atque subsistere, licet non generetur, propter quod et immundus est. Corpus autem ejus etiam illud secundum appellat, quia revera corpus ejus qui generat, est hoc quod ex eo generetur. Hæc est autem legis in principio nota, quia quemadmodum litteræ mandatum corpus semen effluentis intellexit, et propterea dicit: *Fluens semen ex corpore ejus*; secundo autem hoc quod ex eo generatur, recte subdens ex fluxu, quo consistit corpus ejus: sic contemplatio spiritalis corpus doctoris, ipsum quod ei creditum est verbum, et doctrinalem dignitatem rationabiliter intellexit. Corpus enim Christi doctrinale verbum Paulus appellat, sic dicens de eis qui verbum doctrinale decerpunt: *Corpus autem Christi. Nemo vos seducat volens in humilitate, et religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput ex quo totum corpus per nexum et junctiones subministratur, et constructum crescit in augmentum Dei*⁹¹. Corpus Domini aperte doctrinale asserens verbum; quod recte corpus doctorum dicitur: si quidem loco Christi sacerdotes et doctores sunt in Ecclesiis. Unde rursus secundum corpus eorum, quod ex eorum consistit fluxu, auditorem populum intelligimus, qui ex ejus doctrina generatur, qui eam, quam percepit divinam doctrinam fluit, corrumpendo eam, sive transgrediendo, de quo Paulus dicebat: *Si nos, aut angelus de celo evangelizaverit vobis præterquam quod accepistis, anathema sit*⁹². Recte immundus est qui ex sordida conversatione, vitæque impudica, vel ex ambitione primatus hoc patitur; ac propterea nefariam doctrinam exquirat, quæ delectet eos quos prurientes auribus Paulus dixit⁹³, et sanam doctrinam non sustinentes. Vel ipse cum sit impudicus, et secundum proprias passiones sive concupiscentias doctrinam fluat: et verbi gratia cum sit amator adulterii, respuit quod est de castitate mandatum: vel si comessator et ebriosus, jejuniarum legem: hic ergo, quia magistri censetur nomine, et non sana docet, sed corrumpit doctrinam, quam profert, non potest Deo filios procreare, unde et profluvium seminis pati dicitur. Nimis ergo rationabiliter subdidit:

Omnes dies profluvii corporis ejus, in quibus consistit corpus ejus in profluvium, immunditia ejus est. Quousque enim sic docet, et doctorale corrumpit

A corpus, ex quo corpus consistit populi, immundus est in semetipso, sicut ait, immunditiam habens, videlicet sermonem quem profert sordidum, impudicum et immundum. Propter quod et nimis ei conveniunt, quæ sequuntur.

Vers. 4, 5. « Omne stratum in quo dormierit, immundum erit, et ubicunque sederit. Si quis hominum tetigerit lectulum ejus, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua immundus erit usque ad vesperum. »

Nullæ alienæ docentium species sunt; *Quidam enim*, sicut ait Paulus, *per invidiam*; *quidam autem per contentionem*; *quidam vero per ignorantiam*; *quidam vero ex temerario multiloquio* (de quo dixit ille Sapiens: *In multiloquio non effugies peccatum*⁹⁴): *quidam autem ex eo quod delectantur in quorundam corruptione concupiscentiarum, doctrinalem convertunt sermonem*⁹⁵. Recte legislator, cum horum quosdam in sanctione lepræ, alios vero in ciborum differentia significasset, nunc rursus aliud genus eorum, qui ex impudicitia, et ex libidine alia docent, per hoc mandatum, quod est in profluvium seminis patientem, exposuit, sicut et superius approbavimus. Sed nunc et stratum in quo dormit, et ubi sedet, immundum legislator dicit. Paulus igitur nos, et Lucas doceant, quid de his arbitrari debeamus. Quia enim vas et stratum, non quoslibet ægros, sed hos significant, qui nimis sunt in doctrina sublimes, omnemque eam quodammodo capiebant, ita ut sederet in eis, ac portaretur ab eis doctor, aperte Lucas docuit, quando de Paulo Deus ad Ananiam dixit: *Vade, quia vas electionis erit mihi iste, ut portet nomen meum in gentibus et regibus*⁹⁶. Tanquam vas Christi doctrinam Paulus capiebat, ut imitaretur eum opere, et verbo, et passionibus. Propter quod nunc quidem dicebat: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christi*⁹⁷? — Nunc ergo: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*⁹⁸. Nunc vero rursus: *Impleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*⁹⁹. Stratum autem magistri, quia proprium est strati, ut in eo requiescat possessor ejus, modis omnibus ille per hoc discipulus intelligitur in quo propter nimiam obedientiam, magister ipse, et ejus spiritus requiescit. Quod manifestat Paulus ex his quæ ad Corinthios scripsit, laudans eos quod obedientes semetipsos Tito præbuerunt: *Abundantius autem gavisi sumus in gaudio Titæ, quia requievit spiritus ejus in omnibus vobis*¹⁰⁰. Eorum ergo qui impudica docent, et filiorum procreationi contradicunt, legitimæque respuunt nuptias, ut per hoc fornicationem introducant, propter quod et fluxum patientes seminis dicuntur, utpote genitale semen, et nuptiarum legem corrumpentes, de quibus Paulus dicebat: *Quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæ-*

⁹¹ Coloss. II, 18, 19. ⁹² Galat. I, 8. ⁹³ II Timoth. IV, 5. ⁹⁴ Prov. X, 19. ⁹⁵ Philipp. I, 15-17. ⁹⁶ Act. IX, 15. ⁹⁷ II Cor. XIII, 5. ⁹⁸ Philipp. III, 17. ⁹⁹ Coloss. I, 24. ¹⁰⁰ II Cor. VII, 15.

moniorum in hypocrisis, cauteriatum habentes conscientiam, prohibentes nubere, et abstinere a cibis, quæ Deus creavit ad percipiendum¹, stratum quidem, et vas secundum prædictum molium fluunt. Quicumque in tantum immundi sunt, ut nec mundationem eorum præciperet legislator: scit enim eos ita morbo affectos, ut pœnitentiam agere nullatenus possint: non enim ex ignorantia in tali doctrina, sed prava habitudine infecti, in impudicis corrupti, seu dissoluti sunt verbis: unde etiam in tantum libenter ei adhæserunt. Si autem quis tetigerit lectulum ejus, id est si particeps fuerit, sumpseritque de doctrina ejus, et non insederit dogmatibus ejus qui prava docet ac sordida, iniquorum ejus verborum discipulus existit. Sed discipulorum illius, ipsi siquidem sunt ejus vasa et stratum, qui audit eos, ipse quoque immundus est. Lavat tamen vestimenta sua per pœnitentiam, sicut sæpe diximus, et ipse lotus aqua lacrymarum vel baptismi, immundus erit usque ad vesperum; usquedum tempus compleat pœnitentiæ. Hujus enim figuram vesperum in multis gerit, et maxime, quia in consummatione sæculorum, id est, occasu præsentis sæculi, Christus nobis prædicavit pœnitentiam.

VERS. 7, 8. « Qui tetigerit carnem ejus, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua immundus erit usque ad vesperum. Si salivam hujusmodi homo jecerit super eum qui mundus est, lavabit vestimenta sua, et lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. »

Eum videlicet qui fit particeps doctrinæ, profana docentis, immundum esse usque dum semetipsum diluat per pœnitentiam, eam quam legislator præcepit, sive ultro quispiam particeps efficiatur prævæ doctrinæ, hoc est enim carnem tangere, fluxum seminis patientis, sive docentis ex opere inicit quodammodo semetipsum, introducitque sermonem doctrinæ suæ, hoc est salivam projicere. Propter quod Aquila, si super expuerit:

VERS. 9. « Sagma super quod sederit immundum erit usque ad vesperum. »

Sicut stratum in quo is qui fluxum seminis patitur, requiescit, et vas in quo sedet nimis, id est valde eum adhærentes disciplinas. quæ difficile mutari vel molliiri possunt. Sic etiam hic in *sagma*, sive ut LXX ediderunt, in *sagma asini*, negligentiorum quidem discipulum, sed tamen mollius habentem cor ad commutandum se: mollia enim *sagmata* asini legislator intellexit. Sed et is quia bonis magistris excuti, vel dilui atque respuere malum discipulatum potest: quia tale est quod LXX, *ἐπιτραγῶνα* appellant, id est, *stratura*; et ipse videlicet immundus erit, usquedum ad pœnitentiam se verterit.

VERS. 10. « Et omnis qui tetigerit quidquid sub eo erit, immundus erit usque ad vesperum. Et qui portaverit horum aliquid, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua immundus erit usque ad vesperum. »

A Generaliter sanxit non licere tangi fructum labiorum, eorum qui subjecti sunt effecti profana docentibus, qui subdiderunt semetipsos quodammodo, verbis atque incongruis doctrinis substernentes animas suas tanquam vasa, in quæ distillet impietatis venenum. Et tetigerit aliquid, immundus erit, seu is suo peccato susceperit, sive imposuerit quod facere quidam consueverunt, ipse quasi dicere se recta aut facere simulant, eorum autem qui prava docent, aut agunt, confirmant conatus, atque ideo qualiter se erga prava habeant convincuntur. Nihilominus ipsi secundum prædictum modum, habent necessariam pœnitentiam.

VERS. 11. « Omnis, quem tetigerit qui talis est, non lotis ante manibus, lavabit vestimenta sua, et lotus aqua immundus erit usque ad vesperam. »

B Necessarie præsentibus verbis usus est legislator ne omnino nobis fieret desperatio de conjunctione docentis prava, sed illam tantum, quæ est usquedum respiciat ad pœnitentiam, atque ideo sunt immundi, quoscumque fluxum seminis patiens tetigerit, id est quibus commistus fuerit. Non lotis autem manibus aqua, necdum videlicet suam vitam per pœnitentiam abluit: lavare siquidem manus, sordis cujusdam et maculæ depositionem manifestat. Propter quod David dicebat: *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumibo altare tuum, Domine*². Sordibus enim est, turpia et prava docens. Ex vitæ enim fallacia, et sordida conscientia ad hujusmodi pervenit doctrinam. Iste ergo, qui in malis docendis quibusdam semetipsum miscuerit, necdum ad pœnitentiam respiciens, et hic, immundus, pœnitentiam habet necessariam. Lavet ergo vestimenta sua, id est actiones, quæ nos opinionibus et sectis differentibus, sicut stola induunt. Qui ergo patientes snstinent malos, et ex conjunctione talia docentium ad actiones malas convertuntur, etiam propter hoc lavent corpus suum aqua, ut et suum templum a compassione verborum illorum purificent, et tunc certum erit quia mundabuntur. Nam etsi immundus fuerit usque ad vesperam, quod est usque ad tempus pœnitentiæ, sicut prædictum est, qui docet profana, sine dubio mundus erit post pœnitentiam.

VERS. 12. « Et vas fictile quicumque tetigerit qui fluxum seminis patitur, confringetur. Vas autem ligneum lavabitur aqua, et mundum erit. »

D In superioribus hujus legis, in qua dixit fluxum seminis patientem, quoslibet homines tangere diximus eos, quibus ipse se prava docens immiscuit, et sumpsit ad quamdam societatem sui, hoc enim est aperte tangere, unde et Paulus propter societatem muliebrem cavendam: *Bonum est, inquit, homini, mulierem non tangere. Propter fornicationes autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum*³. Hi ergo vasa ejus effecti sunt doctrinam qui ab eo, licet parvam, susceperunt: neque enim supersedit eis, id est non totam in ipsos suam doctrinam exinanivit, tetigit tamen, partem quamdam tradens. Permauent

¹ I Tim. iv, 4. ² Psal. xxv, 6. ³ I Cor. vii, 6.

igitur Actiles, id est fragiles et terreni ad lutum suum, et ad corruptionem luti intendentes, quia corrumpuntur etiam a paucitate verborum, necessarie conteruntur. Si autem lignei, quia lignea vasa luteis et fictilibus vasīs fortiora sunt, diutiusque subsistunt, aqua lavati mundantur. Neque enim insedit in eis, nec omnem ejus, sicut diximus, malam doctrinam susceperunt, quamobrem nec sic infirmantur, ut per pœnitentiam sanari non possint. Ergo intentio est legislatoris, ostendere qui pœnitentiam agant, vel quia non pœnitentiam agentibus salus offertur :

VERS. 13. « Si sanatus fuerit, qui hujusmodi sustinet passionem, enumerabit septem dies ad emundationem sui, et lotis vestibus ac toto corpore, in aquis viventibus erit mundus. »

Mundatio est ejus, qui fluxum seminis patitur, eandem corruptionem seminis nequaquam ulterius sustinere. Si ergo sordida pravaque ac nefaria quispiam docens cessaverit, utpote qui cessaverit, a tali impudicitia, mundus recte dicitur : Pro sordidis sermonibus autem, quos effudit prius, necesse habet septem dies dinumerare, ad omnimodam emundationem, quæ perficitur per adventum, subministrationemque spiritus, cujus septemplex donum nobis Isaias exposuit, cum ait : *Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, spiritus timoris Domini* ^b. Quibus omnibus egent, qui perfectam mundationem sibi procurari a malitia, quæ est in locutione, sive in operibus, sed et aqua viva lavant vestimenta et corpus. Quæ sit vero vis vestimentorum, et corporis, satis est in superioribus demonstratum. Aqua autem viva lavant, illa videlicet de qua Spiritus dicebat : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* ^c. Et rursus : *Quicumque bibit ex aqua quam ego do ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* ^d. Ergo mundatio prava docentis, per bonam legitimamque doctrinam provenit. Hæc est enim viva aqua, quia vitam ad se accedentis præstat.

VERS. 14. « Die autem octavo, sumet duos turtures aut duos pullos columbæ, et veniet in conspectu Domini ad ostium tabernaculi testimonii : dabitque eos sacerdoti, qui faciet unum pro peccato, et alterum in holocaustum, rogabitque pro eo coram Domino, ut emundetur a fluxu seminis sui. »

Qui septem dies numerabit sibi, id est operationes spiritus, hic octava die, id est in gratia videlicet Christi, quæ octava die resurrectionis enituit, seu claruit, sacrificium offerre jussus est. Quod est autem hoc sacrificium.

Id est, duos turtures, aut duas pullos columbarum. Dignum est hoc doctoribus sacrificium; ex alitibus enim sunt hæc animalia. Et quidem turtur quasi meditatorium est animal; columba autem propter generandi frequentiam, et propter simplicitatem

A sancti Spiritus designat imaginem; oportet enim doctorem meditationi spiritali operam dare. Propter quod ut sacerdotem et magistrum, sibi in ipsi sumere hoc sacrificium præcepit, quod in alio sacrificio nisi rursus sacerdotis alicujus fuerit ac magistri, dixisse nullatenus invenitur.

Ipsamque deferre hostiam in ostium tabernaculi testimonii. Ad apostolorum videlicet doctrinas; has enim esse introitum, aut verum tabernaculum testimonii, id est habitationem Christi, et conversationem, superius in sacrificiis ostendimus, ut ad apostolicam intentionem in futuro suam perficiat linguam. Sicut autem qui peccavit, et sacerdotii habitum in se infirmavit: atque inefficax reddidit, dare sacerdoti, et sacerdotii ministerium alii cedere jussus B est. Sed accipiens sacerdos duos turtures, aut duos pullos columbarum, quid facit?

Unum facit pro peccato, et unum in holocaustum. Ut hoc quidem sacrificii ad abluionem ejus, eorum quæ peccavit in doctrina contradicente legi proficiat: illud autem ad sapienter conversandum in futuro; hujus enim est signum in holocaustum.

Et sic deprecabitur pro eo sacerdos coram Domino, ut emundetur a fluxu seminis sui. Nec enim aliter quisquam mundationem coram Domino facere potest, id est secundum voluntatem, et legem Dei, nisi de his quæ peccavit pœnitens, et per sacrificia orationum satisfaciens, posteaque recte vivendo, ac perfecte sapiendo. Ergo qui suorum peccatorum emundationem alio modo peragit, pro hoc coram Domino non rogatur: neque enim ejus mundationem suscipit Deus, sed nec eos qui pro eo offerunt preces. Quamobrem sive ad doctrinam quis incongruam, sive ad vitam defluxit malam, sive utrumque, simul preces effundere, secundum quod dictum est coram Domino, qui habet in potestate dimittere peccata, festinet.

VERS. 16. « Vir de quo egredietur semen coitus, lavabit aqua omne corpus suum, et immundus erit usque ad vespem, Vestem et pellem quam habuerit lavabit aqua, et immunda erit usque ad vespem. Mulier cum qua coierit, lavabitur aqua, et immunda erit usque ad vespem. »

Necessariam habere regenerationem baptismatis humanum genus, ipse Dominus ostendit, dicens: *Nisi quis renatus fuerit aqua et spiritu, non intrabit in regnum cælorum* ^e. Cujus equidem sordis in nobis ex Adam inobedientia est transfusa, unde et David in iniquitatibus se natum, unde in peccatis asseruit esse conceptum, non matrem suam accusans ^f, sed peccatum innuens, quod decurrit ex genere. Et nunc legislator eum, de quo semen egreditur coitus, id est eum qui pro filiis procreandis semen effudit, sed et mulierem quæ suscepit, lavare corpus præcepit ob hoc, quia semen suscepit, per quod hoc templum nostrum totum, id est, integer homo describitur ex anima et corpore. Quomodo

^a Isa. xi, 2.

^b Joan. vii, 38.

^c Joan. iv, 14.

^d Joan. iii, 3.

^e Psal. l, 5.

ergo animam divina Scriptura appellat eum, qui est ex anima et corpore, hominem: sicut quando dicit: *Descendit Jacob in Ægypto in septuaginta quinque animabus*⁹; sic corpus rursus totum appellare hominem consuevit. Quod ostendit Liber Genesis Joseph frumenta ministrasse fratribus, per corpora dicens. Quia autem sordidus effectus per inobedientiam Adam sordidum esse etiam semen suum fecit: necessarieque corpus sordidum est, eo quod ex semine procedit in quo immundum est usque ad vesperam, id est sæculi finem: quia in fine sæculorum Christus veniens ostendit aquam, qua genus nostrum mundaretur: et quia permansimus usque tunc immundi, probatur ex eo quod et hi qui necdum peccaverunt, id est, in ætate infirma constituti, signaculum baptismi necessarium habent, ne forte morte superveniente sordidi transeant: sordem quæ ex Adam descendit, in semetipsis habentes, et propterea non valentes in regnum intrare cælorum. Vestem, et pellem quam habent cum coeunt, videlicet immunda esse, et lavari debere, duarum rerum præcepit gratia: nam extendit legem atque manifestat, quantum corpus humanum propter unam inobedientiam sordidum sit effectum, ut etiam insensibilia ex eis polluantur. Deinde per hæc manifestas facit mulieres, quæ libidinis causa, viris ad quemdam temporalem commiscerentur usum, qualem solent vestimenta præbere hominibus, sicut et abusus pellium quæ inveterate projici solent. Nam et illarum consuetudo veterascente amicitia respuitur, atque in more vestimentorum, seu pellium commutatur, neque enim semper cum eis vivunt, cum quibus inordinate concumbunt. Hoc ergo modo intelligentes Mosaicæ legis verba, maximum ex eis juvamen capimus, et a legis quæstione quiescimus. Nec reprehendere eam possumus, ut superflue punientem, et de his exigentem pœnam, quæ in nostra voluntate non sunt: fluxus enim seminis non ex nostra evenit voluntate, sed et ex infirmitate contingit. Rursus virum mulieri coherere, et muliere viro, compellit naturale consortium, et Dei definitio quæ ait: *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ*¹⁰. Nam etsi Adæ hæc verba sunt, tamen ex divino hæc dixit Spiritu. Unde et Christus quando Phariseo non dimittendas mulieres dicebat, horum quæ nunc diximus memoriam faciens, ad Deum ea, sicut ab eo dicta, retulit, ait enim: *Qui ab initio fecit masculum et feminam fecit illos, et dixit: Propterea relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ*¹¹. Ergo non pœnam eorum quæ contra voluntatem contingunt, exigit, nec quasi a sordidis his, qui secundum ejus conjuncti sunt legem, sed in his quidem qui fluxum seminis patiuntur, corruptos doctores, qui ingrati sunt filiorum procreationis. Hic autem Adæ inobedientiam, utpote ex ea genere humano sordido effe-

cto, et semine, ex quo genus accusat. Non est autem admirabile, si mulieres, quæ non filiorum gratia, sed propter usum turpitudinem cum viris habitant, vestem et pellem intelligere legislatorum diximus: vestimenti enim, et in malo aliquo, atque contra legem, usum in divina Scriptura acceptum invenis, sicut David dicit: *Et induit se maledictionem sicut vestimentum*¹². Et rursus: *Induantur qui detrahunt mihi reverentia*¹³. Pellis autem quando aliquid boni significat, tunc non simpliciter ipsa pellis, sed pellem ad opus aptam legislator edit, et hoc quod factum fuerit opus ex ea, aut quod fiendum est ex ipsa, per eam demonstrat. Nunc autem, quia hoc non dixit, neque in sacrificio pellis assumpta est, sicut cum decoriatus holocaustum in incongruam commistionem positum est. Non ergo per stratum seminis, id est per coitum legalem, ex quo semen efficitur, pellem polluit, aut perfundi dixit: necessarie ergo eam qua quis abutitur mulierem, pellem intellexit. Illud tamen ubique custodis, quia ad sanctificationem et castitatem, Judæorum genus legislator trahens, nimis enim quidam eorum luxuriæ serviebant, hæc contra eos qui qualitercunque effundunt semen, et eos qui hæc tangunt ad emundationem, et præcipiens ut saltem sic casti efficerentur, et luxuriosus abstinerent commistionibus, fastidio laboris frequentium purificationum. Hanc enim intentionem secundum litteram, et in subsequentibus lex habet, licet aliquid aliud secundum spiritum signet, sicut ipse expositurus sum, quia nec ipsum, qui hic est, spiritalem intellectum prætereo. Quemadmodum ergo illum qui fluxum seminis patitur, eum qui corrumpit doctrinam, intelleximus, sic de quo semen coitus egreditur, eum qui ad Judæos pertinentem doctrinam sectatur intelligimus. Nam sicut effundens nature et sanum semen, propter sordem tamen Adam immundus est, sic et eorum sana, propter legem quæ putatur doctrina, sub culpa est et reprehensibilis, quia litteram docet, quæ maledictionem infert discipulis suis; neque enim possibile est quempiam per illam perfecte corrigi. Unde Mosaicæ maledictioni discipulos suos subdit: ipsosque Judæos, qui in mulierum coeuntium accipiuntur figura, utpote qui semper adhærent, et conquescent doctoribus institutionum suarum. Hoc autem ipsum et in eos qui in præputio sunt operantur, quando doctrinæ eorum semen suscipiunt, quos vestimentum et pellem esse dicimus, utpote temporaliter et transitorie doctrinas eorum, non ut et ipsi procreent aliquam legalem justitiam, suscipiunt: nam quomodo possibile est hoc, in præputio permanentibus, sed ut per sermones eorum et ipsi maledicti legis pollui, accipiantur.

Vers. 19-25. « Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur. Omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad

⁹ Deut. x, 22.¹⁰ Gen. ii, 24.¹¹ Matth. xix, 4, 5.¹² Psal. cviii, 18.¹³ Psal. xxiv, 26.

vesperam. Et in quo dormierit, vel sederit diebus separationis suæ polluitur. Qui tetigerit lectulum ejus, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua, pollutus erit usque ad vesperam. Omne vas super quod illa sederit, quisquis attigerit, lavabit vestimenta sua, et lotus aqua pollutus erit usque ad vesperam. »

Intentio legislatoris est a muliebri libidine abducere hominem, simulque cum viris et mulieres prohibere a turpis commisionis causa. Non enim hoc pro filiorum procreatione agi, maxime ea quæ nunc dicuntur, affirmant. Invenit enim modum quo per varia temporum, ac plurima intervalla, ab ingressu muliebri separet viros: nam mensibus singulis fluxum sanguinis patiuntur. Septem autem diebus immundas eas esse, eosque etiam qui simplici tactu eas contingunt, immundos esse usque ad vesperam præcepit. Qui vero cum his dormiunt, non una die immundos, sed septem dies esse dicit. Ergo subdierum multorum continentia, tam mulieres a viris, quam viri a mulieribus necessitate cohibentur. Et his quidem sensibilis Judæus, et secundum carnem Israelita juvari per litteram poterat; hoc est autem verissimum juvenem spiritualis considerationis, quod est intus inclusum. Fluxus enim sanguinis animæ, cujus personam, utpote effeminatam, et fortitudinem pietatis prodentem, in muliere nunc legislator insinuavit, idololatria est. Hujus secundum quod LXX edunt *fluxus in corpore ejus*: corruptio enim, seu perditio est humani generis, idololatriæ sanguinis effusio. Propter quod non dixit de corpore ejus, neque enim a nobis est idololatria adinventata, sed a dæmonibus: in corpore videlicet generi nostro inflicta est, et corruptio humanæ est affecta naturæ. Sed et tempora denuntians, in quibus idololatria obtinuit, de quibus Paulus dicebat: *Et quidem tempora ignorantia despiciens Deus, nunc annuntiat omnes ubique penitentiam agere*¹⁴. Quid dixit: *Septem diebus separabitur?* Quod alii: *Erit in purgatione sua*. Alii vero interpretes: *In separatione iniquitatis suæ*. Alii autem *miseriæ* ediderunt, ut per septenarium dierum numerum, tempora significaret. Spiritus qui usque ad completionem temporum sunt, in qua completionem evangelica provenit prædicatio, in his separati a Deo per idololatriam homines in separatione iniquitatis, et miseriam necessario erant, usque dum Deo per evangelicam conversationem conjungeremur, quæ in octavam diem accipitur: quia signum, et principium, et ara quodammodo sæculi est futuri, propter quod, et octava die Salvatoris processit resurrectio. Non solum autem idolis serviens anima, sed et is qui eam tangit, id est, qui particeps ejus efficitur: et multo magis hic, qui in quo dormit, vel in quo sedet, utpote qui doctrinæ ejus, et traditionis particeps vel qui coierit cum ea, immundus erit, et mundationis opus habet, nec

aliter mundatur, nisi lavatus aqua. Quid ait autem aqua in præcelentibus diximus, intantum oportet ab omni idololatriæ malitia abstinere, et nec eos qui idolis serviunt, nec hos quibus illi quasi organis, vel quasi lectis, aut vasis utuntur, contingere: id est in nullo cum eis communionem habere, ut Paulus prohiberet etiam in idolio recumbere, ac multo magis comedere idolothytum¹⁵. Sed hæc quidem parum nocent, nec pollutionem habent. Sed illo die immundum esse dicit legislator:

VERS. 24. « Si autem aliquis coierit cum ea, tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem dies. »

Id est, si quis malo, et actioni animæ idolis servientis communicaverit, immolans forsitan et ipse idolis, sive libans, aut aliquid agens idolorum servituti proximum: hoc est enim cum fluxum sanguinis patiente dormire, multipliciter peccato polluitur. Propter quod pro una die septem diebus eum immundum esse præcepit, sicut qui omnem suam vitam, et omnem suam conversationem fecit idolis serviendo sordescere.

VERS. 25-27. « Mulier quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis, non tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quando huic subjacet passioni, immunda erit, quasi sit in tempore menstruo. Omne stratum in quo dormierit, et vas in quo sederit pollutum erit. Quicumque tetigerit ea, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperam. »

Quantum vindicet spiritus Dei legis contemplationem, et lectionem litteræ his quæ per partes sanciantur, ostendit: quia enim fluxum seminis patientem, qui habet in lege obscenam et corruptam doctrinam, olim diximus, et de quo coitus semen egreditur, Judaica utente doctrina. Restabant hi qui paganorum doctrinam docent: ecce etiam ipsos nunc opportune subinfert esse. Ergo fluxum sanguinis, idolorum seductionem, et errorem diximus, utpote genere dæmoniorum sanguine gaudente, et non solum pecorum, aliorumque animalium irrationabilium, sed etiam hominum sacrificia præcipientia, ita ut in multis locis apud eos talia celebrarentur mysteria, veluti Dionysii et Dianæ, aliorumque dæmonum, in tantum fluxus sanguinis apud eos inoleverat: Attende autem nunc, quibus verbis legislator usus est.

Mulier quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis non tempore menstruali. Quod LXX sic ediderunt: *Mulier si fluat profluvium sanguinis dies complures*. Non dixit, si fluit sanguinem, quod est idolis servire, sive immolare: sed *Si fluxerit fluxum sanguinis*, id est, si fluit maculam et errorem idololatriæ: facit autem hoc non in tempore menstruali, id est, non in temporibus quibus idolorum servitus obtineat, hæc esse menstrualia tempora, in illis verbis, in quibus de ea loquebamur, ostensum est.

¹⁴ Act. xvii, 30. ¹⁵ I Cor. xviii, 8-11.

doctores non excedant, sed nec occasione theologiæ in impietatem cadant, quod mos est hæreticis pati. Substantiam vero discutientes Dei, tam Patris ad Filium, quam Filii ad Spiritum sanctum, differentiam introducunt, et alia similia quæ nostram excedunt scientiam, absconsa: quæ sunt nobis sicut nimis alta atque sublimia, non ex divinis dogmatibus, sed ex suis cogitationibus exquirere volentes, a mōderationis ecclesiasticæ excisi sunt corpore. Hoc ergo ne patiamur, lex præsentibus nos præmonet verbis; ait enim sic:

Et dixit Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron fratrem tuum. Id est, ut sacerdotes sibi invicem hæc præciperent, et unusquisque doctorum talia proximo sanciret, qualia nunc Deus loqui ad Aaron Moysi præcepit, quæ sunt hæc:

Non omni tempore ingrediatur in sanctuarium quod est intra velum coram propitiatorio: quo legitur arca. Commune omnibus mandatum, et commune hic proposuit legem, primum quidem sacerdotibus aptam, deinde omni qui vult discutere divina mysteria. Quamobrem, secundum LXX, impersonaliter præcepit, dicens: Non ingrediantur omni in tempore in sanctum interius velaminis. Qui non addidit, omnes prohibere ab hoc manifeste cupiens, quia velamen corpus Salvatoris intelligitur, sicut Paulus evidenter ait: Habentes autem confidentiam in introitu sanctorum quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est per carnem suam²⁰. Ipse est enim verum et intelligibile propitiatorium, utpote qui ipse nobis peccatorum propitiationem præstat; ait etenim idem Paulus: Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ejus, liberationem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per sanguinem ipsius²¹. Quod autem nos habemus, Coram propitiatorio, LXX ediderunt: Coram facie propitiatorii. Huic autem propitiatorio facies, divinitas ejus fuit. Quamobrem quando Moyses videre Deum desiderans dicebat: Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum²². Et respondit: Non poteris videre faciem meam; nemo hominum vidit faciem meam et vixit²³: quia substantiam Dei nemo comprehendere potest, hoc dixit. Quid autem ejus possit videri, ipse aperte subdidit dicens: Ecce est locus apud me, stabis super petram²⁴, id est Ecclesiam, et confessionem quæ in eo est, cum fide dicens: Cumque transibit gloria mea, significans Christi ad homines transitum: et ponam te in foramen petre²⁵, id est, in lege, sicut per foramen angustum, ad confessionem Christi et fidem, per eam transimus, unde et pædagogus noster ad Christum, lex esse per Paulum dicitur²⁶. Et ponam super te manum meam, signis videlicet, miraculis quæ cum eis faciebat, donec transeam, tollamque manum meam, et videbis posteriora mea²⁷.

A Quando ergo a populo Judaico in cujus nunc figuram, utpote principem populi Moysen accepit, protectricem Deus abstulit manum, et sua eum virtute nudavit in tantum ut Romanis tributa præstarent, ut sub leges eorum et principes degerent, tunc viderunt posteriora Dei, id est Dei incarnationem. Posteriora autem ejus, quia videlicet in ultimis est temporibus incarnatus. *Faciem autem non videbitis*, ait, substantiam videlicet Divinitatis. Aperte ergo doctores vetuit, et sacerdotes prohibuit, et quos cunque de Deo loqui fas est, exquirere substantiam Dei, et discutere Christi divinitatem, et ingredi interiora velaminis intelligibilis. Velamen enim Christus habet carnem, tegumentum divinitatis suæ, quemadmodum et hoc quod erat sensibile velamen tegumentum Sanctis sanctorum fuit. Non solum autem velamen, sed et testimonii arcam, carnem Domini appellavit, multis illam necessario appellans nominibus, quia multæ ex ea erant operationes; de hac enim David in Psalmis prophetavit: *Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ²⁸*. Hæc arca intelligibilis testimonii, utpote continens compassionem salutarem dicitur, de qua dixit Paulus: *Testificor coram Deo, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilata bonam confessionem²⁹*. Rursus et Evangelium dicimus esse testimonium, tam quia intelligibili arcæ, id est carni, Christi cohæret, quam quia ex ipso passionis testimonium habemus. De ipso enim et Paulus ad Timotheum scribebat: *Testimonium temporibus suis, in quo positus sum ego prædicator, et apostolus³⁰*. Hæc arca ergo est propitiatorium, quia in carne sua Christus nobis propitiationem præstitit. Ad quam omni tempore non præcipit doctores ingredi, ut curiose utique non inquirent, quemadmodum *verbum caro factum est³¹*: quomodo, qui in forma Dei erat, in forma servi factus est, quomodo exinanivit semetipsum, et in cælis mansit³². Horum enim fides salutem affert, periculum inquisitio. Hoc ergo qui credit, non morietur. Quia *in nube*, inquit, *apparebo super oraculum sive propitiatorium*, nubem rursus Dominicam carnem et evangelicam appellat Verbum. Eadem enim multis vocat nominibus, nec est ταυτολογία, sed operationibus rerum quæ significantur, apta imponit et distribuit nomina. Aliquando enim velamen carnem dicit, tegumentum hanc esse divinitatis Christi significat; aliquando autem arcam, hominem videlicet quem ipse Dominus exponens Judæis dixit: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud³³*. Quod, Judæis ignorantibus, et dicentibus: *Quadragesima et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud³⁴*? Evangelista explanavit, dicens: *Ille autem dicebat de templo suo³⁵*. Aliquando vero nubem, quia nubes corpus est, sed mundum et subsisten-

²⁰ Hebr. x, 19, 20. ²¹ Rom. iii, 25, 24. ²² Exod. xxxiii, 15. ²³ ibid., 20. ²⁴ ibid., 21. ²⁵ ibid. 22. ²⁶ Galat. iii, 24. ²⁷ Exod. xxxiii, 25. ²⁸ Psal. cxxxv, 8. ²⁹ I Tim. vi, 13. ³⁰ I Tim. ii, 6-7. ³¹ Joan. i, 14. ³² Philipp. ii, 6, 7. ³³ Joan. ii, 19. ³⁴ ibid., 20. ³⁵ ibid.

tiam ex Spiritu sancto habentem : ex spiritibus enim, id est ventis nubes subsistunt. Propter quod ejus subtilitate simul et levitate munditiam Isaïas ostendens dicebat : *Ecce Dominus ascendit super nubem levem, et ingreditur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti* ³⁸, nube similiter non incongrue evangelicum appellamus verbum, quia mos est divinæ Scripturæ sancti Spiritus doctrinam, nubem appellare. Unde et vineam Judæorum sicut infructuosam, auferens dicebat : *Mandabo nubibus, ne pluant super eam imbrem* ³⁹. Deinde quæ sit vinea, exponens subdit : *Vinea enim Sabaoth, domus Israel est, et domus Juda, novellum deiectum* ⁴⁰. In hac ergo nube, Deus tam in Dominica carne, quam in evangelica prædicatione insinuat, et nihil amplius quæramus nos qui aliquid de Deo scrutari volumus, sed quantum nobis evangelicus sermo tradit, quanta ex Dominica carne percipimus : neque enim frustra uno nomine carnem Domini, et Evangelium legislator significavit, sed quia Evangelio, et carne Dominica, occasio atque subsistentia est. Verumtamen et illa nunc iteratio confirmat, quia non solum hoc ipsum differentibus nominibus divina nomina Scriptura ut differentes operationes signet, sed in nominibus differentiam ostendit, plerumque etiam contrariam : nam aliquando quidem sagittas malas, et igneas, illas quæ sunt concupiscentiarum, aut alterius nequitie organa, et operationes vocat igni diabolum assimilans, quia corrumpit eos qui ei se conjungunt, et in eo se quodammodo mittunt. Aliquando autem in specie ignis, tam alibi, quam in rubo Deum insinuat, quia lux est eorum qui ad eum per singula accedunt tempora, calorque vitalis atque purgatio. Non ergo æstimes superflua sive nova induci per expositionem, quando eisdem nominibus in differentibus utitur causis, aut nomina differentia in eisdem accipit rebus. Sed illud intende tantum si non proprie, et secundum tempus, significationes nominum in adjacentibus expositioni rebus interpret accepit. Sed jam quæ sequuntur videamus. Sed sic ingreditur Aaron sanctuarium.

VERS. 3, 4. « Vitulum offeret pro peccato, et arietem in holocaustum. Tunica linea vestiatur, et femoralibus lineis verecunda celabit. Accingetur zona linea, cydarim lineam imponet capiti. Hæc enim vestimenta sunt sancta, quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur. »

Admirabili ordinis etiam nunc legislator ad ea quæ juvare possunt, et utilia esse legentibus legem, et qui thesaurum reconditum in ea perscrutantur, utitur. Cum enim dixisset non licere omni hora, id est non continue, id est, sine intermissione ingredi in Sanctam sanctorum, ne forte sine metu, et circumspectione ad ea quæ divina sunt, presumamus aut accedamus, ne majorem perscrutationem omnino prohibuit, sed quando nos hac, aut

A quomodo jubet uti quando nosmetipsos perfererimus sive consummaverimus, nunc tradidit, id est non ingrediatur Aaron in sancta, nisi hæc fecerit. Hic ostendit, quia non solum non frequenter, sed nec omnino non ingredi in sublimiorem divinam contemplationem præcepit, quam et appellavit sanctuarium, utpote quæ de Deo est, qui Sanctus sanctorum est, et cum qui bene ea vitur, sanctificat, sed qui utique Aaron est, id est, altam conservationem habens, et qui in tantum proventus est, ascendens ad Dei sanctificationem, ut sicut divina arca respondere possit, hoc enim Aaron interpretatur, hic ingrediens, vitulum offeret pro peccato, videlicet in sacrificio ingreditur Christi. Qui quia non solum pro peccatis nostris immolatus est, sed et vitam nobis præstat perfectam, tamen peccatorum nobis absolutionem, quam virtutum perfectionem Dei sacrificium conquirat, et apponit, addidit legislator.

Et arietem in holocaustum. LXX autem ediderunt, de vitulo. Ex bobus illis operatoribus justitiæ, secundum carnem factus est, verbi gratia, Abraham, Isaac, Jacob, David ; nam boves lex, eos qui justitiam operatur, novit sicut nobis Paulus tradidit, illud interpretans mandatum : *Non alligabis os bovi trituranti* ⁴¹ ; deinde subjecit : *Nunquid de bobus cura est Deo* ⁴² ? an propter nos utique dicit : *Quia debet in spe qui rat arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi* ⁴³ ? Quia autem et vitulum, recte propter sacrificium, et virtutem appellatur, evangelica explanat parabola ⁴⁴, in qua prodigo filio pater revertenti, primam stolam dans baptismatis et annulum, id est signaculum spiritus, vitulum ei sacrificium unigeniti immolavit, ipse et aries in holocaustum est. Hoc enim ea quæ est de Isaac historia explanavit, quando pro arietem secundum LXX, in virgulto Sabech, id est in virgulto veniæ, per quod absolute crucem intelligimus, in qua nostrorum peccatorum peracta est venia, ex cornibus colligatum videns Abraham immolavit eum, et sacrificii Christi complexit imaginem. Unde et de eo Dominus dicebat : *Abraham exultavit, ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est* ⁴⁵. Quia ergo aries ex genere ovium est, verumtamen est præcipuus, et gregis dux, recte significat Christum, qui est ex massa nostra, sed præcipuus, et excellens nos, et dux generis humani atque rex est. In hoc, id est in Christo, vult nos ingredi in sancta : initium enim de Deo loquendi, Christus est, et ejus passio. Quæ si non aucta fuisset et tam paganorum nos errore, quam ab umbra legis et caligine liberasset, nos de Patris divinitate loqui minime potuissemus : *Nemo enim scit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* ⁴⁶. Sed quia his, qui de Deo locuturus est, et intueri Deum, in quantum possibile est hominibus, vult, necesse est ut omnibus virtutibus arme-

³⁸ Isa. xix, 1. ³⁹ Isa. lv, 3. ⁴⁰ ibid. 7. ⁴¹ I Cor. ix, 9. ⁴² ibid. ⁴³ ibid. 10. ⁴⁴ Luc. xv, 11 seqq. ⁴⁵ Joan. viii, 56. ⁴⁶ Luc. x, 22.

tur. Attende et hoc quemadmodum approbavit: virtutes enim quatuor generales sunt, justitia, castitas, fortitudo, sapientia; propterea inquit:

Tunica linea induetur. Id est justitia, hæc enim proprie vestimentum hominis est, tunica, quam LXX *sanctificatam* edunt, quia sanctificatur a Deo qui justitiam diligit, et principaliter ea indutus est. Unde de eo dixit David: *Justus Dominus, et justitias dilexit* ⁴⁷. Per feminalia castitas significatur, quod manifestum est ex eo quod non permittunt videri carnis nostræ inhonestiora. Quia ergo totus corporis decor castitas est, necessarie legislator ait:

Feminalibus lineis verecunda celabit. Atqui super femora, et circa vicina eis membra, solum sunt feminalia. Sed ostendere vult, quia feminalem hic castitatem, totum corpus custodientem carnis nostræ signat. Per zonam, fortitudinem intelligit, unde Deus Job sublevans passionibus ac periculis oppressum dicebat: *Accinge ut vir lumbos tuos* ⁴⁸. Per cydarim, quia indumentum capitis est, intelligitur modis omnibus sapientia: quia enim in capite sapientiæ est organum, non ignoramus, quod et cerebrum dicitur, et unde et caput omni est honorabilius corpori. Sed hæc linea propterea esse præcepit, ut ostenderet virtutum facilitatem, et celerem acquisitionem, vel habilem, gratamque adipiscenti esse, sicut et ea quæ linea sunt corpori, super quod sunt.

Nisi in ipsis macula effecta fuerit. Quia etiam cum sublimes sint, conversatio eorum potest esse in terris. Quorum singula in linum proveniunt, quod altum quidem calamus habet, sed multum a terra ascendit, facileque conquiri potest a pauperibus, et ei qui hoc induetur, acceptum gratumque est, sicut supra diximus. Æstuantem etiam refrigerat, sed et in gelu fovet, quod est virtutis proprium, quæ refrigerat quidem in æstu concupiscentiarum, in frigore autem tentationum calefacit, atque ad zelum [cælum] erigit, et non permittit sentiri persecutores. Sed ut non etiam salutis perdas capitulum, quod est baptisma; nec æstimes tibi sufficere virtutes, sine dono baptismatis, addidit:

Hæc enim sunt vestimenta sancta, quibus cunctis cum lotus fuerit induetur. Lavatur omne corpus per aquam baptismatis, quia torum nostrum lavat, et renovat hominem. Ergo baptizari oportet prius, et ex aqua regenerari, ac Spiritu, ac sic prædictis virtutibus indui, et per eas Christum: hoc enim et ipse contextus legalium signat verborum. Postquam enim dixit legislator, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, nisi hæc ante fecerit:

Vitulum pro peccato, subdidit: et arietem in holocaustum. Tunica linea vestiatur, et reliqua. Non solum Christum intelligibilem arietem, et verum

A holocaustum, virtutum videlicet perfectionem; ipsum enim virum perfectum, et mensuram ætatis appellavit, suscipere nos, et indui volens, propter quod et baptismatis gratiam introduxit: quia per ipsam maxime Christum induimur. Quando autem hæc adepti fuerimus, in Sancta sanctorum ingrediemur, non substantiam perscrutantes Dei, vel discutientes, hoc enim prohibitum est, sed ad ea quæ sunt de dispensatione Christi sacrificioque ejus pro nobis, et bonis quæ per ea fruimur, sapientiæ dogmatibus studium dantes: hoc enim manifestum faciunt maxime quæ sequuntur:

Vers. 5, 6. « Suscipiet ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se et pro domo sua. »

Multi hic inſentio, dicentes simul, et audientis est necessaria, ut non recedat ab eo quod rectum est, quia maxima sunt mysteria, ea quæ nunc exponit lex, et quidam in ipsis offendunt ignorantes horum virtutem dictorum. Sed hæc quidem, in quibus offendunt, subtilius in subsequentibus dicentur. Quia autem ad ipsum Christum ea de quibus locutus est legislator, in præſenti evidenter referuntur: manifestant species sacrificiorum, et effectus, sed et hi a quibus sacrificia accipiuntur. A synagoga enim, vel universa multitudine filiorum Israel accipi sacrificia præcepit: quia Christus qui pro nobis immolatus est, ex filiis Israel secundum carnem fuit, ita ut Paulus diceret: *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen* ⁴⁹. Dein sacrificiorum alia quidem pro peccatis: alia autem in holocaustum jubet offerri, figurans, sicut oportebat, Christi sacrificio virtutem, qui pro nostris peccatis offertur; audi ergo Paulum dicentem: *Christus semel oblatus ad multorum exhaurienda peccata, novissime sine peccato apparebit expectantibus se* ⁵⁰. Quia autem ad holocaustum et ad perfectionem videlicet, et ad profectum vitæ, atque virtutum Unigeniti sacrificium factum est, quomodo dubitare licet aperte Paulo dicente: *Ergo fratres, et vos mortificati estis legi, per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemur Deo* ⁵¹. Et rursus de eo dixit: *Unde et salvare in perpetuum potest, accedentes per se ad Deum* ⁵². Sic perfectio, et omnimoda nostra salus, filius per sacrificium suum factus est. Proprie autem in effectibus sacrificiorum, accepit legislator ea quæ immolabuntur: cum enim dixisset hircos pro peccato offerri, quoniam hoc animal in peccatorum genus divina Scripturæ accipere consuevit, nullatenus immemores, quia, quando sacrificiorum hæc pœnitentiæ rationem significabant, occasionem ex legali hoc codice sumentes exposuimus: hædum, qui Græce chimarus dicitur recte immolari ab eo qui pœnitentiam agit,

⁴⁷ Psal. x, 8. ⁴⁸ Job xxxvii, 5. ⁴⁹ Rom. ix, 5. ⁵⁰ Hebr. ix, 28. ⁵¹ Rom. vii, 4. ⁵² Hebr. vii, 25.

ostendimus : utpote in tempestate, et fluctu constituti, usque dum poenitentiae ejus suscipiatur sacrificium. Arias autem utpote ducatum gregi praebens, deputatus recte in holocaustum, id est in virtute et perfectione vitae accipitur, quorum est enim nisi praepositorum docere perfecta? His ita se habentibus, omnimodo dicis. Cur si hircos pro peccato lex praecipit offerri, nunc etiam vitulum offerri praecipit? Una autem ratione, brevique solvi atque explanari potest, quia non unius generis, sed tam peccatorum, quam justorum est Unigeniti sacrificium. Et propterea hirci, pro genere quodammodo peccatorum offerri praecipiuuntur, vivus autem pro justis, quia bos, cum sit ad operandum aptum animal, in persona justii secundum legem accipitur.

Unde et in vitulo, ait, orabit pro se, et pro domo sua. Domum Dei justos appellans, habitat enim in eis, et inambulat. Ipse est eorum Deus, et illi ejus populus. Deprecabitur et pro eo, id est pro domo propriae carnis, nam etsi peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus⁵³, verumtamen Adam indultus est, qui propitiationem, propter maledictum quod semel humano superinductum est generi, opus haberet. Audi ergo Paulum ad Hebraeos de Christo talia scribentem : Qui non habet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes, primum pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populis : hoc enim fecit semel se offerendo⁵⁴.

VERS. 6-10. « Cumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se, et pro domo sua, duos hircos stare faciet coram Domino, in ostio tabernaculi testimonii, mittetque super utrumque sortes, unam Domino, et aliam capro emissario : cujus sors exierit, Domino offeret illum pro peccato; cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eum et mittat illum in solitudinem. His rite celebratis, offeret vitulum, et rogans pro se et pro domo sua. »

Solent caeci in lumine offendi, et infideles in lege Dei scandalizari, quod Petrus sciens, tam de Pauli vasis electionis epistolis, quam de omni divina Scriptura dixit : In quibus sunt quaedam difficultia intellecta quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem⁵⁵. Hoc et nunc patiuntur, qui ad suam voluntatem, et non ad veram intentionem intelligunt legem Dei, et noxium animae ac pestilentem idolorum cultum constituere ex his, quae dicta sunt a legislatore, inaniter cogitant. Nam dicunt : Super duos hircos lex sortem mitti praecipit, unum Domino, alterum autem ad emissionem separari praecipit. Emissarium autem appellant diabolum, ut ex hoc occasionem praebent ad colendum malignum in tantum aures obturantes, et in tantum mente caeci. Quomodo ergo habeat rationem, haud credibile est, quod Deus ipse sacrificium diabolo offerri praecipiat, qui

A per ipsum Moysen, et fratrem, et filium et filiam, et civitatem integram, quae ad idola convertitur, disperdi praecipit, et clamat : Non erunt tibi dii alii, absque me⁵⁶. Per David autem dicit : Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum⁵⁷. Ille ergo qui haec praecipit, pro eo quod suam gloriam, ac sacerdotium, et cultum aequaturi, et cum eo divisiuri erant, hoc jubet, ut duobus hircis oblati unum praeciperet sibi applicari, alium autem adversario suo, quem emissarium pulant dici. Sed non cognoverunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulantes. Emissarium enim, eum hircum, qui mittitur in desertum, legislator appellavit. Nos autem ex his quae ad litterae legalis traditionem pertinent, quemadmodum non esset verisimile hoc praecipere

D legislatorem demonstramus, deinde intentionem sanctionis ex spiritus consideratione exerceamus. Duos ergo hircos statuere coram Domino in ostio tabernaculi testimonii praecipit, non autem eos ablutos esse Deo, hoc est enim coram Domino, ne ad ostium Dei ea quae diabolo mittebantur, sed et sortem mittere, unam Domino, et unam lustrationis praecipit. Si autem in alicujus maligni personam emissarium accepisset, nequaquam de eo, cum eo qui Dei erat, sors mitteretur, quia nec cum quolibet et malo quemlibet bonum sortem habere in divinis Scripturis invenies. Sed quoties sors mittebatur, aequales cum aequalibus mittebantur sortes, sicut et tribus Israel, dividebant; nam quando pro Juda ad apostolatam alium eligere necesse habebant, super duos viros aequales virtutibus, et doctrina, Matthiam videlicet, et Joseph justum, sortes missae sunt, ita ut Petrus concionando diceret : Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus, accipere locum ministerii hujus, et apostolatus⁵⁸. Non solum autem antequam sors mitteretur in duos hircos, coram Domino eos sisti praecipit, sed et illum in quo sors emissionis venit, postquam eadem sors super eum ceciderit, et manifestum fuerit statui coram Domino praecipit et effundi super eo preces. Quomodo ergo qui ante faciem Dei statutus est, eique quodam modo consecratus, ipse rursus diabolo mittitur? Vel quo modo propitiationem peccatorum, hoc quod iniquo transmittitur, sacrificium peragit? Si enim ejus intentio est etiam justos peccatores efficere, quomodo peccatoribus propitiationem poterat profligare? Quomodo autem is ipse peccator, de quo ait David : Constitue peccatorem adversus eum, et diabolus stet a dextris ejus⁵⁹, propitiationem potest conquirere peccatorum? solius quippe hoc Dei est, ad quem David dicebat, Et propitiare peccato meo, copiosum est enim⁶⁰. His ergo ita se habentibus, et undique incongruo hoc ostenso intellectu non ignoremus nos, quia de Christi sacrificio procul dubio maxime haec legislator dixerit. Unde aestimo mali intellectus zizaniam

⁵³ I Petr. II, 22. ⁵⁴ Hebr. VII, 27. ⁵⁵ II Petr. III, 16. ⁵⁶ Exod. XX, 3. ⁵⁷ Psal. LXXX, 10. ⁵⁸ Act. II, 24. ⁵⁹ Psal. CXXXI, 5. ⁶⁰ Psal. XXIV, 11.

disseminare inimici veritatis volunt, gloriæ mysterii A
 Invidentes, clarumque ejus testimonium ex lege
 considerantes : quia enim Deus, et homo erat, qui
 pro nobis incarnatus est Christus Jesus, impassibilem
 divinitatem custodiens, solam passionibus hu-
 manitatem præbuit, effectus autem passionis ejus,
 id est nostra propitiatio, non solum passæ carnis,
 sed multo magis impassibilis divinitatis fuit, quod
 testatur Paulus, dicens : *Qui cum esset splendor
 gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia
 verbo virtutis suæ* ⁶¹. Demonstrans autem quod hæc
 omnia de Unigeniti divinitate dicantur, subdidit :
*Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram
 majestatis in excelsis* ⁶², ipsi Deo, verbo etiam ea
 quæ propriæ ejus erant carnis, conjungens. Si ergo
 hæc apte dicta sunt, propterea duo sumuntur hirci,
 et statuuntur coram Domino, in ostio tabernaculi
 testimonii, ut ad imaginem Christi hæc in eis age-
 rentur. Ipse est enim ostium verum, quod ad ostium
 tabernaculi testimonii, quod est in cælis, ducit. Et
 mittit Aaron super utrumque hircum sortem, unum
 quidem, ut virtute et significatione sortium dividi
 dispensationem divinitatis Christi et humanitatis
 intelligamus. Divili vero, tam huic quam illi sunt
 propria, ut hæc quidem patiat, illa autem confortet
 patientem, et per passionem quæ in ea opera-
 bantur; tam contrariæ nobis moderarentur passio-
 nes, quam suam manifestaret impassibilitatem.
 Deinde sortem unam, ait, Domino, et aliam capro
 emissario, non alii nisi Christo, sicut superius dixi-
 mus. Si inimico cuidam et maligno sors aut hircus
 daretur, non sortiretur cum Deo, sed nec ad ostium
 tabernaculi testimonii deduceretur, nec preces super
 eum funderentur, vel propitiatio in eo ageretur.
 Caper ergo emissarius, utpote qui emissus est et
 non immolatur, dicitur. Cujus autem rei gratia non
 immolatur, qui ad confirmatum deputatus est, sicut
 Aquila edidit? quis autem sit confirmatus sive fortis,
 audi Job dicentem : *Scio, quia potens es, et nulla te
 latet cogitatio* ⁶³. Audi et David : *Firmamentum
 est Dominus timentibus eum* ⁶⁴. Ergo, una quidem
 sors immolatæ carni Christi, quæ cum unita sit
 Deo Verbo, recte Dominus nominatur. Propter quod
 Paulus ait : *Si ergo cognovissent, nunquam Dominum
 gloriæ crucifixissent* ⁶⁵. In confirmatum autem D
 Deitas accipitur.

Sorti subjiciet. Sors ista in hac accipitur : hæc
 enim omnia obtinens, etiam propriam carnem pas-
 sione recte confirmavit. Propterea offeret Aaron
 caprum, in quo venerit ei sors Domino, et offeret
 eum pro peccato. Intelligibilis enim Aaron, is qui
 sacerdotio nostro præest, de quo Paulus dicit :
*Sicut Aaron, sic et Christus semetipsum glorificavit,
 ut sacerdos fieret* ⁶⁶. Ille suam carnem offeret Patri,
 et in ipsa offeret pro peccato, de quo Paulus He-
 braeis scripsit : *Hic unam pro peccato offerens ho-
 stium, in perpetuum sedet in dextra Dei* ⁶⁷.

*Caprum vero super quem venerit emissionis curs,
 statuet vivum ante dominum, ut fundat preces super
 eo.* Quia enim sortem emissarii diximus figurate re-
 ferri ad Christi divinitatem, statuet hanc vivam,
 impassibilem custodiens, ut per eam deprecetur.
 Nemo enim potest dimittere peccata, nisi solus
 Deus. Dimittit autem eum in solitudine, et, sicut
 aiunt LXX, *portabit hircus super se nomina eorum,
 in terram solitariam, sive inviam.* Desertam terram,
 et solitariam, sive inviam nullatenus existimemus
 nunc in quolibet malo oportere accipi, neque per
 hoc piorum aures, hi qui ad impietatem legem tra-
 hunt, conturbent. Desertam enim a malo dicit, et
 solitariam, sive inviam, quæ ab intelligibilibus ho-
 stibus ambulari non potest, in qua Deus habitat, et
 apparet, quod manifestat David dicens : *Deus Deus
 meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea,
 quam multipliciter tibi caro mea. In deserto, et in
 invio, et in aquoso, sic in sancto apparui tibi, ut vide-
 rem virtutem tuam, et gloriam tuam* ⁶⁸. Ergo deser-
 tum et invium, sanctum est, et Sancti sanctorum ha-
 bitaculum, ubi in cælos divinitas tempore passionis
 abiisse dicitur, non de loco ad locum migrans, sed
 cohibens propriam virtutem ex humanitate, ut da-
 ret spatium passioni, in loco digno sibi, in sinu
 Patris videlicet manens. Ad quæ nullus accedit, nisi
 ipse et sanctus Spiritus, et quia ipse in Patre est,
 et Spiritus sanctus, sicut evangelicis didicimus Lit-
 teris, ergo abire, cohibere intellige. Sic enim Deus
 abire, qui ubique præsens est, cum suam cohibet
 operationem, dicitur. Portat etiam iniquitates no-
 stras, quia ignis proprium est fenum consumere, et
 divinitatis peccatum perimere, unde et ignis con-
 sumens Deus dicitur ⁶⁹.

VERS. 11-13. « Et offeret Aaron vitulum pro peccato,
 et rogans pro se, et pro domo sua, immolabit eum.
 Assumptoque thuribulo, quod de prunis
 altaris impleverit, et hauriens manu compositum
 thymiama in incensum, ultra velum intrabit in san-
 cta, ut positis super ignem aromatibus, nebula
 eorum et vapor operiat oraculum, quod est super
 testimonium, et non moriatur. »

Quia multa frequenter acta diximus per sacrificium
 Salvatoris, necessarie in eo multæ exquisitæ
 sunt in lege differentiæ. Principaliter ergo per il-
 lud, ipsi Israel profligabatur absolutio propter quod
 dicebat : *Non veni nisi ad oves quæ perierunt domus
 Israel* ⁷⁰. Non solum autem Israel liberatio, sed et
 gentium inerat in sacrificio Christi correctio. Hoc
 autem aperte Paulus exponens, ad Ephesios scribe-
 bat : *Ut duos condat in semetipso, in unum novum
 hominem faciens pacem et reconciliet ambos in uno
 corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in
 semetipso, et veniens evangelizavit pacem vobis qui
 longe fuistis, et pacem his qui prope* ⁷¹. Longe gen-
 tes appellans quia longe ab omni divina scientia
 erant, juxta Israel quem propinquare prophetæ, et

⁶¹ Hebr. 1, 3. ⁶² ibid. ⁶³ Job xii, 3. ⁶⁴ Psal. xxiv, 14. ⁶⁵ I Cor. ii, 8. ⁶⁶ Hebr. v, 4. ⁶⁷ Hebr. 13. ⁶⁸ Psal. lxxii, 1-3. ⁶⁹ Deut. iv, 24. ⁷⁰ Matth. xv, 24. ⁷¹ Ephes. ii, 15-17.

lex facte-bat. Dehinc subnectens Paulus dixit: *Quia A per ipsum habemus accessum, utriusque in uno spiritu ad Patrem* 72. Immolat ergo intelligibilis Aaron vitulum, id est propriam carnem, cujus hostia quando in Judaicæ plebis liberationem accipitur, sacrificium vituli necessarie assumitur; habebat enim ipse legalem justificationem, maxime ut aperte prædicaret: *Non veni solvere legem, sed implere* 73. Paulus autem de ipso dicebat: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret* 74. Hæc autem vitulus propter jugum mandatorum apte intelligitur.

Rogans pro se. Videlicet pro humanitate; hujus enim in semetipso figuram gerebat.

Sed et pro domo sua. Proprie cum qui sub lege vivebat populum, qui domus ipsius propter cognitionem fuit, venit liberare. Propter quod Cleophas dicebat: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel* 75.

Immolabitque eum. Ipse enim propriam carnem immolavit; ipse sui sacrificii pontifex in Sion factus est, quando sanguinis novi testamenti dabat calicem.

Assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit. Thuribulum, linguam Dominicam hic dicit, in ipsa enim erat Spiritus. Sumit ergo plenum thuribulum carbonibus, quia sacrificio suo doctoralia verba, quæ erant divina et cælestia, protinus addidit, de quibus David dicebat: *Carbones succensi sunt ab eo* 76. Hoc Joannes in cœna acta postquam Judas est egressus scripsit 77, in quibus, quomodo quidem Pater in ipso, quomodo autem ipse cum sit in Patre, mittat donum Spiritus; quomodo Pater est agricola, ipse vitis, apostoli vero palmites; quomodo princeps mundi hujus judicetur, aliaque exponit miracula, quæ sunt carbones ignis, utpote calefacientia nos ad pietatem, cum sint generaliter spiritalia: sed et altare, quod secundum LXX, *ante Dominum.* Hoc autem esse sex Cherubim, in ipsis præmissis libri hujus ostendimus. Illic enim carbones intelligibilis ignis constitutos esse, Ezechiel propheta demonstravit; Dominum quippe ipsum, qui erat indutus podere, et accinctos habebat lumbos, proponit dicentem: *Ingredere in medium rotarum subter Cherubim, et imple manus tuas de medio Cherubim* 78. Quia ergo altare intelligibile, in quo carbones ignis sunt, sedem Cherubim oportet intelligi, audi Isaiam dicentem: *Et venit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum* 79. Quod ergo in cælo est altare aliud, nisi Cherubim? Sed his, sicut enim tam pontifex, quam rex, idem et sedem habet, et altare: hoc ergo Paulus Hebræis significans dicebat: *Non enim habemus pontificem, qui non potest compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato.*

Adeumus cum confidentia ad thronum gloriæ ejus 80. Hoc ergo intelligibile dicebat altare, quod manifestant quæ sequuntur; ait enim: *Ut accipiamus misericordiam, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* 81. Horum enim utrumque ab altari sine aliqua dubiegate percipimus. Sed quid in his quæ sequuntur, legislator subdidit?

Et hauriens manu thymiana compositum in incensum, ultra velum intrabit in sancta. Vel sicut LXX: *Et implebit manus suas thymiamate compositionis subtilis, et offeret interius in interiora velaminis.* Dicit autem orationem de qua dixit David: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* 82. Hæc ergo quando sæcularia oramus, crassa quodammodo, et non subtilis est. Quando autem spiritalia petimus, id est scientiam divinam, regnum cælorum, remissionem peccatorum, subtilis quædam est, utpote spiritalis et intelligibilis, quam intelligibilis sacerdos pro nobis offert. Manifestum autem est ex eo quod pro discipulis Christus orans, sanctificationem eis et unitatem secum, libertatemque in mundo, et alia talia deposcebat. *Intrabit in sancta; sive, secundum LXX, et offeret in interiora velaminis.* carnis videlicet sæ. Offeret autem, cui? Patri videlicet, quia hæc quidem manifesta aspectui omnium præferebatur, ipse autem erat invisibilis:

Ut positus super ignem aromatibus, nebula eorum et vapor operiat oraculum, quod est super testimonium, et non moriatur. Dupliciter hic quod dicitur intellige. Quia ergo Aaron ipsius Christi figuram gerit, propter sacerdotii dignitatem, figuram etiam gerit corporis sacerdotum. Superimponit quidem Christus ignem aromata, id est orationem super doctrinam, et operit vapor eorum nebulae, id est orationis virtus. *Oraculum quod est super testimonium;* id est, carnem suam, ex qua propitiatio nobis conquisita est peccatorum, et in salutari est videlicet passione. Hoc autem esse testimonium paulo superius ostendimus. *Et non morietur* corruptionis morte, neque enim caro ejus vidit corruptionem, quia vapore aromatum virtute utique orationis illius, operiebatur, de qua David ait, Christum Patrem deprecans: *Quia non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem* 83. Ponit autem unusquisque sacerdos de Christo loquens, in ignem aromata, spiritalis doctrinæ orationem, et orationis virtus operit oraculum, quod est super testimonium. Non permittit autem eum quærere de passionibus Dominicæ carnis, ea quæ super virtutem quærentis sunt; et non mserientur ea quæ definita est immoderatis inquisitoribus, qui ea quærunt quæ hominibus non libet quærere, morte.

VERS. 14. « Tolle quoque de sanguine vituli et asperget digito septies contra propitiatorium ad orientem. »

72 Ephes. II, 18. 73 Matth. V, 17. 74 Galat. IV, 4. 75 Luc. XXIV, 21. 76 Psal. XVII, 9. 77 Joan. XV, 1 sequ. 78 Ezech. X, 1. 79 Isa. XI, 6, 7. 80 Hebr. IV, 15, 16. 81 ibid. 82 Psal. CXL, 2. 83 Psal. XV.

ergo animam divina Scriptura appellat eum, qui est ex anima et corpore, hominem: sicut quando dicit: *Descendit Jacob in Ægypto in septuaginta quinque animabus*⁹; sic corpus rursus totum appellare hominem consuevit. Quod ostendit Liber Genesis Joseph frumenta ministrasse fratribus, per corpora dicens. Quia autem sordidus effectus per inobedientiam Adam sordidum esse etiam semen suum fecit: necessarieque corpus sordidum est, eo quod ex semine procedit in quo immundum est usque ad vesperam, id est sæculi finem: quia in fine sæculorum Christus veniens ostendit aquam, qua genus nostrum mundaretur: et quia permansimus usque tunc immundi, probatur ex eo quod et hi qui necdum peccaverunt, id est, in ætate infirma constituti, signaculum baptismi necessarium habent, ne forte morte superveniente sordidi transeant: sordem quæ ex Adam descendit, in semetipsis habentes, et propterea non valentes in regnum intrare cælorum. Vestem, et pellem quam habent cum eocunt, videlicet immunda esse, et lavari debere, duarum rerum præcepit gratia: nam extendit legem atque manifestat, quantum corpus humanum propter unam inobedientiam sordidum sit effectum, ut etiam insensibilia ex eis polluantur. Deinde per hæc manifestas facit mulieres, quæ libidinis causa, viris ad quendam temporalem commiscetur usum, qualem solent vestimenta præbere hominibus, sicut et abusus pellium quæ inveterate projici solent. Nam et illarum consuetudo veterascente amicitia respuitur, atque in more vestimentorum, seu pellium commutatur, neque enim semper cum eis vivunt, cum quibus inordinate concumbunt. Hoc ergo modo intelligentes Mosaicæ legis verba, maximum ex eis juvamen capimus, et a legis quæstione quiescimus. Nec reprehendere eam possumus, ut superflue punientem, et de his exigentem pœnam, quæ in nostra voluntate non sunt: fluxus enim seminis non ex nostra evenit voluntate, sed et ex infirmitate contingit. Rursus virum mulieri cohærere, et muliere viro, compellit naturale consortium, et Dei definitio quæ ait: *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una*¹⁰. Nam etsi Adæ hæc verba sunt, tamen ex divino hæc dixit Spiritu. Unde et Christus quando Pharisæo non dimittendas mulieres dicebat, horum quæ nunc diximus memoriam faciens, ad Deum ea, sicut ab eo dicta, retulit, ait enim: *Qui ab initio fecit masculum et feminam fecit illos, et dixit: Propterea relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ*¹¹. Ergo non pœnam eorum quæ contra voluntatem contingunt, exigit, nec quasi a sordidis his, qui secundum ejus conjuncti sunt legem, sed in his quidem qui fluxum seminis patiuntur, corruptos doctores, qui ingrati sunt filiorum procreationis. Hic autem Adæ inobedientiam, utpote ex ea genere humano sordido effe-

cto, et semine, ex quo genus accusat. Non est autem admirabile, si mulieres, quæ non filiorum gratia, sed propter usum turpitudinem cum viris habitant, vestem et pellem intelligere legislatorum diximus: vestimenti enim, et in malo aliquo, atque contra legem, usum in divina Scriptura acceptum invenis, sicut David dicit: *Et induit se maledictionem sicut vestimentum*¹². Et rursus: *Induantur qui detrahunt mihi reverentia*¹³. Pellis autem quando aliquid boni significat, tunc non simpliciter ipsa pellis, sed pellem ad opus aptam legislator edit, et hoc quod factum fuerit opus ex ea, aut quod fiendum est ex ipsa, per eam demonstrat. Nunc autem, quia hoc non dixit, neque in sacrificio pellis assumpta est, sicut cum decoratus holocaustum in incongruam commistionem positum est. Non ergo per stratum seminis, id est per coitum legalem, ex quo semen efficitur, pellem polluit, aut perfundi dixit: necessarie ergo eam qua quis abutitur mulierem, pellem intellexit. Illud tamen ubique custodis, quia ad sanctificationem et castitatem, Judæorum genus legislator trahens, nimis enim quidam eorum luxuriæ serviebant, hæc contra eos qui qualitercunque effundunt semen, et eos qui hæc tangunt ad emundationem, ei præcipiens ut saltem sic casti efficerentur, et luxuriosis abstinere commistionibus, fastidio laboris frequentium purificationum. Hanc enim intentionem secundum litteram, et in subsequentibus lex habet, licet aliquid aliud secundum spiritum signet, sicut ipse expositurus sum, quia nec ipsum, qui hic est, spiritalem intellectum prætereo. Quemadmodum ergo illum qui fluxum seminis patitur, eum qui corrumpit doctrinam, intelleximus, sic de quo semen coitus egreditur, eum qui ad Judæos pertinentem doctrinam sectatur intelligimus. Nam sicut effundens naturale et sanum semen, propter sordem tamen Adam immundus est, sic et eorum sana, propter legem quæ putatur doctrina, sub culpa est et reprehensibilis, quia litteram docet, quæ maledictionem infert discipulis suis; neque enim possibile est quempiam per illam perfecte corrigi. Unde Mosaicæ maledictioni discipulos suos subdit: ipsosque Judæos, qui in mulierum cocuntium accipiuntur figura, utpote qui semper adhærent, et conquiescunt doctoribus institutionum suarum. Hoc autem ipsum et in eos qui in præputio sunt operantur, quando doctrinæ eorum semen suscipiunt, quos vestimentum et pellem esse dicimus, utpote temporaliter et transitorie doctrinas eorum, non ut et ipsi procreent aliquam legalem justitiam, suscipiunt: nam quomodo possibile est hoc, in præputio permanentibus, sed ut per sermones eorum et ipsi maledictæ legis pollui, accipiuntur.

VERS. 19-25. « Mulier quæ redente mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur. Omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad

⁹ Deut. x, 22.¹⁰ Gen. ii, 24.¹¹ Matth. xix, 4, 5.¹² Psal. cviii, 18.¹³ Psal. xxiv, 26.

vesperam. Et in quo dormi-rit, vel sederit diebus A separationis suæ polluitur. Qui tetigerit lectulum ejus, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua, pollutus erit usque ad vesperam. Omne vas super quod illa sederit, quisquis attigerit, lavabit vestimenta sua, et lotus aqua pollutus erit usque ad vesperam. »

Intentio legislatoris est a muliebri libidine abducere hominem, simulque cum viris et mulieres prohibere a turpis commisionis causa. Non enim hoc pro filiorum procreatione agi, maxime ea quæ nunc dicuntur, affirmant. Invenit enim modum quo per varia temporum, ac plurima intervalla, ab ingressu muliebri separet viros : nam mensibus singulis fluxum sanguinis patiuntur. Septem autem diebus immundas eas esse, eosque etiam qui simplici tactu eas contingunt, immundos esse usque ad vesperam præcepit. Qui vero cum his dormiunt, non una die immundos, sed septem dies esse dicit. Ergo subdierum multorum continentia, tam mulieres a viris, quam viri a mulieribus necessitate cohibentur. Et his quidem sensibilis Judæus, et secundum carnem Israelita juvari per litteram poterat ; hoc est autem verissimum juvenem spiritalis considerationis, quod est intus inclusum. Fluxus enim sanguinis animæ, cujus personam, utpote effeminatam, et fortitudinem pietatis prodentem, in muliere nunc legislator insinuavit, idololatria est. Hujus secundum quod LXX edunt *fluxus in corpore ejus* : corruptio enim, seu perditio est humani generis, C idololatriæ sanguinis effusio. Propter quod non dixit de corpore ejus, neque enim a nobis est idololatria adinventata, sed a dæmonibus : in corpore videlicet generi nostro inlicita est, et corruptio humanæ est affecta naturæ. Sed et tempora denuntians, in quibus idololatria obtinuit, de quibus Paulus dicebat : *Et quidem tempora ignorantia despicens Deus, nunc annuntiat omnes ubique penitentiam agere* ¹⁵. Quid dixit : *Septem diebus separabitur*? Quod alii : *Erit in purgatione sua*. Alii vero interpretes : *In separatione iniquitatis suæ*. Alii autem *miseriæ* ediderunt, ut per septenarium dierum numerum, tempora significaret. Spiritus qui usque ad completionem temporum sunt, in qua completionem evangelica provenit prædicatio, in his separati a Deo per idololatriam homines in separatione iniquitatis, et miseræ necessario erant, usque dum Deo per evangelicam conversationem conjungeremur, quæ in octavam diem accipitur : quia signum, et principium, et ara quodammodo sæculi est futuri, propter quod, et octava die Salvatoris processit resurrectio. Non solum autem idolis serviens anima, sed et is qui eam tangit, id est, qui particeps ejus efficitur : et multo magis hic, qui in quo dormit, vel in quo sedet, utpote qui doctrinæ ejus, et traditionis particeps vel qui coierit cum ea, immundus erit, et mundationis opus habet, nec

aliter mundatur, nisi lavatus aqua. Quid sit autem aqua in præcedentibus diximus, intantum oportet ab omni idololatriæ malitia abstinere, et nec eos qui idolis serviunt, nec hos quibus illi quasi organis, vel quasi lectis, aut vasis utuntur, contingere : id est in nullo cum eis communionem habere, ut Paulus prohiberet etiam in idolio recumbere, ac multo magis comedere idolothytum ¹⁶. Sed hæc quidem parum nocent, nec pollutionem habent. Sed illo die immundum esse dicit legislator :

Vers. 24. « Si autem aliquis coierit cum ea, tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem dies. »

Id est, si quis malo, et actioni animæ idolis servientis communicaverit, immolans forsitan et ipse idolis, sive libans, aut aliquid agens idolorum servituti proximum : hoc est enim cum fluxum sanguinis patiente dormire, multipliciter peccato polluitur. Propter quod pro una die septem diebus eum immundum esse præcepit, sicut qui omnem suam vitam, et omnem suam conversationem fecit idolis serviendo sordescere.

Vers. 25-27. « Mulier quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis, non tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quando huic subjacet passioni, immunda erit, quasi sit in tempore menstruo. Omne stratum in quo dormierit, et vas in quo sederit pollutum erit. Quicumque tetigerit ea, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperam. »

Quantum vindicet spiritus Dei legis contemplationem, et lectionem litteræ his quæ per partes sanciantur, ostendit : quia enim fluxum seminis patientem, qui habet in lege obscenam et corruptam doctrinam, olim diximus, et de quo coitus semen egreditur, Judaica utente doctrina. Restabant hi qui paganorum doctrinam docent : ecce etiam ipsos nunc opportune subinfert esse. Ergo fluxum sanguinis, idolorum seductionem, et errorem diximus, utpote genere dæmoniorum sanguine gaudente, et non solum pecorum, aliorumque animalium irratiōnabilem, sed etiam hominum sacrificia præcipientia, ita ut in multis locis apud eos talia celebrarentur mysteria, veluti Dionysii et Dianæ, aliorumque dæmonum, in tantum fluxus sanguinis apud eos inoleverat : Attende autem nunc, quibus verbis legislator usus est.

Mulier que patitur multis diebus fluxum sanguinis non tempore menstruali. Quod LXX sic ediderunt : *Mulier si fluit profluvium sanguinis dies complures*. Non dixit, si fluit sanguinem, quod est idolis servire, sive immolare : sed *Si fluxerit fluxum sanguinis*, id est, si fluit maculam et errorem idololatriæ : facit autem hoc non in tempore menstruali, id est, non in temporibus quibus idolorum servitus obtinebat, hæc esse menstrualia tempora, in illis verbis, in quibus de ea loquebamur, ostensum est.

¹⁵ Act. xvii, 30. ¹⁶ I Cor. xviii, 8 11.

Sed et postquam cepit scientia, et per evangelicam doctrinam lumen pietatis illuxit, ipse tamen immunda fuit, et docet quædam errori idolorum proxima, immundus est, sicut illi illorum temporum, in quibus faror idolorum obtinebat, illa docentes quæcumque ad illorum pertinebant errorem: erant enim etiam tunc immundi, sed et nunc multo magis, quia jam nudata est immunditia eorum, et error convictus. Quam quia noluerunt oculos suos præbere luci veræ intelligentiæ, propter quod dixit:

Quæ patitur fluxum sanguinis, non in tempore menstruo, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quandiu huic subjacet passioni, immunda erit. Nam etsi non integram idololatriam, auguria tamen et divinationes aut purgationes, aut veneficorum artes doceat, nihilominus et hic immundus, quemadmodum et illi qui plene idololatriam his quibus floruit temporibus, tradebant et docebant. Sed et quicumque his ex opere discipulatum suum præbent, in persona horum intelligitur.

Stratum in quo dormierit, et vas in quo sederit. Id est hi qui studiosè has doctrinas suscipiunt, sicut prædictus sermo monstravit, immundi erunt quemadmodum et hi qui eos docent. Hoc enim ostendens legislator de strato et vase dixit, secundum LXX, *immundum erit secundum dies profusii ejus, eos qui ex opere talia discunt docentibus comparari cupiens.* In tantum autem hæc vera sunt, et ita Dei lex immundum dicit eum, qui vel pauca horum attingit, quia ad idola pertinentia loquuntur, aut agunt, ut et eum qui vel comedit cum eis, aut mensa potuque communicaverit mysteriorum, sicut revera immundum societate removeat. Unde et Corinthiis scribebat Paulus: *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum*¹⁶. An æmulamur Dominum? nunquid fortiores illo sumus? Et rursus: *Nolo vos socios dæmoniorum esse*¹⁷. Cur autem mulieris introduxit personam, bene novimus. Diximus enim, quia pro eo quod cogitationum virilitatem et divinæ scientiæ fortitudinem, hi qui in idololatriæ deciderunt errorem, prodiderunt, animasque suas effeminaverunt, recte in his qui agunt et docent, quæcumque cultui idolorum impenduntur, figuram mulieris insinuasse. Hujus enim imaginem gerere intelligimus eam, quæ in Evangelii fluxum patitur sanguinis, quæ omnem substantiam, sive vitam suam in medicis expendit, in his qui apud eos erant philosophis. Non tamen sanata est per eos ab Ægypto decedere erroris sui, quia *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*¹⁸. Cum enim viderentur simulacrorum cultu et furore alienati, terram tamen metiebantur, aerem et cælum, quorum scire solus Dei est exordia, terminos. Quæ hæc ergo simbriam Jesu retro tangens, liberata est a fluxu. Dicimus autem simbriam ejus, fidem ejus; nam cuius rei gratia cum simbriam facere vestibus Moyses

præciperet, quia divinitas debet intelligi in anterioribus, retro humanitatem intelligimus, hæc gentes, quæ in fluxu constitutæ erant sanguinis, idolorum proposito tetigisse dicimus. Quod si non solum eos, qui ad effundendum idololatriæ sanguinem vacant, sed etiam eos qui docent ea, quæ ad doctrinam pertinent paganorum, fluxum sanguinis exposuimus, non est admirabile: mos quippe est apud exteriores, affluens eloquium, largissimæque se ac facile ad doctrinam effundens fluxum vel rhetoricam appellare.

VERS. 28-31. « Si steterit sanguis et fluere cessaverit, numerabit septem dies purificationis suæ, et octavo die offeret pro se sacerdoti duos turtures, vel duos pullos columbæ ad ostium tabernaculi testimonii. Qui unum faciet pro peccato, alterum in holocaustum, rogabitque pro ea coram Domino, et pro profluvio immunditiæ ejus. Docebitis ergo filios Israel, ut caveant in immunditia, et non moriantur in sordibus suis, cum polluerunt tabernaculum meum quod est inter eos. »

Quæ virtus hujus sacrificii sit, et qualis in his qui fluxum seminis patiuntur, in quantum necesse erat diximus: similia enim et illic lex præcepit. Sicut enim ibi sibi metipsum sumere turtures, aut columbas in sacrificium fluxum seminis patientem legislator præcepit, quia magistri locum tenebat atque personam, sic et nunc hæc quæ fuit fluxum sanguinis, figurare enim eam diximus, docentes quæ ad errorem idololatriæ pertinent. Quamobrem eloquentiam docens, et eloquentiæ participans, sibi metipsum sumere quæ ad purgationem proficiunt potest: facillime quippe exterior sapientiæ interiori subjicitur et ab ea sumit utilia, sibi que proficiunt. Nam fluxum sanguinis patiens, cujus habere figuram ea quæ sanguine idololatriæ aspersa est, ostensum est, sibi metipsum medicinam sumpsit, tacta simbria vestimenti Dominici, et antequam extendere manum, liberari a passione promeruit. Quæ ergo ad interpretationem desunt, hæc in subsequentibus per ordinem dicemus.

VERS. 31. « Docebitis ergo filios Israel, ut caveant immunditiam, et non moriantur in sordibus suis, cum polluerunt tabernaculum meum quod est inter eos. »

Quamvis omne peccatum immunditia sit animæ, maxime tamen idololatria, et quæ ad eam pertinent. Hæc habere et in his timoratos filios Israel legislator desiderat, ut non crudelissima impietatis morte moriantur: polluunt enim impli tabernaculum Dei, quod in ipsis est, atqui corpus est, quo fluxum sanguinis aut seminis inquinatur. Sed quia impietatem sermo innuit, quæ hominem totum pollere consuevit: propterea, cautos, sive ut LXX, timoratos, inquit, facietis filios Israel ab immunditia sua: quod neque leprosis, neque de his qui tetigerant morticina sancivit. Sed et tabernaculi Dei, quod

¹⁶ I Cor. x. 20. ¹⁷ ibid. ¹⁸ Rom. i. 22.

in nobis est, mentionem fecit: tabernaculum enim Dei est omnis noster homo, in quo Deus habitare creditur: primum quidem per imaginem, quam nobis donavit, deinde per primitias, quas a nobis sumpsit. Verbum enim caro factum est, quod per illam munitionem etiam in reliquis habitare hominibus dicitur, quod probat Joannes dicens: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* ¹⁹.

VERS. 32, 33. « Ista est lex ejus qui patitur fluxum seminis, et qui polluitur coitu et qui menstruis temporibus separatur, vel quæ jugi fluit sanguine, et hominis qui dormierit cum ea. »

Quæcunque ejusdem sanctionis sibi cohærent, et quorum ad unam intentionem in effectu tradit utilitas, hæc sibi met legislator connectere consuevit, ut ei qui meditationi legis studium præbet, manifestet quomodo oporteat hæc intelligi, et quæ cum quibus cogitationem secundum similitudinem intellectus habeant. Quia esse fluxum seminis patiens, doctorum corrupens semen, et turpia atque corruptentia admonens est probatus: *Et de quo egreditur semen coitus*. Ut polluat, is, qui Judaica præcepta docet, in quibus ipse ut mala bona docens et legis intentionem transgrediens polluitur, dum ea quæ ad litteram pertinent, extra tempus proferet, et modo quodam mundis sicut immundis utitur, de quibus dictum est: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum, sed polluta sunt eorum mens et conscientia* ²⁰. Sanguinis autem fluxum patientes in menstruis suis, hi esse demonstrati sunt, qui ea quæ ad impietatem tendunt, illo doctrinæ tempore, in quo genus hominum in cultu idolorum detentum in menstruis suis, in separatione malitiæ, a malo enim separati non erant; ut ostenderet quia eadem de his qui prava docent, lex loquitur. Addidit secundum LXX: *Fluxum seminis patienti masculo et feminæ*. Atqui in præcedenti sanctione de solo fluxu seminis patiente masculo dicit; feminæ autem fluxum seminis patientis memoriam secundum litteram penitus non fecit: sed per mulierem quæ fluit fluxum sanguinis, eum qui effundit doctrinam idololatriæ intellexit. Propterea nunc eam fluxum seminis patientem appellavit, ut nos disceremus quia eum qui corrumpit bonam doctrinam, turpiter eam et male profert, talem qualis est is qui impietatem docet, lex reputat, utrorumque enim verba corruptione plena sunt. His virum conjunxit cum menstruata dormientem. Dicit autem eum qui ex fideli populo, idololatriæ mistus est: sicut superius diximus. Unde non simpliciter, sed masculum perfectiori vocabulo, sicut nomen fidelis possidentem, dixit. Si prævaricator effectus, hoc vocabulum negat falsumque in se esse demonstrat, adeptus enim Dei militiam, idolis se tradidit, cum dormiens videlicet et errori se permiscens, primum quidem ut sordens, deinde ut cui inest longe a Deo sedere, et degere. Et pro-

pterea in immundis ordinatus est, et hujus quidem pœna manifesta est. Manifestum est etiam quomodo mundata a pœnis liberari possint. Sed adhuc his superædificans legislator, utpote consonantem sanctionem quæ subsequitur posuit:

CAPUT XVI.

VERS. 1. « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Post mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti sunt. »

Ecce et nunc Dei spiritus unum corpus legis facit, et ad unum redigit invicem sibi cohærentia, et cum dudum manifestasset ea quæ ad doctrinam: quæ contra legem est, pertinent, modosque ejus multiplices quosdam, atque differentes exposuisset, unum nunc eam redarguit lege, et commune quodammodo contra eam subdidit præceptum, et causam morbi ipsius manifestam fecit, id est, unde contingit et unde supervenit. Audisti enim, quando filiorum Aaron, eorum qui divino igne consumpti sunt quærebamus mortem, quia, cum verbum illic legalis traditionis et historiæ faceremus, ignem alienum, alienam a Deo doctrinam diximus, et propterea a divino igne videlicet spiritus, eos qui ignem illum offerebant esse consumptos: quia divini igni aperte contradicunt, et contra Spiritum sanctum agunt hi, qui ea quæ mala et iniqua sunt docent. Sive ergo ea quæ idololatriæ cohærent, quis tradat, sive corrumpat exponens divina mandata, nefaria in eis subinferens verba sive Judaica doctrina sic utatur, ut ex ea polluat, contra tempus videlicet et intentionem legis, ipsius legis litteram proferens, ignem alienum Deo offeret, et propterea mori dicuntur, ex lege celerem habentes transgressionis pœnam. Verum quando hi mortui fuerint, id est, quando dispertiti fuerint, et quodammodo defecerint, tunc sanctio quæ sequitur, obtinebit. Et propterea post mortem filiorum Aaron, qui ignem alienum obtulerunt, dixisse Deum ad Moysen ea quæ sequuntur, dicitur:

VERS. 2. « Et præcepit ei dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum, coram propitiatorio quo tegitur arca, ut non moriatur, quia in nube apparebo, super oraculum. »

Quantum parcat Deus salutis nostræ, ex multis quæ in lege dicta sunt: considerari et disci potest, de quibus nihil negligentes, oculos mentis per singula intendamus. *Quid enim prodest, homo si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua* ²¹? Quis ergo summa, sive capitulum salutis nostræ, Verbi doctrina est, ipsa nobis vias bonas, si bona fuerit: si autem mala, malis digito monstrare consuevit. Recte maximam diligentiam legislator exhibet ut non solum in verbis turpibus, aut in fabulis Judaicis aut in aliquo idololatriæ phantasmate

¹⁹ Joan. 1, 14. ²⁰ Tit. 1, 15. ²¹ Matth. xvi, 26.

doctores non excedant, sed nec occasione theologiæ in impietatem cadant, quod mos est hæreticis pati. Substantiam vero discutientes Dei, tam Patris ad Filium, quam Filii ad Spiritum sanctum, differentiam introducunt, et alia similia quæ nostram excedunt scientiam, absconsa: quæ sunt nobis sicut nimis alta atque coglambia, non ex divinis dogmatibus, sed ex suis cogitationibus exquirere volentes, a moderationis ecclesiasticæ excisi sunt corpore. Hoc ergo ne patiamur, lex præsentibus nos præmonet verbis; ait enim sic:

Et dixit Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron fratrem tuum. Id est, ut sacerdotes sibi invicem hæc præciperent, et unusquisque doctorum talia proximo sanciret, qualia nunc Deus loqui ad Aaron Moysi præcepit, quæ sunt hæc:

Non omni tempore ingrediatur in sanctuarium quod est intra velum coram propitiatorio: quo legitur arca. Communne omnibus mandatum, et communem hic proposuit legem, primum quidem sacerdotibus aptam, deinde omni qui vult discutere divina mysteria. Quamobrem, secundum LXX, impersonaliter præcepit, dicens: Non ingrediantur omni in tempore in sanctum interius velaminis. Qui non addidit, omnes prohibere ab hoc manifeste cupiens, quia velamen corpus Salvatoris intelligitur, sicut Paulus evidenter ait: Habentes autem confidentiam in introitu sanctorum quam inivit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est per carnem suam²². Ipse est enim verum et intelligibile propitiatorium, utpote qui ipse nobis peccatorum propitiationem præstat; ait etenim idem Paulus: Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ejus, liberationem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per sanguinem ipsius²³. Quod autem nos habemus, Coram propitiatorio, LXX ediderunt: Coram facie propitiatorii. Huic autem propitiatorio facies, divinitas ejus fuit. Quamobrem quando Moyses videre Deum desiderans dicebat: Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum²⁴. Et respondit: Non poteris videre faciem meam; nemo hominum vidit faciem meam et vivit²⁵: quia substantiam Dei nemo comprehendere potest, hoc dixit. Quid autem ejus possit videri, ipse aperte subdidit dicens: Ecce est locus apud me, stabis super petram²⁶, id est Ecclesiam, et confessionem quæ in eo est, cum fide dicens: Cumque transibit gloria mea, significans Christi ad homines transitum: et ponam te in foramen petre²⁷, id est, in lege, sicut per foramen angustum, ad confessionem Christi et fidem, per eam transimus, unde et pædagogus noster ad Christum, lex esse per Paulum dicitur²⁸. Et ponam super te manum meam, signis videlicet, miraculis quæ cum eis faciebat, donec transeam, tollamque manum meam, et videbis posteriora mea²⁹.

Quando ergo a populo Judaico in cujus nunc figuram, utpote principem populi Moysen accepit, protectricem Deus abstulit manum, et sua eum virtute nudavit in tantum ut Romanis tributa præstarent, ut sub leges eorum et principes degerent, tunc viderunt posteriora Dei, id est Dei incarnationem. Posteriora autem ejus, quia videlicet in ultimis est temporibus incarnatus. *Faciem autem non videbitis*, ait, substantiam videlicet Divinitatis. Aperte ergo doctores vetuit, et sacerdotes prohibuit, et quos cunque de Deo loqui fas est, exquirere substantiam Dei, et discutere Christi divinitatem, et ingredi interiora velaminis intelligibilis. Velamen enim Christus habet carnem, tegumentum divinitatis suæ, quemadmodum et hoc quod erat sensibile velamen tegumentum Sanctis sanctorum fuit. Non solum autem velamen, sed et testimonii arcam, carnem Domini appellavit, multis illam necessario appellans nominibus, quia multæ ex ea erant operationes; de hac enim David in Psalmis prophetavit: *Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ³⁰*. Hæc arca intelligibilis testimonii, utpote continens compassionem salutarem dicitur, de qua dixit Paulus: *Testificor coram Deo, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem³¹*. Rursus et Evangelium dicimus esse testimonium, tam quia intelligibili arcæ, id est carni, Christi cohæret, quam quia ex ipso passionis testimonium habemus. De ipso enim et Paulus ad Timotheum scribebat: *Testimonium temporibus suis, in quo positus sum ego prædicator, et apostolus³²*. Hæc arca ergo est propitiatorium, quia in carne sua Christus nobis propitiationem præstitit. Ad quam omni tempore non præcipit doctores ingredi, ut curiose utique non inquirant, quemadmodum *verbum caro factum est³³*: quomodo, qui in forma Dei erat, in forma servi factus est, quomodo exinanivit semetipsum, et in cælis mansit³⁴. Horum enim fides salutem affert, periculum inquisitio. Hoc ergo qui credit, non morietur. Quia *in nube, inquit, apparebo super oraculum sive propitiatorium, nubem rursus Dominicam carnem et evangelicam appellat Verbum. Eadem enim multis vocat nominibus, nec est ταυτολογία, sed operationibus rerum quæ significantur, apta imponit et distribuit nomina. Aliquando enim velamen carnem dicit, tegumentum hanc esse divinitatis Christi significat; aliquando autem arcam, hominem videlicet quem ipse Dominus exponens Judæis dixit: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud³⁵*. Quod, Judæis ignorantibus, et dicentibus: *Quadragesima et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud³⁶*? Evangelista explanavit, dicens: *Ille autem dicebat de templo suo³⁷*. Aliquando vero nubem, quia nubes corpus est, sed mundum et subsisten-*

²² Hebr. x, 19, 20. ²³ Rom. iii, 25, 24. ²⁴ Exod. xxxiii, 15. ²⁵ ibid., 20. ²⁶ ibid., 21. ²⁷ ibid. 22. ²⁸ Galat. iii, 24. ²⁹ Exod. xxxiii, 25. ³⁰ Psal. cxxxi, 8. ³¹ I Tim. vi, 13. ³² I Tim. ii, 6-7, ³³ Joan. i, 14. ³⁴ Philipp. ii, 6, 7. ³⁵ Joan. ii, 19. ³⁶ ibid., 20. ³⁷ ibid.

tiam ex Spiritu sancto habentem : ex spiritalibus enim, id est ventis nubes subsistunt. Propter quod ejus subtilitate simul et levitate munditiam Isaias ostendens dicebat : *Ecce Dominus ascendit super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti*³⁸, nube similiter non incongrue evangelicum appellamus verbum, quia mos est divinæ Scripturæ sancti Spiritus doctrinam, nubem appellare. Unde et vineam Judæorum sicut infructuosam, auferens dicebat : *Mandabo nubibus, ne pluant super eam imbrem*³⁹. Deinde quæ sit vinea, exponens subdit : *Vinea enim Sabaoth, domus Israel est, et domus Juda, novellum deiectum*⁴⁰. In hac ergo nube, Deus tam in Dominica carne, quam in evangelica prædicatione insinuat, et nihil amplius quæramus nos qui aliquid de Deo scrutari volumus, sed quantum nobis evangelicus sermo tradit, quanta ex Dominica carne percipimus : neque enim frustra uno nomine carnem Domini, et Evangelium legislator significavit, sed quia Evangelio, et carne Dominica, occasio atque subsistentia est. Verumtamen et illa nunc iteratio confirmat, quia non solum hoc ipsum differentibus nominibus divina nomina Scriptura ut differentes operationes signet, sed in nominibus differentiam ostendit, plerumque etiam contrariam : nam aliquando quidem sagittas malas, et igneas, illas quæ sunt concupiscentiarum, aut alterius nequitie organa, et operationes vocat igni diabolum assimilans, quia corrumpit eos qui ei se conjungunt, et in eo se quodammodo mittunt. Aliquando autem in specie ignis, tam alibi, quam in rubo Deum insinuat, quia lux est eorum qui ad eum per singula accedunt tempora, calorque vitalis atque purgatio. Non ergo aestimes superflua sive nova induci per expositionem, quando eisdem nominibus in differentibus utitur causis, aut nomina differentia in eisdem accipit rebus. Sed illud intende tantum si non proprie, et secundum tempus, significationes nominum in adjacentibus expositioni rebus interpret accepit. Sed jam quæ sequuntur videamus. Sed sic ingrediat Aaron sanctuarium.

VERS. 3, 4. « Vitulum offeret pro peccato, et arietem in holocaustum. Tunica linea vestiatur, et feminalibus lineis verecunda celabit. Accingetur zona linea, cydarim lineam imponet capiti. Hæc enim vestimenta sunt sancta, quibus cunctis, cura lotus fuerit, induetur. »

Admirabili ordinis etiam nunc legislator ad ea quæ juvare possunt, et utilia esse legentibus legem, et qui thesaurum reconditum in ea perscrutantur, utitur. Cum enim dixisset non licere omni hora, id est non continue, id est, sine intermissione ingredi in Sancta sanctorum, ne forte sine metu, et circumspectione ad ea quæ divina sunt, presumeremus aut accedamus, ne majorem perscrutationem omnino prohibuit, sed quando nos hac, aut

quomodo jubet uti quando nosmetipsos perfererimus sive consummaverimus, nunc tradidit, id est non ingrediat Aaron in sancta, nisi hæc fecerit. Hic ostendit, quia non solum non frequenter, sed nec omnino non ingredi in sublimiore divinam contemplationem præcepit, quam et appellavit sanctuarium, utpote quæ de Deo est, qui Sanctus sanctorum est, et eum qui bene ea utitur, sanctificat, sed qui utique Aaron est, id est, altam conservationem habens, et qui in tantum proventus est, ascendens ad Dei sanctificationem, ut sicut divina arca respondere possit, hoc enim Aaron interpretatur, hic ingrediens, vitulum offeret pro peccato, videlicet in sacrificio ingreditur Christi. Qui quia non solum pro peccatis nostris immolatus est, sed et vitam nobis præstat perfectam, tamen peccatorum nobis absolutionem, quam virtutum perfectionem Dei sacrificium conquirat, et apponit, addidit legislator.

Et arietem in holocaustum. LXX autem ediderunt, *de vitulo.* Ex bobus illis operatoribus justitiæ, secundum carnem factus est, verbi gratia, Abraham, Isaac, Jacob, David ; nam boves lex, eos qui justitiam operatur, novit sicut nobis Paulus tradidit, illud interpretans mandatum : *Non alligabis os bovi trituranti*⁴¹ ; deinde subiecit : *Nunquid de bovis cura est Deo*⁴² ? an propter nos utique dicit : *Quia debet in spe qui rat arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi*⁴³ ? Quia autem et vitulus, recte propter sacrificium, et virtutem appellatur, evangelica explanat parabola⁴⁴, in qua prodigo filio pater revertenti, primam stolam dans baptismatis et annulum, id est signaculum spiritus, vitulum ei sacrificium unigeniti immolavit, ipse et aries in holocaustum est. Hoc enim ea quæ est de Isaac historia explanavit, quando pro arietem secundum LXX, *in virgulto Sabech*, id est in virgulto veniæ, per quod absolute crucem intelligimus, in qua nostrorum peccatorum peracta est venia, ex cornibus colligatum videns Abraham immolavit eum, et sacrificii Christi complevit imaginem. Unde et de eo Dominus dicebat : *Abraham exsultavit, ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est*⁴⁵. Quia ergo aries ex genere ovium est, verumtamen est præcipuus, et gregis dux, recte significat Christum, qui est ex massa nostra, sed præcipuus, et excellens nos, et dux generis humani atque rex est. In hoc, id est in Christo, vult nos ingredi in sancta : initium enim de Deo loquendi, Christus est, et ejus passio. Quæ si non aucta fuisset et tam paganorum nos errore, quam ab umbra legis et caligine liberasset, nos de Patris divinitate loqui minime potuissemus : *Nemo enim scit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*⁴⁶. Sed quia his, qui de Deo locuturus est, et intueri Deum, in quantum possibile est hominibus, vult, necesse est ut omnibus virtutibus arme-

³⁸ Isa. xix, 4. ³⁹ Isa. v, 6. ⁴⁰ ibid. 7. ⁴¹ I Cor. ix, 9. ⁴² ibid. ⁴³ ibid. 10. ⁴⁴ Luc. xv, 11 seqq. ⁴⁵ Joan. viii, 56. ⁴⁶ Luc. x, 22.

tur. Attende et hoc quemadmodum approbavit: virtutes enim quatuor generales sunt, justitia, castitas, fortitudo, sapientia; propterea inquit:

Tunica linea induetur. Id est justitia, hæc enim proprie vestimentum hominis est, tunica, quam LXX *sanctificatam* edunt, quia sanctificatur a Deo qui justitiam diligit, et principaliter ea indutus est. Unde de eo dixit David: *Justus Dominus, et justitias dilexit* 47. Per feminalia castitas significatur, quod manifestum est ex eo quod non permittunt videri carnis nostræ inhonestiora. Quia ergo totus corporis decor castitas est, necessarie legislator ait:

Feminalibus lineis verecunda celabit. Atqui super femora, et circa vicina eis membra, solum sunt feminalia. Sed ostendere vult, quia feminalem hic castitatem, totum corpus custodientem carnis nostræ signat. Per zonam, fortitudinem intelligit, unde Deus Job sublevans passionibus ac periculis oppressum dicebat: *Accinge ut vir lumbos tuos* 48. Per cydarim, quia indumentum capitis est, intelligitur modis omnibus sapientia: quia enim in capite sapientiæ est organum, non ignoramus, quod et cerebrum dicitur, et unde et caput omni est honorabilius corpori. Sed hæc linea propterea esse præcepit, ut ostenderet virtutum facilitatem, et celerem conquisitionem, vel habilem, gratamque adipiscenti esse, sicut et ea quæ linea sunt corpori, super quod sunt.

Nisi in ipsis macula effecta fuerit. Quia etiam cum sublimes sint, conversatio eorum potest esse in terris. Quorum singula in linum proveniunt, quod altum quidem calamum habet, sed multum a terra ascendit, facileque conquiri potest a pauperibus, et ei qui hoc induetur, acceptum gratumque est, sicut supra diximus. Æstuantem etiam refrigerat, sed et in gelu fovet, quod est virtutis proprium, quæ refrigerat quidem in æstu concupiscentiarum, in frigore autem tentationum calefacit, atque ad zelum [cælum] erigit, et non permittit sentiri persecutores. Sed ut non etiam salutis perdas capitulam, quod est baptisma, nec restimes tibi sufficere virtutes, sine dono baptismatis, addidit:

Hæc enim sunt vestimenta sancta, quibus cunctis cum lotus fuerit induetur. Lavatur omne corpus per aquam baptismatis, quia torum nostrum lavat, et renovat hominem. Ergo baptizari oportet prius, et ex aqua regenerari, ac Spiritu, ac sic prædictis virtutibus indui, et per eas Christum: hoc enim et ipse contextus legalium signat verborum. Postquam enim dixit legislator, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, nisi hæc ante fecerit:

Vitulum pro peccato, subdidit: et arietem in holocaustum. Tunica linea vestiatur, et reliqua. Non solum Christum intelligibilem arietem, et verum

A holocaustum, virtutum videlicet perfectionem; ipsum enim virum perfectum, et mensuram ætatis appellavit, suscipere nos, et indui volens, propter quod et baptismatis gratiam introtulit: quia per ipsam maxime Christum induimur. Quando autem hæc adepti fuerimus, in Sancta sanctorum ingrediemur, non substantiam perscrutantes Dei, vel discentientes, hoc enim prohibitum est, sed ad ea quæ sunt de dispensatione Christi sacrificioque ejus pro nobis, et bonis quæ per ea fruimur, sapientiæ dogmatibus studium dantes: hoc enim manifestum faciunt maxime quæ sequuntur:

VERS. 5, 6. « Suscipiet ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se et pro domo sua. »

B Multa hic intentio, dicentis simul, et audientis est necessaria, ut non cedant ab eo quod rectum est, quia maxima sunt mysteria, ea quæ nunc exponit lex, et quidam in ipsis offendunt ignorantes horum virtutem dictorum. Sed hæc quidem, in quibus offendunt, subtilius in subsequentibus dicentur. Quia autem ad ipsum Christum ea de quibus locutus est legislator, in præsentī evidentē referuntur: manifestant species sacrificiorum, et effectus, sed et hi a quibus sacrificia accipiuntur. A synagoga enim, vel universa multitudine filiorum Israel accipi sacrificia præcepit: quia Christus qui pro nobis immolatus est, ex filiis Israel secundum carnem fuit, ita ut Paulus diceret: *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen* 49. Dein sacrificiorum alia quidem pro peccatis: alia autem in holocaustum jubet offerri, figurans, sicut oportebat, Christi sacrificio virtutem, qui pro nostris peccatis offertur; audi ergo Paulum dicentem: *Christus semel oblatus ad multorum exhaurienda peccata, novissime sine peccato apparebit expectantibus se* 50. Quia autem ad holocaustum et ad perfectionem videlicet, et ad profectum vitæ, atque virtutum Unigeniti sacrificium factum est, quomodo dubitare licet aperte Paulo dicente: *Ergo fratres, et vos mortificati estis legi, per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemur Deo* 51. Et rursus de eo dixit: *Unde et salvare in perpetuum potest, accedentes per se ad Deum* 52. Sic perfectio, et omnimoda nostra salus, filius per sacrificium suum factus est. Proprie autem in effectibus sacrificiorum, accepit legislator ea quæ immolabuntur: cum enim dixisset hircos pro peccato offerri, quoniam hoc animal in peccatorum genus divina Scriptura accipere consuevit, nullatenus immemores, quia, quando sacrificiorum hæc pœnitentiæ rationem significabant, occasionem ex legali hoc codice sumentes exposuimus: hædum, qui Græcè chimarus dicitur recte immolari ab eo qui pœnitentiam agit,

47 Psal. x, 8. 48 Job xxxvii, 5. 49 Rom. ix, 5. 50 Hebr. ix, 28. 51 Rom. vii, 4. 52 Hebr. vii, 25.

ostendimus : utpote in tempestate, et fluctu constituti, usque dum poenitentiae ejus suscipiatur sacrificium. Aries autem utpote ducatum gregi praebens, deputatus recte in holocaustum, id est in virtute et perfectione vitae accipitur, quorum est enim nisi praesepitorem docere perfecta? His ita se habentibus, omnimodo dicis. Cur si hircos pro peccato lex praecipit offerri, nunc etiam vitulum offerri praecipit? Una autem ratione, brevique solvi atque explari potest, quia non unius generis, sed tam peccatorum, quam justorum est Unigeniti sacrificium. Et propterea hirci, pro genere quodammodo peccatorum offerri praecipuntur, vivus autem pro justis, quia bos, cum sit ad operandum aptum animal, in persona justis secundum legem accipitur.

Unde et in vitulo, ait, orabit pro se, et pro domo sua. Domum Dei justos appellans, habitat enim in eis, et inambulat. Ipse est coram Deo, et illi ejus populus. Deprecabitur et pro eo, id est pro domo propriae carnis, nam etsi peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus⁵³, verumtamen Adam indutus est, qui propitiationem, propter maledictum quod semel humano superinductum est generi, opus haberet. Audi ergo Paulum ad Hebraeos de Christo talia scribentem : Qui non habet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes, primum pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populis : hoc enim fecit semel se offerendo⁵⁴.

Vers. 6-10. Cumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se, et pro domo sua, duos hircos stare faciet coram Domino, in ostio tabernaculi testimonii, mittetque super utrumque sortes, unam Domino, et aliam capro emissario : cujus sors exierit, Domino offeret illum pro peccato; cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eum et mittat illum in solitudinem. His rite celebratis, offeret vitulum, et rogans pro se et pro domo sua.

Solent caeci in lumine offendi, et infideles in lege Dei scandalizari, quod Petrus sciens, tam de Pauli vasis electionis epistolis, quam de omni divina Scriptura dixit : In quibus sunt quaedam difficultia intellectus quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem⁵⁵. Hoc et nunc patiuntur, qui ad suam voluntatem, et non ad veram intentionem intelligunt legem Dei, et noxium animae ac pestilentem idolorum cultum constituere ex his, quae dicta sunt a legislatore, inaniter cogitant. Nam dicunt : Super duos hircos lex sortem mitti praecipit, unum Domino, alterum autem ad emissionem separari praecipit. Emissarium autem appellant diabolum, ut ex hoc occasionem praebent ad colendum malignum in tantum aures obturantes, et in tantum mente caeci. Quomodo ergo habeat rationem, haud credibile est, quod Deus ipse sacrificium diabolo offerri praecipiat, qui

A per ipsum Moysen, et fratrem, et filium et fratrem, et civitatem integram, quae ad idola convertitur, dispendi praecipit, et clamat : Non erunt tibi dii alii, absque me⁵⁶. Per David autem dicit : Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum⁵⁷. Ille ergo qui haec praecipit, pro eo quod suam gloriam, ac sacerdotium, et cultum aequaturi, et cum eo divisi erant, hoc jubet, ut duobus hircis oblatis unum praeciperet sibi applicari, alium autem adversario suo, quem emissarium putant dici. Sed non cognoverunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulans. Emissarium enim, eum hircum, qui mittitur in desertum, legislator appellavit. Nos autem ex his quae ad litterae legalis traditionem pertinent, quemadmodum non esset verisimile hoc praecipere

D legislatorem demonstramus, deinde intentionem sanctionis ex spiritus consideratione exerceamus. Duos ergo hircos statuere coram Domino in ostio tabernaculi testimonii praecipit, non autem eos ablaturos esse Deo, hoc est enim coram Domino, ne ad ostium Dei ea quae diabolo mittebantur, sed et sortem mittere, unam Domino, et unam lustrationis praecipit. Si autem in alicujus maligni personam emissarium accepisset, nequaquam de eo, cum eo qui Dei erat, sors mitteretur, quia nec cum quolibet et malo quemlibet bonum sortem habere in divinis Scripturis invenies. Sed quoties sors mittebatur, aequales cum aequalibus mittebantur sortes, sicut et tribus Israel, dividebant; nam quando pro Juda ad apostolatam alium eligere necesse habebant, super duos viros aequales virtutibus, et doctrina, Matthiam videlicet, et Joseph justum, sortes missae sunt, ita ut Petrus concionando diceret : Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus, accipere locum ministerii hujus, et apostolatus⁵⁸. Non solum autem antequam sors mitteretur in duos hircos, coram Domino eos sisti praecipit, sed et illum in quo sors emissionis venit, postquam eadem sors super eum ceciderit, et manifesta fuerit statui coram Domino praecipit et effundi super eo preces. Quomodo ergo qui ante faciem Dei statutus est, eique quodam modo consecratus, ipse rursus diabolo mittitur? Vel quo modo propitiationem peccatorum, hoc quod iniquo transmittitur, sacrificium peragit? Si enim ejus intentio est etiam justos peccatores efficere, quomodo peccatoribus propitiationem poterat profligare? Quomodo autem is ipse peccator, de quo ait David : Constitue peccatorem adversus eum, et diabolus stet a dextris ejus⁵⁹, propitiationem potest conquirere peccatorum? solius quippe hoc Dei est, ad quem David dicebat, Et propitiare peccato meo, copiosum est enim⁶⁰. His ergo ita se habentibus, et undique incongruo hoc ostenso intellectu non ignoremus nos, quia de Christi sacrificio procul dubio maxime haec legislator dixerit. Unde aestimo mali intellectus zizaniam

⁵³ I Petr. II, 22. ⁵⁴ Hebr. VII, 27. ⁵⁵ II Petr. III, 16. ⁵⁶ Exod. XX, 3. ⁵⁷ Psal. LXXX, 10. ⁵⁸ Act. II, 24. ⁵⁹ Psal. CXXXI, 5. ⁶⁰ Psal. XLV, 11.

disseminare inimici veritatis volunt, gloriæ mysterii A
 Invidentes, clarumque ejus testimonium ex lege
 considerantes : quia enim Deus, et homo erat, qui
 pro nobis incarnatus est Christus Jesus, impassibi-
 lem divinitatem custodiens, solam passionibus hu-
 manitatem præbuit, effectus autem passionis ejus,
 id est nostra propitiatio, non solum passæ carnis,
 sed multo magis impassibilis divinitatis fuit, quod
 testatur Paulus, dicens : *Qui cum esset splendor
 gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia
 verbo virtutis suæ* ⁶¹. Demonstrans autem quod hæc
 omnia de Unigeniti divinitate dicantur, subdidit :
*Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram
 majestatis in excelsis* ⁶², ipsi Deo, verbo etiam ea
 quæ proprie ejus erant carnis, conjungens. Si ergo
 hæc apte dicta sunt, propterea duo sumuntur hirci,
 et statuuntur coram Domino, in ostio tabernaculi
 testimonii, ut ad imaginem Christi hæc in eis age-
 rentur. Ipse est enim ostium verum, quod ad ostium
 tabernaculi testimonii, quod est in cælis, ducit. Et
 mittit Aaron super utrumque hircum sortem, unum
 quidem, ut virtute et significatione sortium dividi
 dispensationem divinitatis Christi et humanitatis
 intelligamus. Divili vero, tam huic quam illi sunt
 propria, ut hæc quidem patiat, illa autem confortet
 patientem, et per passiones quæ in ea opera-
 bantur; tam contrariæ nobis moderarentur passio-
 nes, quam suam manifestaret impassibilitatem.
 Deinde sortem unam, ait, Domino, et aliam capro
 emissario, non alii nisi Christo, sicut superius dixi-
 mus. Si inimico cuidam et maligno sors aut hircus
 daretur, non sortiretur cum Deo, sed nec ad ostium
 tabernaculi testimonii deduceretur, nec preces super
 eum funderentur, vel propitiatio in eo ageretur.
 Caper ergo emissarius, utpote qui emissus est et
 non immolatur, dicitur. Cujus autem rei gratia non
 immolatur, qui ad confirmatum deputatus est, sicut
 Aquila edidit? quis autem sit confirmatus sive fortis,
 audi Job dicentem : *Scio, quia potens es, et nulla te
 latet cogitatio* ⁶³. Audi et David : *Firmamentum
 est Dominus timentibus eum* ⁶⁴. Ergo, una quidem
 sors immolatæ carni Christi, que cum unita sit
 Deo Verbo, recte Dominus nominatur. Propter quod
 Paulus ait : *Si ergo cognovissent, nunquam Dominum
 gloriæ crucifixissent* ⁶⁵. In confirmatum autem

Deitas accipitur.
 Sorti subjiciet. Sors ista in hac accipitur : hæc
 enim omnia obtinens, etiam propriam carnem pas-
 sione recte confirmavit. Propterea offeret Aaron
 caprum, in quo venerit ei sors Domino, et offeret
 eum pro peccato. Intelligibilis enim Aaron, is qui
 sacerdotio nostro præest, de quo Paulus dicit :
*Sicut Aaron, sic et Christus semetipsum glorificavit,
 ut sacerdos fieret* ⁶⁶. Hic suam carnem offeret Patri,
 et in ipsa offeret pro peccato, de quo Paulus He-
 bræis scripsit : *Hic unam pro peccato offerens ho-
 stiam, in perpetuum sedet in dextra Dei* ⁶⁷.

Caprum vero super quem venerit emissionis sors,
 statuet vivum ante dominum, ut fundat preces super
 eo. Quia enim sortem emissarii diximus figurate re-
 ferri ad Christi divinitatem, statuet hanc vivam,
 impassibilem custodiens, ut per eam deprecetur.
 Nemo enim potest dimittere peccata, nisi solus
 Deus. Dimittit autem eum in solitudine, et, sicut
 aiunt LXX, *portabit hircus super se nomina eorum,
 in terram solitariam, sive inviam. Desertam terram,
 et solitariam, sive inviam nullatenus existimemus
 nunc in quolibet malo oportere accipi, neque per
 hoc piorum aures, hi qui ad impietatem legem tra-
 hunt, conturbent. Desertam enim a malo dicit, et
 solitariam, sive inviam, quæ ab intelligibilibus ho-
 stibus ambulari non potest, in qua Deus habitat, et
 apparet, quod manifestat David dicens : *Deus Deus
 meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea,
 quam multipliciter tibi caro mea. In deserto, et in
 invio, et in aquoso, sic in sancto apparui tibi, ut vide-
 rem virtutem tuam, et gloriam tuam* ⁶⁸. Ergo deser-
 tum et invium, sanctum est, et Sancti sanctorum ha-
 bitaculum, ubi in cælos divinitas tempore passionis
 abiisse dicitur, non de loco ad locum migrans, sed
 cohibens propriam virtutem ex humanitate, ut da-
 ret spatium passioni, in loco digno sibi, in sinu
 Patris videlicet manens. Ad quæ nullus accedit, nisi
 ipse et sanctus Spiritus, et quia ipse in Patre est,
 et Spiritus sanctus, sicut evangelicis didicimus Lit-
 teris, ergo abire, cohibere intellige. Sic enim Deus
 abire, qui ubique præsens est, cum suam cohibet
 operationem, dicitur. Portat etiam iniquitates nos-
 tras, quia ignis proprium est fenum consumere, et
 divinitatis peccatum perimere, unde et ignis con-
 sumens Deus dicitur ⁶⁹.*

Vers. 11-13. « Et offeret Aaron vitulum pro pec-
 cato, et rogans pro se, et pro domo sua, immola-
 bit eum. Assumptoque thuribulo, quod de prunis
 altaris impleverit, et hauriens manu compositum
 thymiana in incensum, ultra velum intrabit in san-
 cta, ut positus super ignem aromatibus, nebula
 eorum et vapor operiet oraculum, quod est super
 testimonium, et non moriatur. »

Quia multa frequenter acta diximus per sacrifi-
 cium Salvatoris, necessarie in eo multæ exquisitæ
 sunt in lege differentie. Principaliter ergo per il-
 lud, ipsi Israel profligabatur absolutio propter quod
 dicebat : *Non veni nisi ad oves quæ perierunt domus
 Israel* ⁷⁰. Non solum autem Israel liberatio, sed et
 gentium iuerat in sacrificio Christi correctio. Hoc
 autem aperte Paulus exponens, ad Ephesios scribe-
 bat : *Ut duos condat in semetipso, in unum novum
 hominem faciens pacem et reconciliat ambos in uno
 corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in
 semetipso, et veniens evangelizavit pacem vobis qui
 longe fuistis, et pacem his qui prope* ⁷¹. Longe gen-
 tes appellans quia longe ab omni divina scientia
 erant, juxta Israel quem propinquare prophetæ, et

⁶¹ Hebr. 1, 3. ⁶² Ibid. ⁶³ Job xiii, 5. ⁶⁴ Psal. xxiv, 14. ⁶⁵ I Cor. ii, 8. ⁶⁶ Hebr. v, 4. ⁶⁷ Hebr. 13. ⁶⁸ Psal. lxxii, 1-3. ⁶⁹ Deut. iv, 24. ⁷⁰ Matth. xv, 24. ⁷¹ Ephes. ii, 13-17.

lex faciebatur. Dehinc subnectens Paulus dixit: Quia **A** per ipsum habemus accessum, utriusque in uno spiritu ad Patrem ⁷⁴. Immolat ergo intelligibilis Aaron vitulum, id est propriam carnem, cujus hostia quando in Judaicæ plebis liberationem accipitur, sacrificium vituli necessarie assumitur; habebat enim ipse legalem justificationem, maxime ut aperte prædicaret: *Non veni solvere legem, sed implere* ⁷⁵. Paulus autem de ipso dicebat: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret* ⁷⁶. Hæc autem vitulus propter jugum mandatorum apte intelligitur.

Rogans pro se. Videlicet pro humanitate; hujus enim in semetipso figuram gerebat.

Sed et pro domo sua. Proprie eum qui sub lege vivebat populum, qui domus ipsius propter cognitionem fuit, venit liberare. Propter quod Cleophas dicebat: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel* ⁷⁷.

Immolabitque eum. Ipse enim propriam carnem immolavit; ipse sui sacrificii pontifex in Sion factus est, quando sanguinis novi testamenti dabat calicem.

Assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit. Thuribulum, linguam Dominicam hic dicit, in ipsa enim erat Spiritus. Sumit ergo plenum thuribulum carbonibus, quia sacrificio suo doctoralia verba, quæ erant divina et cælestia, protinus addidit, de quibus David dicebat: *Carbones succensant ab eo* ⁷⁸. Hoc Joannes in cœna acta postquam Judas est egressus scripsit ⁷⁹, in quibus, quomodo quidem Pater in ipso, quomodo autem ipse cum sit in Patre, mittat donum Spiritus; quomodo Pater est agricola, ipse vitis, apostoli vero palmites; quomodo princeps mundi hujus judicetur, aliaque exponit miracula, quæ sunt carbones ignis, utpote calefacientia nos ad pietatem, cum sint generaliter spiritalia: sed et altare, quod secundum LXX, *ante Dominum*. Hoc autem esse sex Cherubim, in ipsis præcæmiis libri hujus ostendimus. Illic enim carbones intelligibilis ignis constitutos esse, Ezechiel propheta demonstravit; Dominum quippe ipsum, qui erat indutus podere, et accinctos habebat lumbos, proponit dicentem: *Ingredere in medium rotarum subter Cherubim, et imple manus tuas de medio Cherubim* ⁸⁰. Quia ergo altare intelligibile, in quo carbones ignis sunt, sedem Cherubim oportet intelligi, audi Isaiam dicentem: *Et venit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum* ⁸¹. Quod ergo in cælo est altare aliud, nisi Cherubim? Sed his, sicut enim tam pontifex, quam rex, idem et sedem habet, et altare: hoc ergo Paulus Hebræis significans dicebat: *Non enim habemus pontificem, qui non potest compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato.*

Adeumus cum confidentia ad thronum gloriæ ejus ⁸². Hoc ergo intelligibile dicebat altare, quod manifestant quæ sequuntur; ait enim: *Ut accipiamus misericordiam, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* ⁸³. Horum enim utrumque ab altari sine aliqua dubiegate percipimus. Sed quid in his quæ sequuntur, legislator subdidit?

Et hauriens manu thymiama compositum in incensum, ultra velum intrabit in sancta. Vel sicut LXX: *Et implebit manus suas thymiamate compositionis subtilis, et offeret interius in interiora velaminis.* Dicit autem orationem de qua dixit David: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* ⁸⁴. Hæc ergo quando secularia oramus, crassa quodammodo, et non subtilis est. Quando autem spiritalia petimus, id est scientiam divinam, regnum cælorum, remissionem peccatorum, subtilis quædam est, utpote spiritalis et intelligibilis, quam intelligibilis sacerdos pro nobis offert. Manifestum autem est ex eo quod pro discipulis Christus orans, sanctificationem eis et unitatem secum, libertatemque in mundo, et alia talia deposcebat. *Intrabit in sancta; sive, secundum LXX, et offeret in interiora velaminis.* carnis videlicet suæ. Offeret autem, cui? Patri videlicet, quia hæc quidem manifesta aspectui omnium præferebatur, ipse autem erat invisibilis:

Ut positus super ignem aromatibus, nebula eorum et vapor operiat oraculum, quod est super testimonium, et non morietur. Dupliciter hic quod dicitur intellige. Quia ergo Aaron ipsius Christi figuram gerit, propter sacerdotii dignitatem, figuram etiam gerit corporis sacerdotum. Superimponit quidem Christus ignem aromata, id est orationem super doctrinam, et operit vapor eorum nebulae, id est orationis virtus. *Oraculum quod est super testimonium;* id est, carnem suam, ex qua propitiatio nobis conquisita est peccatorum, et in salutari est videlicet passione. Hoc autem esse testimonium paulo superius ostendimus. *Et non morietur* corruptionis morte, neque enim caro ejus vidit corruptionem, quia vapore aromatum virtute utique orationis illius, operiebatur, de qua David ait, Christum Patrem deprecans: *Quia non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sactum tuum videre corruptionem* ⁸⁵. Ponit autem unusquisque sacerdos de Christo loquens, in ignem aromata, spiritalis doctrinæ orationem, et orationis virtus operit oraculum, quod est super testimonium. Non permittit autem eum quærere de passionibus Dominicæ carnis, ea quæ super virtutem quærentis sunt; et non morientur ea quæ definita est immoderatis inquisitoribus, qui ea quærunt quæ hominibus non libet quærere, morte.

VERS. 14. « Tolle quoque de sanguine vituli et asperget digito septies contra propitiatorium ad orientem. »

⁷⁴ Ephes. II, 18. ⁷⁵ Matth. V, 17. ⁷⁶ Galat. IV, 4. ⁷⁷ Luc. XXIV, 21. ⁷⁸ Psal. XVII, 9. ⁷⁹ Joan. XV, 1 sequ. ⁸⁰ Ezech. X, 1. ⁸¹ Isa. XI, 6, 7. ⁸² Hebr. IV, 13, 16. ⁸³ ibid. ⁸⁴ Psal. CXL, 2. ⁸⁵ Psal. XV.

Sive ut LXX, asperget digito suo super propitiatorium ad orientem ante faciem propitiatorii asperget septies digito suo. Sacrificium Unigeniti, esse quidem ejus carnis per virtutem rursus divinitatis ejus, et per beneplacitum Patris, ad remissionem peccatorum nostrorum, et ereptionem, simulque ad donum subministrationis spiritus peragi, aperte ex his, quæ nunc dicit legislator, manifestatur. Digitus enim significat virtutem divinitatis; unde David dixit: *Quoniam videbo cælos opera digitorum tuorum, lunam, et stellas quas tu fundasti*⁸⁴. Utrumque ergo ad divinitatis accipimus virtutem, ipseque sanguis vituli super propitiatorium ad orientem aspergitur. Ad propitiationem enim nostram, simulque illuminationem, passio salutaris peracta est: unde ipsa passio dicitur propitiatorium, sicut frequenter ostendimus. Dicitur autem et *Oriens*; ait enim de eo Zacharias Propheta: *Ecce vir, Oriens nomen ejus, et subter eo oriatur*⁸⁵. Ait autem et Zacharias sacerdos, pater Joannis: *In quibus nos visitavit, Oriens, ex alto, Illuminare his qui in tenebris sedent, et in umbra mortis*⁸⁶. Sed et contra propitiatorium, id est in conspectu patris, asperget septies, ut tam remissionem peccatorum, quam Spiritus sancti donum, de Dominico sanguine genus hominum susciperet. Utrumque enim septenarius numerus significat, quia videlicet septem sunt dona Spiritus, et idem numerus peccatorum significat remissionem. Nam Petro Christum interrogante, *Si peccaverit in me frater meus, quoties dimittam ei, usque septies?* Christus ait: *Non dico, septies, sed usque septuagies septies*⁸⁷. Multiplicans numerum septenarium.

VERS. 15. « Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut asperget e regione oraculi, et expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel et a prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis. »

Admirandus est legislator, sufficiens ad figuram mysterii, nullatenusque reprehendendus est in multis formis multiplicem præfigurationem necessarie dividens. Quia enim Christus de Judæis secundum carnem, qui sub jugo legis vivebant ortus est, recte vituli sacrificium nominatur. Legali enim jugo, et pertinenti ad eum operationi, et justitiæ vitulus comparatur, jugum consuetus trahere, atque ita terram operari. Quia autem secundum quod incarnatus erat, de communi massa hominum factus est, propterea rursus hircus appellatur. Asperum ergo hoc animal pilorum indumentum gerit: asperum autem utpote peccato refertum, omne viventium genus, quia nihil est peccato asperius. Unde hoc approbare aperte legislator volens inquit:

Cumque mactaverit hircum pro peccato populi. Totum hic intelligens humanum genus, quod quon-

dam non populus, nunc autem populus, ex quo de nobis primitias Jesus suscepit. Ergo ut demonstraret, de Judæis principaliter Christum, propter Abraham, cognationem esse, sed tamen omnis nostræ naturæ, quæ in peccato est primitias portare, propter quod Adam appellatus est, vitulum simul et hircum lex ad figuram sacrificii ejus assumpsit. Cum autem unum sit sacrificium, sive vitulus, sive hircus nominetur, effectusque unus in utroque sit, peccatorum enim ex eo profligatur absolutio, necessarie communia sunt ea, quæ in hircoguntur, et vitulo. Cernis enim, quia etiam hircum occidens, ante Dominum videlicet patrem, et sanguinem inferens in interiora velaminis, id est ad patrem. Rursus ergo hunc interius intelligibilis velaminis, visibilis videlicet Domini carnis intelligis, utpote invisibilem inferens sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est.

Et de sanguine vituli asperget digito septies contra propitiatorium ad orientem. Vel sicut LXX super propitiatorium ante faciem propitiatorii. Deinde quid sequitur?

VERS. 16. « Et expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, et a prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis. »

Videtur quidem de tabernaculo dicere, dicit autem non de eo quod sensui subjacet. Quid enim expiationis seu propitiationis ligna egerint? quidve pelles vel reliqua, ex quibus tabernaculum Judæorum quod sensui subiacebat, confectum erat? Sed generalitatem, sive totam dicit hominum speciem. Sancta enim fuit ab initio massa nostra, ita ut Dei in ea habitaret spiritus. Quod demonstratur ex eo, quod auferre illud irascens minatus est Deus, quando hi qui ex Seth descendebant, cum essent justii, et filii Dei appellarentur, concupiscentes eas quæ ex ea in posterosque ejus per successionem genitæ sunt, quæ et filia hominum dicebantur, unius generis cum malis et iniquis effecti sunt, dixit enim sic: *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerunt, et dixit Dominus Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*⁸⁸. Ergo si habitabat spiritus Dei in homine antequam omnes sequi passiones carnis inciperet, sancta merito erat hominum massa: nam nec primitias ex ea Sanctus sanctorum assumeret. Quia autem sordidata est, expiavit eum ab immunditiis filiorum Israel. Primum quidem sensibilis ipsis data est lex, quia transgressi sunt, reos illos maledicto, et morti constituit, ut propterea necessariam haberent expiationem, et pro eis quidem principaliter unigeniti immolatur sacrificium: immolatur autem et pro omnibus hominibus, ita ut Caiphas diceret: *Oportet ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat*⁸⁹. Quodque dictum erat, confr-

⁸⁴ Psal. viii, 4. ⁸⁵ Zach. vi, 12. ⁸⁶ Luc. i, 78. ⁸⁷ Math. xviii, 21, 22. ⁸⁸ Gen. vi, 1-5. ⁸⁹ Joan. xi, 49-51.

mans simulque et corrigens evangelista Joannes, A addidit: *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quia moriturus esset Jesus pro gente, et non solum pro gente, sed et filios Dei, qui dispersi erant in unum colligeret*: gentes videlicet, de ipsis enim Dominus dicebat: *Habeo enim alias oves, quæ non sunt de hoc ovili, et illas oportet me colligere*⁹⁰. Aperte autem filii Dei, multo magis sunt Israelitæ, quia Israel videns Deum interpretatur, et secundum rationem pro sensibili Israel Jesus immolatus, id est sacrificium, et pro omni humano genere, ad expiationem immunditiarum nostrarum obtulit. Quarum immunditiarum? Id est a prævaricationibus eorum, inquit, cunctisque peccatis. Animæ quippe immunditia, non mortui polluti, non porcinus cibus, non quippiam aliud simile, sed nocere proximo est, et peccare in Deum, vel mandata Dei.

Juxta hunc ritum faciet tabernaculum testimonii quod fixum est inter eos, in medio sortium habitationis eorum. Nullus hominum sit in tabernaculo, quando pontifex ingreditur in sanctuarium, ut roget pro se et pro domo sua, et pro universo cælu Israel. Quod lex superius appellavit sancta, ecce nunc tabernaculum testimonii appellat, quod fixum est inter eos, in medio sortium habitationis eorum. Sive secundum LXX ædificatum in eis, in medio immunditiarum eorum. Eadem quippe ratione, et sancta esse, et testimonii appellari tabernaculum, massa nostra potest. Si enim tabernaculum testi- C monii cælum diximus, recte sancta nominatur cælestis noster homo, de quo ait Paulus: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis*⁹¹. Rursus: *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, habemus ædificationem quæ ex Deo est, domum non manu factam, æternam in cælis*⁹². Recte ergo sanctum nominatur, quia ædificatus est in nobis. *Primum enim formavit Dominus Deus de pulvere terræ hominem, et tunc insufflavit in faciem ejus spiritum vitæ*⁹³. Hic est ergo noster cælestis homo, qui in medio immunditiarum nostrarum est, qui etiam passionibus carnis oppugnatur, secundum quod Paulus dixit: *Video enim aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in* D *membris meis*⁹⁴. Propter quod nimis lex consequenter subdidit:

VERS. 17. « Nullus homo sit in tabernaculo testimonii, quando pontifex ingreditur ut roget pro se, et pro domo sua, et pro universo cætu Israel. »

Quando enim Christus ingreditur in sanctum, id est, quando incarnabatur, cælestem hominem atque ex nobis primitias sumebat, nemo erat in intelligibili tabernaculo testimonii, nec gentilis nec circumcissus, nec levita, nec sacerdos, quia omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat

A bonum⁹⁵. Nemo cælestem conversationem tunc sequebatur, nec dignam cælesti homine sapientiam, usquedum in sancto propriæ carnis rogaret per crucem, et egressus est ex ea lege communis mortis, emittens spiritum, et carnem relinquens in sepulcro, quod ejus evidenter exitus nominatur. Sed non generalitati omnium hominum profuit hoc quod nunc est expositum sacrificium. Nullus hominum sit, inquit, in tabernaculo, quando Pontifex ingreditur in sanctuarium ut roget. Atqui in sacrificio quod est secundum litteram, solus præsens esset populus Judæorum. Non autem omnis homo de tabernaculo secundum tempus sacrificii, quod nunc dictum est, excluderetur: sed significat, omne hominum genus, terrena nunc sapere, et in peccatis esse, ac propterea in intelligibili tabernaculo testimonii recte non inveniri.

VERS. 18, 19. « Cum autem exierit ad altare, quod coram Domino est oret pro se et sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua ejus per gyrum, spargensque digito septies, expiet, sanctificetque illud ab immunditiis filiorum Israel. »

Quia quæ vituli, et hirci essent, satis in his quæ dicta sunt, explanatum est. Simul enim utriusque sumens sanguinem, unumque illud conjunctioni demonstrans, super cornua altaris ponit, seu fundit. Sed quid agit? Quæcunque mysterii ordo exigit, et consequentiæ vult figura, quam cum omni subtilitate legislator scripsit postea nostrum egressum ad altare, quod est coram Domino. Dicit autem eum, qui est thymiamatis, quod esse sedem Cherubim ostendimus, cum carne ascendens, et nostram in eo captivitatem sublevavit, simul nos suscitans, et sedere faciens in dextra in cælestibus. Et sumptum sanguinem effundit super cornua ejus per gyrum, aspergensque digito septies, expiet et sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel. Quia propriâ passione non solum cornua ejus, qui est in cælo altaris, virtutes scilicet præcipuas, et generales, sapientiam, fortitudinem, justitiam, castitatem sanctificavit: quæ cornua Cherubim recte sunt, figuras enim eorum cæleste hoc animal habet, in personaque hominis et leonis et vituli et aquilæ gerit, sapientiæ quidem in persona leonis, justitiæ in persona vituli, castitatis in persona aquilæ: de quibus plenius in prophetæ Ezechielis interpretatione olim exposuimus.

Expriet et sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel. Christi enim sacrificio expiantur et cælestia⁹⁶, ita ut Paulus diceret: differentiam legalium sacrificiorum, et unigeniti ostendere volens: necesse est ergo exemplaria cælestium his mundari, ipsa autem cælestia majoribus hostiis quam istis. Sed cujus rei gratia expiatione opus habebant cælestia legislator ostendit, dicens:

⁹⁰ Joan. x, 16. ⁹¹ I Cor. xv, 49. ⁹² II Cor. v, 1. ⁹³ Gen. ii, 7. ⁹⁴ Rom. vii, 23. ⁹⁵ Psal. xiii, 3. ⁹⁶ Hebr. ix, 25.

Sed et postquam cœpit scientia, et per evangelicam doctrinam lumen pietatis illuxit, ipse tamen immunda fuit, et docet quædam errori idolorum proxima, immundus est, sicut illi illorum temporum, in quibus furor idolorum obtinebat, illa docentes quæcunque ad illorum pertinebant errorem: erant enim etiam tunc immundi, sed et nunc multo magis, quia jam nuda est immunditia eorum, et error convictus. Quam quia noluerunt oculos suos præbere luci veræ intelligentiæ, propter quod dixit:

Quæ patitur fluxum sanguinis, non in tempore menstruo, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quandiu huic subjacet passioni, immunda erit. Nam etsi non integram idololatriam, auguria tauren et divinationes aut purgationes, aut venescorum artes doceat, nihilominus et hic immundus, quemadmodum et illi qui plene idololatriam his quibus floruit temporibus, tradebant et docebant. Sed et quicumque his ex opere discipulatum suum præbent, in persona horum intelligitur.

Stratum in quo dormierit, et vas in quo sederit. Id est hi qui studiose has doctrinas suscipiunt, sicut prædictus sermo monstravit, immundi erunt quemadmodum et hi qui eos docent. Hoc enim ostendens legislator de strato et vase dixit, secundum LXX, *immundum erit secundum dies profluvii ejus, eos qui ex opere talia discunt docentibus comparari cupiens.* In tantum autem hæc vera sunt, et ita Dei lex immundum dicit eum, qui vel pauca horum attigit, quia ad idola pertinentia loquuntur, aut agunt, ut et cum qui vel comedit cum eis, aut mensa potuque communicaverit mysteriorum, sicut revera immundum societate removeat. Unde et Corinthiis scribebat Paulus: *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum* ¹⁶. An æmulamur Dominum? nunquid fortiores illo sumus? Et rursus: *Nolo vos socios dæmoniorum esse* ¹⁷. Cur autem mulieris introduxit personam, bene novimus. Diximus enim, quia pro eo quod cogitationum virilitatem et divinæ scientiæ fortitudinem, hi qui in idololatriæ deciderunt errorem, prodiderunt, animasque suas effeminaverunt, recte in his qui agunt et docent, quæcunque cultui idolorum impenduntur, figuram mulieris insinuasse. Hujus enim imaginem gerere intelligimus eam, quæ in Evangelii fluxum patitur sanguinis, quæ omnem substantiam, sive vitam suam in medicis expendit, in his qui apud eos erant philosophis. Non tamen sanata est per eos ab Ægypto decedere erroris sui, quia *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt* ¹⁸. Cum enim viderentur simulacrorum cultu et furore alienati, terram tamen metiebantur, aerem et cælum, quorum scire solius Dei est exordia, terminos. Quæ hæc ergo simbriam Jesu retro tangens, liberata est a fluxu. Dicimus autem simbriam ejus, fidem ejus; nam cuius rei gratia cum simbriam facere vestibus Moyses

A præciperet, quia divinitas debet intelligi in anterioribus, retro humanitatem intelligimus, hanc gentes, quæ in fluxu constitutæ erant sanguinis, idolorum proposito tetigisse dicimus. Quod si non solum eos, qui ad effundendum idololatriæ sanguinem vacant, sed etiam eos qui docent ea, quæ ad doctrinam pertinent paganorum, fluxum sanguinis exposuimus, non est admirabile: mos quippe est apud exteriores, affluens eloquium, largissimeque se ac facile ad doctrinam effundens fluxum vel rhetoricam appellare.

VERS. 28-31. « Si steterit sanguis et fluere cesserit, numerabit septem dies purificationis suæ, et octavo die offeret pro se sacerdoti duos turtures, vel duos pullos columbæ ad ostium tabernaculi testimonii. Qui unum faciet pro peccato, alterum in holocaustum, rogabitque pro ea coram Domino, et pro profluvio immunditiæ ejus. Docebitis ergo filios Israel, ut caveant in immunditia, et non moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum quod est inter eos. »

Quæ virtus hujus sacrificii sit, et qualis in his qui fluxum seminis patiuntur, in quantum necesse erat diximus: similia enim et illic lex præcepit. Sicut enim ibi sibi metipsum sumere turtures, aut columbas in sacrificium fluxum seminis patientem legislator præcepit, quia magistri locum tenebat atque personam, sic et nunc hanc quæ fluit fluxum sanguinis, figurare enim eam diximus, docentes quæ ad errorem idololatriæ pertinent. Quamobrem eloquentiam docens, et eloquentiæ participans, sibi metipsi sumere quæ ad purgationem proficiunt potest: facillime quippe exterior sapientiæ interiori subjicitur et ab ea sumit utilia, sibi que proficientia. Nam fluxum sanguinis patiens, cujus habere figuram ea quæ sanguine idololatriæ aspersa est, ostensum est, sibi metipsi medicinam sumpsit, tacta simbria vestimenti Dominici, et antequam extendere manum, liberari a passione promeruit. Quæ ergo ad interpretationem desunt, hæc in subsequentibus per ordinem dicemus.

VERS. 31. « Docebitis ergo filios Israel, ut caveant immunditiam, et non moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum quod est inter eos. »

Quamvis omne peccatum immunditia sit animæ, maxime tamen idololatria, et quæ ad eam pertinent. Hæc habere et in his timoratos filios Israel legislator desiderat, ut non crudelissima impietatis morte moriantur: polluunt enim impli tabernaculum Dei, quod in ipsis est, atqui corpus est, quo fluxum sanguinis aut seminis inquinatur. Sed quia impietatem sermo innuit, quæ hominem totum pollnere consuevit: propterea, cautos, sive ut LXX, timoratos, inquit, facietis filios Israel ab immunditia sua: quod neque leprosis, neque de his qui tetigerant morticina sancivit. Sed et tabernaculi Dei, quod

¹⁶ I Cor. x. 20. ¹⁷ ibid. ¹⁸ Rom. i, 22.

in nobis est, mentionem fecit : tabernaculum enim Dei est omnis noster homo, in quo Deus habitare creditur : primum quidem per imaginem, quam nobis donavit, deinde per primitias, quas a nobis sumpsit. Verbum enim caro factum est, quod per illam munitionem etiam in reliquis habitare hominibus dicitur, quod probat Joannes dicens : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* ¹⁹.

VERS. 32, 33. « Ista est lex ejus qui patitur fluxum seminis, et qui polluitur coitu et qui menstruis temporibus separatur, vel quæ jugi fluit sanguine, et hominis qui dormierit cum ea. »

Quæcunque ejusdem sanctionis sibi cohærent, et quorum ad unam intentionem in effectu tradit utilitas, hæc sibimet legislator connectere consuevit, ut ei qui meditationi legis studium præbet, manifestet quomodo oporteat hæc intelligi, et quæ cum quibus cognationem secundum similitudinem intellectus habeant. Quia esse fluxum seminis patiens, doctorum corrupens semen, et turpia atque corruptentia admonens est probatus : *Et de quo egreditur semen coitus*. Ut polluitur, is, qui Judaica præcepta docet, in quibus ipse ut mala bona docens et legis intentionem transgrediens polluitur, dum ea quæ ad litteram pertinent, extra tempus proferet, et modo quodam mundis sicut immundis utitur, de quibus dictum est : *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum, sed polluta sunt eorum mens et conscientia* ²⁰. Sanguinis autem fluxum patientes in menstruis suis, hi esse demonstrati sunt, qui ea quæ ad impietatem tendunt, illo doctrinæ tempore, in quo genus hominum in cultu idolorum detentum in menstruis suis, in separatione malitiæ, a malo enim separati non erant; ut ostenderet quia eadem de his qui prava docent, lex loquitur. Addidit secundum LXX : *Fluxum seminis patienti masculo et feminæ*. Atqui in præcedenti sanctione de solo fluxu seminis patiente masculo dicit; feminæ autem fluxum seminis patientis memoriam secundum litteram penitus non fecit : sed per mulierem quæ fluit fluxum sanguinis, eum qui effundit doctrinam idololatriæ intellexit. Propterea nunc eam fluxum seminis patientem appellavit, ut nos disceremus quia eum qui corrumpit bonam doctrinam, turpiter eam et male proferens, talem qualis est is qui impietatem docet, lex reputet, utrorumque enim verba corruptione plena sunt. His virum conjunxit cum menstruata dormientem. Dicit autem eum qui ex fideli populo, idololatriæ mistus est : sicut superius diximus. Unde non simpliciter, sed masculinum perfectiori vocabulo, sicut nomen fidelis possidentem, dixit. Si prævaricator effectus, hoc vocabulum negat falsumque in se esse demonstrat, adeptus enim Dei militiam, idolis se tradidit, cum dormiens videlicet et errori se permiscens, primum quidem ut sordens, deinde ut cui inest longe a Deo sedere, et degere. Et pro-

pterea in immundis ordinatus est, et hujus quidem poena manifesta est. Manifestum est etiam quomodo mundata a pœnis liberari possint. Sed adhuc his superædificans legislator, utpote consonantem sanctionem quæ subsequitur posuit:

CAPUT XVI.

VERS. 1. « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Post mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti sunt. »

Ecce et nunc Dei spiritus unum corpus legis facit, et ad unum redigit invicem sibi cohærentia, et cum dudum manifestasset ea quæ ad doctrinam : quæ contra legem est, pertinent, modosque ejus multiplices quosdam, atque differentes exposuisset, unum nunc eam redarguit lege, et commune quodammodo contra eam subdidit præceptum, et causam morbi ipsius manifestam fecit, id est, unde contingit et unde supervenit. Audisti enim, quando filiorum Aaron, eorum qui divino igne consumpti sunt quærebamus mortem, quia, cum verbum illic legalis traditionis et historiæ faceremus, ignem alienum, alienam a Deo doctrinam diximus, et propterea a divino igne videlicet spiritus, eos qui ignem illum offerebant esse consumptos : quia divino igni aperte contradicunt, et contra Spiritum sanctum agunt hi, qui ea quæ mala et iniqua sunt docent. Sive ergo ea quæ idololatriæ cohærent, quis tradat, sive corrumpat exponens divina mandata, nefaria in eis subinferens verba sive Judaica doctrina sic utatur, ut ex ea polluat, contra tempus videlicet et intentionem legis, ipsius legis litteram proferens, ignem alienum Deo offeret, et propterea mori dicuntur, ex lege celerem habentes transgressionis pœnam. Verum quando hi mortui fuerint, id est, quando dispertiti fuerint, et quodammodo defecerint, tunc sanctio quæ sequitur, obtinebit. Et propterea post mortem filiorum Aaron, qui ignem alienum obtulerunt, dixisse Deum ad Moysen ea quæ sequuntur, dicitur :

VERS. 2. « Et præcepit ei dicens : Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum, coram propitiatorio quo tegitur arca, ut non moriatur, quia in nube apparebo, super oraculum. »

Quantum parcat Deus salutem nostram, ex multis quæ in lege dicta sunt : considerari et disci potest, de quibus nihil negligentes, oculos mentis per singula intendamus. *Quid enim prodest, homo si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua* ²¹? Quia ergo summa, sive capitulum salutis nostræ, Verbi doctrina est, ipsa nobis vias bonas, si bona fuerit : si autem mala, malis digito monstrare consuevit. Recte maximam diligentiam legislator exhibet ut non solum in verbis turpibus, aut in fabulis Judaicis aut in aliquo idololatriæ phantasmate

¹⁹ Joan. 1, 14. ²⁰ Tit. 1, 15. ²¹ Matth. XVI, 26.

doctores non excedant, sed nec occasione theologiæ in impietatem cadant, quod mos est hæreticis pati. Substantiam vero discutientes Dei, tam Patris ad Filium, quam Filii ad Spiritum sanctum, differentiam introducunt, et alia similia quæ nostram excedunt scientiam, absconsa: quæ sunt nobis sicut nimis alta atque sublimia, non ex divinis dogmatibus, sed ex suis cogitationibus exquirere volentes, a moderationis ecclesiasticæ excisi sunt corpore. Hoc ergo ne patiamur, lex præsentibus nos præmonet verbis; ait enim sic:

Et dixit Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron fratrem tuum. Id est, ut sacerdotes sibi invicem hæc præciperent, et unusquisque doctorum talia proximo sanciret, qualia nunc Deus loqui ad Aaron Moysi præcepit, quæ sunt hæc:

Non omni tempore ingrediatur in sanctuarium quod est intra velum coram propitiatorio: quo legitur arca. Commune omnibus mandatum, et communem hic proposuit legem, primum quidem sacerdotibus aptam, deinde omni qui vult discutere divina mysteria. Quamobrem, secundum LXX, impersonaliter præcepit, dicens: Non ingrediantur omni in tempore in sanctum interius velaminis. Qui non addidit, omnes prohibere ab hoc manifeste cupiens, quia velamen corpus Salvatoris intelligitur, sicut Paulus evidenter ait: Habentes autem confidentiam in introitu sanctorum quam inivit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est per carnem suam²². Ipse est enim verum et intelligibile propitiatorium, utpote qui ipse nobis peccatorum propitiationem præstat; ait etenim idem Paulus: Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ejus, liberationem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per sanguinem ipsius²³. Quod autem nos habemus, Coram propitiatorio, LXX ediderunt: Coram facie propitiarii. Huic autem propitiario facies, divinitas ejus fuit. Quamobrem quando Moyses videre Deum desiderans dicebat: Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum²⁴. Et respondit: Non poteris videre faciem meam; nemo hominum vidit faciem meam et vivit²⁵: quia substantiam Dei nemo comprehendere potest, hoc dixit. Quid autem ejus possit videri, ipse aperte subdidit dicens: Ecce est locus apud me, stabis super petram²⁶, id est Ecclesiam, et confessionem quæ in eo est, cum fide dicens: Cumque transibit gloria mea, significans Christi ad homines transitum: et ponam te in foramen petre²⁷, id est, in lege, sicut per foramen angustum, ad confessionem Christi et fidem, per eam transimus, unde et pædagogus noster ad Christum, lex esse per Paulum dicitur²⁸. Et ponam super te manum meam, signis videlicet, miraculis quæ cum eis faciebat, donec transeam, tollamque manum meam, et videbis posteriora mea²⁹.

A Quando ergo a populo Judaico in cujus nunc figuram, utpote principem populi Moysen accepit, protectricem Deus abstulit manum, et sua eum virtute nudavit in tantum ut Romanis tributa præstarent, ut sub leges eorum et principes degerent, tunc viderunt posteriora Dei, id est Dei incarnationem. Posteriora autem ejus, quia videlicet in ultimis est temporibus incarnatus. *Faciem autem non videbitis*, ait, substantiam videlicet Divinitatis. Aperte ergo doctores vetuit, et sacerdotes prohibuit, et quos cunque de Deo loqui fas est, exquirere substantiam Dei, et discutere Christi divinitatem, et ingredi interiora velaminis intelligibilis. Velamen enim Christus habet carnem, tegumentum divinitatis suæ, quemadmodum et hoc quod erat sensibile velamen B tegumentum Sanctis sanctorum fuit. Non solum autem velamen, sed et testimonii arcam, carnem Domini appellavit, multis illam necessario appellans nominibus, quia multæ ex ea erant operationes; de hac enim David in Psalmis prophetavit: *Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ*³⁰. Hæc arca intelligibilis testimonii, utpote continens compassionem salutarem dicitur, de qua dixit Paulus: *Testificor coram Deo, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem*³¹. Rursus et Evangelium dicitur esse testimonium, tam quia intelligibili arcæ, id est carni, Christi cohæret, quam quia ex ipso passionis testimonium habemus. De ipso enim et Paulus ad Timotheum scribebat: *Testimonium temporibus suis, in quo positus sum ego prædicator, et apostolus*³². Hæc arca ergo est propitiatorium, quia in carne sua Christus nobis propitiationem præstitit. Ad quam omni tempore non præcipit doctores ingredi, ut curiose utique non inquirant, quemadmodum *verbum caro factum est*³³: quomodo, qui in forma Dei erat, in forma servi factus est, quomodo exinanivit semetipsum, et in cælis mansit³⁴. Horum enim fides salutem affert, periculum inquisitio. Hoc ergo qui credit, non morietur. Quia *in nube, inquit, apparebo super oraculum sive propitiatorium*, nubem rursus Dominicam carnem et evangelicam appellat Verbum. Eadem enim multis vocat nominibus, nec est *ταυτολογία*, sed operationibus rerum quæ significantur, apta imponit et distribuit nomina. Aliquando enim velamen carnem dicit, tegumentum hanc esse divinitatis Christi significat; aliquando autem arcam, hominem videlicet quem ipse Dominus exponens Judæis dixit: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*³⁵. Quod, Judæis ignorantibus, et dicentibus: *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud*³⁶? Evangelista explanavit, dicens: *Ille autem dicebat de templo suo*³⁷. Aliquando vero nubem, quia nubes corpus est, sed mundum et subsisten-

²² Hebr. x, 19, 20. ²³ Rom. iii, 25, 24. ²⁴ Exod. xxxiii, 15. ²⁵ ibid., 20. ²⁶ ibid., 21. ²⁷ ibid. 22. ²⁸ Galat. iii, 24. ²⁹ Exod. xxxiii, 25. ³⁰ Psal. cxxxi, 8. ³¹ I Tim. vi, 13. ³² I Tim. ii, 6-7. ³³ Joan. i, 14. ³⁴ Philipp. ii, 6, 7. ³⁵ Joan. ii, 19. ³⁶ ibid., 20. ³⁷ ibid.

tiam ex Spiritu sancto habentem: ex spiritibus enim, id est ventis nubes subsistunt. Propter quod ejus subtilitate simul et levitate munditiam Isaias ostendens dicebat: *Ecce Dominus ascendit super nubem levem, et ingreditur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti*³⁸, nube similiter non incongrue evangelicum appellamus verbum, quia mos est divinæ Scripturæ sancti Spiritus doctrinam, nubem appellare. Unde et vineam Judæorum sicut infructuosam, auferens dicebat: *Manidabo nubibus, ne pluant super eam imbrem*³⁹. Deinde quæ sit vinea, exponens subdit: *Vinea enim Sabaoth, domus Israel est, et domus Juda, novellum deiectum*⁴⁰. In hac ergo nube, Deus tam in Dominica carne, quam in evangelica prædicatione insinuat, et nihil amplius quæramus nos qui aliquid de Deo scrutari volumus, sed quantum nobis evangelicus sermo tradit, quanta ex Dominica carne percipimus: neque enim frustra uno nomine carnem Domini, et Evangelium legislator significavit, sed quia Evangelio, et carne Dominica, occasio atque subsistentia est. Verumtamen et illa nunc iteratio confirmat, quia non solum hoc ipsum differentibus nominibus divina nomina Scriptura ut differentes operationes signet, sed in nominibus differentiam ostendit, plerumque etiam contrariam: nam aliquando quidem sagittas malas, et igneas, illas quæ sunt concupiscentiarum, aut alterius nequitie organa, et operationes vocat igni diabolum assimilans, quia corrumpit eos qui ei se jungunt, et in eo se quodammodo mittunt. Aliquando autem in specie ignis, tam alibi, quam in rubo Deum insinuat, quia lux est eorum qui ad eum per singula accedunt tempora, calorque vitalis atque purgatio. Non ergo æstimes superflua sive nova induci per expositionem, quando eisdem nominibus in differentibus utitur causis, aut nomina differentia in eisdem accipit rebus. Sed illud intende tantum si non proprie, et secundum tempus, significationes nominum in adjacentibus expositioni rebus interpretes accepit. Sed jam quæ sequentur videamus. Sed sic ingreditur Aaron sanctuarium.

VERS. 3, 4. « Vitulum offeret pro peccato, et arietem in holocaustum. Tunica linea vestietur, et feminalibus lineis verecunda celabit. Accingetur zona linea, cydarim lineam imponet capiti. Hac enim vestimenta sunt sancta, quibus cunctis, cura lotus fuerit, induetur. »

Admirabili ordinè etiam nunc legislator ad ea quæ juvare possunt, et utilia esse legentibus legem, et qui thesaurum reconditum in ea perscrutantur, utitur. Cum enim dixisset non licere omni hora, id est non continue, id est, sine intermissione ingredi in Sancta sanctorum, ne forte sine metu, et circumspectione ad ea quæ divina sunt, presumeremus aut accedamus, ne majorem perscrutationem omnino prohibuit, sed quando nos hac, aut

A quomodo jubet uti quando nosmetipsos perfererimus sive consummaverimus, nunc tradidit, id est non ingrediatur Aaron in sancta, nisi hæc fecerit. Hic ostendit, quia non solum non frequenter, sed nec omnino non ingredi in sublimiorem divinam contemplationem præcepit, quam et appellavit sanctuarium, utpote quæ de Deo est, qui Sanctus sanctorum est, et cum qui bene ea vitur, sanctificat, sed qui utique Aaron est, id est, altam conservationem habens, et qui in tantum proventus est, ascendens ad Dei sanctificationem, ut sicut divina arca respondere possit, hoc enim Aaron interpretatur, hic ingrediens, vitulum offeret pro peccato, videlicet in sacrificio ingreditur Christi. Qui quia non solum pro peccatis nostris immolatus est, sed et vitam nobis præstat perfectam, tamen peccatorum nobis absolutionem, quam virtutum perfectionem Dei sacrificium conquirat, et apponit, addidit legislator.

Et arietem in holocaustum. LXX autem ediderunt, *de vitulo.* Ex bobus illis operatoribus justitiæ, secundum carnem factus est, verbi gratia, Abraham, Isaac, Jacob, David; nam boves lex, eos qui justitiam operatur, novit sicut nobis Paulus tradidit, illud interpretans mandatum: *Non alligabis os bovi trituranti*⁴¹; deinde subjecit: *Nunquid de bobus cura est Deo*⁴²? an propter nos utique dicit: *Quia debet in spe qui rat arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi*⁴³? Quia autem et vitulus, recte propter sacrificium, et virtutem appellatur, evangelica explanat parabola⁴⁴, in qua prodigo filio patris revertenti, primam stolam dans baptismatis et annulum, id est signaculum spiritus, vitulum ei sacrificium unigeniti immolavit, ipse et aries in holocaustum est. Hoc enim ea quæ est de Isaac historia explanavit, quando pro arietem secundum LXX, *in virgulto Sabech*, id est in virgulto veniæ, per quod absolute crucem intelligimus, in qua nostrorum peccatorum peracta est venia, ex cornibus colligatum videns Abraham immolavit eum, et sacrificii Christi complevit imaginem. Unde et de eo Dominus dicebat: *Abraham exsultavit, ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est*⁴⁵. Quia ergo aries ex genere ovium est, verumtamen est præcipuus, et gregis dux, recte significat Christum, qui est ex massa nostra, sed præcipuus, et excellens nos, et dux generis humani atque rex est. In hoc, id est in Christo, vult nos ingredi in sancta: initium enim de Deo loquendi, Christus est, et ejus passio. Quæ si non aucta fuisset et tam paganorum nos errore, quam ab umbra legis et caligine liberasset, nos de Patris divinitate loqui minime potuissemus: *Nemo enim scit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*⁴⁶. Sed quia his, qui de Deo locuturus est, et intueri Deum, in quantum possibile est hominibus, vult, necesse est ut omnibus virtutibus arme-

³⁸ Isa. xix, 4. ³⁹ Isa. i, 3. ⁴⁰ ibid. 7. ⁴¹ I Cor. ix, 9. ⁴² ibid. ⁴³ ibid. 10. ⁴⁴ Luc. xv, 11 seqq.

⁴⁵ Joan. viii, 56. ⁴⁶ Luc. x, 22.

tur. Attende et hoc quemadmodum approbavit: virtutes enim quatuor generales sunt, justitia, castitas, fortitudo, sapientia; propterea inquit:

Tunica linea induetur. Id est justitia, hæc enim proprie vestimentum hominis est, tunica, quam LXX *sanctificatam* edunt, quia sanctificatur a Deo qui justitiam diligit, et principaliter ea indutus est. Unde de eo dixit David: *Justus Dominus, et justitias dilexit* ⁴⁷. Per feminalia castitas significatur, quod manifestum est ex eo quod non permittunt videri carnis nostræ inhonestiora. Quia ergo totus corporis decor castitas est, necessarie legislator ait:

Feminalibus lineis verecunda celabit. Atqui super femora, et circa vicina eis membra, solum sunt feminalia. Sed ostendere vult, quia feminalem hic castitatem, totum corpus custodientem carnis nostræ signat. Per zonam, fortitudinem intelligit, unde Deus Job sublevans passionibus ac periculis oppressum dicebat: *Accinge ut vir lumbos tuos* ⁴⁸. Per cydarim, quia indumentum capitis est, intelligitur modis omnibus sapientia: quia enim in capite sapientiæ est organum, non ignoramus, quod et cerebrum dicitur, et unde et caput omni est honorabilius corpori. Sed hæc linea propterea esse præcepit, ut ostenderet virtutum facilitatem, et celerem conquisitionem, vel habilem, gratamque adipiscenti esse, sicut et ea quæ linea sunt corpori, super quod sunt.

Nisi in ipsis macula effecta fuerit. Quia etiam cum sublimes sint, conversatio eorum potest esse in terris. Quorum singula in linum proveniunt, quod altum quidem calamum habet, sed multum a terra ascendit, facileque conquiri potest a pauperibus, et ei qui hoc induetur, acceptum gratumque est, sicut supra diximus. Æstuantem etiam refrigerat, sed et in gelu fovet, quod est virtutis proprium, quæ refrigerat quidem in æstu concupiscentiarum, in frigore autem tentationum calefacit, atque ad zelum [cælum] erigit, et non permittit sentiri persecutores. Sed ut non etiam salutis perdas capitulum, quod est baptisma; nec restimes tibi sufficere virtutes, sine dono baptismatis, addidit:

Hæc enim sunt vestimenta sancta, quibus cunctis cum lotus fuerit induetur. Lavatur omne corpus per aquam baptismatis, quia torum nostrum lavat, et renovat hominem. Ergo baptizari oportet prius, et ex aqua regenerari, ac Spiritu, ac sic prædictis virtutibus indui, et per eas Christum: hoc enim et ipse contextus legalium signat verborum. Postquam enim dixit legislator, ne omni tempore ingrediar sanctuarium, nisi hæc ante fecerit:

Vitulum pro peccato, subdidit: et arietem in holocaustum. Tunica linea vestietur, et reliqua. Non solum Christum intelligibilem arietem, et verum

A holocaustum, virtutum videlicet perfectionem; ipsum enim virum perfectum, et mensuram ætatis appellavit, suscipere nos, et indui volens, propter quod et baptismatis gratiam introduxit: quia per ipsam maxime Christum induimur. Quando autem hæc adepti fuerimus, in Sancta sanctorum ingrediemur, non substantiam perscrutantes Dei, vel discutientes, hoc enim prohibitum est, sed ad ea quæ sunt de dispensatione Christi sacrificioque ejus pro nobis, et bonis quæ per ea fruimur, sapientiæ dogmatibus studium dantes: hoc enim manifestum faciunt maxime quæ sequuntur:

VERS. 5, 6. « Suscipiet ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se et pro domo sua. »

B Multa hic intentio, dicentis simul, et audientis est necessaria, ut non recedant ab eo quod rectum est, quia maxima sunt mysteria, ea quæ nunc exponit lex, et quidam in ipsis offendunt ignorantes horum virtutem dictorum. Sed hæc quidem, in quibus offendunt, subtilius in subsequentibus dicentur. Quia autem ad ipsum Christum ea de quibus locutus est legislator, in præsentem evidenter referuntur: manifestant species sacrificiorum, et effectus, sed et hi a quibus sacrificia accipiuntur. A synagoga enim, vel universa multitudine filiorum Israel accipi sacrificia præcepit: quia Christus qui pro nobis immolatus est, ex filiis Israel secundum carnem fuit, ita ut Paulus diceret: *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen* ⁴⁹. Dein sacrificiorum alia quidem pro peccatis: alia autem in holocaustum jubet offerri, figurans, sicut oportebat, Christi sacrificio virtutem, qui pro nostris peccatis offertur; audi ergo Paulum dicentem: *Christus semel oblatum ad multorum exhaurienda peccata, novissime sine peccato apparebit expectantibus se* ⁵⁰. Quia autem ad holocaustum et ad perfectionem videlicet, et ad profectum vitæ, atque virtutum Unigeniti sacrificium factum est, quomodo dubitare licet aperte Paulo dicente: *Ergo fratres, et vos mortificati estis legi, per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemur Deo* ⁵¹. Et rursus de eo dixit: *Unde et salvare in perpetuum potest, accedentes per se ad Deum* ⁵². Sic perfectio, et omnimoda nostra salus, filius per sacrificium suum factus est. Proprie autem in effectibus sacrificiorum, accepit legislator ea quæ immolabuntur: cum enim dixisset hircos pro peccato offerri, quoniam hoc animal in peccatorum genus divina Scriptura accipere consuevit, nullatenus immemores, quia, quando sacrificiorum hæc poenitentia rationem significabant, occasionem ex legali hoc codice sumentes exposuimus: hædum, qui Græcè chimarus dicitur recte immolari ab eo qui poenitentiam agit,

⁴⁷ Psal. x, 8. ⁴⁸ Job xxxvii, 5. ⁴⁹ Rom. ix, 5. ⁵⁰ Hebr. ix, 28. ⁵¹ Rom. vii, 4. ⁵² Hebr. vii, 25.

ostendimus : utpote in tempestate, et fluctu constituti, usque dum pœnitentiæ ejus suscipiatur sacrificium. Arias autem utpote ducatum gregi præbens, deputatus recte in holocaustum, id est in virtute et perfectione vitæ accipitur, quorum est enim nisi præpositorum docere perfecta? His ita se habentibus, omnimodo dicis. Cur si hircos pro peccato lex præcepit offerri, nunc etiam vitulum offerri præcepit? Una autem ratione, brevique solvi atque explanari potest, quia non unius generis, sed tam peccatorum, quam justorum est Unigeniti sacrificium. Et propterea hirci, pro genere quodammodo peccatorum offerri præcipiuntur, vivus autem pro justis, quia bos, cum sit ad operandum aptum animal, in persona justi secundum legem accipitur.

Unde et in vitulo, ait, orabit pro se, et pro domo sua. Domum Dei justos appellans, habitat enim in eis, et inambulat. Ipse est corum Deus, et illi ejus populus. Deprecabitur et pro eo, id est pro domo propriæ carnis, nam etsi peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus⁵³, verumtamen Adam indutus est, qui propitiationem, propter maledictum quod semel humano superinductum est generi, opus haberet. Audi ergo Paulum ad Hebræos de Christo talia scribentem : *Qui non habet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes, primum pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populis : hoc enim fecit semel se offerendo*⁵⁴.

VERS. 6-10. Cumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se, et pro domo sua, duos hircos stare faciet coram Domino, in ostio tabernaculi testimonii, mittetque super utrumque sortes, unam Domino, et aliam capro emissario : cujus sors exierit, Domino offeret illum pro peccato; cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eum et mittat illum in solitudinem. His rite celebratis, offeret vitulum, et rogans pro se et pro domo sua.

Solent cæci in lumine offendi, et infideles in lege Dei scandalizari, quod Petrus sciens, tam de Pauli vasis electionis epistolis, quam de omni divina Scriptura dixit : *In quibus sunt quædam difficultia intellectum quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem*⁵⁵. Hoc et nunc patiuntur, qui ad suam voluntatem, et non ad veram intentionem intelligunt legem Dei, et noxium animæ ac pestilentem idolorum cultum constituere ex his, quæ dicta sunt a legislatore, inaniter cogitant. Nam dicunt : Super duos hircos lex sortem mitti præcepit, unum Domino, alterum autem ad emissionem separari præcepit. Emissarium autem appellant diabolum, ut ex hoc occasionem præbeant ad colendum malignum in tantum aures obturantes, et in tantum mente cæci. Quomodo ergo habeat rationem, laud credibile est, quod Deus ipse sacrificium diabolo offerri præcipiat, qui

A per ipsum Moysen, et fratrem, et filium et fratrem, et civitatem integram, quæ ad idola converteretur, disperdi præcepit, et clamat : *Non erunt tibi dii alii, absque me*⁵⁶. Per David autem dicit : *Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum*⁵⁷. Ille ergo qui hæc præcepit, pro eo quod suam gloriam, ac sacerdotium, et cultum æquatari, et cum eo divisiuri erant, hoc jubet, ut duobus hircis oblati unum præciperet sibi applicari, alium autem adversario suo, quem emissarium putant dici. Sed non cognoverunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Emissarium enim, eum hircum, qui mittitur in desertum, legislator appellavit. Nos autem ex his quæ ad litteræ legalis traditionem pertinent, quemadmodum non esset verisimile hoc præcipere legislatorem demonstramus, deinde intentionem sanctionis ex spiritus consideratione exerceamus. Duos ergo hircos statuere coram Domino in ostio tabernaculi testimonii præcepit, non autem eos ablaturos esse Deo, hoc est enim coram Domino, ne ad ostium Dei ea quæ diabolo mittebantur, sed et sortem mittere, unam Domino, et unam lustrationis præcepit. Si autem in alicujus maligni personam emissarium accepisset, nequaquam de eo, cum eo qui Dei erat, sors mitteretur, quia nec cum quolibet et malo quemlibet bonum sortem habere in divinis Scripturis invenies. Sed quoties sors mittebatur, æquales cum æqualibus mittebantur sortes, sicut et tribus Israel, dividebant; nam quando pro Juda ad apostolatam alium eligere necesse habebant, super duos viros æquales virtutibus, et doctrina, Matthiam videlicet, et Joseph justum, sortes missæ sunt, ita ut Petrus concionando diceret : *Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus, accipere locum ministerii hujus, et apostolatus*⁵⁸. Non solum autem antequam sors mitteretur in duos hircos, coram Domino eos sibi præcepit, sed et illum in quo sors emissionis venit, postquam eadem sors super eum ceciderit, et manifestum fuerit statui coram Domino præcepit et effundi super eo preces. Quomodo ergo qui ante faciem Dei statutus est, eique quodam modo consecratus, ipse rursus diabolo mittitur? Vel quo modo propitiationem peccatorum, hoc quod iniquo transmittitur, sacrificium peragit? Si enim ejus intentio est etiam justos peccatores efficere, quomodo peccatoribus propitiationem poterat profligare? Quomodo autem is ipse peccator, de quo ait David : *Constituere peccatorem adversus eum, et diabolus stet a dextris ejus*⁵⁹, propitiationem potest conquirere peccatorum? solius quippe hoc Dei est, ad quem David dicebat, *Et propitiare peccato meo, copiosum est enim*⁶⁰. His ergo ita se habentibus, et undique incongruo hoc ostenso intellectu non ignoremus nos, quia de Christi sacrificio procul dubio maxime hæc legislator dixerit. Unde æstimo mali intellectus zizaniam

⁵³ 1 Petr. II, 22. ⁵⁴ Hebr. VII, 27. ⁵⁵ 11 Petr. III, 16. ⁵⁶ Exod. XX, 3. ⁵⁷ Psal. LXXX, 10. ⁵⁸ Act. II, 21. ⁵⁹ Psal. CVM, 5. ⁶⁰ Psal. XLIV, 11.

disseminare inimici veritatis volunt, gloriæ mysterii A
 Invidentes, clarumque ejus testimonium ex lege
 considerantes : quia enim Deus, et homo erat, qui
 pro nobis incarnatus est Christus Jesus, impassibi-
 lem divinitatem custodiens, solam passionibus hu-
 manitatem præbuit, effectus autem passionis ejus,
 id est nostra propitiatio, non solum passæ carnis,
 sed multo magis impassibilis divinitatis fuit, quod
 testatur Paulus, dicens : *Qui cum esset splendor
 gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia
 verbo virtutis suæ* ⁶¹. Demonstrans autem quod hæc
 omnia de Unigeniti divinitate dicantur, subdidit :
*Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram
 majestatis in excelsis* ⁶², ipsi Deo, verbo etiam ea
 quæ proprie ejus erant carnis, conjungens. Si ergo
 hæc apte dicta sunt, propterea duo sumuntur hirci, B
 et statuuntur coram Domino, in ostio tabernaculi
 testimonii, ut ad imaginem Christi hæc in eis age-
 rentur. Ipse est enim ostium verum, quod ad ostium
 tabernaculi testimonii, quod est in cælis, ducit. Et
 mittit Aaron super utrumque hircum sortem, unum
 quidem ut virtute et significatione sortium dividi
 dispensationem divinitatis Christi et humanitatis
 intelligamus. Divi li vero, tam huic quam illi sunt
 propria, ut hæc quidem patiat, illa autem confor-
 tet patientem, et per passiones quæ in ea opera-
 bantur; tam contrarie nobis moderarentur passio-
 nes, quam suam manifestaret impassibilitatem.
 Deinde sortem unam, ait, Domino, et aliam capro
 emissario, non alii nisi Christo, sicut superius dixi-
 mus. Si inimico cuidam et maligno sors aut hircus
 daretur, non sortiretur cum Deo, sed nec ad ostium
 tabernaculi testimonii deduceretur, nec preces super
 eum funderentur, vel propitiatio in eo ageretur.
 Caper ergo emissarius, utpote qui emissus est et
 non immolatur, dicitur. Cujus autem rei gratia non
 immolatur, qui ad *confirmatum* deputatus est, sicut
 Aquila edidit? quis autem sit confirmatus sive fortis,
 audi Job dicentem : *Scio, quia potens es, et nulla te
 latet cogitatio* ⁶³. Audi et David : *Firmamentum
 est Dominus timentibus eum* ⁶⁴. Ergo, una quidem
 sors immolatae carni Christi, quæ cum unita sit
 Deo Verbo, recte Dominus nominatur. Propter quod
 Paulus ait : *Si ergo cognovissent, nunquam Dominum
 gloriæ crucifixissent* ⁶⁵. In confirmatum autem D
 Deitas accipitur.

Sorti subjiciet. Sors ista in hac accipitur : hæc
 enim omnia obtinens, etiam propriam carnem pas-
 sione recte confirmavit. Propterea offeret Aaron
 caprum, in quo venerit ei sors Domino, et offeret
 eum pro peccato. Intelligibilis enim Aaron, is qui
 sacerdotio nostro præest, de quo Paulus dicit :
*Sicut Aaron, sic et Christus semetipsum glorificavit,
 ut sacerdos fieret* ⁶⁶. Ille suam carnem offeret Patri,
 et in ipsa offeret pro peccato, de quo Paulus He-
 breis scripsit : *Hic unam pro peccato offerens ho-
 stiam, in perpetuum sedet in dextra Dei* ⁶⁷.

*Caprum vero super quem venerit emissionis sors,
 statuet vivum ante dominum, ut fundat preces super
 eo.* Quia enim sortem emissarii diximus figurate re-
 ferri ad Christi divinitatem, statuet hanc vivam,
 impassibilem custodiens, ut per eam deprecetur.
 Nemo enim potest dimittere peccata, nisi solus
 Deus. Dimittit autem eum in solitudine, et, sicut
 aiunt LXX, *portabit hircus super se nomina eorum,
 in terram solitariam, sive inviã.* Desertam terram,
 et solitariam, sive inviã, sive inviã, nullatenus existimemus
 nunc in quolibet malo oportere accipi, neque per
 hoc piorum aures, hi qui ad impietatem legem tra-
 hunt, conturbent. Desertam enim a malo dicit, et
 solitariam, sive inviã, quæ ab intelligibilibus ho-
 stibus ambulari non potest, in qua Deus habitat, et
 apparet, quod manifestat David dicens : *Deus Deus
 meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea,
 quam multipliciter tibi caro mea. In deserto, et in
 invio, et in aquoso, sic in sancto apparui tibi, ut vide-
 rem virtutem tuam, et gloriam tuam* ⁶⁸. Ergo deser-
 tum et inviã, sanctum est, et Sancti sanctorum ha-
 bitaculum, ubi in cælos divinitas temporis passionis
 abiisse dicitur, non de loco ad locum migrans, sed
 colubens propriam virtutem ex humanitate, ut da-
 ret spatium passioni, in loco digno sibi, in sinu
 Patris videlicet manens. Ad quæ nullus accedit, nisi
 ipse et sanctus Spiritus, et quia ipse in Patre est,
 et Spiritus sanctus, sicut evangelicis didicimus Litteris,
 ergo abire, cohibere intellige. Sic enim Deus
 abire, qui ubique præsens est, cum suam cohibet
 operationem, dicitur. Portat etiam iniquitates no-
 stras, quia ignis proprium est fenum consumere, et
 divinitatis peccatum perimere, unde et ignis con-
 sumens Deus dicitur ⁶⁹.

VERS. 11-13. « Et offeret Aaron vitulum pro peccato,
 et rogans pro se, et pro domo sua, immolabit eum.
 Assumptoque thuribulo, quod de prunis
 altaris impleverit, et hauriens manu compositam
 thymiama in incensum, ultra velum intrabit in san-
 cta, ut positis super ignem aromatibus, nebula
 eorum et vapor operiat oraculum, quod est super
 testimonium, et non moriatur. »

Quia multa frequenter acta diximus per sacrificium
 Salvatoris, necessario in eo multæ exquisitæ
 sunt in lege differentiæ. Principaliter ergo per il-
 lud, ipsi Israel profligabatur absolutio propter quod
 dicebat : *Non veni nisi ad oves quæ perierunt domus
 Israel* ⁷⁰. Non solum autem Israel liberatio, sed et
 gentium iuerat in sacrificio Christi correctio. Hoc
 autem aperte Paulus exponens, ad Ephesios scribe-
 bat : *Ut duos condat in semetipso, in unum novum
 hominem faciens pacem et reconciliet ambos in uno
 corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in
 semetipso, et veniens evangelizavit pacem vobis qui
 longe fuistis, et pacem his qui prope* ⁷¹. Longe gen-
 tes appellans quia longe ab omni divina scientia
 erant, juxta Israel quem propinquare prophetæ, et

⁶¹ Hebr. 1, 3. ⁶² ibid. ⁶³ Job xii, 3. ⁶⁴ Psal. xlv, 14. ⁶⁵ I Cor. ii, 8. ⁶⁶ Hebr. v, 4. ⁶⁷ Hebr. 12. ⁶⁸ Psal. lxxi, 1-3. ⁶⁹ Deut. iv, 24. ⁷⁰ Matth. xv, 24. ⁷¹ Ephes. ii, 13-17.

lex facta est. Dehinc subnectens Paulus dicit: *Quia per ipsum habemus accessum, utrique in uno spiritu ad Patrem* ⁷². Immolat ergo intelligibilis Aaron vitulum, id est propriam carnem, cujus hostia quando in Judaicæ plebis liberationem accipitur, sacrificium vituli necessarie assumitur; habebat enim ipse legalem justificationem, maxime ut aperte prædicaret: *Non veni solvere legem, sed implere* ⁷³. Paulus autem de ipso dicebat: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret* ⁷⁴. Hæc autem vitulus propter jugum mandatorum apte intelligitur.

Rogans pro se. Videlicet pro humanitate; hujus enim in semetipso figuram gerebat.

Sed et pro domo sua. Proprie eum qui sub lege vivebat populum, qui domus ipsius propter cognitionem fuit, venit liberare. Propter quod Cleophas dicebat: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel* ⁷⁵.

Immolabitque eum. Ipse enim propriam carnem immolavit; ipse sui sacrificii pontifex in Sion factus est, quando sanguinis novi testamenti dabat calicem.

Assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit. Thuribulum, linguam Dominicam hic dicit, in ipsa enim erat Spiritus. Sumit ergo plenum thuribulum carbonibus, quia sacrificio suo doctoralia verba, quæ erant divina et cælestia, protinus addidit, de quibus David dicebat: *Carbones succensunt ab eo* ⁷⁶. Hoc Joannes in cæna acta postquam Judas est egressus scripsit ⁷⁷, in quibus, quomodo quidem Pater in ipso, quomodo autem ipse cum sit in Patre, mittat donum Spiritus; quomodo Pater est agricola, ipse vitis, apostoli vero palmites; quomodo princeps mundi hujus judicetur, aliaque exponit miracula, quæ sunt carbones ignis, utpote calefacientia nos ad pietatem, cum sint generaliter spiritalia: sed et altare, quod secundum LXX, *ante Dominum*. Hoc autem esse sex Cherubim, in ipsis præmiis libri hujus ostendimus. Illic enim carbones intelligibilis ignis constitutos esse, Ezechiel propheta demonstravit; Dominum quippe ipsum, qui erat indutus podere, et accinctos habebat lumbos, proponit dicentem: *Ingredere in medium rotarum subter Cherubim, et imple manus tuas de medio Cherubim* ⁷⁸. Quia ergo altare intelligibile, in quo carbones ignis sunt, sedem Cherubim oportet intelligi, audi Isaiam dicentem: *Et venit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum* ⁷⁹. Quod ergo in cælo est altare aliud, nisi Cherubim? Sed his, sicut enim tam pontifex, quam rex, idem et sedem habet, et altare: hoc ergo Paulus Hebræis significans dicebat: *Non enim habemus pontificem, qui non potest compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato.*

Adeumus cum confidentia ad thronum gloriæ ejus ⁸⁰. Hoc ergo intelligibile dicebat altare, quod manifestant quæ sequuntur; ait enim: *Ut accipiamus misericordiam, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* ⁸¹. Horum enim utrumque ab altari sine aliqua dubitate percipimus. Sed quid in his quæ sequuntur, legislator subdidit?

Et hauriens manu thymiam compositum in incensum, ultra velum intrabit in sancta. Vel sicut LXX: *Et implebit manus suas thymiamate compositionis subtilis, et offeret interius in interiora velaminis.* Dicit autem orationem de qua dixit David: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* ⁸². Hæc ergo quando secularia oramus, crassa quodammodo, et non subtilis est. Quando autem spiritalia petimus, id est scientiam divinam, regnum cælorum, remissionem peccatorum, subtilis quedam est, utpote spiritalis et intelligibilis, quam intelligibilis sacerdos pro nobis offert. Manifestum autem est ex eo quod pro discipulis Christus orans, sanctificationem eis et unitatem secum, libertatemque in mundo, et alia talia deposcebat. *Intrabit in sancta; sive, secundum LXX, et offeret in interiora velaminis,* carnis videlicet suæ. Offeret autem, cui? Patri videlicet, quia hæc quidem manifesta aspectu omnium præferebatur, ipse autem erat invisibilis:

Ut positus super ignem aromatibus, nebula eorum et vapor operiat oraculum, quod est super testimonium, et non morietur. Dupliciter hic quod dicitur intellige. Quia ergo Aaron ipsius Christi figuram gerit, propter sacerdotii dignitatem, figuram etiam gerit corporis sacerdotum. Superimponit quidem Christus ignem aromata, id est orationem super doctrinam, et operit vapor eorum nebulæ, id est orationis virtus. *Oraculum quod est super testimonium;* id est, carnem suam, ex qua propitiatio nobis conquisita est peccatorum, et in salutari est videlicet passione. Hoc autem esse testimonium paulo superius ostendimus. *Et non morietur* corruptionis morte, neque enim caro ejus vidit corruptionem, quia vapore aromatatum virtute utique orationis illius, operiebatur, de qua David ait, Christum Patrem deprecans: *Quia non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem* ⁸³. Ponit autem unusquisque sacerdos de Christo loquens, in ignem aromata, spiritalis doctrinæ orationem, et orationis virtus operit oraculum, quod est super testimonium. Non permittit autem eum quærere de passionibus Dominicæ carnis, ea quæ super virtutem quærentis sunt; et non morientur ea quæ delinita est immoderatis inquisitoribus, qui ea quærent quæ hominibus non libet quærere, morte.

VERS. 14. † Tolle quoque de sanguine vituli et asperget digito septies contra propitiatorium ad orientem. †

⁷² Ephes. II, 18. ⁷³ Matth. V, 17. ⁷⁴ Galat. IV, 4. ⁷⁵ Luc. XXIV, 21. ⁷⁶ Psal. XVII, 9. ⁷⁷ Joan. XV, 1 sequ. ⁷⁸ Ezech. X, 1. ⁷⁹ Isa. XI, 6, 7. ⁸⁰ Hebr. IV, 15, 16. ⁸¹ ibid. ⁸² Psal. CXL, 2. ⁸³ Psal. XV.

Sive ut LXX, asperget digito suo super propitiatorium ad orientem ante faciem propitiatorii asperget septies digito suo. Sacrificium Unigeniti, esse quidem ejus carnis per virtutem rursus divinitatis ejus, et per beneplacitum Patris, ad remissionem peccatorum nostrorum, et ereptionem, simulque ad donum subministrationis spiritus peragi, aperte ex his, quæ nunc dicit legislator, manifestatur. Digitus enim significat virtutem divinitatis; unde David dixit: *Quoniam videbo cælos opera digitorum tuorum, lunam, et stellas quas tu fundasti*⁸⁴. Utrumque ergo ad divinitatis accipimus virtutem, ipseque sanguis vituli super propitiatorium ad orientem aspergitur. Ad propitiationem enim nostram, simulque illuminationem, passio salutaris peracta est: unde ipsa passio dicitur propitiatorium, sicut frequenter ostendimus. Dicitur autem et *Oriens*; ait enim de eo Zacharias Propheta: *Ecce vir, Oriens nomen ejus, et subter eo oriatur*⁸⁵. Ait autem et Zacharias sacerdos, pater Joannis: *In quibus nos visitavit, Oriens, ex alto, Illuminare his qui in tenebris sedent, et in umbra mortis*⁸⁶. Sed et contra propitiatorium, id est in conspectu patris, asperget septies, ut tam remissionem peccatorum, quam Spiritus sancti donum, de Dominico sanguine genus hominum susciperet. Utrumque enim septenarius numerus significat, quia videlicet septem sunt dona Spiritus, et idem numerus peccatorum significat remissionem. Nam Petro Christum interrogante, *Si peccaverit in me frater meus, quoties dimittam ei, usque septies? Christus ait: Non dico, septies, sed usque septuagies septies*⁸⁷. Multiplicans numerum septenarium.

Vers. 15. « Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut aspergat e regione oraculi, et expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel et a prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis. »

Admirandus est legislator, sufficiens ad figuram mysterii, nullatenusque reprehendendus est in multis formis multiplicem præfigurationem necessarie dividens. Quia enim Christus de Judæis secundum carnem, qui sub jugo legis vivebant ortus est, recte vituli sacrificium nominatur. Legali enim jugo, et pertinenti ad eum operationi, et justitiæ vitulus comparatur, jugum consuetus trahere, atque ita terram operari. Quia autem secundum quod incarnatus erat, de communi massa hominum factus est, propterea rursus hircus appellatur. Asperum ergo hoc animal pilorum indumentum gerit: asperum autem utpote peccato refertum, omne viventium genus, quia nihil est peccato asperius. Unde hoc appropiare aperte legislator volens inquit:

Cumque mactaverit hircum pro peccato populi. Totum hic intelligens humanum genus, quod quon-

dam non populus, nunc autem populus, ex quo de nobis primitias Jesus suscepit. Ergo ut demonstraret, de Judæis principaliter Christum, propter Abraham, cognationem esse, sed tamen omnia nostræ naturæ, quæ in peccato est primitias portare, propter quod Adam appellatus est, vitulum simul et hircum lex ad figuram sacrificii ejus assumpsit. Cum autem unum sit sacrificium, sive vitulus, sive hircus nominetur, effectusque unus in utroque sit, peccatorum enim ex eo profligatur absolutio, necessarie communia sunt ea, quæ in hircobaguntur, et vitulo. Cernis enim, quia etiam hircum occidens, ante Dominum videlicet patrem, et sanguinem inferens in interiora velaminis, id est ad patrem. Rursus ergo hunc interius intelligibilis velaminis, visibilis videlicet Domini carnis intelligis, utpote invisibilem inferens sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est.

Et de sanguine vituli asperget digito septies contra propitiatorium ad orientem. Vel sicut LXX super propitiatorium ante faciem propitiatorii. Deinde quid sequitur?

Vers. 16. « Et expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, et a prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis. »

Videtur quidem de tabernaculo dicere, dicit autem non de eo quod sensui subjacet. Quid enim expiationis seu propitiationis ligna egerint? quidve pelles vel reliqua, ex quibus tabernaculum Judæorum quod sensui subjacebat, confectum erat? Sed generalitatem, sive totam dicit hominum speciem. Sancta enim fuit ab initio massa nostra, ita ut Dei in ea habitaret spiritus. Quod demonstratur ex eo, quod auferre illud irascens minatus est Deus, quando hi qui ex Seth descendebant, cum essent justi, et filii Dei appellarentur, concupiscentes eas quæ ex ea in posterosque ejus per successionem genitæ sunt, quæ et filia hominum dicebantur, unius generis cum malis et iniquis effecti sunt, dixit enim sic: *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerunt, et dixit Dominus Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*⁸⁸. Ergo si habitabat spiritus Dei in homine antequam omnes sequi passiones carnis inciperet, sancta merito erat hominum massa: nam nec primitias ex ea Sanctus sanctorum assumeret. Quia autem sordidata est, expiavit eum ab immunditiis filiorum Israel. Primum quidem sensibilis ipsis data est lex, quia transgressi sunt, reos illos maledicto, et morti constituit, ut propterea necessariam haberent expiationem, et pro eis quidem principaliter unigeniti immolatur sacrificium: immolatur autem et pro omnibus hominibus, ita ut Caiphas diceret: *Oportet ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat*⁸⁹. Quodque dictum erat, confir-

⁸⁴ Psal. viii, 4. ⁸⁵ Zach. vi, 12. ⁸⁶ Luc. i, 78. ⁸⁷ Matth. xviii, 21, 22. ⁸⁸ Gen. vi, 1-5. ⁸⁹ Joan. xi, 49-51.

mans simulque et corrigens evangelista Joannes, addidit: *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quia moriturus esset Jesus pro gente, et non solum pro gente, sed et filios Dei, qui dispersi erant in unum colligeret*: gentes videlicet, de ipsis enim Dominus dicebat: *Habeo enim alias oves, quæ non sunt de hoc ovili, et illas oportet me colligere*⁹⁰. Aperte autem filii Dei, multo magis sunt Israelitæ, quia Israel videns Deum interpretatur, et secundum rationem pro sensibili Israel Jesus immolatus, id est sacrificium, et pro omni humano genere, ad expiationem immunditiarum nostrarum obtulit. Quarum immunditiarum? Id est a prævaricationibus eorum, inquit, cunctisque peccatis. Animæ quippe immunditia, non mortui pollutio, non porcinus cibus, non quippiam aliud simile, sed nocere proximo est, et peccare in Deum, vel mandata Dei.

Juxta hunc ritum faciet tabernaculum testimonii quod fixum est inter eos, in medio sortium habitationis eorum. Nullus hominum sit in tabernaculo, quando pontifex ingreditur in sanctuarium, ut roget pro se et pro domo sua, et pro universo cætu Israel. Quod lex superius appellavit sancta, ecce nunc tabernaculum testimonii appellat, quod fixum est inter eos, in medio sortium habitationis eorum. Sive secundum LXX ædificatum in eis, in medio immunditiarum eorum. Eadem quippe ratione, et sancta esse, et testimonii appellari tabernaculum, massa nostra potest. Si enim tabernaculum testimonii cælum diximus, recte sancta nominatur cælestis noster homo, de quo ait Paulus: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis*⁹¹. Rursus: *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, habemus ædificationem quæ ex Deo est, domum non manu factam, æternam in cælis*⁹². Recte ergo sanctum nominatur, quia ædificatus est in nobis. *Primum enim formavit Dominus Deus de pulvere terræ hominem, et tunc insufflavit in faciem ejus spiritum vitæ*⁹³. Hic est ergo noster cælestis homo, qui in medio immunditiarum nostrarum est, qui etiam passionibus carnis oppugnatur, secundum quod Paulus dixit: *Video enim aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis*⁹⁴. Propter quod nimis lex consequenter subdidit:

Vers. 17. « Nullus homo sit in tabernaculo testimonii, quando pontifex ingreditur ut roget pro se, et pro domo sua, et pro universo cætu Israel. »

Quando enim Christus ingreditur in sanctum, id est, quando incarnabatur, cælestem hominem atque ex nobis primitias sumebat, nemo erat in intelligibili tabernaculo testimonii, nec gentilis nec circumcissus, nec levita, nec sacerdos, quia omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat

*A bonum*⁹⁵. Nemo cælestem conversationem tunc sequebatur, nec dignam cælesti homine sapientiam, usquedum in sancto propriæ carnis rogaret per crucem, et egressus est ex ea lege communis mortis, emittens spiritum, et carnem relinquens in sepulcro, quod ejus evidentem exitum nominatur. Sed non generalitati omnium hominum profuit hoc quod nunc est expositum sacrificium. Nullus hominum sit, inquit, in tabernaculo, quando Pontifex ingreditur in sanctuarium ut roget. Atqui in sacrificio quod est secundum litteram, solus præsens esset populus Judæorum. Non autem omnis homo de tabernaculo secundum tempus sacrificii, quod nunc dictum est, excluderetur: sed significat, omne hominum genus, terrena nunc sapere, et in peccatis esse, ac propterea in intelligibili tabernaculo testimonii recte non inveniri.

Vers. 18, 19. « Cum autem exierit ad altare, quod coram Domino est oret pro se et sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua ejus per gyrum, spargensque digito septies, expiet, sanctificetque illud ab immunditiis filiorum Israel. »

Quia quæ vituli, et hirci essent, satis in his quæ dicta sunt, explanatum est. Simul enim utriusque sumens sanguinem, unumque illud conjunctioni demonstrans, super cornua altaris ponit, seu fundit. Sed quid agit? Quæcumque mysterii ordo exigit, et consequentiæ vult figura, quam cum omni subtilitate legislator scripsit postea nostrum egressum ad altare, quod est coram Domino. Dicit autem eum, qui est thymiamatis, quod esse sedem Cherubim ostendimus, cum carne ascendens, et nostram in eo captivitatem sublevavit, simul nos suscitans, et sedere faciens in dextra in cælestibus. Et sumptum sanguinem effundit super cornua ejus per gyrum, aspergensque digito septies, expiet et sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel. Quia propriâ passione non solum cornua ejus, qui est in cælo altaris, virtutes scilicet præcipuas, et generales, sapientiam, fortitudinem, justitiam, castitatem sanctificavit: quæ cornua Cherubim recte sunt, figuras enim eorum cæleste hoc animal habet, in personaque hominis et leonis et vituli et aquilæ gerit, sapientiæ quidem in persona leonis, justitiæ in persona vituli, castitatis in persona aquilæ: de quibus plenius in prophetæ Ezechielis interpretatione olim exposuimus.

Expriet et sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel. Christi enim sacrificio expiantur et cælestia⁹⁶, ita ut Paulus diceret: differentiam legalium sacrificiorum, et unigeniti ostendere volens: necesse est ergo exemplaria cælestium his mundari, ipsa autem cælestia majoribus hostiis quam istis. Sed cujus rei gratia expiatione opus habebant cælestia legislator ostendit, dicens:

⁹⁰ Joan. x, 16. ⁹¹ I Cor. xv, 49. ⁹² II Cor. v, 1. ⁹³ Gen. ii, 7. ⁹⁴ Rom. vii, 23. ⁹⁵ Psal. xiii, 3. ⁹⁶ Hebr. ix, 23.

Expiat sanctificetque illud ab immunditiis filiorum Israel. Quantum quidem ad cœlorum virtutes, non necesse erat quælibet expiatio, quia in sanctificatione continua conversantur: sed quia frequens ad cœlos nostrorum peccatorum ascendit fumus, de quo dixit David: *Ascendit fumus in ira ejus, et ignis facie ejus exardescit*⁹⁷: ita ut Deus ad Jonam diceret: *Vade ad Niniven civitatem magnam, et prædica in ea prædicationem quam ego loquor ad te, quia malitia ejus ascendit coram me*⁹⁸. Et rursus ad Abraham de Sodomis: *Descendam, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non*⁹⁹. Recte de nostris immunditiis sanctificat, et expiat super nos choros, ut auferat ex eis circumstantem abominabilemque odorem, et gloriationem falsam, quam contra eos deposuimus. Propterea non simpliciter asperget, sed septies, ut intelligas veniam peccatorum nostrorum, hanc enim septenarius numerus figurat. Loca cœlestia mundantur abominabili odore, et gloriatione quam deposuimus: hujus enim rei causa, prius inimicitia a nobis, contra ea quæ sunt in cœlestibus, exorta est.

VERS. 20. « Postquam emundaverit sanctuarium. et tabernaculum, et altare. »

Vel sicut LXX. *Definiatque exorans sanctum, et tabernaculum testimonii, et altarium, et pro sacerdotibus purgavit.* Secundum quorum editionem, recte lex præcipue memoriam sacerdotum fecit, ut in omnibus figura sacrificii unigeniti salvaretur. Quia enim a Christo sacerdotium chorus Apostolorum sortitus est, qui et pars erat humani generis, pro quo Dominus semetipsum obtulit, sed tamen speciale, quemadmodum unguentum, et præcipuum sacrificium, Domini appellavit: quod demonstrat Dominus, ad Patrem dicens: *Ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate*¹. Et rursus ad eos: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis; vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*². Respice autem et legalis figuræ ordinem, quomodo ad ipsam deducit veritatem; secundum LXX, enim ait: *Definiat exorans sanctum, et tabernaculum testimonii, et altare; id est finiet et terminabit deprecationem, quæ acta est per crucem; pro omni genere hominum, et eam quæ in altare intelligibilis fuit, postquam assumptus fuerit in cœlum, et sederit in dextera patris. Atqui de sacerdotibus non expiat, mittit enim eis emundationem per intelligibilem ignem, et per linguas igneas spiritus, propter quod dicebat eis: Vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.*

VERS. 21. « Tunc offeret hircum viventem, et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta, atque peccata eorum. Quæ increpans capiti ejus,

emittit eum per hominem paratum in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, et dimissus fuerit in deserto. »

Eadem etiam nunc iterare, propter eos qui in luce offendunt, opus habemus. Probatum enim quia nulli iniquo, vel maligno, sed ipsi Deo efficiuntur ea quæ nunc in hoc hircu vivo sanciantur. Primum quidem, quia utramque manum capiti hirci sacerdos imponit. Manuum impositio, in sacrificio ministrabat benedictionem, aut peccatorum remissionem, aut sancti Spiritus adventum, aut expiationes intelligibiles. Quomodo ergo in hunc, in quo sors inimici, et ejus qui contra Deum militat, sicut aiunt hi qui illius partis sunt, hæc quæ dicta sunt, sacerdos acturus erat? Vel quomodo in ipso filiorum Israel iniquitates, et injustitias, et peccata redemit? Confiteri quippe inimicus peccata non sinit, sed imo suggerit, ut occultemus animæ vulnera, ut non inveniamus medicum, qui medicamentum possit imponere, salutemque præstare. Propter hæc mox ut increpatus est David a Nathan, *Pecravi Domino*, exclamavit: et illico propheta subdidit: *Et Dominus transtulit peccatum tuum, verumtamen non mortieris, quia blasphemare fecisti inimicos Domini*³. Unde et per hominem paratum, emitti legislator hircum in solitudinem dixit. Præparatum autem, id est accedentem, sive aduentem. Et nec dignitatem hujus dicit, utrum Levita, an sacerdos, aut quispiam de populo esset, qui hoc ageret. Ergo cum omnibus Christum præsentem esse significat hircus: Quemadmodum enim per carnem in primo immolabatur, sic nunc vivens propter divinitatem dicitur. Sed quia unus et impassibilis, et passibilis est, necessarie et viventi manus sacerdos imponit ut manus impositione ostendatur, quia vivens verbum Dei, impassibile, immortalæ, hoc pro nobis carne suscipiens sacrificium suscepit. Recte ergo, in ipso iniquitates, et injustitias, et peccata sacerdos pronuntiabit. Hic est de quo Isaias propheta dicebat: *Domine, quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est*⁴? Brachium Domini filium appellans, patri consubstantiali de quo et ea quæ sequuntur subdidit: *Languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus*⁵. Sic aperte super se peccata nostra, et injustitias, et iniquitates portavit. Et propterea secundum LXX, ait: *Imponet eas super caput hædi vivi: hujus enim figura est, quod et ex spinis coronam imponi capiti suo Christus permisit, quia in spinis peccata solent accipi. Propter quod et Adam spinas germinare terra præcipitur, siquidem et ipse, ex inobedientia peccata germinavit. Sed et Salomon ait: Spinæ nascuntur in manu*

⁹⁷ Psal. xvii, 9. ⁹⁸ Jonæ i, 2. ⁹⁹ Gen. xviii, 21.
¹ Isai. lxxi, 1. ² Ibid. 4, 5.

³ Joan. xvii, 19. ⁴ Joan. xv, 15. ⁵ Reg. xii, 13,

*temulenti*⁶, peccatis plenas esse actiones ejus signifi- A
cans. Sic ergo legis accipiens verba, non ignora-
bis intentionem ejus, atque virtutem: sed et inve-
nies paratum hominem, per cujus manum hircus
vivens in erentum mittitur. Christus enim ipse
omne sui sacrificii factus est et sacerdos, et sacri-
ficium, et cultrum, et altare. Ipse est et præparatus
homo, paratus pro nobis ad passionem, ita ut ipse
per Isaiam dicat: *Ego vero non contradicam, retror-
sum non abii. Corpus meum dedi percutientibus, et
genus meas vellentibus. Faciem meam non averti ab
increpantibus et conspuentibus*⁷. Ad quem et David
dicit, incarnationis ejus mysterium significans, per
quod nostrum adeptus est regnum: *Dominus regnavit,
decorem induit, induit Dominus fortitudinem, et
præcinxit se. Etenim firmavit orbem terræ, qui non
commovebitur. Parata sedes tua ex tunc*⁸. Christus
ergo intelligibilis Aaron, semetipsum etiam nunc
per hædum immolans, ipse per hominem paratum,
sive in manu hominis parati, id est, per propriam
virtutem, ipse enim cum sit et homo, paratus
ostensus est. Et emittit hircum viventem in solitu-
dinem, sive in terram inviam, et desertam viam
suam et immortalam, et impassibilem divinitatem,
ad invia nobis loca, et ab omni malitia deserta;
secundum quod Joannes ait: *Videns Jesus quia
omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit et
ad Deum vadit*⁹.

VERS. 32. « Expiabit enim sacerdos qui unctus
fuerit, et cujus expiatæ manus, ut sacerdotio fun-
gatur pro patre suo. »

Sive, ut LXX: *Deprecabitur, inquit, sacerdos quæ-
runque unxerit, et quicumque consummatus fuerit
manus suas consecrare ad patrem suum.* Ut Christum
sine aliqua dubietate ostenderet, quia enim Christus
patres secundum carnem, Judæorum sacerdotum
principes habebat, filii enim et ipsi Abraham, sic-
ut et Christus fuit. Ostendit lex, ut quia Judæorum
sacerdotes non poterant, sicut ait Paulus, acceden-
tes perfectos facere, impossibile enim erat sanguine
taurorum et hircorum auferre peccata, recte ipse
Christus in sacerdotium unctus, et manus per cruce-
m consummans, expiat nos. De quo in alio loco
recte lex dicit: Sacerdos quem unxerint et con-
summaverint manus, sacerdotium ministrare post
patrem suum. Primum enim hunc pater unxit, se-
cundum quod ait David: *Propterea unxit te Deus,
Deus tuus*¹⁰. Unxit autem dicens: *Tu es Sacerdos
in æternum, secundum ordinem Melchisedech*¹¹. Post-
ea ab hominibus qui ministraverunt passioni et
sacrificio unctus est: crucis enim sacrificium, et
agnum, et sacerdotem, et liberatorem nostrum
ostendit. Propter quod ad ejus planiorem demon-
strationem, et subtiliorem figuræ manifestatio-
nem:

VERS. 34. « Semel, inquit, in anno faciet hoc. »

Quod semel factum est, unigenitum sacrificium
ostendere cupiens, ut dictum est: *Christus semel
oblatus ad multorum exhaustianda peccata, secundo
sine peccato apparebit expectantibus se in salutem*¹²,
per fidem, cum qua qui legem meditatur, compar-
javenit huic Evangelium, multumque verax quod
Christus, id est veritas, Judæis locutus est: *Si cre-
deretis Moysi, crederetis utique et mihi; de me enim
ille scripsit*¹³. Quid autem, aut ubi, non addidit,
quia quæcumque mystica, quæcumque alta, quæcum-
que divina sunt, hæc de Christo a Moyse in umbra,
et figura, et imaginibus dicebantur.

CAPUT XVII.

VERS. 4-7. « Et locutus est Dominus ad Moysen
dicens: Loquere Aaron et filiis ejus, et cunctis filiis
Israel, et dices ad eos: Iste est sermo quem man-
davit Dominus dicens: Homo quilibet de domo
Israel, si occiderit bovem, sive capram, in castris, vel
extra castra, et non obtulerit ad ostium tabernaculi
oblationem Domino, sanguinis reus erit; quasi si
sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui.
Ideo offerre debent sacerdoti filii Israel hostias
suas quas occidunt in agro, ut sanctificentur Do-
mino ante ostium tabernaculi testimonii, et immo-
lent eas hostias pacificas Domino. Fundetque sacer-
dos sanguinem sub altare Domini, et ad ostium ta-
bernaculi testimonii, et adolebit adipem in odorem
suavitatis Domino. Et nequaquam ultra immolabunt
hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt.
Legitimum sempiternum erit illis, et posteris eo-
rum. »

Quia parum legislatori de figuris pertinebat, sed
et quod de eis cogitabat magis propter præfigura-
tam in eis veritatem, qua postea temporibus suis
dispensata illas cessare vult, aperte præsens sanctio
demonstrat, quæ non simpliciter ad Moysen, sed
ad Aaron et filios ejus, et ad omnes filios Israel præ-
cepit: sed aperte manifestans, quia hæc legis præceptio
non magnum, non perfectiorem quæpiam, non imper-
fectum ignorare vult, quod expedit eis scire, id est,
quia temporalis est litteræ lex, ut tempore expleto, non
jam circa ipsam frustra et supervacue nosmetipsos oc-
cupemus. Quis autem est temporum finis? Omnimoda
loci ipsius perditio, in quo sacrificia offerri præce-
pit, comminando præcipiens, eum qui intra castra,
sive foris, extra tamen tabernaculum testimonii sa-
crificium Dei explet, interire de populo. Ut quando
tabernaculum testimonii, et templum quod ad ejus
imaginem factum est, disperditum fuerit, cognosca-
tur quia finem habent omnia quæ ibi fieri lex præ-
cepit; etiam illa Deo non placent, neque enim alias
disperdidisset locum in quo peragi omnimodo se-
cundum legem debuisset. Quod etiam dices, cum
sic justas actiones, id est non occidere, non adul-
terari, non furari, non falsum testimonium dicere,
patrem et matrem honorare, diligere proximos,

⁶ Prov. xxvi, 9. ⁷ Isai. l, 5, 6. ⁸ Psal. xcii, 4. ⁹ Joan. xiii, 3. ¹⁰ Psal. xlv, 8. ¹¹ Ps. cix, 4.
¹² Hebr. ix, 28. ¹³ Joan. v, 46.

servos liberos facere, jejunare frequenter, vel orare, A non circumscribit loco, quia semper sunt utilia, et cum evangelica conversatione communia. Hæc autem quæ secundum semetipsa sunt superflua, sed causæ cujusdam sunt exquisita gratia, concludit loco, ut cognoscant quia temporalia sunt : omnia enim quæ loco serviunt, servire etiam ordinata sunt tempori. Deputata sunt igitur loco sacrificia, emundationes mortuorum, et seminis fluxum patientium, et leprosorum, et menstruarum : quia et hæc per sacrificia effectum habent : similiter azyma, et figuratum pascha, scenopegia, pentecoste, necnon neomeniæ, et sabbata : oportebat enim omni modo sacrificia in istis offerri. Quia autem hæc mysteriorum Domino implendorum figuras habebant, in superioribus sufficienter ostendimus. B Parvulus ergo cum esset populus, qui legem accipiebat, et ad ea quæ sunt imperfecta inhians, quia adhæsiturus erat umbris, et compassurus locis, sicut parvulus in quibusdam locis delectatur, invenit modum legislator, per quem ex necessitate illos removeat a figuris, quando tempore harum recessionis fuerit, loco circumcludens eas quæ destrueturus erat, et præcipiens extra locum hunc nil eorum quæ dicta sunt, fieri, sed eum qui tentaret, esse sicut sanguinem effundentem. Ergo quicumque et nunc figuras peragere destructi conantur loci, sanguinem effundunt, id est communem conversationem polluunt, in commune peccant, sicut et hi qui sanguinem fundunt, similiterque sanguinem ejus qui ab eis in errorem mittitur, fundunt : perditionis enim ei causa efficiuntur. Quia autem possibile fuit illos interrogare, aut cogitare, et cujus rei gratia hæc sancita sunt, si localia sunt, ad tempus dicimus, quia causam figurarum cognoscere aperte non poterant, neque cupiebant revelate discere, quia aliorum haberent imagines ea quæ sanciebantur. Quamobrem causam illis aliam veriore ipsam legislator scripsit, quam hanc :

Et nequaquam ultra immolabunt hostias suas demonibus cum quibus fornicati sunt. Sive, ut LXX : *Et non immolabunt ultra sacrificia sua supervacuis : cum eis a Deo præceptum fuisset : Non facies tibi idolum, nec omnem similitudinem eorum quæ in cælo sunt sursum, et in terra deorsum, et quæcunque in D aquis subter terram* ¹⁵. Vitulum fecerunt conflatilem et vitulo sacrificium obtulerunt, causa gastrimargiæ sumere sacrificia volentes. Pædagogus eorum lex, de eis offerre sacrificia præcepit, ut in hæc occupati ab omni idololatriæ sacrificio semetipsos abstinere : et hæc sancit, quæ lex eos prohibens ab idolorum sacrificiis, simul docere etiam figuras mysteriorum futurorum potuissent. Bene autem servire idolis, fornicationem appellavit : aperte nos docens, quia nostras animas Deus sibi ad salutem despondit, et ideo fornicatio dicitur ab illo dissessio. Insuper terret eos qui in carne fornicantur,

et docet quale est fornicationis peccatum, ut idolorum cultu, fornicationem, et ad dæmones confugium, fornicationem nominaretur :

VEAS. 8, 9. « Et dices ad ipsos : Homo de filiis Israel, et de advenis qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum, sive victimam, et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo. »

Et si eadem dicere legislator videtur, verumtamen populum, cui ab eo lex imponitur, cautum reddit : eadem quippe frequenter dicens, ostendit hoc mandatum necessarium esse, nimisque utile. Verumtamen ne frustra id ipsum rursus dicit, sed supra quidem occidentem solummodo, ut aliquod faceret sacrificium, non tamen omni modo et reliqua sacrificii facientem, pœnæ subjecti, ait enim : *Qui occiderit bovem, aut ovem, sive in castris, vel extra castra, et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino.* Ibi prohibitus intelligitur ab eo quod tentavit : hic autem non ita, sed : *Qui obtulerit holocaustum, sive victimam, et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino.* Consummatum sive sacrificium perfectum dicens, in tantum ut holocaustum fieret, eandem tamen et in hoc pœnam præcepit. Qui enim initium fecit hoc attractandi, et prohibitus est, nihil differt ab eo qui complevit. Sed et utriusque pœna, perditio de populo est, ita ut non possit ultra hic in populo degere, neque de circumcissione gloriari, neque de genere Abraham semetipsum ornare, aut Israelita dici, sed inter præputium habentes et alienigenas constituitur, hoc est disperdi quempiam de populo suo. Ergo quicumque nunc legis mandata, seu terminos transgrediuntur, extra templum agentes quæcunque destructo templo lex agi non vult, jam non sunt Israelitæ, nec Judæorum appellationem juste sibi usurpant. Sed etiam illud præ omnibus notari oportet, quod non solum eos qui ex filiis Israel sunt, hæc præcepit custodire, sed cum ipsis et proselytas, sive advenas, qui peregrinantur inter eos, id est gentiles, hi enim non eis conjuncti sunt, sed apud eos sunt, quia apud eos sumus, utpote legem eorum, et prophetas, et promissam eis hæreditatem habentes. Adhæremus autem non ipsis, sed Deo : præterea secundum LXX, homo dixit, cum liceret simpliciter dicere hominem, duplicat tamen, ut ostendat tam eum qui in circumcissione, quam qui in præputio adhæret Deo, hoc debere custodire mandatum.

VEAS. 10-12. « Homo quilibet de domo Israel, et de advenis qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, et disperdam eam de populo suo. Quia anima carnis in sanguine est, et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animæ piaculo sit, idcirco dixi filiis Israel : Omnis anima ex vobis non comedet

¹⁵ Exod. xx, 4 et Levit. xxvi, 1.

sanguinem, nec ex advenis qui peregrinantur inter A vos. »

LXX autem hic edunt, *Homo homo*. Quod quomodo oporteat intelligi, superius diximus. Ergo oportet mandati hujus litteram custodire, et nullatenus comedere sanguinem. Hoc enim et apostolos invenies præcepisse, quando de quibusdam Judaicis observationibus contentione in Antiochensi Ecclesia facta, ad eos relata est quæstio, qui legem posuerunt, solventes quæstionem hanc, et definientes: *Visum est ergo Spiritui sancto et nobis, nihil amplius imponere vobis oneris, quam ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione*¹⁸. Propterea sanguinem quidem proprie homicidium, omnem autem sanguinem, omne fraternalium odium intelligamus, quia *qui odit fratrem suum, homicida est*¹⁹, sicut Joannes scripsit. Dicit ergo omnem sanguinem, injustitiam dolosorum. *Virum enim sanguinum et dolosum abominabitur Dominus*²⁰: et quæcunque proximorum nocent vitæ, per insidias quaslibet, ita ut homicidio sanguinis comparentur. Et propterea ab omni sanguine abstinere oportet, scientes quia super animam quæ talem sanguinem comedunt, de quibus dicebat David: *Qui devorant plebem meam sicut escam panis*²¹, faciem suam obfirmat Deus, videlicet Christus. Ipse est enim imago patris, quia qui vidit Filium, vidit et Patrem. Ipse etiam iudex est, et necessarie ad comminandum his qui malorum sunt operatores, *disperdam* ponitur, quod demonstrat David dicens: *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum*²². Hic animam sanguinem comedentem perdit de populo ejus, de communi videlicet hominum genere; hanc enim sicut inimicordem et impiam separans, cum malignis condemnat dæmonibus, et in ignem mittit æternum, *qui paratus est diabolo, et angelis ejus*²³. Deinde insinuans quantum nos debemus compati, et misericordes esse, invicem diligentes, propter eum qui tantam pietatem in nobis ostendit, ut suum sanguinem funderet ad propitiationem nostram, et pro nostris animabus daret, ait: *Quia anima omnis carnis in sanguine est, et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris*²⁴. Mysticum Christi sanguinem significans; sanguis ergo D ipsius pro animæ piaculo erit. Sanguis super altare ad expiationem animarum nostrarum, pro anima expians, hic est quem effudit pro nobis crucifixus, et expiationem, sive propitiationem generi humano præstitit, primitias offerens, propter quod recte dicit:

Et sanguis pro animæ piaculo sit. Anima enim ejus, primum quidem quæ ab eo plasmata, deinde quia nostræ eam consubstantiali animæ, cum incarnaretur accepit, ut ipse pro nobis redderet quam nos debebamus mortem. Quoniam autem di-

cit, Anima omnis carnis in sanguine ejus est, nullatenus substantiam animæ sanguinem intelligamus, sed quia societatem cum carne per sanguinem habet, et quando hoc evacuatum fuerit, aut frigerit, tunc a carne dissolvitur sic Creatore naturam nostram disponente. Quia ergo Christus sanguinem suum ad expiationem animarum nostrarum dedit, ut ab omni nos homicidio, omnique alia iniquitate, quæ homicidio proxima est, abstinemus. Communis enim lex est, et contra omnes extenditur.

VERS. 13, 14. « Homo quicumque de filiis Israel, et de advenis qui peregrinantur apud vos, si venatione atque aucupio ceperit feram vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, et operiat illum terra: anima enim omnis carnis in sanguine est. Unde dixi filiis Israel: Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est. Et quicumque illum comederit, interibit. »

Multum curæ est Deo ut alterutrum nobis minime noceamus. Propterea percutienti maxillam, cedi, et non cum eo iudicio contendere, similiterque et de eo qui aufert nobis pallium Jesus præcepit: ut ne quidem ex contentione ad nocendum proximo provocemur, sed imo ut eum qui injusto contra nos agit, per nostram patientiam corrigamus. Nihil ergo amplius, quam injustitia, et avaritia, et alternum odium coarctat vitam nostram. Ad hoc intendens legislator, sanguinis mandatum non frustra recapitulavit, sed quia quidam fraudibus quibusdam, et machinationibus, variisque dolis nocere popularibus, quasi ignorantes solent, perimere etiam hujusmodi molimina perspexit. Nam vide quid præcipiat.

Si venatione atque aucupio ceperit feram, vel avem quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, et operiat illum terra. Quod venatio maxime injustitiam, injustitiam autem non quamlibet, sed cam quæ ad sanguinem tendit, vitamque ipsam quodammodo per dolum fraudemque injustitia patientis nocet, a divina Scriptura accipi solet, audi David dicentem: *Captabunt in animam justis, et sanguinem innocentem condemnabunt*²⁵. Et rursus: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*²⁶. Si quis ergo venationem ceperit, id est peccantem viderit eum qui venationi ex infirmitate vel ex simplicitate expositus est, hunc dicimus esse rem quæ capitur. Propter quod dixit: *Feram vel avem, quibus vesci licitum est*. Per feram, de vulgo quempiam carnalem tantum et passionibus incubantem significans, expertemque commisionem causarum. Per avem autem, eum qui a terrenis semetipsum removet rebus. Hujusmodi enim homines a violentis et avaris, in causis sæcularibus consumuntur, illa videlicet incongrua malignaque comessatione, de qua Paulus prohibebat, dicens: *Si ad invicem*

¹⁸ Act. xv, 28. ¹⁹ I Joan. ii, 11 et iii, 15. ²⁰ Psal. lvi, 26. ²¹ Psal. xlii, 4 et lvi, 5. ²² Psal. xxxiii, 17. ²³ Matth. xxv, 41. ²⁴ Levit. vii, 26. ²⁵ Matth. v, 79. ²⁶ Psal. xciii, 21. ²⁷ Psal. cxxiii, 7.

comeditis, videte ne ab invicem consumamini²⁵. Aut ut qui prius erant justi, inter ea quibus vesci licitum est, id est inter munda, recte nominantur. Verumtamen si quis peccantis, velut inferius jacentis, et pœnitentia sepulti, effundit sanguinem, id est peccatum quod peccavit, effundit autem illud, ad operationem accedens et confessionem, quemadmodum ait David : *Effundam in conspectu ejus orationem meam, operiat illud terra*²⁶. Peccata enim consentientium terra operit, utpote inferius remanentia, et pœnitentia mortificata. Et quorum prohibitus est clamor ad cœlos ascendere, quemadmodum Sodomorum ascendebat : nec enim volebant pœnitentiam agere, ita ut Deus de ipsis ab Abraham diceret : *Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverunt, an non est ita, ut sciam*²⁷. Sed et Job sive a diabolo, sive tam illam, sive ab his qui exprobrando ei ingerbant iniquitatem, non latere Dominum, id est non despicere ab eo, orans clamabat : *Terra, non abscondas sanguinem meum, neque inveniat locum in te latendi clamor meus*²⁸. Id est, non colibeatur loco, sed ad Deum ascendat. Propter quod addidit : *Ecce nunc in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis*²⁹. Secundum hanc ergo intentionem, legislator ea quæ dicta sunt ponens, addidit :

Anima enim omnis carnis in sanguine est. Deinde adjicit : *Unde dixi filiis Israel.* Id est dic : *De sanguine universæ carnis non comedetis quia anima carnis in sanguine est*, contestans ab omni iniquitate abstinere. Contestans autem non exponere ea quæ contra voluntatem commissa sunt fratrum peccata, sed tradere terræ ejus qui captus est, id est visus sanguinem, cooperientes illud venia et compassione. Sanguinem enim comedens, et animam qui diffamat proximi, peccatum recte putatur, quia animæ mors peccatum est his qui volunt filii Israel appellari, filiique Dei primogeniti vocari, et quæ subinfertur pœnam effugere ; ait enim :

Et quicumque comederit illud, interibit. Et neque sacerdotium, neque fides, neque sanctificatio, neque alia aliqua virtus, aut dignitas, patrocinium præbere tali potest, omnibus enim sanguinem comedentibus, interitum est minatus.

VERS. 15, 16. « Anima quæ comederit morticinum, aut captum a bestia, tam de indigenis quam de advenis, lavabit vestes suas et semetipsum aqua, et contaminatus erit usque ad vesperum, et hoc ordine mundus fiet. Quod si non laverit vestimenta sua, nec corpus, portabit iniquitatem suam. »

Morticinum esse peccatorem, utpote qui crudeliam peccati sustinet mortem, a bestiis autem captum, non tantum simpliciter, sed valde peccatorem, in tantum ut maligni in eo operentur demones, sicut fuit Judas, qui diabolo ingrediente in corde suo, Christum tradidit, olim diximus, cum

A pollutionum sacrificia legislator exponeret. Sed illic quidem, eum qui tetigit morticina, aut a bestiis capta, id est, qui communicavit, sive particeps fuit cum his qui prædicti sunt, dicit : hic autem eum qui comedit, videlicet qui totum illius peccatum suum proprium fecit, suamque malignam intentionem explevit ex malo quod ille commisit, sicut fuerunt Annas et Caiphas, qui non simpliciter Judæ participes sunt proditionis effecti, ipsi enim ementes proditionis eis dederunt pecuniam, et olim esurientes, vel desiderantes mortem Domini, ad pascendam nutriendamve suam intentionem, et ad satisfaciendum desiderio, per Judam prævaluerunt : hujusmodi comedere morticina, et a bestiis capta dicuntur. Qui necesse habent lavare vestimenta sua, et corpus : lavat autem vestem suam et corpus, qui mundat semetipsum totum, id est interiorem exterioremque suum hominem, quia intra vestimenta corpus est, sicut intra exteriorem hominem homo qui interior. Quomodo autem lavat ? Per baptismum, aut per abundantiam lacrymarum, imitantium aquas baptismatis. Qui autem hoc non facit, portabit iniquitatem suam, retributionem videlicet injustitiæ. Sic enim divinam Scripturam in peccatis potissimum restituere invenies comminantem, unde Ezechiel Deum induxit dicentem : *Non parces oculus meus super te, et non miserebitur, sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt*³⁰. Sed et Isaïas dicit : *Sacerdotes, loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam, quia completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis*³¹.

CAPUT XVIII.

VERS. 1-5. « Et dixit Dominus ad Moysen : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Ego Dominus Deus vester. Juxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis. Juxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introductus sum vos, non ageris, nec in legitimis eorum ambulabitis. Facietis judicia mea, et præcepta mea servabitis, et ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus vester. Custodite leges meas atque judicia : quæ faciens homo, vivet in eis. »

Quoniam multa illis, et differenter sancivit, nec in multitudine eorum quæ sanciebantur defecerat is qui legem accipiebat, intentionem simpliciter, et non in plura discerpentem, ostendit : ita ut sciens quid sit corrigendum, et ad quem finem tendat legis intellectus, præ multiplicitate non deficiat. Sicut hi qui mare navigant, quando ad finem navigii, et ad terminum cursus, et portum oculos extendunt, facile longitudinem pelagi, et sine defectu percurrunt. Præcipiens ergo ea quæ nunc dicta sunt, *Ego sum Dominus Deus vester*, inquit, ut creatorem et Dominum discentes eum qui mandavit,

²⁵ Gal. v, 15. ²⁶ Psal. cxli, 5. ²⁷ Gen. xviii, 21.

²⁸ Isa. xl, 2.

²⁹ Job. xvi, 19. ³⁰ ibid. 20. ³¹ Ezech. vii, 4 et 9.

summo studio ea quæ præcepta sunt ab eo, custodiamus. Sic ergo sanctionis totius intentionem explanavit. Quæ est autem hæc? Ut ab omni iniquitate absteineamus, et quæ virtutis sunt agamus, juxta consuetudinem terræ Ægypti, et juxta morem terræ Chanaan nihil facere, sic ab omni iniquitate abstineri præcepit. Septuaginta autem pro consuetudine, studia interpretati sunt: quia malignas adventiones, et fabulas solet divina Scriptura appellare malorum studia: utpote Ezechiele dicente post iniquitates quas Deus in templo seniores Israel agere ostendit: *Et dixit ad me Dominus: Vides, fili hominis? Et rursus: Conversus, videbis studia majora horum*²¹. Non solum ergo a fornicatione, et avaritia, et superbia, sed et a divinationum et auguriorum abjectionibus et veneficiis præcepit abstineri, sed et a magis, et similibus aliis: ita ut Moyses in Deuteronomio diceret: *Quando ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dedit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te qui sciscitetur et observet somnia atque auguria, ne sit maleficus, nec incantator, nec pythones consulat, nec divinos, nec quærat a mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominabitur Dominus. Omnes qui hæc faciunt, pro abominationibus his disperdet eos Dominus ex te*²². Ab his ergo abstineri prius oportet, et sic nobis Deus dicit: *Facietis judicia mea, et præcepta mea servabitis, et ambulabitis in eis*, id est movemini et conversamini in eis, et nullo tempore vacetis ab eorum correctione. Deinde rursus subdidit:

Ego Dominus Deus vester. Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. Abstinentes nos prius ab abominationibus quæ dictæ sunt, quia non est participatio justitiæ cum iniquitate, neque luminis societas ad tenebras²³, neque placet ei ut qui gentile quodlibet malum observationemque studet, gloriari de legis Dei scientia debeat, tunc demum judiciis Dei utamur et præceptis. Qualia autem sint judicia, et qualia præcepta, quæ faciens homo vivet in eis, ut tu cognoscas quia non Deo donas, obediens legi ejus et complens ejus judicia et præcepta, sed libimetipsi: tu enim in eis vives, virtutibus operam dans, per quas æterna vita hominibus præstatur. Sed quæri pertractarique dignum est cur in uno loco legis bis dixit, fieri judicia sua, et præcepta sua custodiri? Vel cur bis dicat, Ego Dominus Deus? Putasne eadem iterando? Nullatenus: brevis est enim omnis divina Scriptura; maxime tamen hic legislator, sicut qui multa dicturus erat, fuit de brevitate sollicitus: quia duo sunt testamenta, Vetus et Novum, unde et ipse per Jeremiam dixit: *Dabo vobis testamentum novum, non secundum testamentum quod dedi patribus vestris, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra*

Ægypti²⁴, recte secundo judiciorum præceptorumve memoriam facit, ut illa ostenderet, quæ erat postea sanciturus. De quibus nunc addidit.

Quæ faciens homo, vivet in eis. In ipsis enim vera vita credentibus in Christum perficitur, de quo in Evangelio Dominus dicebat: *Hæc est voluntas Patris mei, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam*²⁵. Valde ergo rationabiliter secundo dicit: *Ego Dominus Deus vester.* Contestans quia ipse Dominus, et priora judicia, vel præcepta, et posteriora sancivit, quæ qui fecerit vivet in eis. Nam prioribus judiciis, et præceptis, vide quid addidit. *Ego Dominus.*

VERS. 6-17. « Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, et turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies, turpitudinem enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre vel ex matre quæ domi vel foris genita est non revelabis. Turpitudinem filiæ filii tui, vel neptis ex filia, non revelabis, quia turpitudinis tua est. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, et est soror tua, non revelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem patruus tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est, nec discooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudinis fratris tui est. Turpitudinem uxoris tuæ, et filiæ ejus non revelabis. Filiam filii ejus, et filiam filii ejus non sumes, ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius sunt. »

Quod non negligenda sint ea quæ sanciantur, manifestum est ex eo quod iterum dixit: *Ego Dominus.* Facit autem hoc Moyses, imo spiritus qui in eo loquebatur, ut non despicerentur quæ dicebantur, dicentibus quibusdam, quia Moyseos sunt. Non sunt autem ejus hæc quæ præcipiuntur, sed Dei, cum summopere quod inventum est studium adhibitum sit, ut littera eorum conservaretur, et spiritualis intellectus. Unde nostra translatio dicit: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Septuaginta edunt: Homo, homo ad omnem domesticam carnis ipsius non accedet, ut aperiat turpitudinem.* Propterea secundo dicentes, *homo homo*, ut quemadmodum est homo duplex, sic intelligantur et ea quæ sanciantur esse duplicia, oportereque et exteriorum eorum faciem, et interiorum eorum faciem, et interiorum contemplationem custodire, ut magna rectaque lex exteriorum interiorumque componat hominem. Sed ea quidem quæ foris est legis fa-

²¹ Ezech. viii, 13. ²² Deut. xiiii, 9-12. ²³ II Cor. vi, 14. ²⁴ Jerem. xxxi, 31, 32. ²⁵ Joan. v, 39, 40.

cies. Proximos sanguine nuptiali coitu misceri prohibet, quia et hoc tenebat apud gentes, quarum terram in hæreditatem Jesus accepit. Servus autem carnalium voluptatum Israel erat, ita ut Moabiticas mulieres desiderantes, Beelphegor idolo immolarent, quod ab ipsis colebatur²⁶, et accusaret eos Osee, ac diceret de eis: *Omnes adulterantes, sicut clibanus ardens*²⁷. Et iterum Deus sic ad eos diceret: *Non visitabo super filios vestras, dum fornicata fuerint, et super sponsas vestras, cum adulterata fuerint*²⁸, quoniam ipsi cum meretricibus versabantur, et cum effeminatis sacrificabant. Sed et Jeremias dicit ad totam Jerusalem: *Facies meretricis facta est tibi*²⁹. Unde et eis mulieres multas accipere præceptum erat, ut per hoc saltem ab alienarum mulierum fornicationibus, et adulteriis abstinerent. Ideo ergo nunc longum extendit sermonem, et generationes per ordinem exsequitur, quibus continere se debeant a commistione concubitus, præcipiens. Ut ostenderet mandatum esse necessarium, ipsas cognationes dinumerat, in enumerationem causam sanctionis manifestans, quod studet, ut non confundantur generationes, nec dispareant hæreditates, neque frater et pater idem fieret, ejusdemque esset uxor et mater. Utraque enim hæc eveniebant, si eandem uxorem pater et filius habuissent, ex eaque filios procreassent. Ex filio enim genitus, tam patrem genitorem suum, quam fratrem habet, quippe qui ex ea natus est, quæ et illum peperit, et uxor ejus simul atque mater fuit. Hæc autem ex nefaria cognatorum commistione, et alia his eveniunt similia. Propter quod avertere a tali conjunctione, et coitu volens:

Turpitudinem, inquit, patris tui et matris tuæ non discooperies, eadem et in subsequentibus de noverca, et sorore, et nuru, et aliis omnibus, revelationem turpitudinis horum conjunctionem appellans. Ex hoc sermone erubesci, et averti, sive odio haberi debet omnis hujusmodi faciens actiones.

Similiter et illud opportune intuendum est, quod dicens: Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Addidit: Ego Dominus. Et quid opus erat hoc addi, cum semel, et hoc initio præsentis sanctionis dixerit: Ego Dominus Deus vester? Sed aperte illud ostendit, quia is qui hæc sanxit, ipse est qui nobis carne conjunctus est, nostræque cognationis effectus est participes. Unde injustum est ut magnitudinem cognationis ejus injuriemus. Cum autem hæc ita se habeant, intelligendum est sanciri spiritualiter: non vult enim nos revelare quælibet peccata, a cognatis, amicisve nobis quæ credita fuerint, nec prodere turpes actiones illorum, ne forte patiamur quod Cham, qui patris nuditatem videns³⁰, non cooperuit, sed fratribus egrediens patefecit. In patre ergo et matre, et sorore, quoscunque alios cogna-

*los enumeravit, cum carnalibus et illos oportet accipi. De quibus Paulus dicit: Sermonem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut sorores*³¹. Deinde cunctam nobis, qui fideles sumus, cum omnibus qui ejusdem sunt fidei, conquirere cupiens cognationem, sic rursus dicit: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem, alter alterius membra*³². Unde et impium, revelare cujuslibet prædictorum turpitudinem, appellavit, quia spiritalis cognationis prævaricatio ad Dominum tendit, postquam cum eo habemus cognationem vinculis spiritualibus. Verumtamen ne hoc præterire oportet eum qui diligenter meditatur legis eloquia, quia secundum Septuaginta decem graduum cognationis numerum in præsentem posuit legislator, cujus numeri omnia mandata sunt legis, ostendens quia quisquis turpitudinem revelat, carnalium, spiritualium, vel cognatorum, totius legis invenitur esse transgressor. Quare? quia alienum est a charitate quod agit quæ est legis plenitudo. Hoc est quod ait Paulus: *Non adulterabis: Non occides: Non furtum facies: Non concupisces. Et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio*³³. Planior autem sit intellectus, si ipsam perscrutemur litteram.

Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet ut revelet turpitudinem ejus. Ut non accedamus ad cognatos in lege cognationis præsumentes, et per hoc eos tentantes, ac deinde actiones eorum turpes cognoscentes, prodamus eos. Unde et nimis opportune subdidit: Ego Dominus. Id est manifestans hominum peccata, quæcunque confessi fuerint; et orando exposuerint, tegens et dissipans, ita ut ne quidem vestigium eorum reperiatur. Quia ergo multum eorum quæ nunc sancita sunt, lucrum didicimus, ad ea quæ sequuntur transeamus.

*Turpitudinem uxoris tuæ et filię ejus non revelabis, et filiam filii ejus, et filiam filię ejus non sumes, ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius sunt, et talis coitus incestus est. Necessarius ergo hoc mandatum legislator posuit: qui enim cum matre et filia miscetur, et de utraque filios generat, confundit ipse generationes. Qui enim de matre ei generantur filii, fratres eorum qui generantur ex uxoris filia simul atque hi fiunt. Patresque similiter et avi, quando cum matre, et ejus nepte coiens pater filiorum, qui ex utraque geniti sunt, fuerit effectus. Non autem matris, et filię, et neptis turpitudinem, malum desiderium, actionemque ex desiderio genitam intelligamus, quæ ad actionem aliam egreditur maligniorem atque majorem. Ait enim Jacobus: *Concupiscentia cum concepta fuerit, parit peccatum, peccatum autem cum consummatum fuerit, generat mortem*³⁴: quæ est desiderii nepos, quod tibi se-*

²⁶ Num. xxv, 51. ²⁷ Osee vii, 4. ²⁸ Osee iv, 14. ²⁹ Jerem. iii, 3. ³⁰ Gen. x, 22. ³¹ I Tim. v, 2.

³² I Cor. xii, 12. ³³ Rom. xiii, 9, 10.

cundum ipsam historiam et Scripturam divinam ostendimus. Concupivit ergo David Uriæ uxorem : ecce peccati mater concupiscentia. Concupiscens mœchatus est : matrem filia subsecuta est. Adulteratus occidit : pessima concupiscentiæ mortiferæ quæ præcessit neptis. Nihil ergo horum revelari vult : neque enim oportet proximorum prodi peccata, sed admoneri magis eos, et ad memoriam eorum revocare, cum dicat Apostolus : *Fratres, si deprehensus fuerit quis ex vobis in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris*⁶⁸. Vides quia non frustra legislator dicebat : *Caro tua sunt*. Ostendens quia cognatum nobis quodammodo, et familiare est, peccare, propter quod compati nobis invicem debemus peccantes. Nam Paulus dispensans hoc quod nunc dictum est, subdidit : *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi*⁶⁹. Ipse ergo peccata nostra portavit. Qui autem onus proximi portat, et suscipit in semetipso fratris peccata, non hæc prodit, nec revelat, sed magis cohibet, et verbis medicinalibus curat, et sicut propriam infirmitatem exhortationibus benignis exhaurit. Unde propheta Isaias de Salvatore dicens : *Vere peccata nostra ipse portavit*, subdidit : *Et pro transgressoribus rogavit*⁷⁰. Affigi igitur et gemere debemus pro eis qui ad pravam operam, cogitationemque progressi sunt, non autem hæc manifestare.

VERS 18. « Sororem uxoris tuæ in pellicatum ejus non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc in la vivente. »

Recte hæc præcipiuntur, quia in pace vocavit nos Dominus Deus. Qui enim cum omnibus nos pacem habere vult, etiam per Paulum dicens : *Si possibile est, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete*⁷¹, multo magis placatos nos vult esse cum proximis, quod subvertit, si simul quis uxori sororique ejus jungatur, ut sorores simul habitent, et ut intersimul habitantes excitetur zelus, unde contentio rixaque generatur. Post hoc lex illud præcipit, non oportere in Judaica conversatione ecclesiasticam accipere, nec simul pascha, quod in figura est cum eo quod est intelligibile, celebrare, nec festivitatem azymorum celebrantes, Christi panis cœnam sumero, quæ sunt vera azyma, nec circumcisionem simul prædicare et baptismi. Memoramini ergo illius qui dixit : *Ecce ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest*⁷². Sed et si forte quis Judaica conversatione usus est, negligendo eam mortificet, id est viliores atque inefficaces reddat, et tunc ei quæ est Ecclesiæ misceatur, quæ soror illius, quæ eandem legem habet, eosdemque legit prophetas, sed æmula est, non quod ipsa zeletur, sed quod hæc illius zelum patiat : quia divitiæ ejus ad nos per ipsam devolutæ sunt, in tantum ut Paulus de his qui ex circumcissione sunt, ad Galatas qui ex gentibus erant diceret :

*Æmulantur vos non bene, sed excludere vos volunt*⁷³. Quia autem non Ecclesia Synagogam zelatur, sed ipsa a Synagoga zelum patitur, manifestum est ex eo quod non secunda uxor primæ, sed prima æmula sit secundæ, sicut ex desiderio viri subingrediente solet : unde et Lia zelabatur Rachel. Vide autem qualia legislator subdidit : Et cum dixisset : *Da mihi de mandragoris filii tui*, respondit : *Parumne tibi videtur quod præripueris maritum mihi*⁷⁴? Aperte autem hæc æmulantis verba sunt.

VERS 19-23. « Ad mulierem quæ patitur menstrua non accedes, nec reveles fœditatem ejus. Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commistione maculaberis. De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch, » vel, secundum Septuaginta, *Præsto esse principi*. « Nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. Cum masculo non dormies coitu femineo, quia abominatio est. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei, quia scelus est. »

Bene hæc interpretationis stylo conjuncta sunt. Præsens ergo legislatoris intentio est a libidinibus, et nefariis commistionibus, et a fornicatione tam sensibili quam intelligibili cohibere eum qui accipit legem. Eum propterea non præcepit ei quæ in menstruis constituta est propter pollutionem concubitus, contra legem misceri, sed nec uxori proximi : adulterium enim ista commistio, non conjugium est. Unde cum dixisset :

Cum uxore proximi tui non coibis, addidit : *Nec seminis commistione maculaberis*. Hoc explanans, quia jam non est conjugium ; neque enim polluerat eum qui commiscebatur ; quia honorabile est conjugium, et torus immaculatus : sed cum sensibili fornicatione, et ab intelligibili nos removeo maximo studio nititur, propter quod subdidit : *De semine tuo non dabis servire Moloch*, sive, ut Septuaginta, *Principi*. Cui autem principi, nostra translatio et reliqui interpretes ostenderunt. Ipsi enim Moloch, pro eo quod est principi, consone ediderunt. Idolum autem hoc fuisse etiam Stephanus⁷⁵ concionans, maxime Amos ante eum prophetans, demonstravit, ait enim : *Et portastis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri fecistis vobis*⁷⁶. Semen autem non solum cognatos, sed omnem nostram actionem et doctrinam intelligamus, ut nec actionem nostram demus ad serviendum idolis, quia *radix omnium malorum cupiditas, quæ est idolorum servitus*⁷⁷. Sed nec talia doceamus, quæ ad erroris idolorum impietatem pertinent. Sic enim intelligis non oportere ad mulierem quæ in menstruis constituta est, ingredi, ad revelandam turpitudinem ejus, ut non in errorem paganorum nos misceamus. Hujus enim figuram gerero, eam quæ in menstruis constituta est, superius ostendimus, cum de menstruais, et fluxum sanguinis patienti-

⁶⁸ Gal. vi, 1. ⁶⁹ ibid. 2. ⁷⁰ Isa. LIII, 4 et 12. ⁷¹ Rom. xii, 18. ⁷² Gal. v, 2. ⁷³ Gal. iv, 17. ⁷⁴ Gen. xxx, 15. ⁷⁵ Act. vii, 49. ⁷⁶ Amos v, 26. ⁷⁷ I Tim. vi, 10.

bus mulieribus, interpretandi necessitate sermo habitus est. Sed nec revelemus sceditatem ejus, ut non dicamus, neque deducamus ad medium actiones eorum malas, non quasi eis parentes, sed propter eos qui audiunt, quia nocet audientibus. Propter quod dicit Paulus : *Quæ enim in occulto ab eis fiunt, turpe est dicere. Sed et uxorem proximi refugiamus, ut non polluat in ea*⁵⁵, gentilis videlicet et idololatræ, qui proximus noster, propter naturam et cognationem dicitur. Propter quod et Dominus inquisitus a Scriba: *Et quis est proximus meus*⁵⁶ ? eum qui descenderat ab Jerusalem in Jericho, et in latrones inciderat, videlicet dæmones, et neque a sacerdote, neque a Levita sanatus est, sed Samaritano, proximum dixit. Cum hujus ergo muliere non concumbes, ut tali seminis commistione maculeris : ut non paganorum sapientiæ in tantum communicemus, neque in tantum in ea incumbamus, ut aliquam pollutionem ex ea in dogmate conquiramus, nec polluamus nomen Dei nostri, quod communiter in omnia quæ dicta sunt intelligamus. Quia polluet nomen Dei, non solum fornicationis turpitudine, et aliquibus actionibus idolorum utens, sed et si quis ex paganorum errore, et ea quæ appellatur apud eos philosophia, subintroducitur in divina Ecclesiæ dogmata : quod quidam patientes, in sortem hæreticorum lapsi sunt, et facti sunt extra Ecclesiam, utpote polluentes nomen Dei, id est injuriantes et quodammodo coinquinantes : quia non oportet ea quæ sunt mortuorum, super vitam inducere, sed custodiendum est Pauli mandatum, scriptum a Spiritu : *Quæ participatio justitiæ ad iniquitatem ? aut quæ societas Christi ad Belial*⁵⁷ ? Hoc enim et ipse quodammodo legislator significans in his quæ dicta sunt, subdidit : *Ego Dominus*. Qui gloriam habeo omnibus incommunicabilem, quanto magis dæmonibus, qui corruptores sunt animarum, et idolis eorum ? Ipsi autem verbis sanctionem terribiliorem facit, ex eo quod mediam eam, sicut cernis, his de quibus nunc loquitur, posuit. Præcedentibus quippe his quæ modo discussa sunt, rursus proponit : Quia non debet cum masculo virili coitu concumbi, sed nec cum pecore coiri, necessarie in hoc utroque mandans, tanquam utrumque contra naturam est. Sed insuper quia jumentorum est et ut vir viro foedo coitu misceatur, quod fugiendum atque adversandum est. Sed et Paulus hoc demonstravit, ad pœnam ea docens, et iram Dei, et perditionem committentium peragi. Sed et reliqui interpretes pro *abominabilis*, Symmachus *ineffabile*, Aquila *insectum*, ediderunt : hoc quidem actione, illud autem verbo vel narratione non esse portabile, nec legitimum dicentes. Nos autem præter hæc, masculum qui virilia agit, intelligamus hominem de quo David dicebat : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*⁵⁸ ; et rursus : *Fiat manus tua super virum dexteram tuam*⁵⁹. Hunc effeminari non

oportet, nec dissolvi ejus quam habet in virtute perseverantiam : hoc enim opportune cum viro muliebri coitu misceri intelligitur. Sed quemadmodum aliam effeminatum fieri non oportuit, ita nec nefariis voluptatibus requiescere : quæ recte quadrupedia, utpote in terram intendantia, et actiones quæ virum deceant, non habentes, dicta sunt : in terram enim intendunt quadrupedia, et manuum carent usu, quæ in actiones dignas hominibus accipiuntur, quia proprie hominum est manibus laborare. Non ergo oportet cum his coire ex quibus quis polluitur. Qui enim moratur in delectationibus, sive voluptatibus, ita ut concubat in eis, hic semen effundere dicitur, propter hoc, quia pellitur ab eis, sive quia delectatur in eis, et frequenti usu seminat eos, quodammodo, aut ab eis seminatur semine aliquo, quod inimicus dormientibus nobis et negligentibus in mundum seminat, polluens valde, ita ut a sacro tabernaculo debeat hic, qui talis est, ut polluens expelli, alienusque esse a dominica area, qui per malum semen factus est zizania. Legem autem non vir solus, sed mulier necessarie custodit : illa utique quam Salomon laudat, *Mulier bona benedicetur*, timorem Dei laudat. *Mulierem fortem*, ait, *quis inveniet*⁶⁰ ? Quemadmodum masculus, quando sua custodierit, gesseritque sibi digna, significat animam in virtutibus constitutam : sic et mulier, quando in nullis se miscuerit muliebribus, quoniam grandem et hæc, antequam transgrederetur Creatorem suum, dignitatem accepit, ut adiutrix viri nominaretur. Propter quod scelestum est hanc, quæ talis est, libidini substerni. Coire ergo, succumbere edidit Symmachus.

Vers. 24-26. « Ne polluamini in omnibus quibus contaminatæ sunt gentes, quas ego ejciam ante conspectum vestrum, e quibus polluta est terra, cujus ego scelera vitabo, ut evomat habitatores suos. Custodite legitima mea, atque judicia. »

Non parvo modo pollui in prædictis peccatis, indignatio, et pœna quæ in eis definita est, demonstrat ; in nullo enim eorum oportet pollui, nam qui in uno pollutus fuerit, in omnibus et polluitur. Quia ea quæ sibi ad invicem conjuncta sunt, lex ostendere cupiens, in unum omnia collegit, quæ in tantum sunt gravia, ut gentes integras perderent, et terram polluerent, pollutamque respui facerent, et eos qui in ea talia commiserunt, evomere atque renueret, non quia poterat expellere a se, vel vomere, vel, sicut Theodotus edidit, *respuere eos*, sed quia eosdem nocentes ingemiscit naturaliter in transgressionibus suis, quemadmodum Paulus dicit : *Quia ipsa creatura ingemiscit, et parturit usque nunc*⁶¹. Deus autem tam gemitum ejus vindicat, quam legem suam, et creaturam, utpote propriam, quæ demonstrat ex his quæ nunc dixit : *Cujus ego scelera visitabo* : et hoc aperte ostendit quia

⁵⁵ Ephes. v, 12. ⁵⁶ Luc. x, 27, 29. ⁵⁷ II Cor. vi, 15. ⁵⁸ Psal. i, 1. ⁵⁹ Psal. LXXIX, 18. ⁶⁰ Prov. xxxi, 10. ⁶¹ Rom. viii, 22.

a Deo virtutem terra evomendi eos qui in ea injuste agunt, accepit. Unde et crabrones in perditionem habitantium produxit, quos etiam se immittere ante faciem filiorum Israel contra Amorrhæos et reliquas gentes per Deuteronomii librum nos docuit ⁶². Et hæc quidem nos docet per litteram lex. His autem conjuncta sunt, et non contraria, si per spiritalem intellectum gentes in his omnibus pollutas, dæmones intellexerimus; gentes siquidem hi propter multitudinem dicuntur: cum enim nimis sint iniqui, et omni latentur malitia, maxime tamen fornicatione, et nefaria fornicatione, ac multo magis idololatria gaudent: quia in his corpus et anima maculatur et totus homo, qui terra appellatur, per hoc polluitur. Sed visitat Deus terram, videlicet hominum genus, et scelus, vel, ut Septuaginta, *injustitiam ejus* in eam, id est, quæ ab ipsa, et in semetipsam committitur: ab ea quidem qui ab hominibus sunt peccantes, et si a dæmonibus, et hoc protrahuntur in semetipsa, quia accipientes occasionem illi ex nostra negligentia, contumeliam ingerunt nostræ naturæ. Sed visitante Deo per Salvatoris adventum, de quo Zacharias dicebat, prophetans in januis esse Domini nativatem: *Visitavit nos oriens ex alto* ⁶³. Habitatores suos nostra natura, id est, eos qui eam sorte perceperunt, vel in ea quorum principem malum David figurans psallebat: *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis ut interficiat innocentem* ⁶⁴, ita ut ipsi expulsi dicerent: *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum* ⁶⁵. Propter quod custodire legem omnem per Moysen propalam et præcepta evangelicæ conversationis debemus, utpote qui talem ab eo percipimus visitationem.

VERS. 26-29. « Et non faciet ex omnibus admonitionibus istis, tam indigena quam colonus qui peregrinatur apud eos. Omnes enim exsecrationes istas fecerunt accolæ terræ qui fuerunt ante vos, et polluerunt eam. Cavete ergo ne et vos similiter evomat, cum paria feceritis sicut evomit gentem quæ fuit ante vos. Omnis anima quæ fecerit de abominationibus istis quidpiam, peribit de medio populi sui. »

Reiterat et stabilis legem, et comminationem confirmat. Etiam hæc rursus addens, pœnam mandat terrere, et erigere nos volens ad vitanda ea quæ vetuit, ut non ei, quam comminatus est, pœnæ subjiciamur. Quæ est enim hæc animæ perditio? id est, quam hic peccati prævenit mors, complet ergo in futurum gehenna. Ait enim Dominus: *Timele eum qui potest et corpus et animam perdere in gehenna* ⁶⁶. Propter quod tam incolam, id est, eum qui a patribus in lege nutritus est, et ab infantia doctus est litteras, quam proselytum, et qui adjunctus est nobis, id est, cum qui deforis nobis adjectus est, qui interius sumus, recedere ab abominationi-

bus oportet, et nullatenus hæc facere quæ colebant antiquiores, qui terram nostram polluerunt. Hi ergo antiquiores nobis sunt in conditione, quia invisibiles sunt creaturæ. Polluerunt autem hominum genus, inobedientiam ei Adam, et alia post illum mala suggerentes, veluti mendacium, homicidium et quæcunque his similia sunt, ita ut Dominus de diabolo diceret: *Ille ab initio mendax et homicida est* ⁶⁷. Suggesterunt autem eis qui mentem lubricam et vergentem ad malum habebant: nam nec Abel, nec Seth, nec Enoch, nec Noe, nec aliis justis suggerere potuerunt, vel magis suggererunt, sed non obtinuerunt, sed irrisi sunt ab eis, et recesserunt. Neque enim inimici cogitationes ignorant justis, sicut ait Paulus: *Non enim ignoramus cogitationes ejus* ⁶⁸. Scientes autem eos, ab eis se custodiunt. Sed illos quidem intelligibilis nostra terra visitata a Deo, per Salvatoris adventum evomit. Propter quod nec venia tali nunc dignus est talia peccans, quia, postquam destructi sunt qui nos seducunt, et postquam evomit eos terra, nos ea quæ ad eos pertinent imitamur, et patimur quod Dominus dicebat: *Fiunt novissima hominis illius deteriora prioribus* ⁶⁹. Hi enim qui post evangelicam prædicationem in eas, quæ dicta sunt, impietates excesserunt et scelera, sive abominationes, propter nimiam ab eis Dei aversionem, recte dicti sunt mali; terra abhorret et evomit illos: non enim jam in hominum portione, sed in dæmonum ordinantur: perduntur enim eorum animæ. Hoc autem in gehenna fit, ubi maxime locus et sors dæmonum est, quod manifestat Dominus dicens: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* ⁷⁰.

VERS. 30. « Custodite mandata mea, nolite facere quæ fecerunt hi qui fuerunt ante vos, et ne polluamini in eis. Ego sum Dominus Deus vester. »

Vere in duobus et tribus testibus stat omne verbum ⁷¹. Hoc ergo legislator confirmare volens, de eisdem tertio præcepit.

Custodite, inquit, *mandata mea, nolite facere quæ fecerunt hi qui fuerunt ante vos*. Ut ostendat quia non hominis cuiuslibet, sed ipsius Dei sunt mandata. Qui quomodo debeat custodiri, non verbo, sed opere, incarnatus per suam conversationem ostendit. Ut non faciamus autem omnia quæ fecerunt hi qui fuerunt ante nos, necessarie addidit, ut sciremus quia veniam peccantibus non præstat. Quod præcedentes alii quidam similia posteris commiserunt peccata: primum quidem, quia nec illis venia data est, sed pœnis condemnati sunt; deinde, quia præcedentium pœna sufficiens erat ad sequentes corrigendos; insuper quia Deo de eisdem constante sæpe per legem, et Prophetas, et Evangelia, oportebat ad obedientiam flecti quamlibet durum

⁶² Deut. vii, 20. ⁶³ Luc. i, 28. ⁶⁴ Psal. ix, 5. ⁶⁵ Matth. viii, 31. ⁶⁶ Matth. x, 28. ⁶⁷ Joan. viii, 44. ⁶⁸ II Cor. xi, 11. ⁶⁹ Matth. xii, 43. ⁷⁰ Matth. xxv, 41. ⁷¹ Matth. xviii, 16.

cor. Sed vide quibus præsentem sanctionem confirmavit verbis.

Ne polluantini in eis, quia ego sum Dominus Deus vester, omnes vos a pollutione mundare volens. Quia imaginem ejus circumdati sumus, et polluta quidem ea, a qualibet eatione, quæ vetitæ sunt, malarum et nefariorum actione, necessarie irascitur: munda autem conservata, in tantum placet ut etiam inhabitet in nobis, quod manifestat Paulus utrumque; ait ergo sic: Nescitis quia templum Dei

*estis, et spiritus Dei habitat in vobis? Quicumque ergo templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*⁷¹. Consummatam ergo sanctificationem custodientes, totam in nobis habemus inhabitantem Trinitatis plenitudinem, si tamen templum Dei sumus, videlicet Patris, Christi autem corpus et membra, et Spiritus sanctus in nobis habitat, in Christo Jesu Domino nostro, cui est gloria, honor, et regnum, in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER SEXTUS.

PRÆFATIO.

Quanta bona ad meditationem legis et interpretationem mentem transferentes, lucremur, quid opus est dicere? Neque enim solum virtutes consequimur, sed et mala renuimus, ex hujus studio, necnon amorem acquirimus Dei, pulchritudinem sapientiæ ejus discentes, simulque a sæculari fumo oculum animæ liberamus, et corruptionis humanæ sustinere cessamus imperium, et excedimus deinceps homines, carne hac, quæ est ex terrena materia, viventes sublimius, vel magis efficimur homines. Hominis enim est rationale contemplativumque proprium, unde et ad imaginem Dei creatus dicitur. Hæc autem nobis per studium et occupationem circa verbum Dei proveniunt. Propter quod Levitici libri sequentia percurramus, multum juvenem legentibus conferentia. Dei enim sunt mandata, adumbrata quidem in pluribus propter infirmitatem populi Judæorum in littera: perfectionem autem secundum litteram intuenti præstant, et consona inveniuntur ea, quæ per Moysen dicta sunt, si interpretentur, Evangelio.

CAPUT XIX.

VERS. 1-4. « Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel, et dices ad eos: Sancti estote, quia et ego sanctus sum Dominus Deus vester. Unusquisque patrem et matrem suam timeat. Sabbata mea custodite. Ego Dominus Deus vester. Nolite converti ad idola, nec deos conflatos facietis vobis, ego Dominus. »

Recte sanctificationem præposuit, quia omnis virtutis est fundamentum. Quam quia sectari modis omnibus oportet legislator ostendens, convenienter ait:

Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Id est, si vobis placet placere Deo, aut adesse vobiscum, vel magis esse cum eo vultis (Dei enim præsentia et conjunctio omnes a vobis insidias læ-

*tionemque removet), sanctificationem consequimini; sanctus autem conjungi profanis non patitur. Propterea Paulus dicebat: Nescitis quia templum Dei estis? et spiritus Dei habitat in vobis? Quicumque autem templum Domini violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*⁷². Superædificans autem mandata super hoc fundamentum, extra quod nemo potest ponere aliud: Unusquisque, ait, patrem, et matrem suam timeat. Per sanctificationem quidem puram mentem erga Creatorem mandans, per honorem autem patris et matris impendi, naturæ benignitatem, quæ parentibus honorem, sed et timorem deberi a filiis, sicut Dominus dedit. Deinde legis mandata recapitulare volens, id est, *Non occides; Non furaberis: Non adulterabis: Non perjurabis: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: Non concupisces uxorem proximi tui: et ut breviter continentiam a malo præciperet; Sabbata mea custodite, rationabiliter subdidit, quia verum Sabbatum est nullum corruptionis opus operari: nam et omne opus servile in Sabbato non fieri, Moyses præcepit: aperte ab operibus carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, et similia his, cavere præcipiens eum qui Sabbatum celebrare vult secundum legem spiritus. Sed nec causam Sabbati ignorare oportet, sic etenim virtutem legis, quæ de eo est, sciemus. Quando ergo Sabbati mandatum Deus dedit? putasne sub Noe, quando non comedi sanguinem præcepit? nequaquam, sed sub Abraham, quem habuit amicum fidelem, quem probavit, et nunquam ab eo mandatum bonum abscondit. Sed nec tunc, quando de terra Ægypti populum Judæorum eduxit, et esurientes murmuraverunt, dicentes: *Utinam mortui fuissetis per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panes in saturitatem*⁷³! Misit quidem eis Deus manna, docens autem nos oportere, quæ amplius quam quotidianum cibum, non præciperet plus de Gomor per singula capita colligi: mensura autem hæc apud*

⁷¹ I Cor. III, 16, 17. ⁷² ibid. ⁷³ Exod. XVI, 3.

Judæos erat, quæ poterat unumquemque nutrire hominem. Tunc ergo docere eos de intelligibili requie et sine mundi volens, quia illo tempore impossibile est cibum conquirere, vel operari, nec circa corporale aliquid occupari, talia eis dicere Moysen præcepit: *Sabbata hodie Domino, non invenietis illud in agro*: sex diebus colligitur, septima autem die Sabbata, non erit in ea. Non Sabbatum, sed Sabbata, quia intelligibilis requies non ab uno quodam, sed ab omnibus carnalibus vacationem alienationemque possidet. Unde nusquam prius invenies apud divinam Scripturam Sabbatorum nomen, ut manifestum sit quia Sabbatum omnem vacationem carnalium, et sæcularium rerum præcepit. Unde omne opus lex prohibens, quæ faciunt adversus omnem animam, subdidit: *Sabbata mea custodite*. Per hoc aperte ostendens quia a corporalibus nos vacare desiderat, et quæ ad juvamen sunt animæ, et profectum pertinentia operari. Verum enim Sabbatum est, nihil materiale, nihil ad terram hominem deprimens, et ad corruptionem carnalem trahens agere. Cum hoc autem quid aliud nunc Deus præcepit:

VERS. 4. « Nolite converti ad idola, nec deos conflates facietis vobis. Ego Dominus. »

Non converti autem ad idola, est non condescendere his quæ idolorum lex multa profanaque exigit. Sed nec conflates deos faciamus nobis, non solum in animalium formis, sed nec in peculiorum thesauris, nec in auri aut argenti massis: hæc enim deos suos faciunt hi qui ea congregant, in tantum sub earum dominio constituti, ut timeant ex eis vel quantulumcunque contingere. Quid autem hæc necesse habemus? qui pro omnibus possidemus divitiis eum qui dicit: *Ego Dominus*? id est, qui volatilia nutrio, qui lilia agri vestio, qui ex nihilo feci, facta nutrivi, atque hæc omnia rursus ad indigentiam redigere valeo.

VERS. 5-8. « Si immolaveritis hostiam pacificorum Domino, ut sit acceptabilis, eodie quo fuerit immolata, comedetis eam, et die altero. Quidquid autem residuum fuerit in diem tertium, igne comburetis. Si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit, et impietatis reus, portabitque iniquitatem suam, quia sanctum Domini polluit, et peribit anima illa de populo suo. »

Omnia quidem, ut ita dicamus, Moyses legis capitula bis terque populo præcepit, frequenti traditione memoriam eorum auditoribus promulgans. Multo magis tamen mandata quæ necessaria sunt, sicut et præsens mandatum; propter quod et illud proponens pridem, cum de sacrificiis præciperet, cum et nos plene de hoc in primo libro hujus Leviticæ interpretationis discussimus: ecce nunc rursus recapitulabit, ut nos breviter recapitulemus, quæ nunc per multa diximus. Sacrificium enim salutare immolari præcipiens, ipsum recte innuit,

A in quo ea quæ pertinent ad salutem operemur. Hinc autem, ut sit placabilis, oportet immolari, hæc utique omnimodo assequentes, quæ acceptabilia Deo sunt, de quo dixit Paulus, cum quo modo oporteret assequi remotam et quietam vitam, in omni pietate et pudicitia, Timotheo scribens ostendit: *Hoc bonum et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* ⁷⁶. Sed si dicis: Cujus rei gratia accepta vestra, secundum Septuaginta legislator dixit? Scito, quia conscientiam designat, per quam quæ sicut Deo accepta, unusquisque potest scire, propter quod Joannes dicebat: *Fratres, si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum* ⁷⁷. Comedere autem de sacrificio, eo die quo immolatum est, et alio, est, ut in præsentī vita, quæcunque ad salutem pertinent operemur. Hodie autem et crastinum, in præsentī sæculo divina Scriptura solet accipere, de qua testem Jacobum producamus scribentem: *Age nunc, qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam civitatem* ⁷⁸. Dies autem tertia, quia in ipsa a mortuis Dominus noster resurrexit, figuram futuri sæculi, et mortuorum resurrectionis gerit, in quo jam non licet operari, sed qui nunc operati sunt, illic ad retributionem veniunt. Qui ergo sic hic vivit, tanquam illic quædam præsentium operaturus sit, et propterea comedere tertia die sacrificium pacificorum, sive salutare dicitur, opus, attrahat a legislatore prohibitum, virtutem imperfectam relinquens, velut illic operaturus sit, et hujus sacrificium rectissime acceptum non est, nec vita correpta est. Sed qui talem sibimetipsi operatur virtutem, iniquitatem suam portabit, prius quidem imperfecte operans, deinde at ingerens calumniam divinæ legi, et dogma disseminans impium atque alienum, hujus anima perit de populo suo. In populo autem qui salvetur, non ordinabitur, quia reliquit imperfectam vitam, quæ eum salvare poterat, si eam consummasset.

VERS. 9, 10. « Cum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solam superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges, neque in vinea tua racemos, et grana decidentia congregabis, sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus vester. »

D Vult legislator ut nos invicem diligamus, amatoresque pauperum nos esse desiderat, semperque eleemosynis studere, nunc quidem dantes egentibus, nunc autem non exigentes quæ nobis debent, sed et concedentes eis colligere quascunque reliquias omnium bonorum, quæ a Deo donata nobis sunt, repperint, et imitari cum qui donavit, non tantum misericordem, sed et qui multæ miserationis est atque dicitur. Et propterea metentes, aut omnino vindemiantes, iterare eodem tempore ipsam messuram vindemiamque non præcepit: sed nec ex toto metere aut vindemiare sancivit, sed relin-

⁷⁶ Exod. xvi, 26. ⁷⁷ I Tim. ii, 4. ⁷⁸ I Joan. iii, 21. ⁷⁹ Jac. iv, 13.

quere quasdam omnimodo pauperi et proselyto de messione et vindemia reliquias, et Deo, qui fructus ipsos oriri facit, operatoriis gratiarum actionibus compensare, nec ullo modo ejus dispensationi iugratum existere: cui quibusdam quidem divitias dare placuit, aliis autem sine labore nutriti de reliquiis abundantiae aliorum, ut et eorum qui divites sunt, dispensatio, et pauperum quanta sit patientia probetur. Quos quia nec odio habet, nec a sua providentia repulit, quod quidam insipienter putant, pauperis et proselyti memoriam faciens, illico subdidit:

Ego sum Dominus Deus vester. Primum quidem illum manifestans, qui divites facit: deinde cum qui pro nobis pauper effectus est, et qui proselytus in terra sua factus est: in suis enim, velut in alienis, peregrinatus est, nec locum habens in terra diversorii. Non enim pauperis et proselyti susciperet personam, si eos aversaretur. Unde per David dixit: *Propter miseriam inopiam, et genitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus*⁷⁹. Sed postquam hanc reperimus utilitatem litteræ, interiorum in ea intellectum consideremus. Cum enim æger sit mundus, quemadmodum nobis Christus zizaniorum parabolam interpretans tradidit⁸⁰, mensura vero evangelica doctrina, sicut rursus dixit discipulis Dominus: *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*⁸¹. Quod opere explanans, duodecim discipulos ex eis convocavit, et eis illico verbum doctrinale commisit. Aperte per ea quæ nunc dicta sunt, legislator doctoribus Judæorum præcepit, nequaquam totius legis interpretationem eos attrahere, sed cedere quædam pauperi et proselyto, doctoribus videlicet gentium: pauperes et enim hi sunt, quia spiritu pauperes esse præcepti sunt, et ad eos dicebatur: *Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum caelorum*⁸²: proselyti autem, ut nunc semetipsos cognationi Abraham subinferentes, et ad Deum accedentes modo per fidem. Ergo hoc quod legitur: Non occides: Non adulterabis, doceant et Judæorum doctores. Quæcunque autem necessariam habent contemplationem et interpretationem, veluti ea quæ sunt de mundationibus, de sacrificiis, et alia similia, doctoribus et Ecclesiae cedant.

Et quæ decidunt de mensura eorum. Id est, quæcunque cernunt eos transgredientia, quæ videlicet ignorant. Unde enim possunt dicere legis figurata mysteria, cum ejus veritatem Christus postquam advenit, tradiderit? Vineam autem ipse populus Judæorum dicebatur, quod demonstrat Deus per Isaiam dicens⁸³: *Vinea enim Domini Sabnoth, domus Israel est.* Ista fructum mulierem non ferebat, in quo eam reprehendens per Isaie prophetiam Dominus dixit: *Quid faciam vineam meam adhuc quod ei non fecerim?*

*A quia expectavi ut faceret uvam, et fecit spinas*⁸⁴. Quæ quondam tamen paucissimos racemos habebat, diversorum temporum justos, propter quos etiam totius vineæ curam usque quoddam tempus, patrifamilias gessit Demonstrata autem et hoc Isaias dicens: *Quomodo si inverniatur granum in botro, et dicatur: Ne dissipet illud, quoniam benedictum est; sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum*⁸⁵. Hos ergo racemos sibi met colligere Judæi, et in suis divitiis thesaurizare non possunt, quia eorum vitam minime sunt zelati, pauperi autem et eos proselyto relinquunt. Nobiscum enim sunt prophætæ, et quotquot justi apud populum Judaicum fuerunt, in tantum ut memorie eorum a nobis annis singulis honorentur: quod apud illos non fit, ut experimento cognoscatur veridicum divinum eloquium.

Vers. 12. « Non facietis furtum: Non mentiemini: Nec decipiet unusquisque proximum suum: Non perjurabis in nomine meo: Non pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. »

Fines nobis bonæ conversationis legislator ostendit, simulque et peccata, quam ad se invicem habeant cognationem, tradit. Quæ enim nos parva putamus, maxima sunt: siquidem in mendacio, singulis, ut ita dicam, diebus solemus delinquere, vel loco, vel studio, similiterque jurisjurandi prævaricatione. Hæc autem in tantum sunt parva, ut ea furto conjungeret: et recte, quia furtum operatur plerumque mendacium. Propter quod Zacharias propheta, falcem quam contemplatus est longitudinis cubitorum viginti, et latitudinis cubitorum decem, contra fures eam, et contra perjuros exactam demonstravit, ait enim: *Ingredietur in domum furis, et perjuri*⁸⁶. Sed et omnibus peccatis cooperatur mendacium, nequaquam enim corrumpet Thamar Amnon⁸⁷, si corruptionem mendacio David decipiens prævenisset: sed nec Naboth Israeliten Jezabel occideret⁸⁸, nisi falsam contra eum per seniores accusationem composuisset: *Benedixit Deo et regi.* Et hæc quidem cum omni subtilitate, utpote, Deo sanciente, custodiamus: cum his autem et furto, non solo quo in pecuniis delinqui potest, sed et ab omni alio nosmetipsos abstineamus, quod est malitiose circa proximos agere, malumque eis operari, et moliri adversus eos mortem, vel fugam, aut servitutem, vel alia similia dolosa atque nefaria. Unde et Joseph, in se injustitiam a fratribus factam, furtum appellavit, ad principem pincernarum, dicens: *Memento mei, cum bene tibi fuerit, ut suggeras de me Pharaoni, et educat me de isto carcere, quia furto sublatus sum de terra Hebræorum*⁸⁹. Devitemus autem et mendacium, in quo quidam sub specie veritatis delinquant, columniam facientes proximo magis mente quam lingua, quemadmodum hi qui dixerunt de Domino.

⁷⁹ Psalm. xi, 6. ⁸⁰ Matth. xiii, 50. ⁸¹ Luc. x, 2. ⁸² Matth. v, 3. ⁸³ Isa. v, 7. ⁸⁴ ibid. ⁸⁵ Isa. lxxv, 8. ⁸⁶ Zach. v, 3. ⁸⁷ II Reg. xiii. ⁸⁸ III Reg. xxi. ⁸⁹ Gen. xl, 15.

*Dixit Possum solvere templum hoc, et in tribus diebus ædificare illud*⁹⁰. Locutus fuerat quidem hæc Dominus, quando Judæi ad eum dixerunt: *Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?* Ipse autem ad eos: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus ædificabo illud*⁹¹. Sed non secundum illam dicens hoc intentionem, secundum quam hi qui testimonium contra eum dabant, dixerunt: *Dicebat enim de templo corporis sui*. Illi autem hæc sicut de templo dicta Judæorum asseverabant, unde eos et falsos testes⁹² spiritus appellavit. Pro perjurio autem Septuaginta elant: *Non levabitis nomen meum in injustum*. Jusjurandum vero in injusto est, non solum quod prævaricatur, sed etiam quod injuste custoditur, veluti quale illud fuit, quod Herodes filix Herodiadis jurans, Joannis Baptistæ caput abscidit: oportebat enim hoc eum jusjurandum non præbere, postquam tamen juravit, non custodire, quia talia sacramenta, nec initium sumere Deus vult, sed nec summentia ad finem pervenire; unde dicens: *Non levabitis nomen meum in injusto*, addidit: *Et non profanabitis nomen Domini Dei vestri*; quod Hieronymi translatio edidit.

Non pollues nomen Dei tui. Quomodo autem quis illud profanat, dico: id est, male faciendo, quia jusjurandum transgredi non potest. Atqui Deus, per quem intravit, in tantum bona vult, quia, etsi permisit de quibusdam terribilia, illi autem poenituerunt, non tardat mutari sententiam, suumque sermonem non refragare, ut quiddam nobis pietatis impendat, propter quod addidit: *Ego Dominus*. Qualis? de quo ait Jonæ prophetia, quando Ninivitæ jejunaverunt, et oraverunt, et poenituit Deum de malitia quam locutus est, ut faceret eis, et non fecit. Multa autem et alia hujusmodi prophetæ dixerunt.

Vers. 15, 14. « Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane. Non maledices surdo, nec coram caeco pones offendiculum, sed timebis Deum tuum, quia ego sum Dominus. »

Vides quemadmodum paulatim lex ejus qui legem accepit, colat mentem, et ea quæ videtur parva conjungit magnis, ut timore definita in majoribus peccatis poenæ, et a minoribus abstineamus. Sicut enim eis sociantur in mandato, ita et in poena sociantur; quia *qui legem totam servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*⁹³. Sed nec frustra calumniæ vim conjunxit: quæ enim differentia est apud eum qui rebus suis caret, sive vi, sive armis forsitan, aut potentia qualibet, vel per circumventionem judiciorum, aut fraude, vel quolibet alio simili modo his careat? Sed et qui die tota operatus est, ut acciperet mercedes, ex quibus cum filiis, et uxore, et parentibus exspectantibus eandem mercedes viveret, et non accepit, sed dilatus est, nonne calumniam et vim patitur? non solum

A in cibo, sed et per hunc etiam in vita? vitam enim in cibo quotidiano ducit. Ergo et si crastino recipiat, quia præterito die, in quo laborem sustinuit, permansit jejunos, vim pertulit et calumniam passus est. Et quod aliis substantia est, hoc sunt mercedes laborantibus: ergo recte vis etiam horum privatio dicitur. Sed et qui maledicit surdo, multum nocet, et qui ponit coram cæcis offendiculum, in quo pedibus offendant. Is quidem qui surdus est, dum maledicitur, nocetur, non solum quia de eo detrahitur, sed quia et emendare, aut hæc cavere, in quibus de eo detrahitur, non potest. Sed nec cæcus ab offendiculo, quod ei ponitur, custodire se potest. Evenit autem et huic et illi ex utroque mors, caeco quidem, dum conteritur per offendiculum:

B surdo autem maledictio, quasi de Principe detrahisset, aut aliud quidpiam fecisset, quod ei periculum ingereret, semetipsum minime corrigenti, et hoc quod videtur esse parvum, quod a multis sæpe ludentibus delinquitur, transit ad mortem: unde nimis opportune David dixit eum, *qui in cathedra pestilentiæ*, id est, deridentium *non sedit*⁹⁴. Nos autem ad eadem rursus exsequenda pergamus. Non enim solum pecuniarum calumniam et vim lex prohibuit, sed et omnem aliam, et multo magis eam quæ est in spiritualibus, ut non gloriam arripiamus alterius, nec quod alterius labore correctum est, in nobismetipsis attrahamus, propter quod et Paulus dicebat: *Non enim aliena regula, in his quæ parata sunt, gloriari*⁹⁵. Et rursus, donatum sibi dicit evangelizare, non ubi nominatus est Christus, ne super alterius fundamentum ædificaret⁹⁶. Alterum autem alterius interpretatio est. Nolebat enim præjudicare, ubi alter prædicavit, ut non mercedes arriperet alienas. De his enim mercedibus ait legislator: *Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane*.

Non jam prædicantibus, sed adhuc discentibus mandans non negligere, nec otiosum apud se sinere doctorale verbum; mercenarius enim Dei est, qui prædicat verbum ejus. Merces autem ejus est retributio prædicationis, veraci existente hujus rei teste Paulo, qui dicit: *Quæ est ergo merces mea? Ut Evangelium prædicem, sine sumptu ponam Evangelium Christi*⁹⁷. Septuaginta autem edunt: *Non dormiet merces mercenarii tui apud te, usque mane*. Quia enim dormire negligentes dicuntur, demonstrat Dominus, discipulis mandatum dans. *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus est*⁹⁸. Sed et quando dormientibus hominibus, videlicet negligentibus, seminarum dicebat inimicum zizaniam; mane enim futurum sæculum est, quia nocti præsentis vitæ succedit, et lux inextinguibilis in eo habitat. Non ergo oportet otiosum esse apud nos doctorum verbum per omne hoc tempus, cui futuri temporis mane succedit, quia et in hoc avaritia et injustitia in doctoribus exercentur, merce-

⁹⁰ Marc. xiv 58. ⁹¹ Joan. ii, 19. ⁹² Matth. xiv. ⁹³ Jac. ii, 10. ⁹⁴ Psal. i, 1. ⁹⁵ II Cor. x, 16. ⁹⁶ Rom. xv, 20. ⁹⁷ I Cor. ix, 18. ⁹⁸ Matth. xxiv, 42 et xxv, 15.

dem perdentibus, quæ eis ex profectu discipulorum deberetur. Per surdum autem et cæcum, eos qui inobediendiæ et ignorantie morbo detinentur, lex innuit, ad quod Isaias dixit: *Surdi, audite, et cæci, intuemini ad videndum*⁹⁹. Ili non maledicendi sunt, sed admonendi, si tamen eos converti volumus. Unde et Paulus, eum qui docet in mansuetudine docere eos, qui contradicunt, doctoribus Ecclesiæ, præcepit¹. Sed nec offendi cum eis falsa dicentes, aut agentes debemus effici; hoc enim Paulus prohibens, atque corrigens, scripsit: *Si quis riderit eum, qui habet scientiam, in idolio recubentem, non de conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothytum*². Si legis tam littera quam spiritu juvari possumus.

Vers. 15. « Nec facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Nec consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo. Non eris criminator et susurro in populis. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus. »

Non quamlibet justitiam, sed summam, et perfectam studeri, lex maxime in præsentibus constituit, recto itinere ordineque procedens, ut prius videatur pauperibus legem constituere, deinde potentibus, ac deinde principatus et potestates habentibus, ut per hoc ostendat, personam non deberi accipi. Non furtum enim, nec calumniam facere, nec jurare in injusto, etsi divitibus vel potentibus aliquando contingit, verumtamen propria pauperum quodammodo sunt peccata. Per paupertatem enim furari, et calumniari, et transgredi sacramenta compelli videntur, ita ut sapiens ille in Proverbiis diceret: *Divitias et paupertatem ne dederis mihi, ne forte satiatus illiciar ad negandum, aut egestate compulsus, furer, et perjurem nomen Dei mei*³. Vi autem opprimere, et mercedibus privare, et irridere surdum aut cæcum, quia quædam eorum sunt potentia, quædam vero prodigæ quodammodo vitæ, et deliciarum, contumeliam generantium peccata, præcipue personis divitum et potentum lex sanciri dicitur. Personam autem accipere in judicio, hi qui magistratum præsent vel judicum tribunalibus, quos judicantes nec quidem pauperum personas oportet accipere. Nemo enim Deo misericordior est, qui misericors et miserator super omnes appellatur: verumtamen judicii tempore, nequaquam jam ita appellari vult, sed justus, teste David qui dicit, *Deus judex justus, fortis et longanimis*⁴. Nec quidem potentis oportet admirari personam in judicio, quia Deo nullus est potentior: ipsius autem est judicium, ipse enim nobis judicantibus, causantis personam suscipit. Cujus rei testis est idem Moyses in Deuteronomio ita dicens: *Non respicies personam in judicio; secundum parvum et minorem judicabis. Non distinguas personam homi-*

*nis, quia judicium Dei est*⁵. Ergo si vis personam donare potentis, personæ Dei dona: donas autem, si ad partem te justitiæ contuleris, illic enim habet: quia *justus Dominus justitiam dilexit, æquitatem videt vultus ejus*⁶: quamobrem etiam nunc justo judicari proximo præcepit. Oportet enim nos nosse quia in quo judicaverimus, in eodem judicabimur⁷. His addidit.

Vers. 16. « Non eris criminator et susurro in populis. »

Vel, sicut Septuaginta edunt: *Non ambulabis in dolo in gente tua. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Dolo sanguinem conjunxit, videlicet homicidium, sicut et David solet: Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus*⁸. Et iterum: *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos*⁹. Gladius enim occultus est dolus, ensis exactus, et latens ita ut David rursus diceret: *Sicut novacula acuta fecisti dolum*¹⁰. Sed nos ab eo velociter recedamus, expavescentes illum pro peccati vicinia, cui meruit esse conjunctus. Nec contra sanguinem proximi stemus, sed omnes insidias, et collegium, quod pro qualibet iniquitate fit, fugiamus. Quia quidam singulariter infirmi, et per semetipsos nocere non valentes, misceri solent multitudini, necesse est ut, quando plures simul conveniunt, malitia valentior inveniatur. Illic enim commodat manum, alter linguam, alius his quæ aguntur consensum præbet, alter innuit, et in malitiæ consummatur insania. Sed cum his etiam illud intuemur, ut non solum cum de pecuniis, aut aliis similibus judicamus, custodiamus pauperi et potenti æquitatem. Sed ubique in omni judicio, quod non solum apud tribunal, sed in omni colloquutione, et amicabile concilio, atque in doctrina spiritali maxime intelligitur. Recordemur Jacobi dicentis: *Si introierit in conventu vestro vir aureum anulum habens, in veste præclara, ingrediatur autem et pauper in veste sordida, intendatis autem ad eum qui induitur præclara, et dixeritis: Tu sede hic bene; pauperi autem dixeritis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum, nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis iudices cogitationum iniquarum*¹¹? Et cum de hoc quædam alia dixisset, et opportuno tempore revocare ad memoriam nostram legis mandatum volens, addidit: *Si autem personæ accipitis, peccatum operamini, sed arguti a lege, tanquam transgressores*¹². Ergo juste judicare proximo debemus, et non unam eandemque actionem, in divite quidem dicere bonam: in paupere autem malam, et hunc arguere, illum autem sinere peccantem. Sed nec dolose in propria gente, id est, in populo ambulare debemus, nec vexare populares viros sub specie pietatis, neque contra sanguinem proximi consistere, id est, non sociari eis qui in animas fratrum peccant, et malorum sententiæ. Et

⁹⁹ Isâ. xlii, 18. ¹ Tit. iii, 2. ² I Cor. viii, 10. ³ Prov. xxx, 8. ⁴ Psal. cii, 8. ⁵ Deut. xvi, 19. ⁶ Psalm. x, 8. ⁷ Rom. ii, 1. ⁸ Psal. v, 7. ⁹ Psalm. xiv, 24. ¹⁰ Psal. li, 4. ¹¹ Jac. ii, 2-4. ¹² ibid. 9.

cum omnis quidem mandatorum justitia consideranda sit, illam tamen subtilitatem præ omnibus intende, dicens enim :

VERS. 17. « Ne oderis fratrem tuum, *addidit*, in corde tuo. »

Quia frequenter in personis peccantium, personam odio eos habentium indui compellimur. Unde Paulus Thessalonicensibus præcipiebat: *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, et non commisceamini cum illo, ut confundatur*¹². Hoc autem dum fit, odii præbet præsumptionem. Quorum enim aliorum, nisi odientium et adversantium est: *Non commiseris?* Sed hanc aversionem non præcepit in corde fieri, ait enim: *Non commisceamini ei, ut confundatur, et erubescens omnimodo emendetur*. Qui autem emendabat eum cui non commiscebatur, nullatenus eum odire in corde suo poterat, quod confirmans etiam hoc addidit: *Et nolite quasi inimicum existimare illum, sed corripite ut fratrem*¹³. Omnem autem justitiam explens, et per singulas species vitæ quodammodo legem ponens, confirmationem mandatis, quam oportet, apponit, quam si custodierimus, nemo nostris nocere divitiis, nemo nostrum thesaurum furari potest. Est autem confirmatio hæc:

Et diliges amicum, sive, ut Septuaginta, proximum tuum sicut teipsum. Habens in modico totam legem, et per unum tibi hoc mandatum, omnia custodire facile est. Charitas enim, ait Paulus, *proximo malum non operatur. Plenitudo ergo legis charitas est*¹⁴. Sed et omnem vitam nostram esse in bonis facit. Si enim diligo proximum sicut meipsum, et forsitan filios non habuero, aut divitias, aut decorem, aut mundi gloriam, aut potentiam, video autem proximum habentem, gaudeo, et nihilo minus tanquam ego hæc habeam, lætor ego: in illo enim et ego habeo. Idipsum autem et in spiritualibus, in quibus maxime eam quæ ad proximos pertinet dilectionem custodire debemus, et non invidere operantibus justitiam, nec morderi quando alii secundum Christum glorificantur, quando in verbo doctrinæ locupletantur, quando abundant divinis donis. Sed imitandus est Christus, qui in tantum nos dilexit, ut apostolis majora signa facere¹⁵, quam ipse fecit, concederet. Unde et nunc dicens: *Diliges amicum tuum, sive proximum tuum sicut teipsum*, addidit: *Ego Dominus: leges meas custodite*. Quando vero nos Deus dilexerit, ipso dicente cognosce, ait enim: *Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis*¹⁶. Unde et legem suam præcipuam esse dilectionis mandatum dixit: hoc hic addens quod in aliis mandatis non reperies adjectum.

VERS. 19. « Jumenta non tua facies commisceri cum alterius generis animantibus. Agrum, sive, ut Septuaginta, vineam tuam non seres diverso semi-

ne. Vestem quæ ex duobus texta est non indueris. »

Hæc quodammodo ad litteram videntur esse ridicula, unde nec ita ea custodiri a prophetis et spiritalibus invenimus, quemadmodum Judæorum filii infirme imperfecteque viventes, qui lac amant, et solidum cibum non capiunt. Nam intende quid ad Sadoc sacerdotem, et Nathan prophetam, et ad Banaïam dicebat: *Ponite filium meum Salomonem in mulam meam*¹⁷. Dicens enim, *vineam*, ostendit quia et ipse in mulum sedebat. Si autem jumenta commisceri alterius generis animantibus, id est, asinum equo commisceri lex vetuit, et abominabile hoc erat, oportebat et ea quæ fiebant, et ea quæ nascebantur ex eis, procul dubio abominari. Sed et si vestimentum ex duobus fieri non vult, quomodo sapiens ille de forti muliere hæc in Proverbis dicit: *Invenit lanam et linum, et operata est utile manibus suis*, et rursus: *Ex bysso et purpura sibi vestimenta*¹⁸? Nec enim utilia sunt vestimenta, bonum autem indumentum ejus, sive utile dixit esse vestimentum, unum quidem de lana et lino, aliud autem rursus ex bysso et purpura confici intelligamus. Sed quid hoc sit, Paulus aperte Corinthiis scribit: *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Dei participari, et mensæ dæmoniorum*¹⁹; et rursus: *Qui in lege justificamini, a gratia excidistis*²⁰. Neque enim Judaicis seductionibus, nec errori gentilium oportet fideles commisceri. Jumenta ergo, id est, populares homines, non permittamus alterius generis animantibus, commisceri, id est, non sectari circumcisionem, et baptisma. Alterius enim jugi circumcisio, gravis et importabilis, de quo dixit Petrus: *Quid tentatis Deum, superimponere jugum in cervicibus discipulorum, quod nec patres nostri nec nos portare potuimus*²¹? Alterius est autem baptisma Christi, et levis jugi: quod nobis Christus imposuit, sic dicens: *Tollite jugum meum*. Et rursus: *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve est*²². Sed nec vineam, sive agrum creditum nobis, vario serere debemus semine, ut non contraria divinis doctrinis Ecclesiam doceamus, quemadmodum prava sapientes hæretici, Christo nuptias per suam præsentiam benedicente, atque dicente: *Non ea quæ ingrediuntur nocent hominem prohibentes nubere, et præcipientes abstinere a cibis quæ Deus creavit eis, sibi met impietates præparant mortem*²³. In quibus necessarie secundum Septuaginta subdidit: *Ego sum Dominus Deus vester*, ab omni vos hujusmodi continentibus esse malitia cupiens, et qui per Evangelium dixi ad eos qui male legem, et ad suam voluntatem accipiunt: *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate*²⁴.

Nec oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super eo peccatum. Non quæ-

¹² II Thess. III, 14. ¹³ Ibid. 15. ¹⁴ Rom. XIII, 10. ¹⁵ Prov. XXXI, 13. ¹⁶ I Cor. X, 20. ¹⁷ Gal. V, 4. 15 et seqq. ¹⁸ Joan. VII, 24.

¹⁹ Joan. XIV, 12. ²⁰ Joan. XV, 15. ²¹ III. Reg. I, 33. ²² Act. XV, 10. ²³ Matth. XI, 29, 30. ²⁴ Marc. VII,

res ulionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego Dominus. Leges meas custodite. Recte Christus Judæis dicebat: *Non credatis, quia veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed implere* ²⁵. Si enim perscruteris hæc verba, invenies quantum consonantia sint his mandatis legis evangelica dogmata, utpote eodem Deo utraque loquente: Etenim qui nunc fratrem, si peccaverit, corripiendum præcepit, hic per Evangelia præcepit: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripis eum inter teipsum solum: non correctum autem, coram uno argue, et coram alio, deinde rursus in Ecclesia, cum neque coram illis increpatus correctus fuerit* ²⁶. Et hic quidem cum dixerit: *Ne oderis fratrem tuum*, addidit:

Ne habeas super illo peccatum. Ibi autem et quod peccatum ostendit, ait enim: *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* ²⁷. Hic, non quæres ulionem, per Paulum autem: *Non vosmetipsos vindicantes, charissimi, sed date locum iræ* ²⁸. Nunc dixit per legis librum: *Nec memor eris injuriæ civium. Per Evangelium autem: Omnis qui nascitur fratri suo, sine causa, reus est judicio* ²⁹. Propter quod eos canteriatam habentes suam conscientiam ³⁰ Paulus nominavit. Vestimentum autem abominabile, ex duobus contextum induit, qui dicit se Christum adorare, et adorat demones, qui Solis justitiæ se asserens militem, etiam visibilem hunc, et qui ad ministerium creaturæ datus est solem placat, vel reliqua sidera, aut aliquid hujusmodi, sicut Manichæi et alii multi hæretici faciunt. Unde pro reprobo et abominabili, Theodotion *Satanæ* edidit, sic utique inveniens in Hebræo, et conservans sicut invenit, ut nomine *Satanæ* planior legislatoris efficitur intentio. Non vult enim nos, cum simus Dei, diabolicis immisceri negotiis, neque simul orationibus et incantationibus vacare, nec phylacteriis Ecclesiæ Dei, sanctorumque virorum, vel e diverso pravorum veneficorum simul indui, et ea quæ sunt demoniorum circumducere sancto Spiritui, in quo, ait Paulus, signati sumus ³¹. Recedit enim, utpote perpressus contumeliam, et obtinebit immundus spiritus, et patietur hujusmodi quod Saul pertulit ³²: *Spiritus autem Domini recessit a Saule, et exagitabat eum spiritus Dei malus.* Non quia Deus transmisit malum, sed quia permisit obtinere eum qui illum elegit.

VERS. 20-22. (Homo si dormierit cum muliere coitu seminis, quæ sit ancilla etiam nubilis, et tamen pretio non redempta, nec libertate donata, vapulabunt ambo, et non morientur, quia non fuit libera. Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonii arietem, orabitque pro eo sacerdos, et pro delicto ejus coram Domino, et repropitiabitur ei, dimitteturque peccatum.)

Quantum inter libertatem et servitutem intersit ostendere per ea quæ nunc dicta sunt, legislator intendit; nam in ea quæ libera est desponsata, ad ulterium esse delictum ejus qui cum ea fornicatus est asserit, mortisque pœnæ eum subjacere sancivit. *In ancilla autem nubili*, quod Septuaginta ediderunt, *Custodia homini*, id est, desponsata, absolvens a pœna, sacrificium jubet offerre eum, qui in eam peccavit, ex hac sensibili servitute intelligibilem volens ostendere. Neque enim præcepit in ancillas quaslibet, quanto magis desponsatas delictum fornicationis admitti, sed ancillam desponsatam, sive custodiam homini Judæorum dicit Synagogam, quæ legi custodita est, nec despondi Christo, priusquam moreretur legis littera, poterat. Unde et Paulus dicebat:

Ergo, fratres, et vos mortui estis legi, per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit ³³. Ipse autem, ancillam esse Judæorum Synagogam, hæc dicens docuit: *Quia Abraham duos filios habuit, unum ex ancilla, et unum ex libera* ³⁴. Deinde quam voluit ancillam intelligi, exponens subdidit: *Quæ sunt per allegoriam dicta; hæc enim sunt duo testamenta, unum quidem ex monte Sina in servitutem generans, quod est Agar. Sina autem mons est in Arabia, conjunctus ei, quæ nunc est Jerusalem, quæ servit* ³⁵. Cum hæc ergo si quis dormierit coitu seminis, id est, qui hujus particeps effectus fuerit doctrinæ, in tantum ut conjugatur ei, et coeat cum ea, per legis videlicet conversationem, quia unum reperientur hi qui sibi conjugali consortio sociantur (semen autem pro doctrinali verbo accipi debere, multipliciter in hoc Levitico libro pridem demonstravimus); quicumque ergo antequam hæc per adventum Christi liberaretur, hoc fecerat, recte non moriebatur: nam et si secundum litteram, et non secundum spiritum legem accipiebat, quemadmodum Judæorum docet Synagoga, ancilla juste nominatur, quia legislatoris intentionem ignorabat. Servus autem, sicut dixit Christus, *nescit voluntatem domini sui* ³⁶, et propterea delinquere dicebatur, remissionemque necessariam habebat, quia dominicum præceptum non secundum dominicam studebat voluntatem. Veruntamen quia non adhuc erat liberata, propterea occulta erat legis contemplatio. Unde et tempus videbatur habere conversatio litteræ, nec morte subjici dicuntur, et visitationem eis promisit. Nam quod nostra translatio habet: *Vapulabunt ambo, Septuaginta dicunt, Visitatio erit eis, et non morientur.* Visitationem autem eis promisit, id est a legis servitute libertatem. Mos enim est divinæ Scripturæ, libertatem, visitationem appellari: nam et liberationem servitutis Ægyptiæ visitationem invenimus Deum nominantem, quando ad Moysen dicebat: *Convoca seniores filiorum Israël et dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus*

²⁵ Matth. v, 17. ²⁶ Matth. xviii, 15. ²⁷ Matth. vi, 15. ²⁸ Rom. xii, 19. ²⁹ Matth. v, 22. ³⁰ I Tim. iv, 2. ³¹ Ephes. iv, 30. ³² I Reg. xix, 9. ³³ Rom. vii, 4. ³⁴ Gal. iv, 22. ³⁵ ibid. 23-25. ³⁶ Luc. xii, 7.

Jacob, dicens : Visitans visitavi vos et vidi quæcunque evenerunt vobis in Ægypto, et dixi : Liberabo vos ex oppressione Ægyptiorum ²⁵. Aperte ergo per præsentem legem visitare eos permisit per Christi liberationem, de qua manifeste Zacharias per Canticum suum dixit : *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ* ²⁶. Dicit enim liberationem quam Christus in sacrificio, et evangelica conversatione, Judæo primum, et post hoc Græco, secundum quod dixit Apostolus, præstitit. Ait enim de Evangelio quod a Domino donatum est : *Virtus Dei est in salutem omni credenti, Judæo primo et Græco* ²⁷. Non secundum aliquam personarum acceptionem, sed quia primi Judæi hanc salutem et liberationem, utpote etiam alios seducentes, habebant necessariam. Cum his qui dormit, id est, qui miscet, ut seminis eorum et doctrinæ particeps efficiatur, huic per sacrificium præstatur remissio : sed per Christi, hoc enim sacrificium significans, arietem pro peccato præcepit offerri, et per ejus oblationem sacerdotem deprecari. Quis sit autem hic, qui pro omni mundo deprecatus est, et quis aries, qui pro peccato offertur, et cur ante ostium tabernaculi testimonii ad sacrificium deducatur, sed et quid proprie debeat intelligi peccatum delicti, ea quæ de sacrificiis olim sancita sunt, et exposita perscrutans, invenies Christum in eis, velut in imagine figuratum : qui per crucem immolatus, cum aliis omnibus peccatis etiam hoc ignovit, quod Judæorum commisit populus, et is qui erat ei mistus ex gentibus, qui etiam dormire cum eis dicitur, legem non secundum intentionem legislatoris accipiendo. Hæc autem non importune in hoc loco, sed imo nimis opportuno tempore, quo jumenta non oporteret alterius generis jumentis conjungi, id est, non liceret eos qui sub jugum facti sunt Christi, Judaicum jugum suscipere, significavit. Confirmans enim hoc, præsentia subdidit, per quæ ostendit, quia et ante adventum Christi, quicunque exterorum illis commiscebatur, opus habebat intelligibilis arietis sacrificio ad propitiationem suam, conferens illud mente, et describens apud semetipsum per figuras veritatem. Sic enim non solum non condemnari ex obviente sibi servitute Judaicæ litteræ, sed etiam liberari ab ea, et a morte infidelitatis spiritualiter legem accipiens, et sacrificia ejus ad Christum referens, poterat.

Vers. 23-25. « Quando ingressi fueritis terram, et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum. Poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabili Domino. Quinto autem anno non comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt. Ego Dominus Deus vester. »

Permanet in intentione etiam nunc legislator, quam habuit prius, aliis verbis præcedentibus similia sanciens, ostendens quidem nec habere fru-

ctum bonum Judæorum populum ante Domini præsentiam potuisse. Cur enim triennio fructum eis omnis ligni non esse esibilem dicebat? Sed nec ullo modo mundum, sed et mundationem quarto anno necessariam habentem. Et quæ hæc erat mundatio? Non aspersio, non sacrificium, non aliud quidpiam hujusmodi, quale alio loco secundum litteram lex præcepit. Ergo vocat necessarie ad contemplationem spiritus, eum qui non solum meditari legem, sed et aliquod ex ea percipere commodum cupit. Terram ergo Deus dat, quam ipsum dare decet, id est, divinam Scripturam, quæ virtutum fructus fert, quæ habet illam vitam, et colit, sive operatur, quam David colere et operari promittit, ubi enim Deo placere magis homo, quam in mandatis, et operibus bonis potest : Ait enim : *Placebo Domino in regione vivorum* ²⁸. De quibus ipse dicit : *Qui vero expectant Dominum, hæreditate possidebunt terram* ²⁹. Possidebunt enim plenam Dei spiritu Scripturam, et quæ ex ea sunt bona, qui Deum expectant, qui mandatorum, quæ in ea continentur, retributionem promittit. Hanc terram ingredi quidem filii Judæorum præcepti sunt, et acceperunt priores. Primi enim sacras susceperunt litteras, propter quod et lignum quod edi potest, id est, mandata, quæ diximus, plantare præcepti sunt, hi quidem eas meditantur, hi autem et prædicantes. Quia enim plantationi lignorum meditatio legis, et prædicatio propter eum profectum, qui per patres provenit, assimilatur, audi David dicentem : *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum* ³⁰. Paulus enim de prædicatione quam prædicavit Corinthiis scripsit : *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit* ³¹. Sed mandata quidem bona nimis erant, propter quod et lignum esibile appellavit. Illi autem modo quo debebant, non operabantur secundum litteram lege utentes. Erat ergo eorum fructus, operatio videlicet legis triennio immunda. Dicit autem triennium, a tempore legis usque ad David tempus, et a David usque ad transmigrationem Babylonis, et a transmigracione Babylonis usque ad adventum Domini : sic enim et Matthæus distinxit ³². Quia ergo

quarto hoc anno, omnem fructum ipsius legis, sanctum et laudabile Domino commendavit, non tamen vel tunc esibile illud esse Judæis dixerat, illud sine aliqua dubitatione probavit, qua totius legis fructus, in adventu Domini est : Ilujus enim tempus, secundum ordinem temporum superius nominatorum annus recte nominabitur quartus, sanctus laudabili Deo. Quia Christus eum fructiferum faciebat, quemadmodum oportet etiam nos fructificare docens. Recte ergo sanctus erat, utpote a Sancto sanctorum perfectus. Sed et laudabilis : omnia enim quæ Christus operatur, bona fama sunt atque gloriosa, ita ut etiam ab ingratis

²⁵ Exod. III, 16. ²⁶ Luc. 1, 68. ²⁷ Rom. 1, 16, 2, 3. ³¹ I Cor. III, 6. ³² Matth. 1, 1 seqq.

²⁸ Psal. cxiv, 9. ²⁹ Psalm. xxxvi, 9. ³⁰ Psal. 1,

Judæis glorificentur. Cum enim paralyticum portantem super humeros grabatum vidissent, glorificabant Deum, qui talem potestatem dedisset hominibus⁴⁴. Unde non simpliciter, sed laudabile Domino fructum hunc lex appellavit. Necdum autem erat populo esibilis, necdum enim hic secundum spiritum Christi conversationem adeptus fuerat : sed in anno quinto, in apostolica videlicet generatione, illinc enim ipse Judæorum populus, id est, hi qui ex eis crediderunt, et gentes omnes, esibilem legis fructum, operationem videlicet habuerunt. Et secundum Septuaginta adjectio fructuum legis erat populo, id est lucrum et commodum. Quæ enim operantur prius sine lucro, inutiliter operantur. Bene autem adjectionis lex memoriam facit verbo convenire, quod dixit Dominus in Evangelio : ipse enim erat, qui hæc et illa dicebat. *Omni habenti dabitur et adjicietur*⁴⁵. Quicumque autem, ut oportet, vetus tenet testamentum, ei et novum adjicitur, et per hoc ei esibilis etiam fructus testamenti veteris invenitur.

VERS. 26-28. « Non comedetis carnem cum sanguine, non augurabimini, nec observabitis somnia, nec in rotundum tondetis comam, nec radetis barbam, et super mortuo non incidetis carnem vestram neque figuras, et stigmata facietis vobis. Ego Dominus. »

Ab omni fermento malitiæ mundum esse fidelem vult, et propterea nunc quidem prohibet a servitute legis litteræ, et Judaicam doctrinam demonstrat inutilem. Nunc autem rursus ad errorem gentilium sermonem vertit, neque enim omnia, quæ nunc vetita sunt, studentur : quippe cum non solum sint ridicula, sed etiam et noxia studentibus ea, quæ maxime ostendit Ecclesiastes ; ait enim : *Qui observat ventum, non seminat : et qui considerat nubem, nunquam metet*⁴⁶. Augurium ergo non solum vox avis cujuslibet aut volatus appellat, qui vel prohibet a quadam actione vel eam studiosius admonet accelerandam, sed et signis uti loquentium, prætereunantium, obviantium, et quorumdam in itinere obvientium offendiculorum, taliumque aliorum est. Ab avibus enim augurum, sed et aliorum signorum observatio dicitur. Auspiciam autem est transeuntes considerare aves, et propter has in desertam ab hominibus viam egredi aut avium volatum, aut voces quales sint perscrutentur, ut ex eis cognoscant, quæ futura sunt. Quod accusare est Deum, quia ea quæ homini, quem secundum suam imaginem omnium animalium principem constituit, abscondit, et ab eis quispiam discit, quæ nec ab spiritalibus viris, sed nec a Deo, qui illis revelat, potest discere, sicut hi, qui in prædicto errore seducti sunt, arbitrantur. Insuper nec comam in rotundum tondere, id est, non radere in rotundum aspectum capitis, sicut et Symmachus edidit, quem-

A admodum etiam hi facere consueverunt, qui barbaricas student comas, propter quod hoc Septuaginta *σισήν*, forsitan propter magnitudinem concursorum capillorum appellaverunt. Non oportet autem hoc fieri, sed contentos esse naturalibus ornamentis, nihil exquirere, nisi forsitan Creatorem aliquid indiguisse ad perficiendum animal accusamus. Sed nec cincinnos nutrire in honore dæmonum, capillis aliis fortiores, et hoc vovere : student enim hoc pagani, caput puerorum offerre dæmonibus. Unde de hoc maxime oportet putari legislatorem præcipere. Sed nec barbam radere vel secundum Septuaginta corrumpere faciem barbæ : nec incisuras in corpore sibi facere eos qui stent supra mortuos etiam, hoc enim pagani consueverunt. Sic enim affligi supra mortuos oportet, ut nec faciem ledat, nec corpus corrumpat, a quibus nos Paulus prohibens ait : *Nolo vos ignorare, fratres, ut non contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent*⁴⁷. Nam quodlibet eorum, quæ prædicta sunt agere non est spem habere resurrectionis mortuorum, quia tanquam illis corruptis, semetipsos dissipant atque corrumpunt. Prohibet stigmata fieri in corpore, undique decoris legislator curam gerens, et non concedens abuti carne in quolibet horum ; quæ quidem ipsi nocent, totum autem animal fædum reddunt. Comedere enim super montes, quod Septuaginta in initio præsentis legis posuerunt, pro eo quod nostra editio habet, *Non comedetis cum sanguine*, propter eos qui idolorum festivitibus consueti sunt prohibuit. Hoc enim et Osee accusans populum Judæorum, dixit : *Spiritus fornicationum decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo. Super verticem montium incensum adolebant, et super colles sacrificabant*⁴⁸. Sed videamus præter hæc, quæ nos jubeat cavere : secundum spiritalem contemplationem non comedere super montes, id est, cogitationibus superbis non pasci, de quibus Isaias ait : *Omnis mons et collis humiliabitur*⁴⁹. Non augurari, non auspicari, ut non intendentes dæmones secundum eorum voluntatem vivamus, neque cor nostrum volucris tradamus, quæ rapiunt semen pietatis a nobis, sicut Dominus in parabolis evangelicis dixit⁵⁰. Comam non tondamus : vel sicut Septuaginta *σισήν* de capillis capitis, non faciamus. Capilli enim nostri pro cogitationibus, accipiuntur, propter quod dixit Dominus : *Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt*⁵¹. Ipsi enim utpote judici, et corda scrutanti, numeratæ sunt omnes nostræ cogitationes. Non oportet ergo eas agitare quempiam, vel concutere, sed nec offerre diabolo, quod faciunt quidam, et de sensibilibus capillis crinem offerentes, sicut superius diximus. Insuper non oportet, sicut prædiximus, barbam radere, vel secundum Septuaginta corrumpere faciem barbæ, quia perfectionis nostræ signum barba est. Virtutes

⁴⁴ Matth. ix, 8. ⁴⁵ Matth. xxv, 29. ⁴⁶ Eccl. xi, 4. ⁴⁷ I Thess. iv, 12. ⁴⁸ Osee iv, 12, 15. ⁴⁹ Isa. l. 4. ⁵⁰ Matth. xiii, 19 ; Luc. xi, 24. ⁵¹ Matth. x, 30.

autem designant veram nostram perfectionem quas incongruum est corrumpere operantes non vtro, sed sub falso et ficto habitu. Nec incisiones facere super animam bonum est in corpore: sunt enim delectationes, quæ ad nocendam animam incidunt corpus, et corrumpunt. Sed et stigmata, id est, male doctrinæ dogmata, quia inhærent, et infliguntur animæ per quædam blandimenta, vel syllogismos, vel quemlibet alium modum docentium intelligamus. Præcepit ergo nobis lex et ab his abstinere, quia impressa vel immersa, sicut solent stigmata, difficulter abolerunt.

VERS. 29. « Ne prostituas filiam tuam, ut contaminetur terra, et impleatur piaculo. »

Si enim patres quos oportet filios emendare, ad fornicationem nos hortantur, provocantes aut viventes turpiter, ut ipsi ad imitationem parentum, ad malum illiciantur, piaculo, vel secundum Septuaginta, fornicatione terra completur, et ad omnem speciem impietatis proficit, quia eos qui eruditores esse debuerunt, ad malum pueri pædagogos habent. Sed nec animam nostram, quæ nobis filia unigenita est, ita ut David diceret: *Libera a leonibus unicam meam*⁵¹: et: *De manu canis unicam meam*⁵², prostituamus, a Deo illam discessionem docentes, ne fornicante anima fornicetur et corpus. Hoc enim terra, utpote quod de terra ortum est, et in terram revertetur, appellatur.

Et impleatur piaculo, vel sicut Septuaginta, *adulterio*. Ebrio quippe sessore, equus deferitur in præceps. A Deo recedente anima, omnis iniquitas dominatur in corpore.

VERS. 30. « Sabbata mea custodite, et sanctuarium meum metuite. Ego Dominus. »

Sicut uno existente speciali Sabbato, septima videlicet die, omne aliud legitimum ostium Sabbatum appellatur, si cum generalis sit abstinencia a malo, hoc enim revera studet legislator Sabbatum, et per singula quæque recedere nobis a malo præcepit. Hoc enim fulciens, addidit:

Sanctuarium meum metuite. Vel sicut Septuaginta, *Sancta mea timebitis*: quia quemadmodum eo, qui quo debent modo accedunt ad ea, sanctificent, sic hi qui inique præsumunt in eis, et non prius semetipsos sorde malitiæ purgant, atque sic ad munda accedunt, corrumpunt, sive disperdunt, sicut Nadab, et Abiu, et filii Heli. Unde et Paulus de his qui incircumspecte mystica percipiunt, subdidit: *Propterea multi in vobis infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi*⁵³. Unde et nunc legislator addidit: *Ego Dominus*, id est, sanctus, et in sanctis habitans, et necessario exigens sanctorum vindictam.

VERS. 31. « Nec declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. »

Septuaginta autem edunt: *Non sequimini ventri-*

loquos, et veneficis non adjungamini, ut polluamini in eis. Ego sum Dominus Deus vester. Maxima diaboli erroris, et fraudis species, ventriloquorum est exquisitio. Unde et Paulus puellam inveniens, spiritum habentem Pythonis, quamvis dæmonium magna de ipso et Sila prædicaret, et diceret: *Hi homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam veritatis*⁵⁴; malum tamen spiritum increpans, effugavit. Pessimum est etiam et veneficis adhærere, quia dæmonium iniuniorum nobis, et pestilentium nomina dicunt. Qui etsi ad breve tempus, ut in errorem mittant, videntur operari aliquid, quod ad corporalem sanitatem vile et parvum, quale etiam imperiti medici operari possunt, verumtamen nec hoc ut boni, neque ut bene volentes hominibus operantur, sed in servitutem illos redigere et a Deo separare cupientes. Sed nec ventriloquos, id est, falsos prophetas æquamur, qui nomine Dei aliena a Deo docent, et prophetant: qui ventriloqui juste dicuntur, quasi intelligibili ventre sui cordis, fabulas quasdam, id est, falsas doctrinas, et prophetias proferentes, de quibus per Ezechielem Dominus dixit: *Væ prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum*⁵⁵. Hi et venefici, ut qui cum blandimento quodam, et fraude domos ingredienti, et captivas ducentes mulierculas oneratas peccatis, sicut ait Paulus⁵⁶, recte appellantur: in his ergo præcepit non pollui. Polluunt enim sermones eorum eos qui eis obediunt. Unde et addidit: *Ego sum Dominus Deus vester*. Per evangelicam doctrinam dicens: *Attendite his qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*⁵⁷.

VERS. 32. « Coram cano capite consurge, et honora personam senis et time Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus. »

Bonum est quidem, et eum qui jam ad canitiem pervenit honorare, habet enim tempus aliquid amplius procul dubio ad prudentiam, sed et honorem quem provectoribus impendimus, non quoque a minoribus merebimur, atque ex hoc ordo bonus vitam nostram in honestate custodiens, nobis profligatur. Canum autem, vere senem, id est, eum intellige, de quo ait Moyses: *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; seniores tuos, et dicent tibi*⁵⁸. Sed et Paulus: *Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina*⁵⁹. Sed et Daniel cum esset puer, et iudices atque presbyteros populi criminantes. Susannam argueret, dicebant alii presbyteri: *Veni, sede in medio nostrum, et et annuntia nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis*⁶⁰: ut ostenderetur, quia sapientiæ magis quam ætatis est presbyterii dignitas.

VERS. 33, 34. « Si habitaverit advena in terra vestra, et inoratus fuerit inter vos, ne exprobetis ei, sed sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum

⁵¹ Psal. xxxiv, 17. ⁵² Psal. xxi, 21. ⁵³ I Cor. xi, 50. ⁵⁴ Act. xvi, 17. ⁵⁵ Ezech. xiii, 3. ⁵⁶ II Tim. iii, 6. ⁵⁷ Matth. vii, 15. ⁵⁸ Deut. xxxii, 7. ⁵⁹ I Tim. v, 17. ⁶⁰ Dan. xiii, 50.

quasi vosmetipsos : Fulistis enim et vos advenæ in terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. »

Terram nobis a Deo datam, esse culturam virtutum, bonamque ejus doctrinam, superius diximus. Si quis autem ad hanc accesserit advena, videlicet volens converti ad nostram fidem, et terræ illius civis conscribi, de qua Paulus ait : *Accessistis ad Sion montem, et ad civitatem Dei viventis Jerusalem cælestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis* ⁶¹. — *Non affligamus eum*, id est, non gravemus contra eum jugum, ut modo genito et noviter credenti graviora mandata imponamus, ut non sicut Pharisæi et Scribæ peccemus, quos accusans Dominus dicebat : *Alligant onera gravia et importabilia, et ponunt super humeros hominum, ipsi autem digito suo non volunt ea movere* ⁶². Non ergo ei qui accedit ad fidem, hoc facientes, et quædam legalia ab eo exigentes, affligamus eum. Sit autem nobis sicut indigena qui nutritus est in fide, et crevit in pietate. Unde et Petrus hoc evidenter sanciens, ad eos qui volebant circumcidere de gentibus credentibus dicebat : *Quid tentatis Dominum imponere jugum super cervices discipulorum, quod nec patres vestri, nec nos potuimus portare* ⁶³? sed per gratiam Jesu Christi credimus salvari, sicut illi. In hoc ergo unumquemque advenam, sive ut LXX dicunt, *proselytum*, sicut nosmetipsos diligamus, ut illa præcipiamus eis tantum, per quos nosmetipsos, si ea gerimus, salvari credimus. Num etsi amplius temporis ab his qui nunc ad fidem accedunt, nos in fide pia habemus, verumtamen et nos ex infidelibus sumus, aut nos ipsi prius infidelibus existentes, aut de talibus geniti patribus, et omnes advenæ fuimus in terra Ægypti, id est, in diabolico errore et doctrina tenebrarum. Ægyptus enim *tenebræ*, vel *obscuritas* interpretatur. Ergo nimis secundum tempus addidit :

Ego Dominus Deus vester. Id est, qui et vos ab errore suscepi, de quo Paulus dixit : *Conclusit Deus omnia sub incredulitate, ut omnibus misereatur* ⁶⁴.

VERS. 35-37. « Nolite facere iniquum aliquid, in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa, et æqua sint pondera. Justus modius, æquusque sextarius. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. Custodite omnia præcepta mea, et universa judicia, et facite ea. Ego Dominus. »

Similis est etiam hæc sanctio præcedentibus, quando post lucrum litterarum ejus etiam spiritum præscrutati fuerimus. Non ergo fieri oportere injustum in judicio, in præcedentibus præcepit, nunc autem nec in mensuris injuste agere, nec in pondere, nec in stateris præcepit : ne forte his ipsis, quæ quasi termini sunt justitiæ, ad injustitiam utamur. Pro terminis enim justitiæ, vendentibus, et ementibus,

A aut alio quolibet modo contrahentibus mensuræ dantur et pondera, quemadmodum leges judicantibus : unde de non faciendo in justum judicio, etiam de non immutandis stateris et ponderibus, sex et de sextario, modiove habendo justo, id est, de omni mensuræ vini aut olei addidit. Ab omni utique injustitia, quæ ergo proximum geritur, tam in majoribus, quam in minoribus præcepit abstinentium, quia quod injustum est, ubique abominabile est : placet autem Deo semper quod justum est. Præterea, quod diviti possessio agri, et domus est, hoc pauperi mensura vini, et tritici, et panis pondus est, et alia ex quibus vitam quotidianam ducit. Sed nec injustum in judicio mentis faciamus, nec mensuras et stateras ejus, quæ naturaliter nobis insita est justitiæ, corrumpamus aliter nostræ, et proximi peccata judicantes, ait enim Dominus : *In quo judicio judicaveritis judicabimini : et in qua mensura mensi fueritis, metietur vobis* ⁶⁵. Quod ipse interpretans, quemadmodum deberet intelligi, subdidit : *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides* ⁶⁶? Sed nec in ponderibus, et stateris et mensuris divinis noceamus, sed justas stateras, et mensuras, et pondera, id est, leges Scripturæ divinæ custodiamus, nullatenus eis stateram, aut pondus superimponentes proprium : et neque hoc quod Pharisæi, patiamur, de quibus in Evangelii Dominus dicebat . *Quare transgredimini mandata Dei, propter traditiones vestras* ⁶⁷? Illum enim ad memoriam nostram, qui hæc locutus est, lex revocans, subdidit :

Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. Custodite omnia præcepta mea, et universa judicia, et facite ea. Septuaginta autem edunt : *Omnem legem meam, et omnia præcepta mea : Ego Dominus*. Duplicant, *Ego Dominus*, ut tu cognosceres, quia qui nos de terra Ægypti sensibilis eduxit, tunc legem dans, ipse nunc de intelligibili Ægypto Evangelium prædicans liberavit. Unde postquam dixit secundum Septuaginta : *Custodite omnem legem meam*, oportebat sufficere, omnia enim lex complectitur, addidit autem : *Et omnia præcepta mea* : non judicia, aut justificationes, aut testimonia, quæ sic appellari per legem Moysi consueverunt, sed *præcepta mea*, evangelica mandata demonstrans, quæ ex auctoritate Dominus præcepit.

CAPUT XX.

VERS. 1-5. « Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : Hæc loquere filiis Israel : Homo de filiis Israel, et de advenis, qui habitant in Israel, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur. Populus terræ lapidabit eum, et ego ponam faciem meam contra illum, succidamque eum de medio populi sui, eo quod dederit de semine suo Moloch, et contaminaverit sanctuarium meum, ac

⁶¹ Hebr. xii, 22, 23. ⁶² Matth. xxiii, 4. ⁶³ Act. xv, 10. ⁶⁴ Rom. xi, 22. ⁶⁵ Matth. vii, 2. ⁶⁶ ibid. 3. ⁶⁷ Matth. xv, 3.

polluerit nomen sanctum meum. Quid si negligens A populus terræ, et quasi parvipendens imperium meum, dimiserit hominem, qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit illum occidere, ponam faciem meam super hominem illum, et cognationem ejus, succidamque ipsum, et omnes qui consenserunt ei, ut fornicarentur cum Moloch de medio populi sui. »

Cujus rei gratia de iisdem his, et ter aliquando lex præcepit, frequenter in præcedentibus diximus, quia propter memoriam legentium hoc faciat. Unde etiam recapitulans mandata nova quædam eis interserit, ut non superflua videatur legum repetitio, et inquisitione novorum, etiam anterioribus studiosius intendamus. Hujus rei gratia actiones quasdam in præteritis prohibens, pœnas earum tacuit, ut quæ sit hæc, vel qualis quærentes, ea quæ inferius sancit, scrutemur: in his enim pœnas inseruit, quas tunc prætermisit. Olim ergo prohibens de semine suo Moloch, sive secundum Septuaginta *Principi* dari. Erat autem hoc idoli cujusdam vel dæmonis nomen, secundum quod Stephanus Amos introduxit dicentem: *Et recepistis tabernaculum Moloch, et sidus Dei vestri Rempham, figuras quas fecistis, ut adoretis eas* ⁶⁹. Nunc ergo idipsum rursus contestans, quibus verbis orsus sit exordia hujus legis audistis.

Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Hæc loquere filiis Israel. Quod Septuaginta ediderunt, et filiis Israel loquere. Non hoc dictum est quasi alii fuissent quibus præcedentia sanxerat, sed ostendens quia hoc personale mandatum propterea contra omnes dilatavit, quia peccatum contra quod comminationem præsentem protulit, tantum aliis execrabilius est, ut alia quidem peccata solos peccantes reos pœnis afficerent, hoc autem et eos qui neglexerunt peccantem, judicemque ei, sed et ultorem, non solum principes populi, sed et totam Synagogam, et populum facit. *Populus* enim, inquit, *terram lapidabit eum.* Nec his contentus addidit:

Et ego ponam faciem meam contra illum, succidamque eum de medio populi sui. Per hoc omnes erigens, et provocans contra eum, qui talia commisit: sed et terrorem indicens, si neglexerint, et non cum studio præceptam pœnam suis in eam exeruerint manibus, utpote in tantum irato Deo, ut ipse aperte prædictam sententiam contra eum ferret, cur autem?

Quia de semine suo dedit Moloch, ut contaminaret sanctuarium meum, et pollueret nomen sanctum meum. Quicumque enim filium aut cognatum, aut discipulum, aut amicum, aut quemcunque de suo semine, vel cognatione, aut doctrina, principi sæculi hujus, qui nunc operatur in filiis dissidentie dederit, vovens eum et consecrans dæmonibus, hic quidem ad sacra dæmonum, alter autem mista virili muliebrique vita, utrumque enim erat paganus

consuetudo, et his qui in errore illorum labebantur, de quibus Deus per Oseam dicit: *Quia isti cum fornicariis corrumpebantur, et cum effeminatis sacrificabant, polluit Dei sancta* ⁶⁹. Quomodo? quia polluit nomen sanctum ejus. Ut enim imaginem Dei percipiens homo sancti, et in sanctis requiescentis, sanctus recte et sanctificatus illi, cujus habet imaginem, dicitur. Contaminat ergo, et polluit nomen ejus, qui ei dedit imaginem, et per hanc ipsum qui sanctificavit, qui et spiritum vitæ ei ex sua gratia insufflavit, quia spiritu malo, et adverso Deo corrumptur, et Dominicam imaginem in dæmonum servitutem redigit, regalemque margaritam a porcis permittit pollui. Idem est et quisquis de cognatione et de doctrina sua avaritiæ offert, et ad avaritiam operibus aut verbis consufacit eum, qui quocunque modo discipulus ejus, vel cognatus est, servum eum dæmonum, devotum idolis sive consecratum militemque maligni principis hujus sæculi efficiens: *Radix enim omnium malorum avaritia* ⁷⁰; *quæ est idolorum servitus* ⁷¹. Dicimus autem hoc ipsum et contra eos qui adulterium docent, suggerentes nefarias actiones, suadentes turpitudinem, polluentes sancta Dei, id est, signatorum Deo corpora, quorum caro templum Dei, et Spiritus sancti est habitaculum. Unde et polluere recte nomen sanctum dicuntur, sive secundum Septuaginta, *sanctificatorum*, quia ex uno, aut duobus, aut pluribus forsitan abominabilibus, omnium sanctorum Dei: qui in eo crediderunt, et fidelium, manifestissime abominabile nomen et contaminatum inter homines efficitur, talia et de cæteris conjicientibus his qui foris sunt, in qualia quosdam viderunt luxuriantes. Propterea eos qui sic mala et abominabilia operibus, aut verbis docent, non unius præcepit, sed omnium puniri manibus: utpote omnium inimicus et adversarius et omnium gloriæ, sicut prædictum est, nocentes.

Quod si negligens populus terræ, et quasi parvipendens imperium meum dimiserit hominem, qui dederit de semine suo Moloch, nec voluerit illum occidere. Id est, si hi, qui enutriti sunt in scientia, neglexerint eum qui talia docet: hæc est enim vera et recta terra, de qua ait David: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* ⁷². Quia malum est maxime tale peccatum non exsequi. Quid est quod sequitur? *Et super cognationem ejus.* Eos qui student videlicet similia, qui cognati sunt propter similitudinem actionis et doctrinæ.

Succidamque ipsum et omnes qui consenserunt ei, ut fornicarentur cum Moloch de medio populi sui. Non solum minatus est punire eos, qui dicunt vel faciunt hoc, et propterea cognatos recte nominatos, sed et consentientes ei, id est concordantes aut concurrentes, aut communicantes operibus eorum infructuosos, sicut Paulus dixit ⁷³. Malum est enim permittere aut consentire etiam eos, qui foris sunt,

⁶⁹ Amos v, 26; Act. vii, 43. ⁷⁰ Osee iv, 14. ⁷¹ I Tim. vi, 10; ⁷² Ephes. v, 5. ⁷³ Psal. cxliii, 10. ⁷⁴ Ephes. v, 11.

fornicari a Deo, et adhærere intelligibili principi : A multo magis autem de medio populi. Hoc est enim totum gregem lupis credere, et omnes oves feris tradere : siquidem de medio populi inimicis rapere permittimus, aut si manum porrigimus rapienti. Qui enim consentit : et tacet accusare eum quem arguere necesse est, vel admonere, vel increpare : hic non fugiet divinum iudicium. Ponit autem faciem suam super eum Deus illam de qua David dicebat : *Vultus autem Domini super facientes mala, ut disperdat de terra memoriam eorum* ⁷⁵. Non solum ergo qui talia faciunt, sed et qui consentiunt facientibus, sicut Romanos Paulus scribens reprehendebat sub pœna ⁷⁶, quæ nunc dicta est a legislatore, efficiuntur.

VERS. 6-8. « Anima quæ declinaverit ad magos et ad ariolos, et fornicata fuerit, cum eis ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi. Sanctificamini, et estote sancti, quia ego Dominus Deus vester. Custodite præcepta mea, et facite ea, ego Dominus qui sanctifico vos. »

Non quaecunque peccatum esse declinare ad magos, sive ut LXX, *ventriquoos*, vel veneficos prædiximus : in utroque enim a Deo receditur, sive sensibiles Pythonicos et veneficos, sive intelligibiles dicas, id est, eos qui nomine Dei falsa prophetant, deceptores, et adulatores, qui veneficis sermonibus auditus multorum corrumpunt, ut a veritate quidem auditus avertant, ad fabulas et errorem convertuntur, et propterea ponere faciem suam iudex, et disperdere eos de populo suo comminatus est. Addidit autem :

Sanctificamini, et estote sancti. Ostendens quia quotquot illos secuti sunt, polluti sunt, et abominabiles, atque immundi, utpote qui abominabilibus verbis, et pravis dogmatibus consenserunt. Insuper addidit :

Custodite præcepta mea et facite ea. Manifestans et per hoc, quod prævaricationem illi præceptorum Dei doceant, sive legem doceant, sive divina se interpretari mandata fingant, et propterea eos, et sequaces eorum aversatur. Sed et brevem conclusionem verbis addidit, dicens :

Ego Dominus, qui sanctifico vos. Id est, cur cum his qui alia contra meam legem, aut meam doctrinam dicunt, corrumpemini? Ego enim sum Dominus, qui vos sanctifico, et nullus hominum, nec si prophetam se esse dicat, nec si quamlibet scientiam promittat, nisi forte, quæ nea sunt dixerit, et a me acceperit, et meus Spiritus in eo operatus fuerit.

VERS. 9. « Qui maledixerit patri suo et matri, morte moriatur. Qui patri matrique maledixerit, sanguis ejus sit super eum. »

Sive ut LXX, *reus est*, ut hoc nomen ad ipsum Deum referatur. Malachias enim dixit : *Nunquid non Deus unus fecit vos? nunquid pater omnium vester* ⁷⁷? Et rursus : *Domine, pater noster es tu,*

A nos vero lutum, et tu factor noster, et opera manuum tuarum omnes nos ⁷⁷. Recte ergo quicumque patri detrahit, sed et matri, morte multatus est. Ingratus est enim naturæ, et benefactores blasphemiat, per quos a Deo esse percipientes, et per quos mediante generati sumus, et injuriat Creatoris organa, ut labores quos patiuntur in nostra generatione taceamus, nam quia maximam pœnam contra hunc, qui hujusmodi est, id est mortem præcepit, ostendens, quia valde recte, et rationabiliter talem se pœnæ scripsisse sententiam, subdit.

Patri matrique maledixit, sanguis ejus erit super eum. Vel sicut LXX, *reus est ad satisfaciendum*, de pœnæ magnitudine mentionem et recapitulationem faciens peccati. Si ergo hæc in eo, qui sensibiles maledixit patres, multo magis qui blasphemiat Christum, ipse enim nos spiritaliter regeneravit. Igitur qui ejus mysterium, et gratiam injuriat baptismatis, non obediens voci Dominicæ : *Si quis non fuerit regeneratus ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum cælorum* ⁷⁸, hic morte morietur pessimæ, alienatus a regno cælorum, et æternæ vitæ detrimentum sustinens, qui et propterea reus est, qui prædicante Domino, et prædicante nihil durum, nec grave, neque quod temporis, et materiæ, aut artis, aut disciplinæ egeret, sed tantummodo mundi cordis, et fidei, iste sponte hoc donum aversatus est.

VERS. 10. « Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum uxore proximi sui, morte moriatur et mœchus et adultera. »

Nec contra hunc dura, sed imo magis nimis justa exstitit lex. Cum liceret enim propriam uxorem habere, corrumpit alterius : cum liceret in castitate nubere, et in sanctificatione propriæ uxori secundum legem misceri, in impudicitiam et corruptionem alterius miscetur uxori, et dissipat filiorum successiones, dubiumque mulieris partum, ad quem pertineat, facit. Sed et postquam dixit, *mœchatus fuerit cum uxore alterius*, addidit :

Et adulteratus fuerit cum uxore proximi sui. Tanquam alter sit ille, alter autem hic quod invenire nullatenus possunt, qui secundum litteram solam legem accipiunt : sed invenient illi qui ad moralem intellectum et contemplationem spiritalem currunt. Quantum ergo sensibile adulterium malum est, tantum est intelligibile deterius. Nam illi carni, hi autem spiritui contumeliam faciunt : et hi homini, illi autem ipsi Deo, de quibus Oseas dixit : *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente in corde suo* ⁷⁹. Adulterium intelligibile accusans : ab omni enim populo Judæorum hoc committetur, corrumpente legem legisque dogmata. Quicumque ergo illius viri, de quo ait Paulus : *Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo* ⁸⁰, mœchatur mulierem, videlicet Ecclesiam, de qua idem ait :

⁷⁵ Psal. xxxiii, 17. ⁷⁶ Rom. 1, 32. ⁷⁷ Malach. 1, 10. ⁷⁸ Isa. lxiv, 8. ⁷⁹ Joan. iii, 5. ⁸⁰ Osce vii, 4. ⁸¹ II Cor. xi, 2.

Viri, diligite, mulieres vestras, sicut, et Christus dilexit Ecclesiam ⁸¹. Et rursus: *Propterea relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Sacramentum autem hoc magnum est. Ego autem dico in Christo et in Ecclesia* ⁸². Mæchatus autem verbis turpibus, disseminans in ea doctrinam propriam, et non Christi, sicut ait Paulus, *turpis lucri gratia* ⁸³, — *morte moriatur et mæchus et adultera*. Id est, qui alienum supereminat verbum, et Ecclesia, quæ in talia patitur seminari. Hanc enim, sicut diximus, uxorem intelligamus. Primum quidem veri conjugis videlicet Christi, deinde et conjugem ejus, cui a Christo credita est Ecclesia sacerdotis, aut forte doctoris. Quotquot enim æmulando Christum, et ad suum odium verbum corrumpunt, circa naufragantes, sicut Hymenæus et Alexander, quos tradidit Paulus Satanæ ⁸⁴, ut discerent non blasphemare, horum adulterium in personam Christi reputatur. Quicumque autem æmulatione hominum, qui regendas Ecclesias sunt sortiti, tale quiddam faciunt, ut eorum doctrinam subruant, quod Paulus Alexandrum fecisse dixit ærarium, ait enim: *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, reddet ei Dominus secundum opera sua, quem et tu devota, multum enim restitit verbis nostris* ⁸⁵. Horum adulterium in proximum reputatur, cum sacerdote videlicet, sive conductore, propter cujus æmulationem, ad talem injustitiam progreditur. Sed et hujus pœna mors est: quia, etsi non specialiter contra Christum, tamen contra hominem contendens, corrumpit Christi opus gregemque dispersit, propter quod socius ejus efficitur pœnæ, quicumque ab eo corrumpi se patitur.

VERS. 11-12. « Qui dormierit cum noverca sua, et revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo, sanguis eorum sit super eos. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur, quia scelus operati sunt, sanguis eorum sit super eos. »

Dicta sunt hæc in hoc Levitici libro a legislatore superius, sed illie quidem: *Non revelabis turpitudinem patris tui et matris, nec sororis, et nurus, et reliquorum per ordinem dixit* ⁸⁶, quando et nos hæc exponentes, non solum turpis cognatorum, et nefariæ commisionis aversationem legem præcipere, sed et de non revelandis, quæ cognovimus, neque diffamandis carnalium, spiritualium, vel cognatorum peccatis dicta esse exposuimus. Hic autem Deus, *si dormierit*, addidit: illum procul dubio deducens ad medium, qui eandem actionem pravam, quam proximum egisse cognovit, nihilominus agit, nec peccati societatem erubescens, etiam sic existit proditor in quo et mortis pœnam legislator recte definivit. Bene autem novercæ nurnum conjunxit, quia hoc quidem in patre a filio

delinquitur, illud autem in filium a patre. Similis autem impietas est filium patris sui denudare, sive diffamare peccatum, cum et ipsi in similibus deliquerint. Ad quos Paulus dicebat: *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas; in quo enim alium judicas, teipsum condemnas, eadem enim agis, et judicas* ⁸⁷.

VERS. 13. « Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur: sit sanguis eorum super eos. »

Quia injuria naturæ est hoc peccatum, ostendit tam novitas ejus, quam facinus. Ergo non frustra pœnam in illo mortis lex decernit. Nos autem hujusmodi et auditu aversamur. Caveamus autem et eum qui fortis est anima, atque ideo appellatur masculus, vir enim ubique in divina Scriptura perfectus virtutibus nominatur, unde et Paulus ait: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in personam ætatis plenitudinis Christi* ⁸⁸. Caveamus ergo verbis incongruis effeminare, vel actionibus, et dissolvere hujus animæ virtutem, dum cum eo videlicet et nos dissolvamur. Utriusque enim, sicut cernis, pœna mors est.

VERS. 14. « Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est, vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. »

Nimis recte sic sævam pœnam huic minatus est delicto, eos enim qui ex matre geniti sunt, ab his qui a filia geniti sunt, cum unus sit pater, incertum est utrum fratres, an avunculos oporteat appellari. Nam cum pater unus sit, fratres eos cogit æstimari. Ex duabus autem parientibus cum una sit mater, alia filia, avunculos hos, qui matre sunt geniti, ab his qui nati sunt de filia, compellit necessitas appellari: et hoc quidem valde secundum litteram custoditur, et cavetur hujusmodi incerta commistio, generisque confusio. Quia omnis peccati mater concupiscentia est, oportet et hoc præcaveri, ut si qua nobis peccati concupiscentia sit, usque ad hanc stemus, et non ei jungamus actionem. Qui autem conjungit, in igne succenditur, non solum autem ipse, sed et desiderium peccati, insuper et actio ipsa. Quo igne? de quo dixit Christus: *Ignem veni mittere in terra, et volo ut accendatur* ⁸⁹, id est administrationem spiritus, qui ipsos peccatores de medio auferet, eorumque peccata. *Si enim spiritu*, ait Paulus, *facta carnis mortificetis, vivetis* ⁹⁰.

VERS. 15, 16. « Qui cum jumento, et peiore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidetur. Et mulier, quæ succubuerit jumento, simul interficietur cum eo. Sanguis eorum super eos. »

Nimia contra populum Judæorum legislator utilis restrictione, quia in tantum iniqui, atque libidini dediti erant, ut ad exterius etiam concupiscen-

⁸¹ Coloss. iii, 19. ⁸² Ephes. v, 31-32. ⁸³ Tit. i, 11. ⁸⁴ I Tim. i, 20; ⁸⁵ II Tim. iv, 14, 15
⁸⁶ Levit. xviii, 7 seqq. ⁸⁷ Rom. ii, 1. ⁸⁸ Ephes. iv, 13. ⁸⁹ Luc. xii, 49. ⁹⁰ Rom. viii, 13.

tias aberrarent, et propterea cum quadrupedibus A viri, mulierisque commisionis mentionem faciens, mortis esse hujusmodi pœnam demonstravit. Tu autem, forsitan superfluum esse fidelibus hanc legem judicabis; neque enim, inquis, egent hujusmodi jure censer. Non autem est superflua, sed nimis ejus nos juvare spiritalis potest contemplatio: si quadrupedia, voluptates pravas, et deorsum terram contuentes intelligamus: utpote omni humana carentes actione: et propterea appellatas quadrupedia, quia quadrupedia manus, sicut homines, non habent, atque ideo maxima nostra cognatione carent. Quicumque ergo vir, aut mulier ad alienigenas voluptates in tantum incumbit, ut ne quidem per desidiam ab eis capiatur, sed imo valde eis cohæreat, et cum eis coeat, ut commisionem cum eis diuturnam et perseverantem habeat, reus est is, qui talis est, morti. Illic est enim nefariarum libidinum finis, qui operantibus eas punitis, recte ipsi etiam mori dicuntur. Neque enim per se subsistentes, quia nulla est peccati substantia in peccatoribus, operantur, quibus tamen perditis, et ipsæ simul pereunt.

VERS. 17. « Qui acceperit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ, et viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt: occidentur in conspectu populi, eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverint et portabunt iniquitatem suam. »

Tolerabile esse hoc, a multis putabatur, sororibus filix patris, vel filix matris misceri, quia et Abraham de Sara dicebat: *Soror mea est ex patre, et non ex matre* ⁹⁰. Quod quidem non omnimodo sic est, sicut habere putatur historia: nam eos, qui ex Thare patre Abraham geniti sunt, Moyses narrans, nusquam Saræ mentionem fecit, quod si et sorori suæ Abraham nupsit, ante tamen quam cognosceret Deum. Malum est ergo sororibus conjugii societate misceri, unde et illud lex prohibuit. Cum ergo hæc sic se habeant, nullatenus a prædicta contemplatione recedamus. Turpitudinem autem sororis ex patre, aut ex matre, revera illum intellige videre, et accipere, qui turpem actionem a patre aut matre, id est, in qua pater aut mater deliquit, non solum videt, sed et accipit, per similem et parem actionem: et nefarius est hic: non solum perscrutans, quæ non oportuit, sed et superædificans, et conjungens se perpetrata a parentibus pravitati. Quæ soror ejus, quasi pravi pravitas appellatur. Sed et ut qui diffamavit eam, et disseminavit, latentia enim plurimum parentum peccata diffamant filii, quando agunt similia. Unde hunc qui talis est, disperdi in conspectu populi, vel, sicut LXX, in conspectu filiorum generis sui, id est videntibus similia cogitantibus, præcepit: hi enim filii generis ejus recte dicuntur. Cur autem in con-

spectu horum? Ut unius pœna cæteri pudicitiam discant. Interempto autem peccatore, et peccatum simul interit, quemadmodum semel in præcedentibus diximus.

VERS. 18. « Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, et revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui interficientur ambo de medio populi sui. »

A menstrua abstinere legislator non frustra præcepit, sed hominem suadens ad pudicitiam castitatisque cum diligentiam habere, ex qua sanctificatio provenit, nolens et in modo porcorum continue mulieribus misceri, et ad communem corruptionem vacare, sed ex coacta abstinencia usum facere ad continentiam. Sed quemadmodum disperdi eos de populo suo præcepit, cum purgationem ei, qui dormivit cum menstruata, superius indixisset, dixit enim: *Si coierit cum ea vir tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus* ⁹¹. Deinde per hæc, purgationem sacrificia narrans subdidit: *Ista est lex ejus qui fluxum seminis patitur, et qui polluitur, et quæ sanguinis fluxum patitur in menstruis suis, et influxum seminis patiente in fluxu suo masculo et femina* ⁹². Et viro, si dormierit cum menstruata, sic purgari et hunc, sicut et alios non puniri vult. Ergo contemnemur menstruatam gentilium sapientiam, longe enim a Deo est, sed et de volatu avium, cursu siderum et mensuris cæli dicens atque docens. Cum hac ergo pessimum est dormire, id est delectari in ea, et diu coire, sed et revelare, et palam proferre, turpitudinem ejus, tradendo eas, quæ apud eam sunt, teletas et errores quos habet, et fontem totius erroris exponentem: quia his publicatis, revelat et ipsa fluxum sanguinis sui, id est ea quæ sunt de sacrificiis idolorum subintroducens: propter quod non simpliciter dixit, interficientur, sed addidit:

De medio populi sui. Vel, secundum LXX, *ex genere suo.* Quia qui sapientiam tradit gentilium, quæ prævaricatur errorem nostrum, et scientiam ejus, et pietatem, non est justum jam ut nominetur homo: sed et imagine Dei semetipsam, ignorando Creatorem, privavit; et ideo interficitur de medio populo, sive de genere suo, ut non jam sapientia nominetur, sed careat quod habuit falso nomine atque ficto, teste Paulo, qui ait: *Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum* ⁹³.

VERS. 19. « Turpitudinem materteræ et amitæ tuæ non discooperies: qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudavit; portabunt ambo iniquitatem suam. »

Nec sororibus præcepit eorum qui nos genuerunt, commisceri, tam propter generationes, ut non confundantur, quam ut competentem reverentiam parentibus conservemus, propter eos et a sororibus eorum abstinentes: quod similiter et secundum spiritum intelligas, ut non solum ve-

⁹⁰ Gen. xx, 12. ⁹¹ Levit. xv, 24. ⁹² ibid. 52, 53.

⁹³ I Cor. iii, 19.

lentur parentum peccata silentio, et tradantur oblivioni, sed et eorum, qui eis sociati sunt, unde et eorum fratres esse dicuntur. Sileamus autem illorum peccata, quia nudatis illis, latere nec parentes possunt, unde ait :

Ignominiam carnis suæ nudavit. Qui autem hoc faciunt, cui pœnæ submittuntur? Portabunt ambo, inquit, iniquitatem suam. LXX autem addunt, *sine filiis morientur.* Quia qui non invicem sua pondera portant, sed diffamant atque disseminant cognatorum, tam secundum carnem quam secundum spiritum peccata, sine virtutibus moriuntur, quæ est pessima sterilitas. Filii etenim nos tempore iudicii non juvant, virtutes autem juvant, quarum causa videlicet coronamur, quarum sterilitate animam ægrotare miserrimum est. Ornari autem huiusmodi filiorum generatione, beatitudini est. Et hoc est cum Isaia dicere. *A facie tua, Domine, concepimus, et quasi parturivimus et peperimus spiritum salutis, justitiam non fecimus in terra*⁹⁵. Et hæc intelligis, et quæ subsequuntur :

VERS. 20, 21. « Qui coierit cum uxore patris, vel avunculi sui, et revelaverit ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatum suum, absque liberis morientur. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem fecit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit, absque filiis erunt. »

Ostendit ergo legislator quia maxime filiorum causa a Creatore societate percipit naturam conjungi, ea quippe quæ nunc tanquam abominabilia incongruaque prohibuit. Est enim revera incongruum, et jumentorum vite proximum uxoris fratrum, cognatorum, vicinorum videlicet commisceri : et hæc in alia parte legis, id est, in libro Deuteronomii, non solum præcepit, sed etiam compulit, dicens : *Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui*⁹⁶. Et his similia. Cum autem frater non fuerit, aut avunculum, aut eum qualiter est ex patris cognatione, ducere mulierem defuncti sine filiis præcepit, quemadmodum et Booz Ruth secundum legem cognationis accepit⁹⁷. Sic libidinis quidem causa fugit cognatorum commistionem, societatemque prohibet. Quando autem rursus oportet tribulationibus sublevare vel casibus, præcepit et vult : et nuptias non in pollutione corruptionis, sed ad successionem generis hominibus præcepit, propter quod et eum qui sic miscetur, sine filiis mori præcepit ; ait enim, *absque filiis erunt* : quia filiorum procreationis legem, male utendo, confundit. Quid ergo est mori sine filiis ? nec enim hac lege quærere maxime necessarium est, utrum filios eorum qui uxoris fratrum avunculorumque nupserunt, interimi præceperit, et quomodo ait : *Non morientur patres pro filiis, nec filii pro patribus*⁹⁷ ? Sed nullatenus eos

A mori præcepit, sine filiis autem illos mori dicit, secundum LXX duntaxat interpretum editionem, ut non reputetur eis filiorum successio, nec filiis suam relinquunt hæreditatem. Hoc autem ostendit etiam Symmachus edens planius, sed et Theodotion, qui pro eo quod dictum est, *sine filiis morientur*, — *sine filiis erunt*, uterque ediderunt. Unde et spiritali interpretationem et resolutionem similem habet superioribus.

VERS. 22. « Custodite leges meas, atque judicia, et facite ea, ne et vos evomat terra quam intraturi estis et habituri. »

Non nobis sufficit partem quamdam conservare legis, nec unum aliudve mandatum ad correctionem vitæ peragere, sed omnia præcepta et judicia custodire necesse habemus, quæcumque a Deo iussus legislator scripsit. Hæc enim dicit præcepta, vel de quibus ipse dubitans inquirebat Deum, et illo didicit iudicante, sicut in filios Israelitidis mulieris, qui locutus est blasphemiam : leges enim quæ ita prolatae sunt, iudicia nominat. Per hæc autem totam hanc legem breviter significavit, de qua nihil oportet transgredi, ut non ejiciatur, id est projiciatur prævaricator. Hoc est enim evomere, quod et Symmachus, similiter et Theodotion abjicere edidit. Evomi autem, unde ? De terra videlicet, in qua nos Deus introduci promittit : quæ sit autem hæc, ex subsequenti discere.

VERS. 23, 24. « Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt et abominatus sum eos. Vobis enim loquor, possidete terram eorum, quam dabo vobis in hæreditatem : terram fluentem lacte et melle. Ego Dominus Deus vester, qui separavi vos a cæteris populis. »

Non solum ad Judæos hæc dicta sunt qui ab omnibus gentibus propter circumcisionem et Moysi legem separatos se esse credunt, sed et ad omnes qui accedunt servire Deo : hos enim ambulare maxime in gentium legitima non licet : gentium autem sine nationum, quarum ? Quas ego expulsurus sum, ait, ante vos : quod cæteri interpretum ediderunt, *quas ejicio ego a facie vestra*. LXX autem, *a vobis*, id est dæmonia. Hæc enim a facie fidelium expulit dominantia eis, prius cum in impietate persistenter, et nec unus uni, sed multi uni dominabantur. Quod probat Maria Magdalene, de qua septem ejecit dæmonia, et qui vincus erat catenis ; dicit enim ei : *Legio nomen est mihi, quia multi sumus*⁹⁸. Hæc ergo quæ lex prohibuit, ab aliis commissa sunt, aut ipsi per se agentibus, aut in hominibus operantibus : propter quos eos Deus abominatus est, et nos in hæreditatem illorum introduxit in terram fluentem lac et mel. Non dixit, habentem, ut de hac sensibili terra accipias, quod dictum est, sed *fluentem*. Quæ est autem terra quæ lac et mel fluat ? Delicias igitur dicit futuri sæculi, et bona

⁹⁵ Isa. xxvi, 18. ⁹⁶ Deut. xxv, 5. ⁹⁷ Ruth. iii, 1 seqq. ⁹⁸ Deut. xxiv, 16. ⁹⁹ Marc. v, 9.

quæ nobis Deus post resurrectionem mortuorum donat; quæ lac et mel appellavit, quia eo nihil est suavius in his quibus nunc utimur cibis, neque dulcius. Sed et sine labore eorum, cibus est nullius operationis vel præparationis egens: illic enim bona futura sæculi sine labore erunt aliquo vel dolore, nullius studii, nullius apparatus, nullius operationis egentia. Et quis nobis hæc det, aperte sequentia verba legislatoris ostendunt.

Ego Dominus Deus vester, qui separavi vos a cæteris populis. Hoc autem Christus fecit: ipse enim in Evangeliiis ab omnibus gentibus non solum intelligibilibus, sed sensibilibus, distinguit eos qui in eum credunt; ait enim: *Ne cogitatis, dicentes: Quid comedemus? aut quid bibemus? aut quo vestiemur? hæc autem omnia gentes inquirunt*⁹⁹. Ergo aperte nos separatos esse a gentibus vult, sublimiorem sectando conversationem.

VERS. 25, 26. « Separate ergo et vos jumentum mundum ab immundo, avem mundam ab immunda. Ne polluatis animas vestras in perore, et in avibus, et cunctis quæ moventur in terra, et quæ vobis ostendi esse polluta. Eritis sancti mihi, quia sanctus sum ego Dominus et separavi vos a populis, ut essetis mei. »

Jumenta, sive pecora, quia populares homines intelligat lex; volatilia autem contemplatores, qui ad sublimitatem vacant scientiæ, aperte a nobis, et cum quibus oportebat Scripturarum probationibus, ostensum est, cum de sacrificiis et cibis quadrupedum volatiliumque diceremus, quia omnis popularis mundus propter simplicitatem a pluribus judicatur, similiterque et qui ad scientiam divinam semetipsos tradere atque occupare videntur. Quod non ita se habet: oportet enim popularem prudentem esse in bono; in malo autem, sicut ait Paulus¹, simplicem. Ille enim qui talis est, mundus est; qui autem talis non est, immundus est. Sed et qui contemplandis divinis vacat, necessarium habet mundum cor, mundamque conscientiam, et fidem non fictam. Qui autem hæc non habent, in vaniloquia convertuntur, non intelligentes neque de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant, sicut ad Timotheum scriptum est². Necessarie ergo et horum illorumque mundos separari præcepit atque immundos, ut ab his abstinemus, illis commisceamur. Sed multam sapientiam suam etiam nunc legislator ostendit, de quadrupedibus quidem et volatilibus ita distinguens, in reptilibus autem terræ non ita, cuncta enim quæ moventur in terra, immunda sunt: Qui terrena videlicet sapit, cuius Deus venter est, qui veneno pascitur constitutum in pulvere voluptatum. De ipsis siquidem, sicut cernis, indistincte narrat, dicens:

Et cunctis quæ moventur in terra, et quæ vobis ostendi esse polluta. Ergo omnes qui terrenis pa-

scuntur actionibus, etsi fidelium fingant habitum, ut immundi separati sunt, et inter immunda distincti sunt, a quorum nos omnimodo malis abstinere desiderat propter quod addidit:

Eritis sancti mihi, quia ego sanctus sum Dominus. Qui forma vobis conversationis effectus sum, qui tantum aversatus sum terrena, ut nec haberem quo reclinarem caput, qui etiam meis discipulis mandavi: *Non possideatis aurum neque argentum, neque æs in zonis vestris, non peram in via, nec duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*³. In tantum ergo eorum quæ in terra repunt, nihil eos sapere aut agere studet.

VERS. 27. « Vir, sive mulier, in quibus Pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos. Sanguis eorum sit super illos. »

Hoc ipsum Pythonicum esse, vel divinum, sive, ut LXX, *incantatorem*, nimis iniquitatis est: qui enim talis est, et ipse corruptus est, et alios procul dubio in sua iniquitate corrumpit. Unde præcepit lapidibus eum obrui, quia nec sensibile quid agimus, sed fabulas de corde, veluti superfluos et vanos sermones, vel quedam quasi incantantia blandimenta, incongruis doctrinarum sermonibus studemus, ut popularium, sive simplicium seducamus auditus, ad nutriendos ventres nostros, atque explere nostras voluptates alias talibus exquisitiōnibus cupientes. Aperte enim intelligibiles Pythonicos et pravos incantatores Romanis scribens Paulus vas electionis expressit: *Rogamus autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones inter vos et offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab eis*⁴. Qui autem sint hi, in subsequentibus explanavit: *Hi enim Domino nostro Christo non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones, et benedictiones, seducunt corda innocentium*⁵. Ergo bene eis legislator dixit:

Sanguis eorum sit super eos. Quia vi corrumpunt populum.

CAPUT XXI.

VERS. 1-4. « Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere ad sacerdotes, filios Aaron, et dices ad eos. Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum, nisi tantum in consanguineis aut propinquis; id est, super patre, ac matre, et filio, et filia, fratre quoque et sorore virgine, quæ non est nupta viro: sed nec in principe populi sui contaminabitur. »

LXX autem, *Non polluetur ex subito in populo suo, ad profanationem suam.* Littera quidem a mortuorum pollutionibus fugere sacerdotes præcepit, sed non hæc est legis intentio, neque de hoc legislator proposuit, sed aliquid majus intellexit, et quod nimis de sacerdotibus necessarie diceretur: quia enim ipsos inspicere, quando negligunt populi

⁹⁹ Matth. vi, 31. ¹ Rom. xvi, 19. ² 1 Tim. i, 6, 7. ³ Matth. x, 9; Luc. ix, 3. ⁴ Rom. xvi, 17. ⁵ ibid.

peccata, dicitur, secundum quod in Osee scriptum est: *Peccata populi mei comedunt, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum*⁶. Non quidem omnia, quæcunque populus peccat, ipsis oportet imputari, sed intendenda est illa ab Ezechiele propheta dicta divisio: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me: si dicente me ad impium, Morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti*⁷. Hoc autem apertius, sed et subtilius in præsentis legislator exposuit:

In mortibus, inquit, non contaminentur inter cives suos. In quibus? In peccantibus videlicet, qui pollutione complentur, et aliis quidem secundum quosdam modos pollutionis auctores sunt, maxime tamen sacerdotibus et doctoribus, quando eos neglexerint. Verumtamen in his, ait, non contaminatur in mortibus civium suorum, id est, quando nihil inventi fuerint, quod eis expediebat, omisisse, sed ipsi quidem quod ad se pertinuit fecisse, et Dei legem prædicasse: illi autem nolentes obedire, mortem sibi met conducterunt inobedientiæ. Non ergo in his qui præsentis polluuntur, sed in propinquo et proximo suo, in patre et in matre, in filiis et. filiabus, in fratre et sorore virgine, quæ non est nupta viro. Oportet enim sacerdotem diligentiam adhibere et populo ut non peccet, sed præcipue domui suæ et cognatis; propter quod Paulus ait: *Hæc præcipue, ut irreprehensibiles sint. Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*⁸. Et rursus: *Si autem quis suæ domui præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei curam habebit*⁹? In filio, et filia, et fratre, et sorore virgine, videlicet peccantibus, necessarie sacerdos polluitur: utpote qui debet quotidie, sed et omni hora, ea quæ ad salutem pertinent eos instruere, et vigilare circa eos, ut non peccent talia quæ morte sunt digna. Hoc autem ipsum in patre et in matre intelligendum est. Filium quippe doctorem patris matrisque sacerdotalis dignitas facit. Dicens quidem sororem, quæ non est nupta viro, ostendit per hanc, quia, si cognati sacerdotes semetipsos separaverint, et domus quodammodo alia semetipsos separantes facti fuerint, nullam patiuntur in peccantibus his pollutionem. Quandiu autem eis adhærent, propinquitatis et cognationis legem custodientibus, contaminationis eorum recte participes efficiuntur, quia nec ignorare eorum peccata, utpote cohabitantium, possunt, quod eis et contaminationis causam parit. Unde ergo dicens quod in his contaminarentur

A subsequenter addidit, secundum LXX, *non polluitur subito in populo suo, ad profanationem suam.* Quid per hoc ostendens, nisi quia polluitur quidem et in populo peccante sacerdos, sed non subito? Quæ autem accedunt in extraneis culpæ, hæc non illico sacerdotem contaminant, sed quando ipsi quidem permanserint in peccatis, sacerdotes autem eos curare neglexerint. Insuper subito quispiam peccans de populo, venia dignum sacerdotem, utpote ignorantem, facit; tempore autem longo præparatum peccatum committens, locum ei veniæ non reliquit: oportebat enim sacerdotem non ignorare, si tamen diligenter populo præsedisset, essetque sollicitus quomodo hic, quomodo ille se haberet, utrum starent an nutarent, ut nutantes fulciret. Hi enim qui subito cadunt, eos qui præsentis sine culpa faciunt, quemadmodum procella gubernantes, ex improvise superveniens. Et propterea non dixit sacerdotem subito in populo pollui ad profanationem suam. Non frustra autem addidit *profanationem*, sed illud per hoc verbum innuens: quia quando sacerdos polluitur, secundum prædictam causam, populi peccati videlicet, negligens et non agens quæ modis omnibus sacerdotem oportebat, profanus, id est nudus sacerdotii dignitate invenitur unus et ipse de multis: profani enim hi qui non sunt sanctificati dicuntur, et multum recte, quia ea quæ sunt sacerdotis non legerunt.

Vers. 5. « Non radent caput, nec barbam, necque in carnibus suis facient incisuras. »

Vinci a sacerdotibus etiam tristitiam quæ de morte solet accedere, lex recte præcipit, utpote qui et ipsi spem vitæ futuræ habent et populum docent. Sed extra hæc non solum in propriis peccatis vigilare eos et mentes habere sanas, sed etiam in alienis, in his quæ nunc dicta sunt, evidenter præcipit: quomodo autem, disce. Caput et barba sapientiæ est et perfectionis nostræ signum: propter quod caput nostrum appellatur Christus, in quo sapere habemus maxima quæque atque perfecta, teste Paulo, qui dicit: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, et mensuram ætatis plenitudinis Christi*¹⁰. Recte autem et barba significat perfectionem sapientiæ, alterum autem intelligentiam, quia in his qui ad juvenilem venerunt ætatem, jam quæ sunt utilia scire valentibus barba nascitur. Quoniam ergo mortuos peccatores non solum Dominus, sed et Paulus appellat, cum dicit: *Et cum essemus mortui peccatis nostris, convivificavit nos Christo*¹¹. Non oportet sacerdotis maxime caput aut barba radi super mortuum, id est super peccatorem. Neque enim oportet cogitationes, quæ sicut capilli ornatus sunt capitis, et ipsæ ornatus sunt nostræ sapientiæ, quando tamen sunt ordinatæ atque sobriæ, sacerdotem corrumpere alio peccante, sed conservare integras, ut possit exhortari, obsecrare, arguere, incre-

⁶ Osee iv, 8. ⁷ Ezech. iii, 17-19. ⁸ I Tim. v, 7.

⁹ I Tim. iii, 5.

¹⁰ Ephes. iv, 13.

¹¹ Ephes. ii, 5.

pare, secundum quod Paulus ad Timotheum scripsit. *Argue, increpa, obsecra in omni patientia et doctrina*¹². Quomodo autem hoc fiat, subdidit: *Tu autem vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ*¹³. Ergo sacerdos qui non exhortatur et arguit peccantem, non vigilat; qui autem non vigilat, radere caput et barbani secundum virtutem prædictorum recte dicitur. Sed neque facere in carne sua concisiones super mortuo sacerdotem decet, id est non scandalizari in peccatore, nec offendere peccante aliquo, neque carnalem ex hoc sumere sapientiam, ad illicitatem similis iniquitatis. Incisura enim sapientia carnis est: quod de Judæis, qui carnaliter vivunt et sapiunt terrena, ait Paulus: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem*¹⁴.

VERS. 6. « Sancti erunt Deo suo et non polluent nomen ejus. Incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt; et ideo sancti erunt. »

Quomodo polluant sacerdotes nomen Dei, Malachias propheta exposuit: *Vos sacerdotes, qui polluitis nomen meum, et dixistis: In quo polluimus te? offeritis super altare meum panem pollutum*¹⁵. Et his similia addens subdidit: *Propter quod si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est, et si offeratis: claudum et languidum, nonne malum est*¹⁶? Et rursus: *Magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus, vos autem polluistis illud in eo quod dicitis, Mensa Domini deserta est*¹⁷. Ergo in peccato sacrificiorum Dei nomen polluent sacerdotes. Unde cum legislator dixisset: *Non polluent nomen ejus, non frustra addidit, Incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt. Vel sicut LXX, Quia ipsi offerunt sacrificia Dei; quæ non tantum de irrationabilibus bestiis, quantum de rationalibus præcipere legislatorem et prophetam putes. Pollutam enim dicit et ostendit Domini mensam sacerdos ille qui ab ea eos qui iniquitate peccati polluti sunt, non præcipit abstinere, sed indiscrete terribilia permittit et sancta contingi; de quibus ait Paulus: Qui non discernit corpus, judicium sibi manducat et bibit*¹⁸. Offeret autem et claudum ad altare, qui infidelem ad ministerium provehit; sic enim infideles Elias Thesbitis appellavit, quando Judæis dicebat: *Usquequo claudicatis in utramque partem*¹⁹? Cæcum et surdum provehit, qui inobedientiæ vel ignorantia Dei morbo laborantem producit; de quibus Isaias Deum suum introduxit dicentem: *Surdi, audite, et cæci, intelligite. Quis cæcus, nisi Servus meus? et quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi*²⁰? Quando ergo hos qui tales sunt, offerre ad altare et suscipere mysticum ministerium sacerdos proposuerit, nonne polluit nomen Dei sui? neque enim erit ei hoc sine maledicto et detractioe, utpote qui ministrare Deo malos præcipit. Sed et ipse sanctus erit, ab his se continens; quod ostendit Paulus dicens: *Manus cito nemini imposueris,*

*A neque communicaveris peccatis alienis: temetipsum castum custodi*²¹. Ergo causa castitatis et sanctificationis est sacerdoti, in nullo prædictorum misceri.

VERS. 7-8. « Scortum et vile prostibulum non ducet uxorem, nec eam quæ repudiata est a marito, quia consecratus est Deo suo, et panes propositionis offeret. Sit ergo sanctus, quia et ego sanctus sum Dominus, qui sanctifico vos. »

Mirabilis est præsens sanctio in LXX translatione, quia idem mandatum in personam multorum, et rursus in medio proferens, advocavit; Et manifestum procul dubio ex hoc est, quod de multitudine quidem sacerdotum præcepit, in unum autem omnium sanctificationem deduxit, aiunt enim: *Mulierem meretricem et profanam non accipient, et paulo post, Sanctus erit; et rursus, Sanctificabo eum, quasi de illis dicit qui unius, id est illius qui secundum ordinem Melchisedech ministrantis officium susceperunt: illum enim et ipsa textus verba sine difficultate significant, sicut extra nostram translationem etiam cæteri interpretum ostenderunt. Etenim, quod LXX dixerunt, *Dona Domini Dei vestri ipse offeret, illi ediderunt: Quia panes Dei tui ipse offeret. Nullo modo autem ignoras quia Melchisedech oblationem et sacerdotium in panibus possidebat. Propter quod et Abraham panes gerens et vinum, quæ erant signa ejus sacerdotii, occurrit: gerebat enim imaginem Christi, de quo David patrem exhibuit in prophetia dicentem: Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*²². Cujus et nunc legislator hic dignitatem non solum panum memoriam faciens ostendit: sed et subsequencia verba, si eorum subtilius ordinem attendamus, hoc evidenter innuunt, quia sacerdotum sanctificatio ad Christum tendit, non solum quia ab eo sacerdotii legem et modum acceperunt, sed quia sacrificiorum quæ ab eis offeruntur, atque oblationum, ipse apud patrem mediator est. Et propterea ait:*

Incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt. Sive secundum LXX: Dona Domini vestri ipse offeret. Cur autem addidit: Sit ergo sanctus, quia et ego sum sanctus Dominus, qui sanctifico vos? Non dixit, Qui sanctifico te, ne forte existimes illum sanctificari qui dona ad Patrem, ut mediator offeret, sed sanctificans vos, videlicet qui in ejus figuram sacerdotes Ecclesiæ constituti sunt. Quid ergo necesse erat sic verba connecti, aut quam omnino habet consequentiam talium prolatio verborum in translatione LXX: Sanctus erit, quia sanctus sum, ego Dominus qui sanctifico vos? Superius enim sanctificationis ei testimonium præbitum est, sicut prædicti ediderunt, dicentes: Quia sanctus est Domino Deo suo. Quomodo ergo rursus inferet, Et sanctificabis eum? Dona enim Domini Dei vestri ipse offeret. Trila ergo hæc per ea quæ dicta sunt ostendit, id est quia Christus

¹² II Tim. iv, 2. ¹³ ibid. 5. ¹⁴ Philipp. iii, 2. ¹⁵ Malach. i, 7. ¹⁶ ibid. 8. ¹⁷ ibid. 11. ¹⁸ I Cor. xi, 29. ¹⁹ III Reg. xviii, 21. ²⁰ Isa. xli, 18, 19. ²¹ I Tim. v, 22. ²² Psal. cix, 4.

secundum quod est Deus, et sanctus est, a semet-
ipso sanctificationem habens, sed et nos sanctificamus;
de quo dixit Paulus : *Qui sanctificat et qui sanctifi-
cantur, ex uno omnes* ²⁰. Sed ille quidem a Deo
unum solum Filius, sed et Dei natura, nos autem
gratia ; propter quod ille quidem sanctificat, nos
autem sanctificamur ; secundum autem quod incarnari
ei placuit, et non solum sacrificium, sed et pontifex
fieri, secundum hoc Patrem, et Dominum, et Deum
habere dicitur, sicut ipse ad Mariam Magdalenam
dixit : *Vade ad fratres meos et dic eis : Ascendo ad
Patrem meum, et Patrem vestrum, ad Deum meum et
Deum vestrum* ²¹, et propterea ait :

Quia sanctus est Domino Deo suo. Sanctus est sicut
Deus, Domino autem Deo ejus ut homo.

*Propter quod et sanctificabis eum, dona enim Do-
mini Dei vestri ipse offeret.* Sed et quia in ejus figura
qui ab eo constituitur sacerdotes ministrant, in ipsis
et ab ipsis sanctificari dicitur, et propterea cum
semel dixisset, *Sanctus est*, addidit tamen *Sanctifi-
cabis eum*, et rursus, *Sanctus erit*. Quomodo autem
nos eum sanctificare possumus ? Unde aut a quo
sanctificationem habentes, ostendens addidit :

Quia sanctus ego sum Dominus sanctificans eos.
Si ergo a Deo datam nobis sanctificationem nos
sacerdotes custodiamus, sanctificamus per nostram
sanctificationem eum qui sanctus secundum natu-
ram est, in nobis duntaxat, quia in conformibus et
participibus ejus gloriæ voluit sanctificari, hac
transformatione usus est, quasi figurate et typice
loquens. Ve: untamen eos qui sanctificantur ab eo,
scortum et vile prostibulum ducere non vult, aperte
contra Judæorum Synagogam intendens : quæ quia
meretrix est, audi Dominum in Isaia dicentem :
*Quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion plena
judicii? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ* ²².
Sed et in Osea : *Et auferam fornicationem ejus in
medio ejus, et adulterium ejus de medio uberum
ejus* ²³. Insuper et David prædicat profanationem
hujus ; ait enim Deo [de eo] : *Profanasti in terra
sanctitatem ejus, destruxisti omnes macerias ejus* ²⁴.
Sanctificatio autem Judæorum, Synagoga eorum
erat porcul dubio : in ipsa enim erat et sacrificium
tabernaculi, in qua eorum consummabantur legitima.
Ipsa est et repudiata a Deo, tanquam a viro
suo, qui ei per electionem vir factus fuerat. Sed
quia postea eam culpabilem reperit, propterea re-
pudiavit, quia omnino ejecta est. Vocem audi, quam
Osee protulit : *Judicate matrem vestram, judicate,
quia ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus* ²⁵. Audi
autem et quam Isaïas propheta tradidit : *Sic dicit
Dominus : Quis est hic libellus repudii matris vestræ
quo dimisi eam* ²⁶? Ubi autem est repudium et mis-
sio? manifestum est quia uxor erat de qua hæc di-
cebat. Non vult ergo eam uxorem sacerdotem du-
cere, ut non aliqua eorum quæ ad eam pertinent

A legitimorum prædicet, nec utatur eis quibus illa se-
cundum litteram utebatur : id est, ut neque sacri-
ficia irrationalium, et purificationes sensibiles, in
quibus intelligibilia credita sunt, agant.

VERS. 9. « Sacerdotis filia si deprehensa fuerit
in stupro, et violaverit nomen patris sui, flammis
exuretur. »

Grave est quidem etiam cuilibet viro fornicari fi-
liam, maxime tamen sacerdotis, quia secundum
quod dixit Paulus : *Oportet sacerdotes filios habere
subditos cum omni castitate* ²⁷, ita ut non dicatur
de eo quod sequitur : *Si quis suæ domui præesse
nescit, quomodo Ecclesiæ Dei curam habebit* ²⁸? Pro-
pterea Judæorum Synagoga non solum uxor, sed et
filia Dei appellata in prophetis invenitur. Sed utrum-
que ipsa depravans, indigna donis apparuit, et
propterea aliena facta est ; ita ut Deus per Isaïam
diceret : *Relinquetur filia Sion sicut umbraculum in
vineâ, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civi-
tas quæ vastatur* ²⁹. Ipsa profanata et adulterata est.
De hac invenies Dominum per prophetiam in Osea
dicentem : *Filiis ejus non miserebor, quia filii forni-
cationis sunt, quia fornicata est mater eorum* ³⁰; nam
et igne exusta est. Quod manifestat templum, et
civitas hæc Jerusalem antiqua, adhuc ostendens in-
cendii reliquias. Ergo vera et irrefragabilis est spi-
ritalis legis contemplatio : neque enim solum
succensa est, sed secundum quod ait lex funditus
exusta est.

C VERS. 10-12. « Pontifex, id est sacerdos maximus
inter fratres suos, super cujus caput fustum est
unctionis oleum, et cujus manus in sacerdotio con-
secratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput
suum non discooperit, vestimenta sua non scindet,
et ad omne mortuum non ingrediatur omnino. Su-
per patre quoque suo, aut matre non contaminabi-
tur, nec egredietur de sanctis, ne polluat sanctua-
rium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui
super eum est. Ego Dominus. »

Quis est sacerdos magnus inter fratres suos, nisi
utique ille de quo dixit David : *Magnus Dominus,
et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est nume-
rus* ³¹. Quis enim virtutem ejus considerare, quis
numerare sapientiam aut comprehendere potest?
D quia, cum Deus sit propter dispensationem actorum
pro nobis mysteriorum, etiam sacerdos effectus est.
Recte ergo hic magnus sacerdos, utpote qui semet-
ipsum pro nobis hostiam et oblationem obtulit,
appellatur. Propter quod et servos fratres suos
dicere passus est, id est sanctos, qui semper ejus
faciunt voluntatem. Ait enim : *Quicumque fecerit
voluntatem Patris mei, ille meus et frater, et soror,
et mater est* ³². Super hujus caput oleum unctionis
effusum est, de quo dixit : *Sedes tua, Deus, in sæ-
culum sæculi, virga recta est, virga regni tui. Dilixisti
justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te*

²⁰ Hebr. 11, 11. ²¹ Joan. xx, 17. ²² Isa. 1, 21. ²³ Osee 11, 2. ²⁴ Psal. lxxxviii, 40. ²⁵ Osee 11, 2.
²⁶ Isa. L, 1. ²⁷ I Tim. III, 4. ²⁸ ibid. 5. ²⁹ Isa. 1, 8. ³⁰ Osee 11, 4, 5. ³¹ Psal. cxlvi, 5. ³² Matth.
xii, 50.

*Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis*³⁶. A Concordantia huic legi dicens, non solum quia unctionis uterque memoriam facit, sed quia sicut et David, excellere semetipsum in ipsa unctione suis participibus protestatur. Quod enim dixit, *præ participibus*, super participes tuos sine aliqua dubietate intelligitur: sic eum etiam legislator maximum dixit inter fratres suos, id est superiorem. Quod autem maxime in præsentī oportet intueri historia, cum secundum LXX editionem addere debuisset, *cui effusum est super caput oleum unctionis*, non sic ait: sed, *maximus de fratribus ejus, qui effudit super caput ejus*. Quia enim Christi caro est, quæ suscepit unctionem in semetipsam communicatæ sive unitæ divinitatis. Ex hac autem carne fratres ejus et cognati effecti sumus. Recte ait pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput effusum est unctionis oleum, ut aperte inventiatur hoc quod intelligendum est, maximus inter fratres, id est, carnis suæ. Ipsa est enim quæ suscepit unctionis oleum hujus sacerdotis, et consecratas fuisse manus, sive, ut LXX, *consummatus* per crucis confixionem manifestum est. Tunc enim quemadmodum hi qui secundum legem sunt sacerdotes, in sanguine vituli, et arietis consummabant, sive consecrabant manus suas: sic et ipse proprio sanguine suas manus consecravit sive consummavit. De quo ait Paulus: *Qui cum esset Filius, didicit ex his quæ passus est, obedientiam, et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ appellatus a Deo Pontifex, juxta ordinem Melchisedech*³⁷. Et rursus: *Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, quia multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare*³⁸. Hic et vestimentis illis indutus est quæ David in Psalmis cantabat: *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute*³⁹. Hic caput suum non discooperuit, nec vestimenta sua concidit. Caput suum non discooperuit, quia a Patre suo, qui ejus caput appellatur, nec passiones carnis sustinens separatur. Sed nec vestimenta conscidit, id est carnis: ex quo enim verbum caro factum est, inest totus suæ carni, et nunquam ab ea, nec a crucifixæ, nec a sepulta, nec aliud quodlibet passa, quod ad naturam nostram pertinet, se abscedit.

Et ad omne mortuum non ingreditur. Omnino super patre quoque suo et matre non contaminabitur. LXX autem dicunt: *Super omnem animam mortuam non ingreditur.* Quomodo autem anima moritur, cum sit condita immortalis? Audi prophetam dicentem: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*⁴⁰, impietatis utique morte, hæc est enim animæ mors, quam maxime gentes passæ sunt, quæ nec legem Dei, nec aliam ejus scientiam habuerunt. Super

animam ergo mortuam, vel ad omne mortuum, non ingreditur: quia, etsi omnium peccata portabit, verumtamen impollutus permanet, et nec gentium peccatis polluitur. De his enim secundum LXX omni animæ mortuæ, utpote contra omnes effusa impietate et idololatriæ dicitur.

Et nec super patre et matre. Super populum videlicet Judæorum, ex quibus est secundum carnem, et propterea appellatur ejus pater et mater:

Contaminabitur, nec de sanctis egredietur. Etsi peccatoribus condescendere elegit, permanet tamen sanctus, et in sanctis requiescit, et a sanctis qui in cælo sunt angelis circumdatur. Sed nec polluet sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eo est. Ergo etsi videris eum cum publicanis, et cum meretricibus conversantem, dicentem peccatoribus: *Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam*⁴¹, tamen in nullo horum contaminabitur, actionis enim eorum malæ participes non efficitur.

Unde non polluit sanctuarium Dei. Id est, Spiritum sanctum, de ipso enim ait: *Quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eo.* Concordans et ipse de Christo Isaïæ verbis: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me*⁴², Spiritus autem pollutio, id est, injuria et contritatio, est omnis peccati pollutio, propter quod et Paulus a peccatis abstinentiam docens dicebat: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis*⁴³. Sic de maximo sacerdote non solum præcedentia intelliges, sed et subsequencia. Nec enim incompatientem quemdam et immansuetum eum, qui primus sacerdos est, legislator vult, ut ad nullum mortuum accedat, sed suadere nobis vult, quia tanta sanctificatio, qua pontifex indui dicitur, de martuorum visione pollueretur.

Vers. 15-15. « Ego Dominus, virginem ducet uxorem, viduam et repudiatam et sordidam atque meretricem non ducet, sed puellam de populo suo, ne commisceat stirpem generis sui vulgo genti suæ, quia ego Dominus qui sanctifico eum. »

Seipsum esse legislatorem, et impletozem hujus sanctionis maxime ostendens. *Ego Dominus* necessarie addidit, qualis autem, subsequentibus edocuit verbis.

Virginem ducet uxorem de populo suo. Sive, ut LXX, *de genere suo*, quia genus Christi propter carnem omne hominum genus esse, cuilibet certum est, hic ex hac uxorem virginem, id est, Ecclesiam in eum credentium duxit, de qua Paulus dicebat: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*⁴⁴.

Viduam et repudiatam et sordidam, atque meretricem non ducet. Judæorum Synagogam viduam in prophetis appellatam novimus, ad quam dixit: *Tondere et gaudere super filios tuos teneros, dilata ri-*

³⁶ Psal. XLIV, 7, 8. ³⁷ Hebr. v, 8, 9. ³⁸ Hebr. II, 10. ³⁹ Psal. cxii, 1. ⁴⁰ Ezech. xviii, 20. ⁴¹ Matth. v, 32. ⁴² Isa. lxi, 1; Luc. iv, 18. ⁴³ Ephes. iv, 30. ⁴⁴ II Cor. xi, 2.

duintatem tuam sicut Aquila ⁴⁵. Sed et de populo Judæorum, sive proditore Juda, communis enim eorum est iniquitas, dicit : *Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua* ⁴⁶, ipsam autem repudiatam et viduam secundum ea quæ ante paululum dicta sunt intelligimus. Repudiata est enim a Dei societate, cum idolis fornicans, propter quod eam in conjugio accipere non patitur, ut intelligas quia eam conversationem, quæ in umbris et figuris est prohibuit, et in nullo ei communicare vult hos, qui ei expectant per vitam bonam, fidemque cohærere. Unde cum semel dixisset : *Puellam virginem de populo suo, sive genere suo accipiet*, non contentus fuit, subdidit : *Viduam, et meretricem et repudiatam non accipiet*. Secundum LXX autem : *Virginem de genere suo accipiet*, ut primum illud quidem de omni intelligas Ecclesiæ corpore : hoc autem secundum, de anima omni. Quemadmodum enim societas fidelium, sic et anima uniuscujusque sponsa Dei, et Ecclesie est. Cur autem desponsatam sibi non vult participem fieri Judaicæ conversationi, ipse subinfert :

Ne commisceat stirpem generis sui. Vulgo, gentis suæ. LXX autem : *Et non profanabit semen in populo suo*. Ergo profanatio fidelium est, hi enim sunt semen et plebs nostri sacerdotis, Judaicis moribus sociati. Et propterea Paulus dicebat : *Evacuati estis Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis* ⁴⁷. His subdidit.

Ego Dominus qui sanctifico eum. Id est, propterea opus non habet legis figuras, nec sacrificia, nec purificationes, quoniam ego Dominus pro omnibus illis et sacrificium efficio, et purificatio; et quodcumque dixeris pertinere ad aliam sanctificationem. Qui autem, quando viduæ, et meretricis, et repudiatæ mentionem fecit, has, inquit, non accipiet, dicimus et hoc de hæreticorum conventiculis legislatorem dixisse : viduatæ sunt enim Dei scientia, propter quod et a piorum communione expulsi sunt, sed et fornicantur incongruis et nefariis dogmatibus. Ergo recte viduam præposuit, secundam repudiatam, tertiam meretricem subdidit harum nullam sibi Dominus ad societatem ducit, ut non polluant fidelium semen, quia *corrumpunt mores bonos colloquia mala* ⁴⁸.

VERS. 16-23. † Locutusque est Dominus ad Moysen dicens. Loquere ad Aaron : Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam non offeret panes Domino Deo suo ne accedat ad ministerium ejus. Si cæcus fuerit, si claudus, sive parvo vel grandi, vel torto naso, si fracto pede vel manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo, vescetur tamen panibus,

A qui offeruntur in sanctuario, ita duntaxat, ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, et contaminare non debet sanctuarium meum, ego Dominus qui sanctifico vos. †

Si secundum litteram hanc sanctionem accipere voluerimus, quomodo legislatoris esse juxta videbitur intentio? Neque enim voluntate sua maculæ hominibus eveniunt. Quomodo ergo non incongruum est in his, quæ sponte non fiunt, sacerdotem ab officio repelli. Quid autem et si quis hoc ipsum legis cognoscens præceptum, sacerdoti invidens, membrum ejus, manum, vel pedem, aut oculum, aut aliquid aliud attriverit, aut si pugnantem contra alienigenas, et pro sanctis Dei armatus, præesse enim bellis sacerdotes in Deuteronomio ⁴⁹. Moyses præcepit, vulnus accepit, ex quo quælibet ei ex prædictis maculis eveniret, putasne dignus erat propter hoc de sacerdotio removeri? In tantum enim non sunt corporum maculæ abominabiles Deo, ut Dominum illuminare cæcos David diceret ⁵⁰. Si pulchritudinem non elegit, nec robustum corpus, nec quod videtur bene positum; ut ad Samuelem diceret de majore filio Jesse, quia speciem Deo placere putaverat : *Non respicies ad vultum ejus neque ad altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum* ⁵¹. Atqui rex non sacerdos erat qui ungebatur; regi autem necessaria erat species et magnitudo corporis. Sed quid his addidit? *Nec juxta intuitum hominis judico*. Homo videt ea quæ patent, Deus autem intuetur cor; cor enim scrutatur, si maculam habeat, et eos qui immaculati sunt animo, hos electos judicat : eos autem qui maculam in anima habent, reprobat. Si enim malum est claudicare pedibus, aut oculos infirmos habere; et a Deo separant, quomodo Isaac, quomodo Jacob caligare permisit et salutem perdere visionis? etenim Isaac non cognovit Jacob, Esau fingentem personam. De Jacob autem dictum est : *Oculi Israel caligare præ nimia senectute, et clare videre non poterat* ⁵². Propterea et nunc legislator sic indistincte de macula sancit dicens enim :

Homo de semine tuo qui habuerit maculam. Et cum non distinxisset locum, illico subdidit : *Non offeret panes Deo suo nec accedet ad ministerium ejus*. LXX autem dicunt : *In quo fuerit macula, non accedet*. Vides quia, in quo dixit, non in corpore, in nobis autem proprie hoc, quod in anima nostra est, esse dicitur. Ergo claudum dicit, viam Dei corruptentem, qui ex parte, divina mandata, et legem subvertit, de quibus in Psalmis dicit : *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveteraverunt, et claudicaverunt a semitis suis* ⁵³. Quemadmodum enim claudi unus pes sanus esse videtur, alter autem claudicat : sic et hujus unum quidpiam interim sanum esse videtur, gloriatur enim servire se Deo. Aliud autem infirmum est, dum corrumpat præva-

⁴⁵ Mich. i, 16. ⁴⁶ Psal. cviii, 9. ⁴⁷ Galat. v, 4. ⁴⁸ I Cor. xv, 53. ⁴⁹ Deut. xx, 1 seqq. ⁵⁰ Psal. cxlv, 8. ⁵¹ I Reg. xvi, 7. ⁵² Gen. xlvii, 10. ⁵³ Psal. xvii, 46.

ricatione legem mandatorum, quæ transgreditur intentionem. Cæcus est, qui ex tota ignorantia Dei morbum sustinet, et lucem veritatis intendere non valet. Propter quod de Judæis Dominus dicebat: *Cæcus cæco si ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt* ⁵⁵. Naso proprium est odorari. Hoc ergo sano, bene quis odoratur, terebrato autem vel truncato, non bene quis odoratur, quales sunt quidam quibus mala placent, propter hoc quia malum habent cogitationum odoratum. Quia enim odorari divina Scriptura in eo, quod placitum fuerit, accipere solet, audi David dicentem ad Saulem: *Si Dominus incitat te adversum me odoretur sacrificium* ⁵⁶. Et rursus, quando Noe immolavit, ait: *Et odoratus est Dominus Deus odorem suavitatis* ⁵⁷. In placendo autem utrumque sacra Scriptura accepit. Incisa auricula, auditum ad inobedientiam secans. Contritionem autem manus, et contritionem pedes habent illi, de quibus David psallebat: *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me* ⁵⁸; videlicet diripientis, sive volantis. Ergo superbum est et avarum per hoc legislator significat. Gibbus est, grave ferens peccatorum pondus, et hoc non videns, quia retro est gibborum congeries quæ ab eis minime cernitur. De quibus in parabola dicitur, quam rex Israel contra regem Syriæ usus est: *Quid operatur gibbosus quasi rectus?*

Lippus, et albuginem habens in oculo. Qui oculos læsos et infirmum visum habent, dicimus esse eos, qui habent quidem Dei scientiam, sed corruptam, quales sunt quidam qui inflantur: de quibus dixit Paulus: *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei qui secundum pietatem est doctrine, superbus nihil sciens, sed languens circa questiones et pugnas verborum* ⁵⁹. Vel illi intelliguntur, qui scientiam vitæ repellunt. *Suffusio* autem, quod Aquila edidit, quia non omnibus patet, sed solis doctis medicis, in tumore recte accipitur: neque enim ab omnibus passio hæc, sed a solis illis qui sciunt discernere quæ ad animam pertinerent, cognoscitur. Quemadmodum autem suffusio visum pupillæ tegit, sic arrogantia, et elatio circumfusa animæ, obscuram ejus scientiam facit. *Albugo* autem, in vita, et conversationis pravitate accipitur, quia omnibus oculis aperte hæc inest passio, sicut et vitæ pravitas latere non potest, quæ subvertit Dei scientiam, etsi habere se eam hi, qui prave vivunt, gloriantur. Paulus etenim de his dixit: *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant* ⁶⁰. Qui autem non frustra lippo etiam eos, qui hæc circa scientiam patiuntur, comparamus, hinc coniciens invenies eorum vitam qui suffusionem patiuntur, aut albuginem. Oculi quidem aperti apparent, similes autem sunt, quandiu infirmantur, cæcis: sed quando salvati fuerint, purgati a prædicta passione, uti oculis, sicut et sani, possunt. Sic et hi

A qui scientiam ex quodam tumore, vel vitæ pravitate vulneratam habent, ab his qui ignorantie infirmitatem patiuntur, nihil differunt, usque dum tumorem illum, aut vitæ pravitatem detergant. Licet enim eis tunc sano uti, et mundo oculo scientiæ. *Jugem scabiem detractor habet: quemadmodum enim pessima scabies demolitur, ita detractor facile provocatur.* Impetigines fornicator habet, maculæ enim apertæ sunt impetigo corporis. Quemadmodum enim fornicatio animæ, et corporis testis unius, secundum LXX, est doctor qui dicit, et non agit: creare enim filios, qui talis est, non potest. *Quicumque ergo unam prædictarum maculam habet, dona Deo offerre, aut sacrificia non potest, quia immaculatum esse et animo sacerdotem oportet:* B quem sicut Moyses duodecim maculis mundum esse præcepit, tot eas enim invenies secundum LXX denumeratas, sic et Paulus duodecim conservare eum, qui sacerdotium sortiturus est, præcepit dicens: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, sicut Dei dispensatorem* ⁶¹. Quis autem irreprehensibilis, nisi impollutus? Deinde unde colligatur irreprehensibilem eum esse, a qualibus maculis, aut passionibus carendo, in subsequentibus ostendit. *Non superbum, non iracundum, non vinulentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, castum, justum, sanctum, continentem amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem* ⁶². Duodecim ergo et ipse custodire sacerdotem vult, et quamobrem ei tanta superimponat, in præcedentibus dixit: *Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse, sicut Dei dispensatorem.* Qui autem dispensat quæ Dei sunt, opus habet eos, quorum dispensator est, virtutibus præcedere: nam quomodo illos dispensare, quomodo disponere poterit? Quia autem legislator comedere de sanctis præcepit, unamquamlibet prædictarum macularum habentem, intra velum tamen et altare, corpus videlicet Christi, accedere non præcepit, id est ministrare. Sic et hoc forsitan in Ecclesiis invenies custodiri, si quis enim approbatus fuerit sacerdotum, maculam habuisse aliquando animæ, et ab ea cessavit, sanctis quidem communicare non prohibetur, ministrare autem hunc qui talis est, non licet, nec ad velum accedere, et ad altare, id est, ad corpus Domini, ut ejus ministerium peragat hoc enim velum et altare Paulus Hebræis scribens, docuit. *Habemus altare, de quo comedere non habent potestatem hi, qui tabernaculo deserviunt* ⁶³, videlicet Domini corporis. Hoc enim Judæis propter incredulitatem et servitutem litteræ uti non licet. Hoc ipsum autem et velum dici, ab ipso disce: *Habentes ergo confidentiam in introitum sanctorum, per velamen* ⁶⁴, id est carnem ejus. Ad hoc solum qui maculam habet animæ, non ingreditur. *Quamobrem? Quia maculam habet, et non debet contami-*

⁵⁵ Matth. xv, 14. ⁵⁶ I Reg. xxvi, 19. ⁵⁷ Gen. viii, 21. ⁵⁸ Psal. xxxv, 22. ⁵⁹ I Tim. vi, 5. ⁶⁰ Tit. 1, 10. ⁶¹ I Tim. iii, 2. ⁶² ibid. 3, 4. ⁶³ Hebr. xiii, 10. ⁶⁴ Hebr. x, 19.

nare sanctuarium meum, contaminatio enim sanctorum, atque injuria est, tales ad ministerium offerri, in quibus offendit populus, et qui cognoscunt eorum maculas, scandalizantur. Propter quod et Paulus ⁶⁴ testimonium bonum habere, ab his qui foris sunt, sacerdotem vult. Lex autem confirmavit, ea quæ dicta sunt, ex eo quod dixit :

Ego Dominus qui sanctifico vos. Ego quis? qui præcipio et mando. *Perfecti estote, quemadmodum et Pater vester cælestis perfectus est* ⁶⁵. In quo enim macula licet una prædictarum est, hic non est perfectus.

VERS. 24. « Locutus est ergo Moyses ad Aaron et filios ejus, et ad omnem Israel cuncta quæ sibi fuerant imperata. »

Quæ sunt hæc quæ locutus est? Ea videlicet quæ prædicta sunt, quæ Deus quidem ad Moysen locutus est, Moyses autem Aaron, et filiis ejus, et populo, sicut ostendunt ea quæ nunc lecta sunt, tradidit: non frustra hæc lege distinguente, sed ut Moyses dignitatem commendaret, et ostenderet aperte, quia aliis quidem pauca, ipsi vero omnia Deus loqueretur propter ejus justitiam, et imaginem quam gerebat Christi. Similiter et nos docens habere mentem, ad quæcunque majores et perfectiores dixerint, scientes, quia continue ipsi superna operatione fruuntur.

CAPUT XXII.

VERS. 1-3. « Locutus quoque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad Aaron, et ad filios ejus, ut caveant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israel, et non contaminent nomen sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt. Ego Dominus. Dic ad eos, et ad posteros eorum: Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra, ad ea quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum Dominus. »

Nam qualiscunque dignitas sacerdotii est, huic enim sorte datum est, ut mediator sit inter Deum et homines. Et per hanc genus nostrum Creatori reconciliatur, in lingua sacerdotum nexus et absolutio nostrorum peccatorum consistit. Ostendit autem Malachias quantæ dignitatis sit sacerdos, et quæ ab eo oporteat expectari. Quia *Labia*, inquit, *sacerdotis custodiunt scientiam, et legem exquirunt ex ore ejus*, ⁶⁶ *quia angelus Domini exercituum est* ⁶⁶. Propterea cum his quæ ante sancta sunt de sacerdotibus, etiam hæc præcepit.

Caveant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israel, et non contaminent nomen sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt. Si autem isti abominabiliter, et inordinate, et extra omnem religiositatem populi oblationibus, et his quæ quocunque modo sanctificata offeruntur, contaminant nomen sanctificatorum: sive secundum LXX, *nomen sanctum Dei* primum quidem ipsum, ut qui eos tales elegerit blasphemare faciet, deinde et populum offendere in sanctis

coquant, et putare quod superfluum sit Dei ministerium, et justitia, et judicium. Quantum vero Deus, sive sacerdos, sive filii ejus, id est discipuli peccaverint in sancta, irascatur, ostendunt ea quæ Heli et filiis ejus contigerunt. Propterea subdidit: *Ego Dominus, dices ad eos.* Ego Dominus, qui irascor videlicet, et vindico. Quid autem dixit?

Dices ad eos et posteros eorum: Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra, ad ea quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum Dominus. Primum quidem seminis sacerdotalis memoriam faciens, aperte illud significavit, quia non solum sacerdotem, sed omnem sanctorum ministrum, etiam si sortem in eis ultimam habeat et novissimam, præsentem jubeat sanctionem custodire. Dicens autem, *de stirpe vestra*, ostendit quod semper custodire hoc oporteat præceptum: ut qui *immunditiam in semetipso habet animam*, sic enim LXX edunt, non solum ministerio et mystico officio se abstineat, sed nec tangat ea quæ oblata sunt, neque de eis sumat: mundus enim ad munda debet accedere. Si quis autem non sic accedit, peribit coram Domino, semperque hunc Deus aversatur, et ab omni repellit participatione et communione spiritus. Hoc autem *aversatio* proprie hic intelligitur, quod LXX dicunt, *perire coram Domino*, teste David, qui ait: *Non avertas faciem tuam a me, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* ⁶⁷. In his autem vera animæ perditio, sive exterminatio est, id est illa, de qua Dominus in Evangelii dicebat: *Time te eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehenna* ⁶⁸. Ergo non frustra subdidit: *Ego Dominus.* Sed ostendens, quia qui hæc dicit, ipse est qui solus animam perdere potest.

VERS. 4-8. « Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanctur. Qui tetigerit immundum super mortuo, et ex quo egredietur semen quasi coitus, et qui tangit reptile, et quodlibet immundum cujus tactus est sordidus, immundus erit usque ad vesperum, et non vescetur de his quæ sanctificata sunt. Sed cum laverit carnem suam aqua, et occubuerit sol, tunc mundatus vescetur de sanctificatis, quia cibus illius est. Morticinum et captum a bestia non comedent, nec polluentur in eis. Ego sum Dominus. »

Cujus quidem leprosus significationem, cujus autem seminis fluxum patiens gerat, sed et quis fluxum seminis per somnium patiat, et polluat eum, de quo fluit, quis sit qui tangens reptile immundum polluitur, omnia nobis et secundum ordinem superius, in his quæ ad hæc pertinent, dicta sunt. Præsentis autem legis intentio vere admirabilis, et fidelibus omni custodia digna est. Comedere enim sancta pollutos usque dum mudentur,

⁶⁴ I Tim. iii, 7. ⁶⁵ Matth. v, 48. ⁶⁶ Malach. ii, 7.

⁶⁷ Psal. l, 13. ⁶⁸ Matth. x, 28.

non vult, sed nec omnino eos per abstinenciam prohibere. Propterea cum, qui uno quolibet horum pollutus est, hic enumeravit immundum esse usque ad vesperum, dicens :

*Non vescetur de his, quæ sanctificata sunt: sed eam laverit carnem suam aqua, et occubuerit sol. Vesperum et occasum solis, pœnitenciam; aquam vero qua eam lavet, lacrymam dicens: de qua dixit David: Lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis stratum meum rigabo*⁶⁹. Idem autem vesperam, sic nobis pœnitenciam, et gaudium ex ea significavit: *Ad vesperum demorabitur fetus, et ad matutinum letitia*⁷⁰. Quando ergo lacrymis quis pœnitenciam ablutus fuerit, tunc sancta comedit, quia panis ejus est ille, de quo Dominus in Evangelii dicebat: *Et panis quem ego dabo, caro mea est*⁷¹. Quod et nunc panis memoriam faciens, et quos oporteat de eo comedere distinguens, addidit:

*Morticinum et captum a bestia non comedent nec polluentur in eis. Ego sum Dominus. Ut hoc quod dictum est: Ego Dominus, cum audias, intelligas hunc dicentem: Ego sum panis, qui de cœlo descendi*⁷². Per morticinum autem, et a bestia captorum prohibitionem, non oportere mensæ participari, et mensæ dæmoniorum præcepit; in his enim sunt vere morticina, et a bestiis capta. Quia enim simul sanctus, simul et nutritor substantiæ nostræ intelligibilis prædictus panis est, nec pollutus eum percipere præcepit, nec rursus mundatos prohiberi vult. Utrumque enim plane et Paulus præcepit: *Quicumque enim comedit panem, et bibit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini*⁷³. Ecce iste est pollutus et immundus. Hunc enim intelligis omnimodo indigne comedentem, a sanctorum prohibitum participatione. Quid autem his addidit? *Probet autem se homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat*⁷⁴. Qui autem semetipsum probat, si peccati sibi conscius est, et pollutionem animæ se habere sentit, pœnitet sine dubio. Et post pœnitenciam de pane comedere, et bibere rursus de calice sancto et impolluto potest. Quod autem frequenter de hac sanctione diximus, dici et nunc necessarium est, prodest enim audientibus, id est, quia leprosos et seminis fluxum patientes sensibiles legislator non abominatur, neque enim voluntarie, sed inviti hanc passionem sustinent, sed eos qui animam leprosam, aut fluxum seminis patientem habent. Propterea dicens:

Leprosus, et fluxum seminis patiens, non vescetur, donec sanetur. Quomodo oporteret hoc intelligi, interpretans addidit: Qui tetigerit immundum super mortuum, sive secundum LXX, omnem immunditiam animæ; immunditiæ autem animæ, peccata sunt, quarum quædam leprose sunt, quædam fluxum seminis patientes, sicut a nobis, in his quæ de le-

A prosis dicta sunt, et seminis fluxum patientibus, approbatum est. Et rursus dicens:

*Et ex quo egredietur semen quasi coitus, et qui tangit reptile et quodlibet immundum, ejus tactus est sordidus. Ut tibi etiam hujus manifestaret intellectum, consequenter secundum LXX addidit: Aut supra hominem, in quo inquinavit illum, secundum omnem immunditiam ipsius. Ad quamquam horam extra animam immunditiam aut pollutionem tradidit. Sed ut intelligibiliter accipias, quæ ipse secundum litteram propter Judæorum duritiam exposuit, propterea subinfert hæc, ex quibus significationem tibi det contemplativi spiritus. Illud autem intelligere tibi maxime mandati hujus legis utile est atque juvans, quod non solos sacerdotes, sed et omnes ministrantes, non præsumere sine metu Sanctorum perceptionem vult, intuerique traditam a lege distinctionem, quæ pœnitentes quidem præcepit ad sancta accedere, ante autem pœnitenciam prohibet. Qui autem ex semine sunt Aaron sacerdotis, quoniam Christum esse nostrum sacerdotem didicisti, et hujus figuram Aaron gerere, illos intelliges sine aliqua dubietate, qui baptismatis adoptionem habent, et semen, cognatique ejus, et omne quod dixeris ad conjunctionem ejus, recte appellantur. Unde et *genus electum, et regale sacerdotium, et gens sancta*⁷⁵, propter cognationem ejus appellantur. Ad quos ergo et quæ sequuntur dicit:*

Vers. 9. Custodient præcepta mea ut non subjaceant peccato, et moriantur in sanctuario cum polluerunt illud. Ego Dominus qui sanctifico illos.

Ergo præcepta Domini, id est lex, custodiam districtam, et obedientiam intransgressibilem necessariam habentia, sicut perficientibus ea, et sanctificationis, et justificationis et salutis causa efficiuntur, sic peccati et mortis transgredientibus: quod in omni quidem est lege, et in omni mandato, multo magis tamen in Sanctorum perceptione. *Quisquis enim ad ea, extra quam oportet, accesserit, judicium sibi sumit et mortem.* Nam et Paulus de talibus Corinthiis scribebat: *Qui enim manducat et bibit, judicium sibi manducat et bibit non dijudicans corpus Domini. Propterea inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi*⁷⁶, id est moriuntur. Secundum hoc igitur verbum legislator sancivit:

*Custodient præcepta mea, ut non subjaceant peccato et moriantur per ea. Et quæ est causa, quæ infert mortem? Cum polluerint illud. Injuria enim sanctuarii et pollutio est, sordidum quempiam ad munda accedere. Unde cum quosdam de viis ac sepibus ad nuptias, quæ in evangelica parabola dictæ sunt, convocasset, inveniens quempiam sordida vestitum stola, in cœna nuptiali discumbentem expellit, et in tenebras projici præcepit*⁷⁷.

⁶⁹ Ps. vi, 6. ⁷⁰ Ps. xxix, 6. ⁷¹ Joan. vi, 52. ⁷² ibid. 51. ⁷³ Cor. xi, 27. ⁷⁴ ibid. 28. ⁷⁵ I Petr. ii, 9.

⁷⁶ I Cor. xi, 29, 30. ⁷⁷ Matth. xxii, 11, 12.

Atqui omnes peccatores erant, qui invitati sunt, et a propterea de viis et de sepibus colligi dicebantur: sed cum mutati prius, et peccato per poenitentiam semetipsos exspoliantes, tunc de cœna comederunt. Illic autem sordida adhuc indutus peccati stola, non exspoliatus nec commutatus, ingredi in sancta et munda præsumpsit. Multum ergo secundum tempus hoc legi adjectum est:

Ego Dominus qui sanctifico illos. Id est, qui peccatores mutatos duntaxat in Sanctorum communionem recipio: aversor autem quando polluti et iniqui permanent.

VERS. 10. « Omnis alienigena non comedet de sanctificatis. Inquilinus sacerdotis, et mercenarius, non vescentur eis. »

Necessarium hoc mandatum est, ne forte adjicere omnibus infidelibus, et impiis mensam spiritalem putemus: nec quia vitæ panis mysterium Dominicum dicitur, propterea oportere percipere illum etiam eos, qui adhuc a fide alieni sunt, arbitremur. Alienigenæ ergo sunt omnes qui Dei legem non suscipiunt, nec evangelicæ participes efficiuntur gratiæ. Nihil enim hi proximum affinitati Dei, neque cognatum scientiæ ejus de eo intelligere possunt: unde et alienigenæ, sicut qui a dæmonibus seducuntur, et cognationem eorum amplectuntur, hi enim a nobis, et a Deo alieni sunt, recte appellantur, de quibus David psallebat: *Eripe me, et libera me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem*⁷⁸. Qui autem loquuntur vanitatem, maxime paganorum filii, qui terrenam sapientiam, et animale, et diabolicam, secundum quod ait Jacobus, habent⁷⁹. Cum his dicimus alienigenam, qui quæ aliena sunt a dignitate mysterii, de eo intelligunt: quemadmodum ad cibum communem, ita ad divinum accedunt, et carnaliter divina et cœlestia conspiciunt: recte ergo ab his etiam talis prohibetur. Inquilinus autem sacerdotis est, qui non pure in ejus aulam ingreditur, neque reverentiam dignam ei præbet, aut diligentiam. Quemadmodum enim inquilinus solummodo suam agit utilitatem, et per singulos dies expectat migrari, non autem pertinet ei si jura domus quidam diripiant aut subtrahant, sic sunt hi, qui in divina aula propter suas utilitates, gloriæ forsitan aut quæstus pecuniarum, aut alterius hujusmodi ministrant causa, nunc autem diligentiam exhibent, ne quis eorum corrumpat ordinem, ne quis male divinis aulis et inique utatur. Hoc ipsum et mercenarium dicimus, de quo dicit Dominus: *Mercenarius, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et lupus dispergit eas, quia mercenarius est, et non pertinet ei de ovibus*⁸⁰. Hos recte a sanctorum prohibet perceptione: neque enim sunt digni participari eis, quæ vel desidiose, vel propter aliquod commodum agunt.

VERS. 11. « Quem autem sacerdos emerit, et qui vernaculus domus ejus fuerit, hi comedent ex eis. »

Quia alienigenas, impios videlicet et infideles, a participatione divinatorum prohibuit, ostendit quia et hi si mutantur ab errore, et ad Christum accedant, permittit quæ sancta sunt. Nemo enim alienigena per naturam est, sed voluntate quidam sibi asciverunt alienationem a Deo. Quotquot ergo ex his intelligibilis sacerdos possidet emptios, id est quotquot emit per evangelicam doctrinam et gratiam. Hæc est enim Domini conquisitio et acerbum argentum est: *Argentum igne examinatum terra purgatum*⁸¹, redemit autem eos, qui ei volunt servire. *Alio autem nullo*, sicut Petrus dixit, *pretio empti estis, nolite fieri servi hominum*⁸².

Sed et vernaculi ejus. Id est, qui in fide ejus nutriti, et in intelligibili domo, Christi videlicet Ecclesia, educati sunt per parentum fidem. Hi de panibus ejus mysticis et vividantibus comedent.

VERS. 12. « Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ sanctificata sunt de primitiis non vescetur. Sin autem vidua vel repudiata absque liberis reversa fuerit ad domum patris sui, sicut puella consueverat, aletur cibis patris sui. Omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem. »

Quod autem nostra translatio habet: *Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit, LXX edunt: Et filia sacerdotis nupta fuerit homini alienigenæ.* Non nobis sufficit in fide nutriti (Christi, sed et permanere, et crescere in ea, et nulli alienigenarum, id est, alterius a Deo dogmatis, aut alterius legis, vel actionis commiseri. Nec qui de patribus sumus fidelibus, ideo jam in sanctis præsumamus, nisi fideles persistamus. Propterea filia intelligibilis sacerdotis, id est, anima omnis regenerata ab eo per baptismum, si viro alienigenæ conjuncta fuerit, quæ ad alienigenas, verbi gratia, Judæos, paganos, aut hæreticos pertinet, agens, et societatem eorum amplectens primitiis sanctificatorum, id est, corpore mystico non vescetur. Sin vero filia sacerdotis effecta per eam quæ dicta est regenerationem, alienigenæ conjuncta fuerit hæreticum quid agens, D vel Judaicum vel gentile: et vidua facta fuerit, vel repudiata, reliquens errorem funditus, et quodammodo sepeliens illum, et ab iniquo semetipsam absolvens commixtione, reversa fuerit in domum suam paternam, id est, Ecclesiam, et secundum juventutem suam, in qua fervebat, cum sacris dogmatibus fidei nutriebatur, juvenescens virtutibus, et virago ab illis appellata, de quibus Dei spiritus ad Christum in Canticis dicebat: *Unguentum effusum est nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te*⁸³: de panibus patris sui, id est, Christi comedat. Si enim matrem Ecclesiam unusquisque nostrum, et patrem Christum habet, omnis alieni-

⁷⁸ Ps. cXLIII, 8. ⁷⁹ Jacob. III, 19. ⁸⁰ Joan. x, 12, 15. ⁸¹ Psal. xl, 7. ⁸² I Cor. vi, 20; vii, 25; I Petr. 1, 18. ⁸³ Cant. 1, 2.

gena comedendi ex eis non habet potestatem, id est, qui aliena Christo et legibus ejus et gloria agit. Ejus enim lex est: *Non dabitis sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*⁸⁵.

VERS. 14-16. « Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo quod comedit et dabit sacerdoti in sanctuarium, nec contaminabunt sanctificata filiorum Israel quæ offerunt Domino, ne forte sustineant iniquitatem delicti sui cum sanctificata comederint. Ego Dominus qui sanctifico eos. »

Sancta sanctorum sunt proprie Christi mysteria, quia ipsius est corpus, de quo Gabriel ad virginem dicebat: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideo quod nascetur ex te sanctum vocabitur, Filius Dei*⁸⁶. Sed et Isaias, Sanctus Dominus, et in altis habitat, in sinu videlicet Patris. Ab hoc enim non solum alienigenas et inquilinos, et mercenarios sacrificii prohibuit, sed nec per ignorantiam percipere præcepit. Per ignorantiam autem percipit, qui virtutem ejus et dignitatem ignorat, qui nescit, quia corpus hoc et sanguis est secundum veritatem, sed mysteria quidem percipit, nescit autem mysteriorum virtutem. Ad quem Salomon dicit vel magis spiritus, qui in eo est: *Quando sederis, ut comedas cum principe, diligenter attende quæ posita sunt ante te*⁸⁷. Aperte et ipse compellens, et cogens eum, qui ignorat addere quintam partem: hæc enim quinta addita intelligere nos intelligibiliter divina et mystica facit. Quid sit autem quinta, ipsa te verba legislatoris docere possunt, ait enim: *Addet quintam partem cum eo quod comedit*. Et quomodo ejus quod jam comedit et consumpsit, addere quæ quintam potest? neque enim aliud est, aut aliunde: sed de ipso, et cum eo, vel sicut LXX, *super ipsum*, jubet addi quintam. Ergo quinta ejus super ipsum, sermo est, qui prolatus est ab ipso Christo, super Dominicum mysterium. Ipse enim liberat nos ab ignorantia, remouetque nos additus, carnale quippiam et terrenum de sanctis arbitrari, sed divine ea et spiritaliter accipi sancit, quod quinta proprie nominatur: quia qui in nobis est divinus Spiritus, et sermo quem tradidit qui in nobis sunt, componit sensus, et non solum nostrum gustum producit ad mysterium, sed et auditum, et visum, et tactum, et odoratum, ita ut nil in eis minori rationi, et infirmæ menti proximum, de his videlicet, quæ valde superna sunt, suspicemur. Quicumque ergo sanctificata per ignorantiam comederit, ignorans eorum virtutem, sicut diximus:

Addet quintam ejus super eo, et dabit sacerdoti in sanctuarium. Sanctificationem enim mystici sacrificii, et a sensibilibus ad intelligibilia translationem, sive commutationem, ei qui verus est sacerdos, videlicet Christo, oportet dari, id est ipsi de eis miraculum cedere et imputare: quia

A per ejus virtutem, et prolatus ab eo verbum, quæ videntur, tam sanctificata sunt, quam cunctum carnis excedunt sensum. Recte ergo addidit: *Nec contaminabunt sanctificata filiorum Israel, quæ offerunt Domino, ne forte sustineant iniquitatem delicti sui, cum sanctificata comederint*.

Qui enim Christo suorum mysteriorum sanctificationem imputant, et addentes sibi metipsis quintam quæ prolata est, videlicet verbum ejus, quod nostros producit sensus ad sublimiora, non contaminant sancta sanctorum, utpote qualia oportet de eis intelligentis, sed nec inducunt super se iniquitatem delicti in comedendo sancta sanctorum: nec enim ut ad communem cibum, sed sicut ad mysticum, et terribile et cœleste accedunt et ad quem qui temere accedunt, non simpliciter peccant, sed iniquitatem delicti sui portare dicuntur. Delictum autem proprie a legislatore dicitur peccatum, quod in Deum committitur, et ea quæ ad hoc pertinent in sacrificiis, quæ pro delictis offeruntur, pridem ostendimus. Unde et nunc cum dixisset: *Ne forte sustineant iniquitatem delicti sui*: recte subdidit: *Ego Dominus, qui sanctifico eos*. Ostendens, quia delictum, id est impietas in Deum, incompetens sanctorum perceptio appellatur. Tendit enim ad Deum sanctificatum eos, qui modo quo oportet, ea sumunt, et qui sanctificationis causa, non autem contaminationis proposuit suum mysterium. Admirari autem nimis legislatorem oportet, quia ubique distinctione usus est, et Dominicum ministerium significans, secundum LXX duntaxat translationem, sanctorum Sancta illud appellavit, quia sacrificium Sancti sanctorum est. Israel autem addens fidelem populum per hoc significavit, id est eum, qui per mysticum hoc sacrificium Deum videt. Et propterea proprie Israel appellatur. Hi quæcunque consecrant Domino, id est quæ ex semetipsis in Domini, cum sacrificium offerunt, Sancta sanctorum fiunt; corpus enim ex eis conficitur Christi, qui, quia primitia est nostræ conspersio, recte ex nostris primitiis constitit.

VERS. 17-21. « Locutus Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad Aaron, et ad filios ejus, et ad omnes filios Israel, dicesque ad eos: Homo de domo Israel, et de advenis, qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota solvens, vel sponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini, ut offeratur per vos, masculus immaculatus ex bobus, et ex ovibus et ex capris: si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile. Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel sponte offerens, tam de bobus quam de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit. Omnis macula non erit in eo. »

Non solum sacerdotes a pollutione mundos esse,

⁸⁵ Matth. vii, 6. ⁸⁶ Luc. i, 32. ⁸⁷ Prov. xiii, 1.

sed et oblationes, quæ a populo offeruntur, præcepit : ut tu cognoscas, qui es fidelis Deo, et qui oblatio ei per holocaustum intelligibilis sacrificii factus es, quia omni pollutione mundam esse conversationem tuam oportet, et impollutus esse quemadmodum sacerdotes, studeas, quia et Christus, quæ ut agerent apostoli, præcepit. Hæc omnia eos tradere discipulis præcepit gentibus, ait enim : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos custodire quæcunque mandavi vobis* ⁸⁷. Sive ergo quis secundum confessionem, sive secundum omnem conditionem suam holocaustum Deo promisit, vitam videlicet perfectam, hoc est verum holocaustum, a pollutione munda debet esse ejus oblatio; neque enim aliter suscipitur. Offeret autem per confessionem, sicut LXX dicunt, qui in quacunque necessitate constitutus, et ex ea compunctus, conversationem quamdam Deo per votum pollicetur. Secundum supradictorum autem editionem, electionem invenimus dictam, ubi nos sponte, dicimus. Utrumque enim hanc oblationem sive eam quæ ex necessitate, sive eam quæ sponte fit, proponit, dicens : *Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea, et quæ locutum est os meum in tribulatione mea* ⁸⁸. Et rursus : *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine* ⁸⁹. Horum primum quidem, prædictum votum, sive confessionem, sine aliqua dubietate intelligimus. Electionem autem, sive spontaneam oblationem, hoc quod secundo loco dictum est. Oportet autem, sive operator mandati sit qui offeret holocaustum, hic est enim ex armentis offerens, sive simplex, quia hic est ex ovibus : sive ex peccatoribus, hic est enim de capris : masculinum esse quod offeret, id est cum mente virili, et forti, et stabili, et cum valenti fide, atque inconcussa offerre vel offerri, ut offerens talis sit qualis ille, quem Salomon in Proverbiis dicebat : *Virum fidelem labor est invenire* ⁹⁰. Idem est et si sacrificium pacificorum offeret quis, id est, non illam quæ perfecta est in philosophia vitam, veluti eam, quæ est in non possidendo, vel in virginitate, de quibus Dominus dicebat : *Non omnes capiunt* ⁹¹, sed mediocrem, quæ nobis procurat omnimodo salutem, etsi non assequitur ea, quæ ad prophetarum et

A discimus. Veruntamen et ovem sensibilem si offeras Deo, aut bovem, aut capram, aut aliquid hujusmodi, ut verbi gratia, sacerdotibus primitiæ dentur, aut pauperes ex eo pascantur, aut sanctis aliquot ministerium fiat, aut divini templi constructio, vel aliquid aliud opus quod ad ipsum pertinet Deum, et propterea holocaustum dicitur, pollutione careat etiam hæc oblatio. Sed quæ sit hæc pollutio, lex tacuit, nobis dans intelligere veram pollutionem, et cavere. Est autem hæc ex rapina, et injustitia, aliave avaritia offerre; abominabile est enim apud Deum, et non acceptum ei, ita ut nimis per prophetam Judæos de hoc reprehenderet. *Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate* ⁹². Sic enim littera hujus sanctionis et spiritus conservatur. Si quidem a nobis semel exponentibus audistis, quia quando dicit lex : *Homo, homo*, oportet cum consideratione spiritus, et mandati litteram intueri.

B
C
VERS. 22-25. « Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulam aut scabiem, vel impetiginem, non offeretis ea Domino, neque adolebitis ex eis super altare Domini. Bovem, et ovem, aure, et cauda amputatis, voluntarie offerre potest, votum ex his solvi non potest. Omne animal, quod vel contritis, vel tonsis, vel sectis, ablatisque testiculis est, non offeretis Domino, et in terra vestra hoc omnino non facietis. De manu alienigenæ non offeretis panes Domino Deo vestro, et quidquid aliud dare voluerint quia corrupta et maculata sunt omnia, non suscipietis ea. »

Aliud hic videtur legislator innuere, multa consideratione dignum. De his quæ offeruntur altario, non ei sermo est, sunt autem qui mysticum et sanctorum officium sortiuntur. Per sanctionem ergo anteriorem, mundam esse a pollutione populi oblationem præcipiens, quod necessarie nimis in uniuscujusque conversatione intellectum est. Nunc dinumerat : quos non oporteat altario offerri, et primum dicit ex eis cæcum. Qui enim ignorantiam habet Dei, quomodo ministrabit Deo, nec ipse dignitatem sciens ejus, ad cuius ministerium vocatur, nec aliis valens exponere? Unde et negligens circa eos erit : nesciens divinorum, quibus ministrat, virtutem : quales erant quidam Judæorum, de quibus Deus in Isaia dicebat : *Videte, quoniam omnes nescierunt, universi canes muti, non valentes laurare* ⁹³. Confractum vel contritum secundo loco posuit, ejus enim manus ac pedes, actiones videlicet, et ad Deum itinera confracta contritave sunt, ne hic quidem altari ministrare dignus est : cui convenit illud quod Psaltes ait : *Contritio, et infelicitas in viis eorum*. Sed nec qui linguam incisam, secundum LXX habet, id est si quis per sordidam vitam, fiduciam docendi perdidit, cui ait David : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras ju-*

⁸⁷ Matth. xxviii, 19, 20. ⁸⁸ Psal. lxxv, 14. ⁸⁹ Psal. cxviii, 108. ⁹⁰ Prov. xx, 6. ⁹¹ Matth. xix, 11. ⁹² I Cor. xv, 41. ⁹³ Mich. iii, 10. ⁹⁴ Isa. lvi, 10.

*stillas meas*⁸⁸? Similiter secundum LXX, et *formiculosum*, dicit autem eum qui occupatus est in operibus terrenis et sæcularibus, qui semetipsum huic cogitationi deputat, id est qui comedat et bibat, et qui alia similia cogitat, et qui thesaurizat, quoniam hæc vita formicarum est semper sibi congregare ea, quæ ad ventrem pertinent, siquidem et Salomon in Proverbiis dicit: *Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus*⁸⁹. Quia enim ad operandum pigrum provocabat, propterea trans mittebat eum, sicut ad operatricem formicam, non ut talia qualia formica operaretur, sed ut æmularetur formicam, opus ad majora transferre, id est ad agendas virtutes. Unde LXX ediderunt: *Et efficere illa sapientior*. Sic ergo homo, cum divina studet, sapientior efficitur, ab illo qui terrena operatur. Papulam habens, vel scabiem, detractor intelligitur, quia pessimus ejus morbus, et asperillum ejus vulnus est: nullo enim medicamine facile potest mitigari. Impetiginis habens, fornicator est, maculat enim suum corpus, propter quod Paulus dicebat: *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*⁹⁰. Nullum ergo horum deputari ad ministerium altaris spiritus legislatoris vult. Propterea ait: *Non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini*. Sive secundum LXX: *Non offerent hæc Domino, et super altare non dabitur de eis super altare Domino*. Sacrificium autem pacificorum non addit, quemadmodum superius; omni modo intelligas, de his qui mysteriis ministrant, dici. Hi etiam holocaustum esse opus habent, vitam perfectam et consummatam agentes. Quid autem his addidit?

Bovem et ovem, aure et cauda amputatis, voluntarie offerre potest: votum autem ex his solvi non potest. Omne animal quod vel contritis, vel tonsis, vel sectis ablatisque testiculis est, non offeretis Domino. Disciplina ergo multa, et quæ decebat legislatorem, ad hujus distinctionem sermonis usus est, quam et in superioribus custodiri oportet. Aurem autem amputatam habet, qui inobedientiæ morbo languet, qui detractionibus gaudet, qui delectatur turpibus auditibus, qui bonos sermones aversatur. Caudam amputatam habet, qui de novissimis cogitat, quia cauda est extrema pars corporis. Sunt ergo proprie caudam amputatam habentes, qui ea quæ sunt novissima, abjecta ac vilia, et minima pendunt, qui nihil sibimet in futuris sæculis thesaurizant, qui futuris non provident, qui dicunt: *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur*⁹¹. Contritis testiculis est, qui paulatim crescente malitia, conterit suam in virtutibus prolem, et signa, per quæ vir possit agnosci. Qui et recte reprobat, quia sibimetipsi in talibus nocuit, de quo dixit David: *Dum confringuntur omnia ossa mea, exprobraverunt me qui tribulant me*⁹². Tonsis testi-

culis est, qui illatis sibi tentationibus tribulationibusque cessit, animæque suæ fortitudinem perdidit: non enim oportet hoc perpeti, nec omnino cedere imminenti hosti, atque affligenti. Unde David ait: *Ut quid tristis incedo, dum affligit me inimicus*⁹³? Oportet, inquit, me gaudere et exsultare, utpote qui ad certamen vocor, in quo victor existam: nam et victoriæ modum subdidit: *Spera in Domino, quoniam confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus*⁹⁴. Sectis ablatisque testiculis est, qui una actione prava, animique impietate et secante sicut cultrum, et auferente, quemadmodum nimis effera, et direptrix manus semetipsum abscondens, et auferens a conjunctione Dei, quæ est in virtutibus, secundum quod diximus, privatus prole, et signis virilis cognitionis, quorum damno ipse se subjecit. Alter est siquidem qui paulatim conteritur, et alter, qui subito semetipsum, atque una mala actione prole virtutum privat, quemadmodum Simon, pecuniis emere donum Dei æstimans⁹⁵, est effectus a sorte ejus alienus. Sed unam harum macularum quispiam, vel nunc dictarum, vel quæ pridem dinumeravimus habens, aut mandatorum est operator, et propterea vitulus: aut simplex, et ovis appellatur ex hoc, secundum quod LXX edunt, pro eo quod nostra translatio habet: *Voluntarie offerri potest. Occides ea tibi metipsi; ut non omni modo illos aversemus, nec in parte inimici deputemus, sed doceamus eos, et exhortemur: Nunquid qui cadit, non adjiciet ut resurgat, aut qui aversus est non revertetur*⁹⁶? Occidi autem dicuntur mortificati peccato per admonitionem, ut justitiæ vivant. Hæ autem occisiones, nobis illis licet commisceri, sed pro voto non offeramus eas Deo, id est ad ministerium ejus mysticum non eas ordinemus. Ergo quamlibet prædictarum macularum habentes, si pœnitentiam egerint super ea, et occisi fuerint mortificatione peccati suscipiamus quidem eos, et membrum communis corporis habeamus: quia *Christus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere*⁹⁷; altario autem offerri non licet. Hac, ut puto, distinctione et Paulus, scribens ad Corinthios, usus est: *Scripti vobis in epistola, non commisceri fornicariis, non utique fornicariis mundi hujus, aut aturis, aut rapacibus, aut idolis servientibus, debueratis enim ex hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si is qui frater nominatur, aut fornicator est, aut idolis serviens, aut avarus, detractor, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere*⁹⁸. Fratres nominans illic, eos qui altario ministrant, quia maxime eos, qui doctrinæ sortiti sunt dignitatem, et quibus præesse populis creditum est. Ii enim si quid tale habuerint, modis omnibus oportet societatem eorum aversari: quia super populum abundare virtutibus hi qui præsent, necesse habent,

⁸⁸ Psal. XLIX, 16. ⁸⁹ Prov. VI, 6. ⁹⁰ I Cor. VI, 18. ⁹¹ I Cor. XV, 32. ⁹² Ps. XLI, 11. ⁹³ Ps. XLII, 9, 15. ⁹⁴ ibid. ⁹⁵ Act. VIII, 20. ⁹⁶ Ps. XL, 9. ⁹⁷ II Tim. I, 15. ⁹⁸ I Cor. V, 9-12.

et ipsi maxime esse sine macula. Nam quomodo alias emundare a pollutionibus possunt? de quibus hæc legislator præcepit: *Et in terra vestra hoc omnino non faciatis, et de manu alienigenæ non offeretis panes Domino Deo vestro, et quidquid aliud dare voluerint, quia corrupta et maculata sunt omnia, non suscipietis ea.*

Nec nos ergo in terra nostra quibusdam talium macularum studium deimus. Est autem terra nostra bona conversatio, quæ præcepta est per divinas Scripturas, quam a Deo colere percepimus. Sed nec alienigenæ, videlicet qui doctus est, et adjectus de foris, talia dona Deo offerenti mediū simus: quia corruptio in eis est, nos autem Deo incorrupto servimus: maculam habent, nos autem in Ecclesia ministramus, cui dictum est a sponso: *Tota pulchra es, proxima mea, et macula non est in te*⁷. De qua Paulus dicebat: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi*⁸. Propter quod nihil maculam habens a nobis Deo offeretur.

VERS. 26-28. « Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Bos, ovis, et capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ. Die autem octavo, et deinceps, offerri poterunt Domine, sive ille bos, sive illa ovis, non immolabuntur una die cum fetibus suis. »

Mater omnis animalis utique natura est, sub hac omne genus hominum, peccatorum et justorum, septem diebus est, ab octava autem jam non. Nam etsi operator quis sit mandatorum, vel simplex, vel peccator, aut ex peccatore, septem diebus, id est omne præsens sæculum, oportet eum sustinere quæcunque natura desiderat, quemadmodum et de Salvatore dicere præsumpsit Paulus, ostendens, quia ex nostra natura secundum carnem factus absque peccato, omnia passus est quæ erant naturæ⁹. Quia autem pueri communicaverunt sanguine et carne, similiter et ille participavit iisdem. Sed quando vitam præsentem egressi fuerimus, et in die bona mortuorum resurrectionis constituti fuerimus, ex tunc, et deinceps, omne sæculum futurum non jam sub matre, quæ dicta est, erimus: neque enim hic naturalibus necessitatibus subiacēbimus. *Octava autem die offerri poterit.* Quod LXX sic edunt: *Dona autem hostias Domino*, id est perfecta et integra, hi qui in hac vita præparaverunt oblationem suam. Sciendum est autem, quod quoniam mutabilis est nostra vita, mutationesque multas et voluntates suscipit, octava die oblatio accepta, in sæculo scilicet futuro sit, propter quod dixit Salomon: *Ante mortem ne laudes quemquam hominum*¹⁰. Cum autem hæc ita se habeant, matrem rursus Ecclesiam et gratiam, quæ in ea est, intelligamus, de qua Salomon in Proverbiis dicit: *Audi, fili, disciplinam patris tui, et ne dimiseris le-*

*ges matris tuæ*¹¹. Quando ergo aliquis gratia Evangelii generatus fuerit, secundum quod ait Paulus: *In Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui*¹², sub intelligibili matre Ecclesia, vel gratia septem dies, totam videlicet præsentem vitam, quæ in septem dies volvitur, erit legibus ejus et sanctionibus obediens. Sic enim octava die, in tempore resurrectionis, donum erit et hostia Domino: quia hujusmodi non solum animas, sed et corpora sacrificium sanctum placitumque suscepit. Tu autem propter hoc quod sequitur discite: *Sive ille bos, sive illa ovis, non immolabuntur una die cum fetibus suis.*

Illic nominibus ipsis aliud rursus ostendit. Non oportet enim eos, qui Pascha evangelicum celebrant, quod nobis Ecclesia tradidit, legale Pascha peragere, quod bovem et ovem legislator dicens significat: quia hæc præcepit Moyses in die Paschæ, quod traditum est Judæis immolare, ait enim: *Et immolabis Pascha Domino Deo tuo, oves et boves*¹³: sicut Deuteronomii liber ostendere potest. Fetus autem horum, Paschæ hujus, sive Veteris Testamenti, et ejus quæ in figuris est traditionis: dixit enim fetus ejus, Dominicum igitur Pascha, propter novitatem temporis, et quia ad confirmationem veritatis figuram præcedens, multo eum significans tempore quemadmodum parturiens, recte parere dicitur. Non ergo oportere nos habentes in manibus, et consummantes verum mysterium, sequi figuras, quæ prædicta sunt demonstrant: neque enim est ejusdem temporis: sed aliud quidem pertinere ad figuram, aliud autem ad veritatem, qui utraque sancivit præcepit. Propter quod et Christus primum celebravit figurarum Pascha: post cœnam autem, intelligibilem tradidit, et angustante eam tempore pro die horam immutavit, vel magis etiam diem, sic enim ad vesperam, quartæ decimæ diei, cœna Judaicæ paschalis festivitatis celebratur: post hoc autem Christus propriam tradidit cœnam: post vesperam ergo quartæ decimæ diei tradidit. Quod autem post vesperum est tempus, alterius diei initium omnimodo est: oportebat enim hoc fieri ad ostensionem temporis quia quando Vetus finem sumit, tunc Novum incipit. Aut forte fetus illos lex significat, de quibus Isaïas dicebat: *Puer natus est nobis, filius datus est nobis*¹⁴. In Christum enim hæc quæ sequuntur dicta sunt. Hic ergo fetus, sive secundum LXX, filius non eadem die in qua vitulus et ovis Judaicæ festivitatis occidebatur. Quarta decima enim die Pascha celebrantes, in crastinum Jesum crucifixerunt.

VERS. 29-32. « Si immolaveritis hostiam pro gratiarum actione Domino ut possit esse placabilis, eodem die comeditis eam, non remanebit quidquam in mane alterius diei. Ego Dominus. Custodite mandata mea, et facite ea. Ego Dominus. Ne polluatis nomen sanctum meum ut sanctificer in medio filio-

⁷ Cant. iv, 7. ⁸ Ephes. v, 27. ⁹ Hebr. iv, 15.

¹² Deut. xvi, 2. ¹³ Isa. ix, 6.

¹⁰ Eccl. ii, 30.

¹¹ Prov. i, 8.

¹² I Cor. iv, 15.

rum Israel. Ego Dominus qui sanctifico vos et eduxi de terra Ægypti ut essem vobis in Deum. Ego Dominus. »

Sicut satisfactionem non habet si quis inchoante Novo Testamento, veteribus serviat, et evangelica prædicatione currente secundum litteram vivat; injuria est enim ejus, qui utraque sanxit, non temporibus ab eo distinctis obediamus, sic sine ulla venia est putare quempiam, vel omnino cogitare, quia in futuro tempore operandum aliquid eorum, quæ nunc nobis ad operandum præcepta sunt, conservatur. Si ergo immolaveris hostiam pro gratiarum actione Domino. Evangelicam ei conservationem promittens, hæc est enim gratiarum actionis hostia Domino, quia quæcunque ad laudem ejus et gloriam pertinent, peragit. Quod demonstrat Dominus apostolis, dicens: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona vestra opera, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est* ¹⁴. Immolatur Domino, ut possit esse placabilis, quod LXX ediderunt: *Accepta vobis immolabitis*, id est, ad suscipiendum digne prædictam conversationem agamus, perficientes eam, et non imminutam relinquentes, propter quod et subdidit:

Eodem die comedetis ea, non remanebit quidquam in mane alterius diei. In tempore enim hoc, in quo hoc quod dictum est, sacrificium promittimus, comedere illud, id est operari et complere debemus. Nihil autem de eis in mane relinquere, ut aliquid remaneat reliquiarum nostræ conversationis incorrectum, neque inconsumptum de virtutibus, et inoperatum in futuro sæculo custodiamus, quando jam non est licitum operari. Quod recte mane dicitur, id est, quia nox præsens vita propter eam quæ in ea nunc est nebula nominatur. *Ego Dominus, custodite mandata mea et facite ea.*

Ego Dominus, qui hic quidem legem constituo, ibi autem judico, qui intelligibilia talenta meis servis ¹⁵ in præsentī sæculo ad operandum dedi, in futurum rationes cum eis pono, et talentorum operationem exigo.

Ego Dominus: ne polluatis nomen meum sanctum. Pollutio enim est Creatoris, et blasphemia, si in eodem nos ordine, vel actu, quo nunc sumus resuscitet. Quid enim commutat mundum hunc, si in eisdem doloribus et laboribus erimus?

Ut sanctificet in medio filiorum Israel. Non dixit, sanctificor, sed *Sanctificet*, futurum ostendens tempus, in quo in medio virorum filiorum Israel sanctificatur. Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israel, sed quicumque Israel cognitionem societate virtutum ejus servant, *Qui pacem*, sicut ait Paulus, *et sanctimoniam custodiunt, sine qua nemo videbit Deum* ¹⁶. Qui autem custodiunt, videbunt, propter quod ait: *Sanctificet in medio eorum. Ego Dominus qui sanctifico vos, et eduxi de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum.* Sed et bono fine ad rem

usus est, planiorem ejus efficiens intellectum. Ægypti enim exitum non frustra memoratus et illud demonstrans, quia quemadmodum qui egressi sunt de Ægypto, non jam ea quæ Ægyptii agebant, sic et quando nos Deus ejicit de præsentī vita, non jam agere ea quæ in ea sunt possumus. Est enim Ægyptus intelligibilis, præsens mundus, quia Ægyptus contenebratio interpretatur. Tenebris autem, et secundum quod diximus nebula, vel caligine, præsentia sunt repleta, in tantum ut Joannes de Domino diceret: *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* ¹⁷. Propter quod nos Dominus Deus videlicet ex intelligibili Ægypto hac educit, ut sit noster Deus, non quia nunc non est, sed quia non omnes eum confitemur, neque cognoscimus. Tunc autem confitebimur, tunc omnes subjiciemur, *Tunc erit Deus omnia in omnibus*, quemadmodum Paulus scripsit ¹⁸.

CAPUT XXIII.

VERS. 1-3. « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Hæc sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctas. Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia Sabbati requies est, vocabitur sanctus, omne opus non facietis in eo. Sabbatum Domini est in cunctis habitationibus vestris. »

Si subtiliter attendas hæc quæ dicta sunt in præsentibus legislatoris verbis, invenies eum non solum contemplationi legis, sed et in littera ipsa intentionem spiritus interponentem: dicens enim: *Illæ sunt feriæ Domini quas vocabitis sanctas. Hæc sunt festivitates meæ*: mox subdidit: *Sex diebus facietis opus.*

Oportet quidem hoc tacere, dicere autem quæ sequuntur: *Dies septimus, quia Sabbati requies est, vocabitur sanctus.* Sed feriis connectens, *Sex diebus facietis opus*, ostendit quia primæ feriæ, sive festivitas apud legem operari est, operari autem bona, propterea enim ait: *Sex diebus facietis opus.*

Quia omnia valde sunt bona, quæcunque Deus in sex diebus constituit. Secunda autem festivitas, præcedentibus his operibus, septimæ diei requies est: quam festivitatem nemo celebrare, qui non operatus est bona opera et digna Deo, poterit. Nam nec frustra, Deus quippe erat qui loquebatur, qui nihil frustra loquitur, prius ait: *Sex diebus facietis opus*, et post hoc:

Dies septimus, qui Sabbati requies est, vocabitur sanctus. Sed ad ostensionem, ut si quis ad imitationem Dei bona agit et consequitur, hoc est in sex diebus operari: hic intelligibili requiescit Sabbato, de quo Paulus dicebat: *Timeamus, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ipsius, videatur ex nobis aliquis deesse* ¹⁹. Caret enim nunc illa requie, qui non operatur. Quæ et vocata san-

¹⁴ Matth. v, 16.

¹⁵ Matth. xviii, 23 seq.

¹⁶ Hebr. xi, 14.

¹⁷ Joan. 1, 5.

¹⁸ 1 Cor. xv, 28.

¹⁹ Hebr. iv, 1.

cia dicitur, quia vocatis, de quibus Paulus ait : *Avitates imperatoris sunt, in quibus victorias et tro-pæa contra hostes erexit, salvavit gentes, civitates acquisivit : sic et Christi, in quibus nostrum genus salvavit, et nostram captivitatem conquistavit, et hæreditatem ex gentibus sibimetipsi regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis constituit. Deinde cum oporteret dicere secundum LXX, hæ vocatæ sanctæ, quas vocabitis eas in festi-vitatibus vestris, hæc nostra translatio planius habet, dicens temporibus suis : non dixit sic de festi-vitatibus eorum, non illis qui serviunt figuræ, sed fidelibus, et suscipientibus festivitatem, has com-petere festivitates ostendens, quarum una est, de qua hæc dicit :*

Mense primo, quarta decima die mensis ad vesperum Phase Domini est. Primum mensem, tempus Dominicæ passionis recte dicimus in quo conveniunt maxime et hæc ad Moysen verba a Deo dicta : *Mensis hic vobis principium mensium, primus erit vobis in mensibus anni* ²⁰. Initium enim et ingressus novæ vitæ, et nunc a nobis inchoatæ conversationis est. Vespertina tempora, in quibus Dominus advenit, dicit. Joannes enim ait, *Filioli, novissima hora est* ²¹. Ad vesperum Pascha Dominicum factum est. Qui passus, non mox tempora finivit, sed reliquit novissimæ horæ et vespertinæ reliquias, in quibus oporteat currere prædicationem, et in quo omnem terram penetret salutare verbum. Sed et ad vesperum, sive medio vespertinorum Pascha proprium præveniens, crucem suam Christus celebravit. Die enim imaginariæ festivitatis Paschalis, quæ erat quarta decima post cœnam supersensibile verum Pascha, quod ad ejus mysterium pertinebat, discipulis tradidit. Ergo et nox erat jam, quando panem Judas de cœna illa accipiens, ad Domini traditionem exhibat. Sequenti autem die, quæ fuit quinta decima, Pascha crucis implebat. Propter quod in quinta decima mensis hujus die, festivitatem hanc agere legislator præcepit, et in ipsa celebritate solemnitatem azymorum Domini prædicavit. Si enim celebrare ei Pascha proprie et vere volumus, azymi ab omni malitia esse debemus, et multo magis a Judaico errore et vetustate. Unde postquam Paulus dixit, *Pascha nostrum immolatus est Christus*, D subdidit : *Epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitie, sed in azymis sinceritatis et veritatis* ²². Et non ad tempus, sed omni nostra vita a fermento malitiæ mundi esse debemus ; propterea ait : *Septem diebus azyma comedetis.* Per septenarium numerum de omni nobis vita præcipiens.

VERS. 4-7. « Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis, mense primo quarta decima die mensis ad vesperum, Phase Domini est, et quinta decima die mensis hujus solemnitatis azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque. Omne opus servile non facietis in eo, sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus. Dies autem septimus erit celeberrimus, nullumque opus servile fiet in eo. »

Age nunc si libet, Judæos interrogemus, cujus rei gratia non quinta decima die festivitatem agere jussit, in quo Pascha imaginarium fiebat, sed memoriam quidem facit -ejus, festivitatem tamen, prima azymorum, quæ erat post illam, fieri definiunt. Manifestum est autem, quia scire is qui legem accipit, quid intersit inter figuram et veritatem desiderat, et quia figuras scire, quoniam deducunt ad veritatem, dignum est, festivitatem autem agere tunc, quando veritas quæ in figuris continetur, advenerit, memoriam siquidem facit quartæ decimæ, quia figuram habebat. Festivitatem autem agere quinta decima præcepit, quia in ipsa verum est Pascha, de quo Paulus dicebat : *Pascha nostrum immolatus est Christus* ²³. Sed ipsos jam sermones discutiamus.

Hæ sunt feriæ Domini sanctæ quas celebrare debetis temporibus suis. Quare non dixit, *Feriæ Domino*, sed, *Feriæ Domini*? Aut forsitan illum auditorem legis contestans, quia non simpliciter festivitates has, de quibus est sermo, celebrari Deo lex præcepit, sed quia ejus sunt propriæ. Quia quemadmodum festi-

via dicitur, quia vocatis, de quibus Paulus ait : *Avitates imperatoris sunt, in quibus victorias et tro-pæa contra hostes erexit, salvavit gentes, civitates acquisivit : sic et Christi, in quibus nostrum genus salvavit, et nostram captivitatem conquistavit, et hæreditatem ex gentibus sibimetipsi regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis constituit. Deinde cum oporteret dicere secundum LXX, hæ vocatæ sanctæ, quas vocabitis eas in festi-vitatibus vestris, hæc nostra translatio planius habet, dicens temporibus suis : non dixit sic de festi-vitatibus eorum, non illis qui serviunt figuræ, sed fidelibus, et suscipientibus festivitatem, has com-petere festivitates ostendens, quarum una est, de qua hæc dicit :*

Mense primo, quarta decima die mensis ad vesperum Phase Domini est. Primum mensem, tempus Dominicæ passionis recte dicimus in quo conveniunt maxime et hæc ad Moysen verba a Deo dicta : *Mensis hic vobis principium mensium, primus erit vobis in mensibus anni* ²⁰. Initium enim et ingressus novæ vitæ, et nunc a nobis inchoatæ conversationis est. Vespertina tempora, in quibus Dominus advenit, dicit. Joannes enim ait, *Filioli, novissima hora est* ²¹. Ad vesperum Pascha Dominicum factum est. Qui passus, non mox tempora finivit, sed reliquit novissimæ horæ et vespertinæ reliquias, in quibus oporteat currere prædicationem, et in quo omnem terram penetret salutare verbum. Sed et ad vesperum, sive medio vespertinorum Pascha proprium præveniens, crucem suam Christus celebravit. Die enim imaginariæ festivitatis Paschalis, quæ erat quarta decima post cœnam supersensibile verum Pascha, quod ad ejus mysterium pertinebat, discipulis tradidit. Ergo et nox erat jam, quando panem Judas de cœna illa accipiens, ad Domini traditionem exhibat. Sequenti autem die, quæ fuit quinta decima, Pascha crucis implebat. Propter quod in quinta decima mensis hujus die, festivitatem hanc agere legislator præcepit, et in ipsa celebritate solemnitatem azymorum Domini prædicavit. Si enim celebrare ei Pascha proprie et vere volumus, azymi ab omni malitia esse debemus, et multo magis a Judaico errore et vetustate. Unde postquam Paulus dixit, *Pascha nostrum immolatus est Christus*, D subdidit : *Epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitie, sed in azymis sinceritatis et veritatis* ²². Et non ad tempus, sed omni nostra vita a fermento malitiæ mundi esse debemus ; propterea ait : *Septem diebus azyma comedetis.* Per septenarium numerum de omni nobis vita præcipiens.

VERS. 8. « Dies primus erit vobis celeberrimus et sanctus, omne opus servile non facietis in eo. »

Illud enim omnimodo servile esse opus spiritus innuit, de quo ait Dominus : *Amen amen dico vobis, qui facit peccatum, servus est peccati* ²⁴. Si enim

²⁰ Rom. viii, 28. ²¹ Hebr. xii, 13. ²² Hebr. iv, 9. ²³ I Cor. v, 7. ²⁴ Exod. xii, 2. ²⁵ I Joan. ii, 18. ²⁶ I Cor. v, 8. ²⁷ Joan. viii, 54.

verum celebramus Pascha, peccati servitium fugiamus : quia Christus, qui pro nobis passus est, a peccato nos et servitute ejus liberavit : non quia prima die omne opus servile non fieri præcepit, aliis autem diebus ideo opera agi servilia præcepit : vide ergo quid subdidit :

Sed offeretis sacrificium in igne Domino. Sive ut I.XX : Offeretis holocausta Domino septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior et sanctor, nullumque opus servile facietis in eo. Holocausta ergo septem diebus offerri præcipiens, abstinere etiam ab omnibus operibus servilibus in eis præcepit. Quomodo enim quis holocaustum Deo offeret, diabolo dignus, aut servilia agens? Deinde non solum primam, sed et septimam propterea nominavit, ut in prima et in septima totam comprehenderet vitam humanam. Illa enim initium, ista autem finem habet in qua omnia comprehenduntur. Videtur autem et hoc præcipere, ut is qui imbutur, sive initiator mysterio, nullum opus servile agat : oportet quippe illum agere, quæ libertatis sunt, quia nos Dominus liberavit per eum qui ei signatus est. Si autem aliquid post hoc egerit, quod ad servitum pertinet, peccans ut homo, saltem ejus, quæ ad finem est, libertatis diligentiam gerat, et intendat quo modo noster finis bonus efficiatur, quomodo septima dies, tempus videlicet, in quo transimus, omne opus servile non habeat. In eo enim in quo nos Deus invenerit, in ipso et judicare promittit. Propter quod et David, *In fine, ne corrumpas*, plurimos Psalmorum præscribit.

VERS. 9-14. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, et messueritis segetes terræ vestræ, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem. Qui levabit fasciculum coram Domino ut acceptabilis sit pro vobis. Altero die Sabbato, sanctificabit illum, atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domino, et libamenta offerentur cum eo duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domino odoremque suavissimum, liba quoque vini, quarta pars hin. Panem et polentam, et pultes non comeditis ex segete, usque ad diem quo offeratis ex ea Deo vestro, præceptum est sempiternum in generationibus, cunctisque habitaculis vestris. Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas usque ad diem alteram expletionis hebdomadæ septimæ, id est quinquaginta dies : et sic offeretis sacrificium novum Domino, ex omnibus habitaculis vestris. Panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini. Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, et vitulum de armento unum, et arietes duos, et erunt in holocaustum cum liba-*

mentis suis, in odorem suavissimum Domino. Facietis et hircum pro peccato, duosque agnos anniculos, hostias pacificorum. Cumque elevaverit eas sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum ejus. Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque sanctissimum, omne opus servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, et generationibus vestris. »

Quia longe a præsentī lege populus Judæorum est, ipsa docere nos verba possunt discussa. Arguuntur autem, neque secundum litteram implentes ea, nec spiritum intelligere, qui in eis est, valentes. Altero die prima videlicet azymorum offerre manipulum, et ovem immolare super eum præcepit. **B** die autem, in quo hoc fit, septem hebdomadas numerari, et alterum diem ultimæ hebdomadæ, sic Pentecostes celebrare festivitatem in his, quæ nunc dixit præcepit. Quidam autem sic inveniantur Pentecostes festivitatem celebrare. A prima enim azymorum, non autem a die, in qua manipulum, quæ prima azymorum in crastinum secunda videlicet dies, computantes celebrari sibi met. Pentecostem prædicant. Propter quod eis Dominus improprians quod secundum litteram non implerent : legem dicebat : *Et nemo ex vobis facit legem*²⁰. Ecclesia autem facit sicut nunc ostenditur.

Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis et messueritis segetes terræ vestræ, offeretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad sacerdotem. Qui levabit fasciculum coram Domino, ut acceptabilis sit pro vobis. Terram a Deo datam, evangelicam doctrinam et conversationem frequenter docuimus. Ipsa enim terra dicitur, propter fructus virtutum qui ex ea oriuntur. Ab ipso autem Deo data est, neque enim mediatore ad hanc usus est, sed proprio ea annuntiavit ore. Quando ergo ingressi sunt, et messuerunt segetes ejus, hi qui susceperunt salutare verbum. Illi enim sunt et messores, et intelligibiles segetes ad quos Dominus dicebat : *Messis quidem multa, operarii autem pauci, rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*²¹, quibus etiam verbi mysterium creditur, tunc messis sic matura erat, ut Dominus diceret : *Levate oculos vestros, videte regiones, quia albæ sunt jam ad metendum*²². Manipulum autem primitiarum, intelligibilis sacerdos Christus corpus proprium offerebat. Quia enim capitulum sive summa messis, verbi videlicet salutaris, et divinæ prædicationis mortuorum erat resurrectio, ita ut Paulus clamaret : *Viri Pharisei, de spe et resurrectione mortuorum ego judicor hodie*²³, oportebat satisfactionem sequi prædicationis, nam et subsequuta est. Veras enim manipulos, et veræ primitiæ nostræ messis, nunc intelligibilis sacerdos Christus, corpus pro-

²⁰ Joan. vii, 19. ²¹ Matth. ix, 37. ²² Joan. iv, 35. ²³ Act. xxiii, 6.

prium a mortuis suscitavit, de quo Paulus dicebat: *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium*²². Sed quando hoc factum est, altera die offeret illud sacerdos. Esse autem primam diem Dominicæ passionis, ea quæ ante hoc diximus, ostenderunt, in qua Dominus suam hostiam non sine ratione dispensavit. Sed quia prima azymorum hæc, et prima Paschalis festivitatis dicebatur, altera dies passionis resurrectio fuit: hujus rei gratia, cum potuisset dicere, secunda azymorum offeret hoc sacerdos, non sic dixit, ut non ad subsequentem diem deduceret nostram cogitationem, sed et in crastinum primæ. Dicit autem resurrectionem, quia quemadmodum crastinus dies hodierno succedit, sic successit Domini passioni resurrectio. Tu autem attende ea quæ in subsequentibus dicuntur, et verborum custodi distriktionem. Primum enim manipulum primitiarum, sacerdotem ostendit offerentem, post hoc autem ait: *Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cedetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domino.*

Volens nos in die qua celebramus Domini resurrectionem, et manipuli intelligibilem oblationem celebramus, non oblivisci Dominicæ sacrificii, ex quo nobis est oblatio manipuli: sed cedere agnum immaculatum anniculum in holocaustum Domino. Intelligibilem agnum, Domini traditionem immolantes mystice, et offerentes: ipsius autem, ut sacrificium cedentes memoriam fecit. Neque enim aliter, sed per ejus meditationem et virtutem a sensilibus ad intelligibilia transferuntur ea quæ in illo sacrificio peraguntur. Et quod hoc est sacrificium? *Duæ decimæ similæ conspersæ oleo.* Oportet enim scire perfectam humanitatem, et perfectam divinitatem temperare, id est in unum convenire in oleo, id est per eam quam circa nos habet compassionem: sic enim sacrificium odor suavitatis Domino invenitur, sapientibus nobis de eo quæ digna sunt. In quibus autem sacrificium, et per quos agitur, quomodo celebratur intelligibilis agni oblatio, quod sequitur ostendit. Neque enim in sanguine, neque per irrationabilia animalia, sacrificium a nobis Deus suscipit, secundum quod sequentia demonstrat, ait enim:

Liba quoque vini, quarta pars hñ, panem et polentam. Quia dubium futurum erat forsitan, a quibus mysterium sacrificii, quod per Christum est, quod superius diximus celebratur: habes ecce intelligibilis Melchisedec oblationem, quæ in pane et vino perficitur, in qua quarta pars hñ in libris vini offertur, ut per quartam Evangelicam traditionem, quæ in libris quatuor est: per libationem vero Dominicum sermonem significaret, cum ait: *Illic est meus sanguis qui pro vobis fundetur*²³: sine imminutione enim significare legislatori visum est Christi mysterium, propter quod et subdidit:

Et polentam et pulles non comedetis ex segete, usque ad diem quo offeratis ex ea Deo vestro. Præceptum est sempiternum in generationibus cunctisque habitaculis vestris. Sive secundum LXX: *Et fricta cedrinea non manducabitis, usque in illam ipsam diem quousque offeretis munera Deo vestro. Legitimum æternum in progenies vestras.* Novam conversationem inchoabimus, priusquam dies advenerit, antequam prædicta bona Deo offerrentur, ex quibus nobis, quæ est in Christo nova creatura, et nova conversatio annuntiata est, de qua ait Paulus: *Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt nova omnia ex Deo, qui reconciliavit nos sibi*²⁴. Oblatio enim præsentium donorum, quam esse mysterium Unigeniti ostendimus, reconciliavit nos Deo, et cibum nobis novæ polentæ et pultium, sive ut LXX, *cytrorum* præstitit. Non enim nova solum, sed et cytra, Christi præcepta sunt sive ut mollia: sic enim cytra alii interpretes ediderunt. Est ergo mollis evangelica prædicatio. Accipite, enim ait, *jugum meum, quia suave est*²⁵: sive ut manibus contrita et mundata: cytra enim et hoc interpretatur, quia Christi dogmata actionem exigunt et correctionem quod manus significant. *Præceptum est sempiternum in generationibus, cunctisque habitaculis vestris.* Nec enim locus, nec tempus immutat Christi mysterium, per quod floruit totus mundus, et totius terræ habitatio, concorditer ea quæ ad eum pertinent, custodit. Hæc autem legislator dicens, et resurrectionis describens, secundum modum quem oportebat, gratiam, ad Pentecostem, quam nos celebramus, sermonem convertit dicens:

Numerabilis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulitis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas usque ad alterum diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies, et sic offeretis sacrificium novum Domino. Quia hujus Pentecostes, neque tempus neque numerus a populo Judæorum custoditur, sufficienter in superioribus ostensum est, a nobis autem cum contemplatione, et littera custoditur. Planius ergo legislator intentionem suam demonstrare volens, ab altero die Sabbati numerari præcepit quinquaginta dies, Dominicum diem procul dubio volens intelligi: hic enim est altera dies Sabbati. In hac enim resurrectio facta est, qua hebdomadæ numerantur septem, usque ad alterum diem expletionis hebdomadæ. Dominica rursus die, Pentecostes celebramus festivitatem, in qua sancti Spiritus adventum meruimus. Non frustra eo septem hebdomadarum adventum custodientes, sed ut nos cognosceremus, quia nihil vetus, nihil sæculare præcepit Deus agere, nihilque corruptioni veteri proximum, qui cum cupiunt percipere. Et novum sacrificium Domino tunc offerri jussit, adveniens enim Spiritus totam nostram vitam renovavit, quod confirmavit Christi traditionem, et stabilivit conver-

²² I Cor. xv, 12. ²³ Marc. xiv, 124. ²⁴ II Cor. v, 17. ²⁵ Matth. xi, 50.

nationem quam in illis perfecit, ait enim: *De meo accipiet, et annuntiabit vobis*³⁶. Propter quod non alia hebdomadis die advenit, sed in qua resurrectio facta est, et manipulus intelligibilis oblatus est, ut et hoc probaret, quod nova conversatio, quæ nos renovavit, liberando a corruptione vetustatis resurrectione Christi, et sancti Spiritus adventu correctæ est. Manifestat autem oblatio ipsa speciem hostiæ quam præcepit fieri.

Et sic offeretis sacrificium novum Domino, ex omnibus habitationibus vestris. Panes primitiarum duos ex duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini, et offeretis cum panibus septem agnos immaculatos, anniculos, vitulum de armento unum, et arietes duos. Novum sacrificium dicens legis sacrificia ut vetera excludit, Evangelicam autem pro illis introduxit. Deinde addens, *de habitationibus vestris*, Ecclesiam significavit, eique offerri, quæ dicta sunt aptavit. Neque enim dixit: *Ex omnibus habitaculis vestris*: ut absolute ostenderet aliquod habitaculum præcipuum, de quo ait David: *Beati qui habitant in domo tua*³⁷. Et rursus: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*³⁸. Et panes quidem primitiarum duos, legem et Evangelium; panes enim sunt cibi animarum fidelium, continentes sunt autem et primitiarum, sive ut LXX, *separati*: quoniam omni quidem sapientiæ sunt præcipui: ab ea autem quæ exterior est, separati videlicet et sejuncti. Sunt ergo ex duabus decimis similæ fermentatæ, ex doctrina quæ perfectam Dei divinitatem et perfectam humanitatem tradit, nec aliter coqui nisi per talem doctrinam possunt. Sed primitiæ horum sunt Domino. Primus enim Dominus, qui legem perfecit, et Evangelium post hoc docuit: *Audite, quia dictum est antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis: Omnis qui irascitur fratri suo sine causa reus erit iudicio*³⁹. Conjunxit enim hic legem Evangelio, propter quod ejus primitiæ dicuntur. Quod et Lucas confirmans, primitias veras nobis ostendens, scripsit: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cæpit Jesus facere et docere*⁴⁰. Offerre autem eis septem agnos immaculatos anniculos præcepit, dona significans quæ sunt spiritus, de quibus Salomon in Proverbiis dicebat: *Sapientia edificavit sibi domum, erexit columnas septem*⁴¹. Planius autem Isaias tradidit, *Et requiescet super eum Spiritus Domini*⁴². Nec tacuit quæ, vel cujus numeri essent donâ, subintulit enim: *Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et implebit eum spiritus timoris Domini*⁴³. Agnos autem hæc appellat dona, ad ostensionem quia Spiritus sanctus unum est in Christo, de quo dictum est: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*⁴⁴. Unde nemo

potest dicere Christus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Ergo non extra rationem cum septem agnis vitulum de armento præsens continet oblatio, sed evidenter significat illum ex armento Abraham, Isaac, Jacob, et David secundum carnem factum. Huic arietes duos immaculatos conjunxit, excellentia mandata et virtutes, quas sequi alias velut oves oportet. In his enim, utpote intelligibilem inimicum ventilantibus, munimen et indemnitate habent. Quæ sunt autem hæc? *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me*⁴⁵. Maximum quippe mandatum est, vendere quæ habet et dare pauperibus: maximum autem sequi Christum, ut cum despectu quippiam possidendi, etiam omnia agere secundum voluntatem Dei Domini studeamus. Hoc est enim etiam sequi. Hæc ergo mandata, utpote propter immaculatam vitam et perfectam constituta, arietes appellantur, quia arietes omni grege excellentiores sunt. Horum sacrificium et libatio scientia videlicet et correctio: odor suavitatis est Domino, ille de quo Paulus dicebat. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem scientiæ suæ manifestat per nos, quia Christi bonus odor sumus*⁴⁶. Verumtamen non usque ad hæc oblationem Pentecostes statuit. Dicit autem et reliqua, quia maxime spiritui, cujus prædicta festivitas est, perfectio competit. Quid ergo ait? *Facietis et hircum pro peccato.* Penitentiam introducens sermonem. *Duosque agnos anniculos, hostias pacificorum.*

Illâ Pauli mandata significans, *Pacem meam*, inquit, *sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine quibus nemo videbit Deum*⁴⁷. Quæ quia per apostolicam linguam expressa erant, offerri ea præcepit cum panibus primitiarum quos esse Christi doctrinam diximus. In sequentibus rursus ait: *Cumque elevaverit ea sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino.* Secundum LXX autem sic: *Et separabit ea sacerdos separatione cum panibus primitiarum ante Dominum, cum duobus agnis*, significans cui Domino, ait. Cedentque in usus ejus sacerdotis offerentis ea, videlicet Christi. Ipse enim noster sacerdos, ipse noster Dominus est. Ipsius sicut panes primitiarum, sic et agni mandatorum prædictorum sunt, ipse enim erat, qui in Paulo loquebatur, ipse omnia, quæ dicta sunt, obtulit. Pacem enim de quo Paulus mandat, primus Dominus discipulis annuntiavit, et sanctimoniam, sicut sanctus sanctorum, super omnes custodivit, nam ipse erat de quo Gabriel virgini dixit: *Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*⁴⁸. Verumtamen si vis dici de quo sermo est, comprehendere excellentiam, confirmationem eorum quæ de eo dicta sunt, respice.

Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum, omne opus servile non facietis in eo. Legi-

³⁶ Joan. xvi, 14, 15. ³⁷ Ps. lxxxiii, 5. ³⁸ Ps. xxvi, 4. ³⁹ Matth. v, 22. ⁴⁰ Act. i, 1. ⁴¹ Prov. ix, 1. ⁴² Isa. xi, 2. ⁴³ ibid. ⁴⁴ Joan. i, 29. ⁴⁵ Matth. xix, 21. ⁴⁶ II Cor. ii, 14, 15. ⁴⁷ I Heb. xii, 14. ⁴⁸ Luc. i, 35.

timum sempiternum erit in cunctis habitaculis et generationibus vestris. Quid ergo in ea est: quod in his excellat? Ecce enim et alios dies sanctos appellat, sed et de hoc primum inquit, et appellabitis hunc diem celeberrimum, et post hoc: atque sanctissimum, ut in eo cognosceres quid et cum aliis commune, et quid in se proprium habet; in ipso enim gentium vocatio non prædicari solum, sed et operari cœpit, quando *Parthi, et Medi, et Elamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam, et Pamphiliam*, omnesque reliquæ gentes, quas Lucas dinumeravit, *audire apostolos, linguis suis magnalia Dei loquentes*⁶⁹, prædicantesque cœperunt. Nullum ergo opus servile in illo die faciamus, id est, quod ad servitutem pertinet, sed legitimum sempiternum in cunctis habitaculis et generationibus nostris servemus, nihil servile operantes in tempore, quo ad nos venit Spiritus, *quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, sicut Paulus scripsit⁷⁰.

VERS. 22. « Postquam autem messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam usque ad solum, nec remanentes spicas colligētis, sed pauperibus et peregrinis dimittētis eas. Ego Dominus Deus vester. »

Quia pietate plena sunt quæ nunc lege præcipiuntur, apertum est. Propter quod ea custodiri et secundum litteram oportet, sed majus eorum luerum contemplatio possidet. Tu autem hoc in eis nota, quia cum similia his superius præcepisset, non tamen eadem sancivit, hoc autem verborum ipsa immutatio demonstrat, ibi etenim ait: *Non complebitis messionem vestram*, hic autem: *Non secabitis eam usque ad solum*, ut differentiam ipsam ex permutatione verborum intelligamus. Terram fidei esse prædictam a lege Dei conversationem frequenter ostendimus: hujus messio, post resurrectionem Salvatoris a mortuis, et adventum sancti Spiritus, floruit. Et non quidem omnem scientiam quam habituri sumus, quando ad ipsum Deum venerimus, tradit verbum prædicationis: sunt autem quæ relinquit, utpote quæ nunc nobis revelari non possunt. Et propterea legem hanc in prædictis festivitatis interposuit, et ait: *Postquam messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam usque ad solum.*

In eo quod dicit: *Non secabitis eam usque ad solum*, ea significavit, quæ nobis ad plenam scientiam et perfectam desunt, propter quod et subdidit: *Nec remanentes spicas colligētis.* Ut non contendamus, neque frustra conemur ea quæ nostram fugiant scientiam. Et propterea de messura quæ cadere dicuntur, colligere nec possumus, sed relinquamus ea Christo quem significans legislator addidit: *Pauperibus et peregrinis dimittes eas.* Sive secundum LXX: *Pauperi et proselyto relinques ea.* Et quis est hic? Audi quod sequitur: *Ego Dominus Deus vester.*

A Pauper autem et hic dicitur, quia propter nos pauper factus est cum dives esset, ut illius paupertate nos divites essemus; sed et advena, quia etsi in propria venit, sui eum tamen non receperunt. Huic ergo ea relinques; solus autem scit quæ nobis remanent, propter quod nec colligere possumus, quæ ut ipse colligat, separata sunt, teste Paulo qui dicit: *O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus*⁷¹.

VERS. 24, 25. « Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filiis Israel: Mense septimo prima die mensis, erit vobis Sabbatum memoriale clangentibus tubis, et vocabitur sanctum. Omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum Domino. »

Septenarium numerum evidentem gerere et indubitabilem consummationis figuram sive uniuscujusque nostrum, sive generalem, multa quidem et alia ostendunt, illud autem maxime, quia Deus in die septima cessavit ab operibus suis, dans nobis ex ipsa requiem nostram conjicere, de qua Paulus ait: *Qui enim ingressus est in illam requiem, requievit ipse ab omnibus operibus suis, quemadmodum et a suis Deus*⁷². Sed initium consummationis temporum, Domini est adventus propter quod illud novissimam horam Joannes evangelista appellavit, ait enim: *Filioli, novissima hora est*⁷³. Sed et Jacobus: *Ecce judex ante januam stat*⁷⁴. Hoc tempus primam septimi mensis sicut principium consummationis, recte lex appellavit. Est etiam nobis requies; quia nos ab operibus malis carnis refecit, et a jugo gravi liberavit: *Venite enim, inquit, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*⁷⁵. Et rursus: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris*⁷⁶. Hoc et memoriale tubarum est: prædicat enim Salvatoris resurrectionem, quæ memoriale est communis mortuorum resurrectionis, quæ in voce tubarum magnarum et terribilium efficitur: *In jussu Dominico, in voce archangeli, in tuba Dei*⁷⁷, sicut Paulus docuit. Hoc tempus vocabitur sanctum Domino, quia vocationem, quæ in sanctificatione est, possidet: ex qua adoptio, quæ ad eum pertinet vocatis efficitur: *Omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum Domino.*

Non est enim jam tempus opera servilia agere, quia sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium, in quo gesta sunt opera servilia, et debemus, quemadmodum exhibuimus membra nostra arma iniquitatis ad iniquitatem, ita exhibere membra nostra arma justitiæ, in sanctificatione⁷⁸. Hoc est enim iterum holocaustum.

VERS. 27-32. « Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Decimo die mensis hujus septimi dies expiationum erit celeberrimus, et vocabitur

⁶⁹ Act. 11, 10.⁷⁰ II Cor. 11, 17.⁷¹ Rom. 11, 33.⁷² Hebr. 14, 10.⁷³ I Joan. 11, 18.⁷⁴ Jac. 7, 9.⁷⁵ Matth. 11, 28.⁷⁶ ibid. 29.⁷⁷ I Thess. 14, 15.⁷⁸ Rom. 11, 13, 19.

sanctus, affligetisque animas vestras in eo et offeretis holocaustum Domino. Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus, quia dies propitiationis est, ut propitiatur vobis Dominus Deus vester. Omnis anima quæ afflicta non fuerit in die hoc, peribit de populis suis. Et quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo. Nihil ergo operis facietis in eo. Legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus et habitationibus vestris, Sabbatumque requiei est; affligetis animas vestras. Die nono mensis septimi, a vespere usque ad vesperum celebrabitis Sabbata vestra. »

Recte Paulus Corinthiis de Judæis scripsit: *Hæc omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt autem ad nostram correptionem, in quos fines sæculorum devenerunt* ⁶⁰. Quod enim in fine sæculi actum est Salvatoris mysterium, quæ et quanta ex eo dispensata sint, plane per præsentia legislator significavit. Quid ergo nobis innuit, vel quid sancit gratia Christi, et prædicatio ejus? Spem utique mortuorum resurrectionis, vitam cum modestia, et humilitate, et in ciborum abstinentia, et quæ est in despectu præsentium, atque despectu possidendi, aliisque virtutibus: quas agentes, tanquam incolæ hac terra utimur, utpote non ad longum tempus, sed ad perparvum in eo ponentes tabernacula, quia eorum quæ dicta sunt, unumquodque in hac plenitudine temporum per evangelicam nobis conversationem prædicta sunt. Septimum mensem, hic enim numerus consummationem temporum significare consuevit, omnibus figuris et necessarie conservavit. Dividens autem ea, spem mortuorum resurrectionis, per neomenias septimi mensis superius significavit, in qua et tubarum memoriale posuit, quia in tuba Dei exspectamus mortuos resurgere. Eam autem, quæ est in humilitate, et ciborum abstinentia vitam, per decimam mensis, de qua nunc loquitur (in transitu enim sæculo uti, et exitum de eo exspectare, per festivitatem, quam a quinta decima incipere, post paululum invenies eum dicentem), significat. Sed quæ pertinent ad præsentia, perscrutemur.

Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Decimo mensis hujus septimi die expiationum erit celeberrimus, et vocabitur sanctus, affligetisque animas vestras in eo die nono mensis a vespere. Ostendere propitiationem nobis a peccatis videlicet liberationem in humilitate, et afflictione animæ acquiri legislator desiderat. Hanc autem agere a vespere debemus, id est, ex ipsa pœnitentia, sicut incipientes: quia et Christus initium suæ prædicationis pœnitentiam fecit. Sed pœnitentiæ vitam bonam superædificare, perfectamque et virtutibus consummatam, necesse habemus. Et propterea subdidit:

Et offeretis holocaustum Domino. Omne opus non

facietis in tempore diei hujus. In holocausto quidem, consummatam vitam, et perfecte inhærentem Domino: in non faciendo autem omne opus terrenorum operum abstinentiam ostendit: ergo et nimis consequenter addidit: *Quia dies propitiationis est, ut propitiatur vobis Dominus Deus vester.*

Utraque hæc ostendens, quia et hoc est tempus ad propitiationem nobis a Deo donatum, in quo peccata nostra veniens Dominus diluit, et quia in quo hæc exspectamus tempore nihil debemus terrenorum agere. Deinde legem protrahens, et Christo advocacionem præbens, qui dixit: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* ⁶¹, ait: *Omnis anima quæ afflicta non fuerit in die hoc, peribit de populis suis.* Neque enim sequitur Christum, qui hæc sancivit, et in tantum semetipsum humiliavit, ut Paulus de eo diceret: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* ⁶².

Sed et quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo meo. Nihil ergo operis facietis in eo. Legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus et habitationibus vestris. Sic hoc dixit tanquam si populo Judæorum præceptum sit: sic autem se non habet: omnibus enim lex communis est, quia et ad omnes Dominus dicebat: *Operamini non cibum qui perit* ⁶³, nihil volens nos operari terrenum. Bene ergo et sapienter custodiam vacationis producere ad majorem contemplationem volens, addidit: *Sabbatum requiei est.* Vel sicut LXX: *Sabbata Sabbatorum erunt vobis.* Ut per hoc intelligibile intelligamus Sabbatum, quod Judæorum excedebat infirmitatem, quemadmodum et Sancta sanctorum; propter quod eis nec Sabbata erant. Sed et canticorum Cantica; non intelligunt enim eorum quæ ibi scripta sunt virtutem. Et omne quod secundum legem anagogen recipit, hoc excedere Judæorum mensuras intelligamus. Jam autem vide, quibus sermonibus usus est: *Et affligetis animas vestras. Die nono mensis septimi a vespere usque ad vesperum celebrabitis Sabbata vestra.* Recapitulat ergo humilitatis verbum, quia frequenter illud Christus docuit, quasi coronam autem illam, et virtutum basim atque subsistentiam, apostolis constituit. Inquisitus enim, *Quis major esset in regno cælorum,* respondit: *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus hic, iste major est in regno cælorum.* Quod autem dixit: *A vespere usque ad vesperum,* aperte volentis est semper superfluum et vanorum vacationem studeri. Unde Dominus nec causam dicere concedit; præcepit enim, neque de tunica, neque de veste litigare ⁶⁴, sed nec cogitare quid comedatur, aut quid bibatur, aut quid vestiatur ⁶⁵, verum ipse docens, et Sabbatorum annuntians Sabbatum, in quo omne cessat, et sola quæ Dei sunt, ostenduntur, sola porriguntur quæ utilia sunt, atque expediunt animæ.

⁶⁰ I Cor. x, 11. ⁶¹ Matth. xi, 29. ⁶² Philip. ii, 8. ⁶³ Joan. vi, 27. ⁶⁴ Matth. xviii, 4. ⁶⁵ Matth. vi, 25, 28.

Vers. 33-36. « Et locutus est Dominus ad Moy-
sen, dicens : Loquere filiis Israel : A quinto deci-
mo die mensis hujus septimi, erunt feriæ taberna-
culorum septem diebus Domino. Dies primus voca-
bitur celeberrimus atque sanctissimus. Omne opus
servile non facietis, et septem diebus offeretis holo-
causta Domino. Dies quoque octavus erit celeberrimus
atque sanctissimus, et offeretis holocaustum
Domino. Est enim cœtus atque collecta. Omne opus
servile non facietis in eo. »

Hic usurpare sapientiam sæculi et transitorium
ejus nosse, et temporale, non solum ait legistato-
rem significare, sed et oportere oculum habere ad
sæculum futurum. Hoc ergo et per numerum, et
per tabernacula sine aliqua dubitatione invenies fi-
guratum. Quinta decima siquidem die inchoari festi-
vitatem præcepit. Ex septem autem et octo hic
est numerus compositus, quorum unus quidem
præsens sæculum, alter autem figurat futurum. Unde
et festivitatem septem diebus consummari præci-
piens, alios rursus dies celeberrimos atque sanctis-
simos commemoravit, et nec dinumeravit eam
cum septeni, sed posuit sequentem, et semotam ab
aliis, sicut futurum sæculum sequitur quidem præ-
sens, aliud autem quam hoc est. Septem ergo die-
bus festivitatem Tabernaculorum appellavit. Quicun-
que enim ut tabernaculo præsentem mundo utitur,
hic festivitatem in eo habere, et lætari propter
futuri expectationem potest, et quicumque scit,
quia si terrena domus habitationis hujus dissolvatur,
ædificatio non manufacta eum in cœlis suscipiat.
Primam autem septem dierum celeberrimam
atque sanctissimam appellavit. Qui enim scit præ-
sentibus tanquam tabernaculo uti, prima dies, id
est initium et principium a sanctificatione voca-
tionis incipit, propterea et nimis consequenter ait :
Omne opus servile non facietis. Quia nulli in sæculo
serviunt, qui tanquam tabernaculum et transitoria
ea quæ in eo sunt, attendunt. Sed et septem diebus
holocausta offerri præcepit, ostendens oportere per
omne tempus perfectam conversationem sequi.
Quando ergo sic præsentem vitam percurrimus,
tunc celeberrimum atque sanctissimum octavum
diem, seculum videlicet futurum habemus, vocante
nos in præparata sanctis bona, eo qui nos et in
hac conversatione vocavit : nam et LXX sic edide-
runt : *Dies octavus vocalis sanctus erit*. Tunc ergo offer-
rimus holocausta Domino quæ hic præparaverimus.

Est enim cœtus atque collecta. Vel sicut LXX :
Egressus est, quia hinc exitus, illic habitatio est,
sicut ait Paulus : *Cupio dissolvi et esse cum Chri-
sto*⁶⁶. Omne opus servile non faciemus, quia sicut
angeli Dei tempore illo erimus. Sed et hoc nota,
quomodo eadem de primo et octavo dicit, quia
unius quomodo uterque virtutis sunt, resurrectionis
quippe dies quæ est substantia futuri sæculi,

initiumque ejus et basis. Primus quidem, sicut
principium in Christo conversationis, et exordium
futurorum est. Octavus autem, ut qui præsentem suc-
cedit sæculo quem septimus numerus significare
dicitur. Sed et si quis hic sicut in tabernaculo habi-
tat, et sicut pertransiens mundum, hic vivit : iste
etsi necdum re, tamen rei virtute jam futurum sæ-
culum habet : id agens, quod neque ad materiam
pertinet, neque ad inquietudinem, quod illius est
proprium propter quod et Dominus apostolis, ut-
pote talem hæreditatem eligentibus vitæ, dicebat :
*Regnum Dei intra vos est*⁶⁶. Sed et illud secundum
LXX notandum est, quia primum quidem vocalem
sanctum sine additamento et distinctione nomina-
vit. De octavo autem vocalem sanctum dicens, ad-
didit, *erit vobis*, ut quod dixit : *erit*, ex eo futurum
significaret, distinctionem autem ejus, quod dixit,
vobis, ostenderet : quia primus quidem omnibus vo-
calis et sanctus est, quia omnes hic et sine distinc-
tione, ad sanctificationem, et ad bene vivendum,
et ad cursum hæreditatis futurorum bonorum Do-
minus vocavit, nam et sine ulla distinctione prædi-
cabat : *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati
estis, et ego reficiam vos*⁶⁷. In futuro autem vocatio
hæreditatis bonorum, non omnium est, sed eorum,
qui præsentem vocationem susceperunt, et taber-
naculorum festivitatem, scientes quia præterit fi-
gura hujus mundi, custodierunt. Propter quod
vobis dixit illis exclamans, qui sic vixerunt. Hæc
se ita habere, ipse iterum ostendit : qui enim hic
dixit : *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati
estis, et ego reficiam vos*, in requiem videlicet fu-
turi, sic rursus quædam dicit de futuro : *Venite,
benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis
præparatum est*⁶⁸ : subtrahens hoc quod dixerat,
omnes : quia *multi quidem vocati, pauci vero
electi*⁶⁹.

Vers. 37, 38. « Hæ sunt feriæ Domini, quas vo-
cabitis celeberrimas atque sanctissimas, offeretis-
que in eis oblationes Domino holocausta et liba-
menta, juxta ritum uniuscujusque diei, exceptisque
Sabbatis Domini, donisque vestris et quæ offeretis
ex voto, vel quæ sponte tribuitis Domino. »

Vide illas apostolicas voces : *Semper gaudete,
sine intermissione orate, in omnibus gratias agite*⁷⁰.
Consona videntur esse hæc præsentibus Mosaicæ
sanctionis verbis. Ecce enim festivitates quasdam
præcipuas legislator exponens, quas et celeberrimas
atque sanctas nominavit, permiscuit eis quo-
tidiana libamina et sacrificia.

*Hæ sunt enim feriæ Domini quas vocabitis cele-
berrimas atque sanctissimas*. Et cum oporteret hanc
aut illam dicere, non sic dixit, sed subdidit : *Offere-
tisque in eis oblationes Domino holocausta et liba-
menta, juxta ritum uniuscujusque diei*. Et ipse nos
gaudere, et festivitatem agere, et sine intermis-

⁶⁶ Philip. i, 25. ⁶⁷ Luc. xvii, 21. ⁶⁸ Matth. xi, 28. ⁶⁹ Matth. xxv, 34. ⁷⁰ Matth. xxii, 14. ⁷¹ I Thes. v, 16-18.

sione orare vult. Hoc est ergo quotidiana libatio, et sacrificium, sive holocaustum, quæ tunc offerre possumus, quando corpora nostra hostiam vivam Deo exhibuerimus et membra nostra, quæ sunt super terram, mortificaverimus, paratique fuerimus ire ad Dominum, cum Paulo dicentes: *Ego enim jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat*⁷¹. Propter hoc addidit: *Exceptisque Sabbatis Domini, donisque vestris, et quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuitis Domino.*

Aperte illud tradens, quia super declinationem malorum, hoc est Sabbatum, et super alias justitias, quas Deo secundum tempus promittimus, aliquando ei jejunium, aliquando possessionum oblationem, vel in periculis venientibus nobis, vel voluntarie promittimus: propterea votorum et spontaneorum quotidiani ministerii Deo atque perpetui sacrificii, siquidem actio justa est, debitores sumus, ut nostram omnem ei vitam offeramus, dicentes quemadmodum et Paulus dixit: *Vivo autem non jam ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me*⁷²: propter quod et nos offerre ei vitam nostram oportet, quia et ipse semetipsum pro nobis obtulit.

VERS. 59-44. « A quinto decimo ergo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus. Die primo et die octavo erit Sabbatum, id est requies. Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ: spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætabimini coram Domino. Deo vestro, celebrabitisque solemnitate[m] ejus septem diebus per annum: legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis, et habitabitis in umbraculis septem diebus. Omnis qui ex genere est Israel, manebit in tabernaculis, ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. Locutusque est Moyses super solemnitatibus Domini ad filios Israel. »

Tutos nos legislator esse præcipit sæculi futuri, et præsentem vitam ad illud coaptare. Propterea cum compleret festivitatum verbum, iterat nunc tabernaculorum festivitatem, quia totius legis summa est non inhiare præsentibus, neque adhærere terrenis, sed scire quia inquilini in ea et peregrini sumus, sicut omnes patres nostri.

A quinto decimo ergo die mensis septimi. Esse mensem septimum completionem sive plenitudinem temporum diximus. Quintus decimus autem, utpote ex septem et octo constans evangelicam prædicationem, quæ ex præsentem vita et futura consistit, significat, hanc componens, illam præparans. Quando congregaverimus omnes fructus ter-

rae, ab operibus videlicet terrenis cessantes: festa celebremus septem dies, id est totam nostram demus vitam in divina festivitate celebranda: *Die autem primo requies, et die octavo requies.*

Non jam septimo, cum numero septem dierum festivitatem agi proposuisset, sed octavo, primum quidem, quia his qui secundum litteram legem tenent, festivitatem celebrare non licet, novo enim segregatus est populo, qui scit legem secundum spiritum accipere, et octavum honorare, quem diximus significare mortuorum resurrectionem. Secundo, quia unam virtutem habent et primus et octavus; quia octavus ipse est et primus, quia ipse est principium futuri sæculi. Deinde primus dies, qui est initium factæ prædicationis, in fine sæculorum requiem continet. Requiescere enim nos facit, cum nos a peccatorum laboribus liberat, per donum baptismatis cujus quia figuram inundatio gerebat, quæ creaturæ per Noe aquarum diluvio venit, recte de hoc dicebatur: *Hic requiescere nos faciet ab omnibus operibus nostris, et de reliquiis manuum nostrarum, et a terra cui maledixit Dominus Deus.* Simulque primus dies, exordium videlicet prædicationis, promittit posteriorem requiem, quam octavus habet, id est, mortuorum resurrectio, et regnum futuri sæculi, de quo psalabat David: *Exsurge, Domine, in requiem tuam*⁷³. Quia enim utramque requiem exordium evangelicæ prædicationis possidet, audi quid primum Christus humano generi prædicavit: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*⁷⁴. Per pœnitentiam a laboribus vitæ quæ in peccatis est, requiem prædicans, et spem in regno cœlorum futuræ requiei. Sed primus quidem habet requiem a peccatorum laboribus. Ab eo tamen, qui vocatus est superædificari huic requiei, virtutum operationem exigit. Propter quod Dominus dicit: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris*⁷⁵. Subinfert: *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve*⁷⁶: hanc quæ est cum requie operationem virtutum mandans. Hic autem legislator, cum festivitatem prædicasset septem dierum, primum ejus diem requiem appellavit: tacet autem sequentes dies, ut per hoc significet oportere virtutibus operam dare. Deinde ad octavum diem transfert requiem, ostendens, quia fideles et servientes legi Dei, vera requies sæculi futuri est. Quid ergo nos in tota vita operari, et unde inchoare operationem oportet?

Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætabimini coram Domino Deo vestro, celebrabitisque solemnitate[m] ejus septem diebus. Quod oporteat per omnem vitam virtutibus operam dare, quas in fructibus et ramis prædictorum lignorum significavit, ipse numerus te septem dierum absque ulla

⁷¹ II Tim. iv, 6. ⁷² Gal. ii, 20. ⁷³ Psal. cxxv, 8. ⁷⁴ Matth. iii, 2. ⁷⁵ Matth. xi, 28. ⁷⁶ ibid. 29

dubietate confirmat. Quia vero ex ipsa inchoare A debemus vocatione, ex qua prædicta est Christi intelligibilis requies, quæ prima est festivitatis dies, manifestum est: quem diem superius appellavit requiei. Nunc autem in eo fructus arboris pulcherrimæ sumere præcepit, illos videlicet, quos in primo Psalmo David cantavit: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*⁷⁷: Pulchrum enim dicit temporaneum, et opportunum, id est qui in tempore est, et virtutis opportunis temporibus peragitur, ut nullatenus in tempore justitiæ, fugientes eam, declinemus ad compassionem. Ait enim: *Non misereberis pauperi in iudicio*⁷⁸. Quia et justitia, et compassio, et quodlibet dixeris, suum tempus opportunum habet, sicut Paulus dicit: *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem*⁷⁹. Et Salomon ait: *Omnis rei tempus: tempus tacendi, et tempus loquendi, tempus belli, et tempus pacis*⁸⁰: et multa his similia. Unde et Saul condemnatus est, quia Agag extra tempus pépercit, et compassus est, quo tempore eum hoc non oportebat facere⁸¹: nec oportebat eum parcere, cum Deus jussisset totum Amalech disperdi. Si ergo fructus arboris sumpseris, de quibus ait Joel: *Notite timere animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti, quia et lignum attulit fructum suum*⁸²: Sed et Cantica Canticorum: *Sub umbra ejus quam desideravi, videlicet Christi, sedi; et fructus ejus dulcis gutturi meo*⁸³. Pulcherrimum sume, omnia enim quæ fecit Deus, et bona sunt in tempore suo. Sed et Paulus ait: *Omnia vestra honeste secundum ordinem fiant*^{84,85}: quod oporteat aptari virtutes tempori significans. Ergo fructus arboris pulcherrimæ, principaliter Christus, fructus illius ligni est, de quo in Isaia dictum est. *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet*⁸⁶: Dei genitricis videlicet virginis. Secundum LXX. *Ipse fructus speciosus*. Omnia enim ipse dispensat tempore opportuno. Si autem aliquid secundum ejus legem, et zelum est, quod correctum fuerit in verbo, aut in opere, hoc etiam fructus speciosus recte dicitur. Sumere autem et spatulas palmarum, id est juvenescentia justitiæ genimina: *Justus enim sicut palma florebit*⁸⁷, David dixit. Sed quia de palma nihil est, quemadmodum nec de eis qui juste vivunt, quod respu possit:

Sume et ramos ligni densarum frondium. Omnes quidem virtutum fructus, maxime autem misericordiam: oportet enim eam esse continuam, et permanentem. Quod Ecclesiastes commendans. *Oleum, inquit, de capite tuo non deficiat*⁸⁸. Et in Proverbijs: *Non dicas: Vade et revertere et crastino dabo tibi, cum statim possis dare*⁸⁹.

Sume et salices. Secundum LXX, κλάδος, ramos, id est, continentia, castique conjugii. Salix enim continentiam significat, quia fructum non facit: sicut nec continentes, qui sunt veri eunuchi, qui castraverunt se propter regnum cælorum, fructum quemlibet sensibilem faciunt, ad quos Deus per Isaiaem prophetam dicit: *Non dicat eunuchus: Quia lignum aridum ego sum: quia dabo eis in domo mea, et in muris meis locum nominatum, melius a filiis et filiabus, nomen sempiternum dabo eis*⁹⁰. Dicimus autem salicem gerere orationis, nec non poenitentia figuram. Sic ergo et illud quod a David dictum est, intelligamus: *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui Sion. In sulcibus, in medio ejus suspendimus organa nostra*⁹¹. Orationis enim, et poenitentia lacrymia, de quibus ait Isaia: *Sicut salices super præterfluentes aquas*⁹², continentem commisionis necessariam habent, in tempore quo offeruntur: quod demonstrat Paulus: *Nolite fraudare invicem dicens, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, quia castum oportet esse conjugium*⁹³. Ipse rursus ait. *Salvabuntur autem per filiorum procreationem, si permanserint in fide, et charitate, et sanctificatione, cum sobrietate*⁹⁴. Et iterum: *Honorable connubium, et thorus immaculatus*⁹⁵. Sed hæc de torrente sumere, de præsentis videlicet vita, torrens enim propter transitum, sive decursum simul autem et propter hyemem, quam habet diversarum tentationum, atque tribulationum, recte nominatur, ita ut David de Christo diceret, quia et ipse de mundo et ejus tribulationibus, utpote similis nobis effectus, gustavit: *De torrente in via bibit, propterea exaltavit caput*⁹⁶. Exaltavit enim in cruce pendens. Crucifigitur autem, quia ex nostro torrente bibere semel elegit. Qui ergo hæc agit, septem diebus totum videlicet tempus, lætari potest. Sed lætari ante Dominum non impiorum, et peccatorum gaudio. *Non est etenim gaudere impiis, dicit Dominus*⁹⁷, quippe qui in voluptatibus, et corruptionibus festivitatem habent, sed in Domino lætamini. Quid autem est coram Domino lætari? Id est, in eo credere, et pro eo pati. Hoc enim Petrus gaudium ex quo constat, demonstrat. Scripsit ergo. *Per fidem ad salutem, paratum revelari in tempore novissimo in quo exsultabis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus*⁹⁸. Sic novissimorum temporum figuram gerit septimus mensis. Festivitas et gaudium per fidem, quæ est in Christo, et pro passionibus ejus. Sed quomodo hanc festivitatem consummare et concludere debeamus, ostendunt hæc legislatoris verba.

Celebrabitisque festivitatem ejus septem diebus per annum. Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis, et habitabi-

⁷⁷ Psal. 1, 3. ⁷⁸ Exod. xxiii, 3. ⁷⁹ I Cor. vii, 27. ⁸⁰ Eccl. iii, 1 seq. ⁸¹ I Reg. xv, 8. ⁸² Joel. ii, 22. ⁸³ Cant. ii, 3. ^{84,85} I Cor. xiv, 40. ⁸⁶ Isa. x, 1. ⁸⁷ Psal. xci, 13. ⁸⁸ Eccl. ix, 8. ⁸⁹ Prov. iii, 28. ⁹⁰ Isa. lvi, 4, 5. ⁹¹ Ps. cxxxvi, 1, 2. ⁹² Isa. xv, 44. ⁹³ I Cor. vii, 5. ⁹⁴ I Tim. ii, 9. ⁹⁵ Hebr. xiii, 4. ⁹⁶ Ps. cix, 7. ⁹⁷ Isa. lvii, 21. ⁹⁸ I Petr. i, 6.

*tis in umbraculis vestris septem diebus. Ut toto præsenti sæculo, quemadmodum tabernaculo utamur, sic enim eum Ezechias appellavit, dicens: Quievit generatio mea, ablata et convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum*¹⁹. Non ergo transitum vel decursum ejus ignoramus, divitias congregantes, vel domos magnas ædificantes: sed quemadmodum Paulus ait: *Intendamus, quia tempus breve est, ut ementes sicut non ementes simus, et possidentes, tanquam non possidentes, et utentes mundo hoc, ut non utentes. Præterit enim figura mundi hujus*¹.

*Omnis qui ex genere est Israel, manebit in tabernaculis, ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum eduxerim eos de terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. Vides quia figuræ hæc populo Judæorum, et imagines majorum mysteriorum datæ sunt: et propterea habitare in tabernaculis, et tabernaculorum festivitatem celebrare jussi sunt, ut non obliviscerentur liberationis Ægyptiæ: sed hoc quidem secundum litteram, spiritaliter autem ut reminiscamur, quia de intelligibili Ægypto liberati sumus, id est ab intelligibilis Pharaonis servitute, quæ est secundum corruptionem laterum præsentis sæculi, qua si quis plene carere vult, in tabernaculis habitet, Deum suum imitans dicentem: *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidum: Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*². Manebit autem*

A omnis qui ex genere Israel est, sive secundum LXX. *indigena*, id est vere nobilis, verus Israelita Abrahæ hæres, qui patriam et genus, et domus paternas reliquit, et in tabernaculis cum Isaac et Jacob, colæredibus promissionis habitat. Quia autem non septem tantum diebus habitare in tabernaculis verum Israelitam legislator vult, sed per hunc numerum omnem vitam significat, filii hoc Jonadab, filii Rechab, et ea quæ de eis scripta sunt per Jeremiæ prophetiam, docent. Habent enim sic: *Et obedivimus voci Jonadab filii Rechab patris nostri, in omnibus quæ præcepit nobis, ita ut non biberemus vinum, cunctis diebus nostris, nos et mulieres nostræ, et non ædificaremus domos ad habitandum, et vineam, et agrum, et sementem non habuimus, sed habitavimus in tabernaculis, et obedientes fecimus juxta omnia quæ præcepit Jonadab pater noster*³. Sic supernam quietem, et non dispersitiam vitam, et sine aliqua vexatione justit studuerunt, qui potuerunt intelligere spiritalem fructum tanquam lotrum inter folia cælatum litteræ. Has filiis Israel festivitates Moyses locutus est, in quibus nos lætemur, festa celebrantes in lege Dei, et quæ ab eo ordinata sunt, secundum intentionem ejus agentes, et pro materia quæ vexat hominem, partem bonam eligamus, charitatem Patris, gratiam Filii, societatem sancti Spiritus. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT XXIV.

VERS. 1-4. « Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Præcipe filiis Israel, ut offerant tibi oleum de olivis purissimum ac lucidum, ad concinnandas lucernas jugiter extra velum testimonii, in tabernaculum sæderis. Ponetque eas Aaron vespere usque in mane coram Domino cultu, rituque perpetuo in generationibus vestris. Super candelabro mundissimo ponentur semper in conspectu Domini. »

Plena et nunc bonis multivaria, et multimoda lex spiritus, nec enim exquirere ea quæ sunt ad correctionem placentium Deo et quæ perpetuam vitam nobis conquirant, cessat. Cujus ergo figuram hoc, quod nunc expositum est a lege, candelabrum, et lucernæ, et oleum gerant, ex verbis ipsis legens discere potest, illud Pauli, quod ad Hebræos scripsit, ad memoriam prius revocans: *Habitu quidem et prius justificationes culturæ, et sanctum sæculare. Tabernaculum enim factum est pri-*

*um, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum*⁴. Deinde quomodo hæc quæ talia sunt, intelligentur exponens ipse rursus Hebræis, *umbram habere legem*⁵ dixit. Ergo per umbram, corpus exquiramus: Candelabrum ergo dicimus esse evangelicam conversationem, in qua Christus lucernæ modo exsplendere virtutes præcipit: *Nemo enim, inquit, accendens lucernam, ponet eam sub medio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt*⁶. Illis lucernis oleum eleemosyna est, quia et jejunium, et virginitas, et oratio, et justitia, et omnis actio bona per misericordiam dilectionis pauperum irrigatur, et custodiuntur inextinguibiles. Quod manifestant lampades quinque fatuarum virginum⁷: quæ, quia dilectionis pauperum minus habuerunt oleum, a sponso exclusæ sunt. Sed oportet oleum esse olivarum purissimum, ut non ex injustitia, neque ex rapacitate dilectioni pauperum serviamus, neque ad ostentationem. De olivis autem est, si ex bonis laboribus, et ex justi-

¹⁹ Isa. xxxviii, 12. ¹ I Cor. vii, 29-31. ² Matth. viii, 21; Luc. ix, 58. ³ Jer. xxxv, 6-10. ⁴ Hebr. ix, 1, 2. ⁵ Hebr. x, 1. ⁶ Luc. viii, 16. ⁷ Matth. xxv, 1 seqq.

tiæ pecuniis, vel possessione periciatur : hæc enim olivæ umbrosæ, et fructuosæ recte appellantur. Lucidissimum autem, ut non pro gloria humana eleemosynam faciamus. Oportet ergo lucernam hanc semper accendi, extra velum videlicet corporis Christi : hoc enim esse intelligibile velum, per multa præcedentia demonstratum est. In tabernaculo autem fœderis, sive ut LXX testimonii, id est in cœlo, in quo habitare Deum manifestum est : utrumque ergo a legislatore dictum est : Si enim quæcunque facimus pauperibus ⁹, hæc tanquam sibi facta, is qui propter nos factus est pauper, imputat, recte ante corpus Dominicum lucerna eleemosynæ incenditur, sed tamen et in cœlo : ibi enim suos thesauros misericordes permittunt. Propter quod succendat eam Aaron, sive secundum LXX, et filii ejus. Christus enim, qui est verus sacerdos, pauperum compassionem cepit. Imitantur autem eum, quicumque ejus lucrari adptionem volunt.

Ponetque eas Aaron, vel sicut LXX incendunt eas Aaron, et filii ejus a vespere usque mane. Id est sine cessatione, quia et Salomon dicebat : Oleum de capite tuo non deficiat ⁹, ut oporteret eleemosynæ lucernam incendere continue ostendens, et hoc ipsum coram Domino, sicut ipse Dominus dixit : Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut eleemosyna tua sit in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi ¹⁰.

Hanc legem habeamus cultu rituque perpetuo in generationibus nostris super candelabro mundissimo. Id est evangelicam conversationem, secundum quod jam diximus. Ab omni enim hæc ironia, et hypocrisi munda est, utpote lucernas eleemosynæ ante Dominum, et non ante homines incendentes. Usque mane autem incendamus, in præsentem videlicet sæculo. Quando enim mane illuxerit futuri sæculi, jam non est super tempus operationis eleemosynæ, quod aperte significat Salomon dicens : Ne dicas amico tuo : Vade, et revertere, et crastino dabo tibi, cum statim possis dare, nescis enim quid pariat superventura dies ¹¹. Id est, festina, et non differas, ne forte deducaris in locis, in quibus operari tempus non habes, sed rationes illic necesse sit reddi de his quæ hic operati fuerimus. Præterea his salutare tempus est legislatoris intellectum, candelabrum mundum quidem, quia peccatum non habuit, nec dolus inventus est in ore ejus ¹². Candelabrum autem, quia ipse est lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ¹³. Super hoc incenditur lucerna, Spiritus sanctus, igneus enim est substantia, et operatione, unde in specie ignearum linguarum super discipulos descendit ¹⁴. Hinc purissimum oleum offerre, id est vitam mundam debemus : scientes, quia non omnium est incendere illud, sed solius intelligibilis Aaron, et filiorum

ejus : Christus enim ipse plenus est spiritu, dicens : Spiritus Domini super me, propter quod unxit me ¹⁵. Super quem in specie columbæ de cœlo descendebat. Sed et ignem veni mittere super terram, et volo ut accendatur ¹⁶. Cum hujus lucernæ ignem significaret, dicebat. Nam et ipse filiis suis tradidit, quando insufflans apostolis, dicebat : Accipite Spiritum sanctum ¹⁷. Sed lucerna ista aliter non incenditur, nisi per vitam mundam, et per conversationem lucidissimam, sive claram. Qui autem talis non est, spiritus in eo exstinguetur. Neque enim sine causa Paulus contestabatur, Spiritum nolite extinguere ¹⁸ : in nobis esse, incendere ejus operationem et exstinguere, aut studentes ea, quibus incendatur, aut negligentes, evidenter ostendens. Nimis ergo ordinate, quandoquidem lucernæ mentionem facit, non autem lucernarum, quia de ipso sancto loquitur Spiritu, sic dicit, ut lucerna semper ardeat, tam ejus æternitatem ostendens, quia sponte, et ex sua auctoritate succenditur. Quia autem lucernarum memoriam fecit, dicit operationes Spiritus. Aiunt autem LXX : Incendent lucernas ante Dominum usque mane, hoc ostendentes, quia nos opus habemus accendere operationes spiritualis ignis, materiam eis subministrantes, ex quibus accendi vult. Quod autem dixit, usque mane, id est, usque ad sæculum venturum, tunc non jam nos incendere, neque accendere opus habemus. Omnes enim erimus spiritales, qui nobis dignitatem hanc in hoc sæculo comparaverimus.

VERS. 5-9. c Accipies quoque similam, et coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas. Quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino staves, et pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monumentum oblationis Domini. Per singula Sabbata mutabuntur coram Domino, suscepti a filiis Israel fœdere sempiterno, eruntque Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos in sancto loco, quia sanctum sanctorum est de sacrificio Domini jure perpetuo.

Vocat ad contemplationem mandati nos ipse panum numerus, sed et propositio : et quia non et ipsos, quemadmodum ea quæ sunt de sartagine, et craticula, et clibano, holocaustum fieri præcipit, sed poni quidem in mensa altrinsecus, et solis eos licere sacerdotibus, non et Levitis edere, ut tamen et ab ipsis in loco sancto comedantur. Sed et quia sanctum sanctorum appellati sunt, intellige quæ dicuntur. Dabit enim tibi Dominus intellectum. Memento mysticæ mensæ, de qua nulli præsumere præceptum est, excepto intelligibili Aaron, id est Christo : ipse enim eam primus initiavit : sed et filiis ejus, qui ab eo facti sunt Christi, et induti sunt eo : quam tamen comedere in loco sancto jussi sunt. Est vero et sanctum sanctorum, ut sanctificationem habeant præcipuam, et indespicibilem. Illi panes ex duabus decimis, Dei enim et hominis,

⁹ Matth. xxv, 40. ¹⁰ Eccl. ix, 8. ¹¹ Matth. vi, 3, 4. ¹² Prov. iii, 28. ¹³ Petr. i, 22. ¹⁴ Joan. i, 9. ¹⁵ Act. ii, 3. ¹⁶ Isa. lxi, 4. ¹⁷ Luc. xii, 49. ¹⁸ Joan. xv, 22. ¹⁹ I Thess. v, 19.

sunt ejusdem in utroque perfecti, ponuntur seni altrinsecus. Mystica mensa ponitur quidem hic, ponitur etiam in futuro sæculo. Sex autem panes, positio una, quia perfectus numerus, sicut et mysterium ipsum perfectum, et perfectos facit eos, qui hoc fruuntur. In sex autem diebus hæc visibilis facta est creatura, sextaque die homo productus est¹⁹, propter quem Christus mysticam præparavit mensam. Verumtamen et omnes simul recte duodecim panes sunt, quia primi Dominicam cœnaverunt apostoli, qui erant duodecim numero. Super hos thus lucidissimum ponitur, sive ut LXX, etiam sal. Sed thus prius, gratiarum actionem, id est oblationem, quæ principatum tenet in Dominicam cœnam, significat thus, non solum quia immolatur Deo, sed quia et multas, sicut dicunt medici, sanat oculorum ægrotudines. Sal enim apostolorum doctrinam significat, ad quos dicitur: *Vos estis sal terræ*²⁰. Recte autem in multis locis mysticæ mensæ, ipsi apostoli et doctrina eorum ponuntur, quia quemadmodum ipsis Dominus, sic ipsi nobis divinæ cœnæ communionem tradiderunt, quorum mensa munda, videlicet altare, de quo David psallebat: *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tributant me*²¹. Hæc munda est primum quidem sicut mundans, deinde sicut nihil mendacii, nec infectionis, qualia sunt in mysteriis paganorum, habens insuper, quia non licet participem illius fieri eum, qui non mundo accedit sensu, neque indutus est veste alba, qualem qui indutus non fuerit projicitur ex eis, qui vocati sunt ad cœnam hanc semper²². Sed et die Sabbatorum præcipit poni, primum quidem, quia et in intelligibili requie quæ est verum Sabbatum, locum habet, et hoc est mensa Domini, etsi cœna ejus est nova, quemadmodum licet in his, quæ dicta sunt a Domino de calice vitæ æternæ, conicere. Quia autem non frustra hæc, quæ nunc legislator exposuit, in Unigeniti accipimus mensa, nec loquimur arroganter, aut scriptiliter exquirimus, quod non ad intentionem legis pertinet, sed imo valde et vere conjicimus, ipsa auditori verba satisfacere possunt, in quibus hic proprie locutus videtur, ait enim:

Ut sit panis in monumentum oblationis Domini. Quis, aut in cujus commemoratione? Sed illud procul dubio est, quod se dixisse Paulus Dominum tradentem mysterium scripsit. Quotiescunque hæc feceritis, in memoriam mei facite, deinde rursus additum est.

Per singula Sabbata mutabuntur coram Domino, suscepti a filiis Israel fœdere sempiterno. Sive ut LXX, *testamentum sempiternum*: illud procul dubio testamentum dicens, cujus Dominus tradens mysterium, mentionem facit. Sed et nos dicentes, quantum veritatis, quantumque dignitatis habeat, cum maximo timore et amore accedamus. Quia mundam dicit

A suam esse mensam, et testamentum suum æternum solumque Aaron, et filios ejus hujus cibi esse participes, præcipit comedere non ubique, sed in loco sancto. Sit autem nobis sanctus locus prius quidem aula Dei, deinde nostra corpora quando sunt a pollutionibus munda, ita ut et nobis convenient hæc Pauli verba: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*²³. Insuper elevans ejus gloriam, et mysterii dignitatem efferens in sublime addit:

Sanctum sanctorum est de sacrificio Domini jure perpetuo. Ergo sancta est oratio, sancta divinæ Scripturæ lectio et interpretationis auditio, sancta sunt, ut breviter dicam, omnia quæ in Ecclesiis Dei secundum legem ejus dicuntur et aguntur. Sancta autem sanctorum de sacrificio Domini, de omnibus videlicet quæ offeruntur et aguntur, ad ejus gloriam mensa est, quàm de sacrificio suo Christus proponit. Nam non simpliciter dixit, quia sanctum sanctorum est: sed addidit secundum LXX, ipsi non solum qui ab eo satisfactionem habet sed et subsistentiam non negligenter eam sed proprio sanguine: qui pro nobis effusus est ostendente et constituyente.

VERS. 10-14. « Ecce autem egressus filius mulieris Israelitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, jurgatus est in castris cum viro Israelita. Cumque blasphemasset nomen Domini, et maledixisset ei, adductus est ad Moysen. Vocabatur autem mater ejus Salomitech, filia Dabri, de tribu Dan. Miseruntque eum in carcerem, donec nossent, quod jussisset Dominus. Qui locutus est ad Moysen, dicens: Educ blasphemum istum extra castra, et ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus et lapidet eum populus universus. »

Admirabilia et nunc nobis legislator tradit, in quibus dignum est dicere: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo*²⁴. Necessaria enim, et nimis utilia in imaginibus vivis, et signis animalis, et operantibus modo quodam sese moventibus tradit. Exterior enim sapientia est, de qua ait Paulus: *Quia stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi*²⁵. Et rursus: *Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum*²⁶. Dicit enim eam, quæ est erga cursus siderum, et mensuras cœli, et aliorum nobis incomprehensibilium perscrutationem, quæ apud Ægyptios studebantur, et illic quodammodo initium, et præmium sumpsit, quam nec Moyses in Pharaonis regalibus nutritus, ignoravit. Sed liber Regum dicit: *Præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, et Ægyptiorum*²⁷. Israelitis autem mulier, divina Scriptura videlicet, de qua in Proverbiis dictum est: *Mulier intelligens benedicitur, timorem autem Domini ipsa laudet, quia superfluas quæstiones relinquens, adhesit timori divino*²⁸. Non oportet ergo Israelitidem mulierem et sapientiam spiritalis Scripturæ, exteriori sapientiæ cœire, ita ut et subjiciatur, et eum qui ex eis nasci-

¹⁹ Gen. 1, 27.

²⁰ Matth. v, 13.

²¹ Psal. xxii, 5.

²² Matth. xxii, 1 seq.

²³ II Cor. vi, 16.

²⁴ Ps.

cxviii, 403.

²⁵ I Cor. i, 20.

²⁶ I Cor. iii, 19.

²⁷ III Reg. iv, 30.

²⁸ Prov. xviii, 1.

tur, videlicet eum, qui ex utraque docetur, non solum A filium Israelitidis, sed et filium Ægyptii esse, cum sapiat videlicet quæ Ægyptii sunt, et exteriori sapientiæ se conjungat, et ea quæ illic sunt dogmata obtinere velit. Si aliquando hoc fiet et quispiam talis fuerit inter filios intelligibilis fidelis Israel, et in castris, quod est Ecclesia, quam Jacob in figura per somnium videns, dicebat: *Castra Dei sunt hæc* ²⁹, et est ex Israelitide, et Israelita, rixentur, qui magnus est, et mundus et qui se sapientiæ Dei totum dedit, et qui dicit sicut Paulus: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non hujus mundi, et principum sæculi hujus, qui destruentur* ³⁰. Rixentur autem de verbis, aut dogmatibus contententes, et blasphemaverit filius mulieris Israelitidis nomen: sit enim hoc quando is qui sapientia B exteriori læsus est, mentionem facit Christi. Vidi enim, quia nimis subtilitatem sequens legislator ait:

Cumque blasphemasset nomen. Quod autem tacet, necdum enim quando hoc sanciebatur erat notum, quia necdum natus erat is, qui ex virgine, et Spiritu sancto incarnatus est, de quo dixit Gabriel: *Et vocabunt nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* ³¹. Paulus autem quantum sit hoc nomen ostendens ait: *Et dedit ei Deus nomen super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, et inferorum* ³². Quando ergo is, qui in sapientia confidit, et intendit exteriori, quæ dicit parvum, magnum, C maximum; et gradus, quod impossibile est, exquiret in divinitate, blasphemaverit nomen Christi: blasphematur enim Filium, qui eum Patri dicit minorem: extra castra necessarie expellitur, et a spectaculo Ecclesiæ educitur. Qui autem audierunt, ponent manus suas super caput ejus: ostendentes per caput, quia caput vere Christus, caput autem Christi Deus: quia qui Filium blasphemavit, et Patrem in illo blasphemavit.

Et lapidat eum populus universus. Qui occidunt et disperdunt eum qui blasphemavit. Sed et hæc verba hujus sanctionis opportune nota, quo modo adduxerunt eum ad Moysen. Ipse autem non ex auctoritate agit, nec profert contra eum sententiam, sed misit eum in carcerem, ut dijudicaret per præceptum Domini. Nam Mosaica lex, odio quidem habet ipsa Filium blasphemantem, quod manifestum est ex eo, quod frequenter Trinitatis insinuat mysterium, (non quidem aperte, nec sic plane de ea loquitur, sicut Evangelium), et propterea eum ad iudicium mandatorum Domini reservavit. Quorum? Illorum videlicet, quæ dicunt: *Qui non credit in Filium jam judicatus est* ³³. Et rursus: *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris* ³⁴. Multaque alia talia in evangelicis præceptis dicta.

VERS. 15-16. « Et ad filios Israel loqueris: Homo

qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. »

Novum hic, et quod conturbet aures multorum secundum editionem LXX præcipit: *Homo, homo quicumque maledixerit Deo, peccatum accipiet, qui autem nominat nomen Domini, morte moriatur.* Et blasphemando Deum, nominare nomen Domini gravius est: nam ille quidem peccatum accipit solummodo, ille et pœnam sustinet mortis. Quæ enim differentia inter Dominum et Deum? Nonne hic iste ipse est qui dixit: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* ³⁵. Et rursus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* ³⁶. Quomodo ergo qui maledixit Deo, peccatum accipit, qui autem nominaverit nomen Domini morte morietur? Aut cuius rei gratia omnino pœnæ submittitur, qui nominat nomen Domini? Invenies enim Isaiam exsultantem in hoc, et dicentem: *Domine, extra te alium nescimus, nomen tuum nominamus* ³⁷. Quod ergo nomen Domini quis nominans, sub maledicto et sub pœna mortis efficitur? Siquidem aliquid latens nomen, et quod nos ignoramus, legislator nunc dicit, quod in Scriptura sacra non est manifestatum: quomodo quispiam hoc nominet, quod non didicit, nec ad medium proferre potest? Vide autem quid nobis Deus per Moysen manifestaverit: *Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit cum eo Moyses, invocans nomen Domini, quo traeseunte coram eo ait: Dominator Domine Deus misericors et clemens* ³⁸. Non autem hoc nobis manifestaret, si nos hoc non nominare voluisset. Sed aliud nunc per præsentiam legislator demonstrat: illam enim blasphemiam, quam sciendo quis committit, hanc sub pœna maxima esse, et non venialem vult. Et hoc dicit aperte, quod in Evangelii Dominus ait: *Omne peccatum, et blasphemia dimittetur hominibus. Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non dimittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro* ³⁹. Blasphemiam spiritus, eam quæ in scientia Dei committitur, blasphemiam appellans, quia scientia donum est specialiter Spiritus, ita ut Paulus diceret: *Huic quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* ⁴⁰. Quamobrem et nunc intelligis maledicere Deum, qui ncn sciendo blasphematur. Unde nec blasphemare eum Symmachus sicut filium mulieres Israelitidis scripsit, sed detraxit. Dixit enim: *Homo qui detraxerit Deo suo.* Et per hoc maxime ostenditur, quia per nimiam ignorantiam, ea de Deo, quæ de homine habet in quibus locum habet detractio, dicere. Verumtamen et sic peccatum accipit, quia dum deberet scientiam habere non habuit. Nominare autem nomen Domini in ualedicendo ait eum, qui in scientia blasphematur. Hi autem proprie Dominum nominant, qui ejus scien-

²⁹ Gen. xxxii, 2. ³⁰ I Cor. ii, 6. ³¹ Luc. i, 31. ³² Philip. ii, 10. ³³ Joan. iii, 18. ³⁴ Joan. viii, 24. ³⁵ Deut. vi, 4. ³⁶ Matth. xxii, 37. ³⁷ Isa. xlv, 5. ³⁸ Exod. xxxiv, 5. ³⁹ Matth. xii, 31, 32.

⁴⁰ I Cor. xii, 8.

tiam conquisierunt per Spiritum. *Nemo enim potest dicere : Dominus Jesus, quemadmodum Paulus ait, nisi in Spiritu sancto* ⁴⁰. Quia ergo scientes blasphemant, recte sunt sine venia, sive a Patribus scientiam habent, et appellantur propter hoc cives, sive modo eam didicerunt et propterea sunt peregrini. Cum nominant ergo nomen Domini, recte moriuntur : id est, cum nominant et blasphemant. Vides ergo, quia et ille Israelicæ mulieris nominavit nomen, et blasphemavit, pœnam sibi superinduxit. Sed in hac sanctione hoc quod videtur dubium, Aquila planius edidit, ait enim :

Vir quando blasphemaverit Deum suum, et acceperit iniquitatem sibi, et denominans nomen Domini, morte moriatur. Non dixit, nominans, sed *denominans*, ut hunc, de quo nunc sermo est, simul blasphemare et nominare ostenderet, eum, qui blasphemavit, et nominat nomen Domini, videlicet spiritus, ait ergo Paulus *Dominus enim Spiritus est.* Hunc mori et occidi præcipit legislator, est autem is qui sciendo blasphemavit, sicut semel diximus.

Vers. 17-22. « Qui percusserit et occiderit hominem, morte moriatur. Qui percusserit animal, reddat vicarium, id est animam pro anima. Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum, sicut fecit faciat ei : fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. Qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogitur. Qui percusserit jumentum, reddet aliud. Qui percusserit hominem, punietur. Equum iudicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverint. Quia ego sum Dominus Deus vester. »

multa et nunc consequentia legislatorem invenimus uti, si intentioni eorum quæ scripta sunt mentem figamus : quoniam nulla Dei gloria ex blasphemia alicujus sustinet imminutionem nec sui gratia hos, qui eum blasphemant, sub tali esse pœna, et tormentis præcipit. Cum autem nos noceamur talibus verbis, et divinam minuentes famam, quod est hominibus perniciosum, ignorare Creatoris et communis benefactoris dignitatem, recte præsentia subdidit :

Qui percusserit, et occiderit hominem, sive secundum LXX, Qui percusserit animam hominis, morte moriatur. Et quis hominis percutit animam, nisi qui eum illicitat ad impietatem? qui eum ad blasphemos trahit sermones? in quibus moriatur pessima peccati morte, quæ vera est mors animæ. Propter quod morte mori hunc, qui talis est, præcipit. Hic tamen animam dicens hominis animalem maxime hominem dicit, id est eum, qui non potest intelligere quæ sunt spiritus, de quo ait Paulus : *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus. Stultitia est enim illi et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur* ⁴¹. Quem qui percusserit, morte moritur.

A Sed et si percusserit animal, videlicet eum qui peccatoris modo vivit, de quo ait David : *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est eis* ⁴², reddet vicarium, id est animam pro anima. Nec enim, qui peccatorem, aut popularem, et non habentem discretionem subtilem de Deo, errare fecit, veniam omnino dignus est. Si autem non sic percussit, ut perfecte eum ad impietatem perduceret, et ex toto eum errare faceret a Deo, omnino autem quædam ei dixerit, aut egerit, maculam peccati irrogavit secundum hoc, et pœnam sustinebit ; ait enim :

Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum, sicut fecit, fiat ei : Fracturam pro fractura, sive ut LXX, contritionem pro contritione, oculum pro oculo, dentem pro dente. Sive enim virtutem, quam habuit civis, sive proximus ille mala docens aut suadens, aut scandalizans, aut detrahens, et calumnians contrivit, sive oculum ejus, videlicet scientiam, unumquodlibet prædictorum agens cæcavit, aut dentem, virtutem verborum : dentes enim pro verbis Scriptura accipere solet, quod ostendit David dicens : *Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum machæra acuta* ⁴³. De Christo autem Jacob patriarcha in benedictionibus dicebat : *Pulchriores oculi ejus vino, et dentes lacte candidiores* ⁴⁴. Clari enim, et aperti evangelici Christi sermones sunt super lac legale. Necessarie ergo eorum, quæ dicta sunt aliquid nocens, similem et ipse sustinet maculam, in iudicio videlicet futuro. **C** Si enim alterius virtuti nocuit, aut contrivit, ipsius conteretur : scientiam obscuravit, ejus scientia pro nullo habebitur, si verbis doctoralibus nocuit, et ejus sermones infructuosos ei, atque inutiles iudex efficiet. Propter quod non dixit, Sic facietis ei, sed, sic fiet ei, futurum iudicium inuens, *in quo iudex reddet unicuique secundum opera sua* ⁴⁵. Quod si quis etiam hominem percusserit perfectum in fide, et consummatum : hoc enim proprie est hominis, propter quod dixit David : *Homines et jumenta salvos facies, Domine* ⁴⁶ : homines dicens eos, qui agunt quæ perfecta sunt, jumenta, imperfectos, et idiotas : percusserit autem mortali plaga, quæ trahit ad impietatem, hic morte morietur. Nam et si idoneus fuit ad repellendum vulnus, qui percutiebatur, hoc quamlibet satisfactionem non parat percutienti, et multo magis sub pœna erit, quia et eum qui potuit resistere ei, occidit.

Equum iudicium sit inter vos, inquit, sive peregrinus, sive civis peccaverit, quia ego sum Dominus Deus vester. Nec modo exceptit eos, qui nunc docti sunt ab eis, qui prius et a parentibus sacras scierunt Scripturas. Communem autem contra utrosque pœnam definit, et infert : quia ego Dominus Deus vestrorum, qui dixi, quia *Quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut sus-*

⁴⁰ I Cor. xii, 3. ⁴¹ I Cor. ii, 14. ⁴² Psal. xlviii, 13. ⁴³ Psal. lvi, 5. ⁴⁴ Gen. xlix, 12. ⁴⁵ Matth. xvi, 27. ⁴⁶ Psal. xxxv, 7.

pendatur mola asinaria ad collum ejus, et sic mergatur in profundo maris ⁴⁷. Neque enim hæc verba distinxit, sed dicens: *Quicumque*, omnes pœnæ subjecit, propter quod et Paulus dixit: *Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicumque est ille* ⁴⁸, id est, sive parvus, sive magnus, sive scientiam habens plurimam sive parvam, sive nunc didicerit, sive prius, sive civis fide, sive peregrinus. Cum autem hæc ita se habeant, necessaria erat Judæis et litteræ sanctio, neque cupiebant audire: *Si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi et alteram* ⁴⁹, quia cum essent malevoli, unusquisque hoc proximum exacturus erat, et non ipse agere. Recte ergo eis oculum pro oculo, dentem pro dente dicebatur, ut metu alternæ pœnæ a vinolentis, et homicidiis abstinere.

VERS. 23. « Locutusque est Moyes ad filios Israel, et eduxerunt eum qui blasphemaverat extra castra ac lapidibus opprimerunt, feceruntque filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi. »

Ergo non tibi frustra eum, qui animam hominis percussit, aut pecoris, aut hominem, quem et mori propter hoc præcepit, illum esse secundum legis contemplationem ostendimus, qui alium ad blasphemiam percusserit docens, aut exacuans, aut tale aliquid aliud agens. Ecce enim ordo sanctionis probat hoc et absque aliqua dubietate demonstrat, quia de his qui maledicunt Deum, aut blasphemant, præcipiunt, conjuncti his eum qui hominis animam, aut animalis, aut hominem ipsum percussisset: et non solum sicut illi, et huic pœnam mortis induxit, sed explanans quod unam habeant ea, quæ dicta sunt, intentionem, rursus addidit, *qui blasphemaverit*, pœnam quam omnis multitudo obediens legi exigebat. Audivimus enim, quemadmodum de castris eduxit eum, qui blasphemavit, lapidibusque eum opprimi præcepit. Propterea indignationi et opus addidit, et legem tibi etiam experimento ipso confirmatam ostendit, ut et tu blasphemare Deum timeres et fugeres, inquam timens peccati magnitudinem, quam non solum principes, sed omnem multitudinem vindicare præcepit. Communis enim debet esse omnibus contra blasphemos pugna, quia communi nostro benefactori, communi nostræ vitæ ex quo omnes et esse, et bene esse habemus, detrahare tentant, ejus quidem gloriæ nihil nocentes, nos autem ab eo separare, et expellere volentes.

CAPUT XXV.

VERS. 1-7. « Locutusque est Dominus ad Moysen in monte Sinai, dicens: Loquere filiis Israel et dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatizetis Sabbatum Domino. Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam colligesque fructus ejus. Septimo autem anno Sabbatum erit terræ requietionis Domini. Agrum nou-

A seres, et vineam non putabis. Quæ sponte gignet humus, non metes, et uvas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam. Annus est enim requietionis terræ. Sed erunt vobis in cibum: tibi et servo tuo, ancillæ et mercenario tuo, et advena, qui peregrinantur apud te. Jumentis tuis, et pecoribus, omnia quæ nascuntur præbebunt cibum. »

Terram, quam et Deum nobis dare decet, et nobis expedit accipere, ex qua veram vitam conquirere possumus, id est conversationem bonam quæ est secundum ejus legem, atque mandata, quæ nobis dedit, de qua ait David: *Doce me voluntatem tuam: quia tu es Deus meus, Spiritus tuus sanctus deducet me in terram rectam* ⁵⁰. Hanc si intraverimus, sex

B annis serere nostrum agrum, et plantare vineam, et colligere fructus qui ex ea nascuntur, possumus, id est, usque dum in vita hac et in creatura hac visibili sumus: quam sex dierum numerus recte significat quia in sex diebus constituta sunt, quæ videntur omnia. Septimo autem anno, Sabbatum, et requies erit terræ. Quando enim intelligibile nostrum venerit Sabbatum, id est præsentis sæculi requies, de qua ait Paulus: *Ergo relinquitur Sabbatismus populi Dei* ⁵¹: quem signat dies septima, quia septima die requievit Deus ab omnibus operibus suis, videlicet visibilibus: tunc operationis non est tempus, et ideo nec agrum legis tunc serere, nec evangelicam vineam plantare possumus. Ager enim a nobis lex recte intelligitur, quia senior filius, qui juniori populo æmulus est, qui imaginem populi

C Judæorum gerit, de agro, videlicet operatione legis, reverti dicitur. Vineam autem, evangelicam sine aliqua dubietate prædicatio est: Christus enim ei occasionem et materiam dedit, qui dixit: *Ego sum vitis, vos autem palmites, Pater meus agricola est* ⁵². Nec ergo colere legalia, aut evangelica mandata post exitum de hac vita, aut transitum poterimus, sed nec ea quæ sponte nascuntur, metere, id est nec quæcunque naturalis lex ad operationem hominibus suggerit, hæc est enim quæ sponte gignitur, quia extra meditationem librorum, et omnem doctorem auditum suggerit, et exhortatur quæ sunt utilia, et cogitationes nobis adjuvantes animam præstant. Sed nec uvas primitiarum sive ut *LXX uvam sanctificationis*, vindemiare tunc necesse habemus, et quæ est sanctificationis uva: sciunt qui imbuti sunt Christi mysterium, qui experimento de Christo prophetiam perceperunt: *Lavabit in vino stolam suam*, et *in sanguine uvæ pallium suum* ⁵³, hujus sanctificationis quam non vindemiabimus; illic nam mysterium fore Dominicum videbimus tunc, sed cum majori gloria nullius sensibilis rei sicut nunc egentes. Unde legislator quidem uvam commemoravit, Christus autem hoc se bibere in regno nobiscum, sed novum promisit ⁵⁴. Hoc ergo sabbatum, id est requies sæculi, in quo prædicta terra requiescimus, cum enim

D

⁴⁷ Matth. xviii, 6. ⁴⁸ Gal. v, 10. ⁴⁹ Matth. v, 39. 5. ⁵⁰ Gen. xlii, 11. ⁵¹ Matth. xxvi, 29.

⁵² Psal. cxlii, 10. ⁵³ Hebr. iv, 9. ⁵⁴ Joan. xv.

tempus non sit, nunc tempus habemus quæ operanda sunt. Unde et quinque satuæ virgines, quia vocatæ, ut intrarent ad regales nuptias, oleum ambulabant emere, sicut ignorantibus tempus, exclusæ sunt ⁵⁵.

Sed erunt vobis in cibum, tibi, et servo tuo, ancillæ et mercenario tuo, et advenæ qui peregrinantur apud te, jumentis tuis, pecoribus tuis. Quicumque enim nunc operati fuerimus, horum ibi fructum percipimus, et illud Psalmi nobis aptabitur: *Beati omnes qui timeant Dominum. Labores fructuum tuorum manducabis. Beatus es, et bene tibi erit* ⁵⁶. Beatitudinem ergo describit futuri sæculi, beatum quemdam cibum invenire. Beatum enim ait, qui comederit panem in regno cælorum. Multo magis autem beatum est et servos habere, et ancillas et mercenarios, advenas, jumenta et pecora, sive secundum LXX *et bestias*. Species enim hæc discipulatum præbentium nobis in sancta Dei conversatione sunt diversæ. Servi quidem et ancillæ, quotquot nobis ad discipulatum semetipsum subdividerint, vel a nobis empti fuerint de exteriori servitio. Mercenarii autem nostri, qui a nobis invitati sunt, non tamen tantum subjecti, ut et servi, et ancillæ nominentur. Advenæ, sive ut LXX, *inquilini*, adjacentes nobis: neque enim dixerunt, inquilinos, sed *inquilino adjacenti ad te*: quotquot in vita ista per philosophiam, quasi inquilini sunt non tamen exterioribus adjacent, sed nobis qui in bonam terram ingressi sumus, et possidemus eum, et quæ ad eam pertinet. Sed et si quem idiotam, sive popularem juvabimus, hi enim sunt jumenta: insuper et si quem infidelium vel impiorum, qui recte pecora, sive ut LXX, *bestiæ* nominantur, mansuetum facientes, relinquere sylvas, et ad terram venire nostram fecerimus, et bestias agri dici, de quibus dixit David: *Inter montes transibunt aquæ, potabunt eas omnes bestiæ agri* ⁵⁷. Et hi qui fructus bonæ terræ, quæ a Deo tradita est nobis conversationis, sicut diximus intelligibili sabbato comedent, in requiem futuri sæculi, prædictæ terræ percipientes fructuum delicias, propter quod Ecclesiastes dicebat: *Præpara ad exitum opera tua* ⁵⁸, quia post exitum transire quamlibet operationem non licet. Christus autem ait: *Operamini non cibum qui perit, sed cum qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis* ⁵⁹. Hujus quidem opus hic, in futuro autem fructus est. Væ enim, si quis vacuis hinc ambulaverit manibus, illic ubi tempus jam non est thesaurizandi, non operandi, sed hæc proferuntur, hæc fruuntur, quæ hic operati fuerimus: quibus superædificans legislator, sequentia subdidit:

VERS. 8-13. Numerabis quoque tibi septem hebdomades annorum, id est, septies, quæ simul faciunt annos quadraginta novem, et clanges buccina, mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore, in universa terra vestra, sanctificationisque annum quinquagesimum, et vocabis remis-

sionem cunctis habitatoribus terræ tuæ. Ipse est jubileus. Revertetur homo ad possessionem suam et unusquisque rediet ad familiam pristinam. Qui jubileus est et quinquagesimus annus non feretis neque metetis sponte in agro nascentia, et primitias vindemiæ non colligetis, ob sanctificationem jubilei, sed statim ablata comedetis. Anno jubilei redient omnes ad possessiones suas.

Hic interrogandi sunt Judæi, si septimam, sicut ipsi dicunt, diem legislator honorans, vacare in ipsa ab agri operibus. Atque talibus præcepit, cujus gratia quinquagesimo anno cessare ab operibus præcepit. Si enim hebdomadas hebdomadarum ad novem et quadraginta numeri annos colliguntur, non oportebat quinquagesimum vacare, nisi forsitan aliquid significaret, et mysteria lex exponeret, quæ necdum tempus erat aperte propter auditorum infirmitatem aperiri. Quæ sunt autem hæc? Audi: Duplex autem quædam infertur a Deo omnium visibilium consummatio, una quidem uniuscujusque nostrum, alia autem, communis humani generis ipsorumque horum, quæ hanc, quæ nunc est, conversationem constituunt. Sed nec quando unusquisque nostrum consummatus fuerit, tempus nobis operandi erit, nec quando omnes: et hoc nimis scienter legem dans, Deus quippe erat, his nobis innuit et superioribus verbis, in superioribus quidem, uniuscujusque finem insinuans, his autem, consummationem totius generis humani, mundi que visibilis.

Numerabis ergo tibi septem hebdomadas annorum. Sive ut LXX: *Septem ergo numerabis tibi requies annorum.* Sabbata autem, pro requie reliqui interpretum ediderunt. Et quid hoc est? Septem enim ait hebdomadas annorum septies. Et sunt septem hebdomades annorum quadraginta novem anni, quia in hebdomade dierum totum sæculum humanum dividitur, quando hic ipse in semetipso multiplicatus fuerit, et tota sæculi completa fuerit volubilitas, cujus tempus Creator definiit, diu semetipsum volvens ad finem pervenit. Et propterea ille finis temporum hebdomadarum recte appellatus quadagesimus nonus annus est. Sed oportet etiam sequentem, quinquagesimum, sicut ait hic legislator, succedere, in quo mortuorum fit resurrectio. Post finem enim resurrectio sequitur. Quæ quomodo, et quemadmodum proveniat, dicit Paulus. Similiter autem et legislator præsentibus subdidit verbis, ait enim:

Et clangens buccina, mense septimo, in universa terra vestra. Illam tubam significans, de qua Paulus scribit Corinthiis, dicens: *Quia ipse Dominus in jussu, in voce Archangeli, in tuba Dei descendet de caelo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent incorrupti* ⁶⁰. Oportet enim mortuorum resurrectionem suscitantes eos præcedere tubam. Unde in quadagesimo et nono anno, in quo communem diximus consummationem fieri, tuba cani præcepit. In mense autem

⁵⁵ Matth. xxv, 1 seq. ⁵⁶ Psal. cxxvii, 1, 2. ⁵⁷ Psal. ciii, 11. ⁵⁸ Eccli. xiv, 17. ⁵⁹ Joan. vi, 27. ⁶⁰ I Cor. xv, 23; I Thess. iv, 13.

septimo, decima mensis, propitiationis tempore, A
clangentes buccina in universa terra vestra recte
præcepit, per propitiationem manifestans, quia
propter bonitatem et clementiam erga omne genus
humanum, communionis resurrectionis dispensat
mysterium, misericordiam impendens Adam, qui per
inobedientiam in terram reverti præceptus est : si
enim non misertor propitiatorum fuisset, non cum
a corruptione terrena liberasset. Quod autem dixit
omnem terram, quia totius erit humani generis
resurrectio. Per septimum autem mensem, et deci-
mam diem, eum qui hæc egit, videlicet Christum
intelliges. Mense enim septimo ætas mundi venit :
cujus mensem primum dicimus eum qui fuit in pa-
radiso ; secundum usque ad diluvium : tertium, us-
que ad Abraham : quartum usque ad tempus, quo
descensus est in Ægyptum : quintum, usque ad
captivitatem in Babyloniam : sextum, usque ad ad-
ventum Christi : septimum, ipsum Domini adventum ;
nam etsi non omnes hæc differentiam quamdam
inter se ætates habent, tamen temporum signa sicut
menses habent. Sed decimam diem propterea addi-
dit, quia in perfectionem, perfectus quippe numerus
est decimus, propitiationem nostram per crucem,
atque passionem Christus peregit. Unde et ovem
quam Moyses præcepit immolari, perfectam esse,
et decima die separari præcepit, hujus gerentem ima-
ginem, de quo nobis nunc sermo est. Quid autem
his addidit ?

Sanctificabisque annum quinquagesimum, et vo-
cabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ. C
Septuaginta autem addunt, *Annus remissionis erit*
vobis. Significatio hæc sanctificabitur, id est in
sanctimonia hunc exspectate, et sancta de eo cogi-
tate. Sed et sanctimoniam in eo corrigite, reminis-
centes illum, qui dixit : *Pacem meam sequimini cum*
omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit
*Deum*⁶¹. Sed et omnibus qui sunt in terra, remis-
sionem annuntiemus, prolata contra nos propter
Adam sententia. Significatio hæc est, signum est
enim mortuorum resurrectio Christi victoriæ, per
quam vincit inimicum, omnia subjiciens sibi, et
destruens mortem, quemadmodum Paulus ait :
Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos
sub pedibus suis. Novissime inimica destruetur
*mors*⁶². Sed significatio hæc per evangelicam præ-
dicationem efficitur ; Christus enim adveniens, cam
significavit atque prædicavit.

Tunc revertetur homo ad possessionem suam, et
annusquisque rediet ad familiam pristinam, et sicut
Septuaginta, *ad patriam suam.* Possessio enim
nostra est, et indeptio futuri sæculi, quia illam non
ad tempus, sed in perpetuum possidemus, et nec
nunc quidem hujus. nunc autem illius, sed semper
ejusdem est firma, et quæ non possit auferri pos-
sessio, de qua Dominus dicebat : *Thesaurizate vobis*

thesauros in cælo, ubi nec linea, nec ærugo corrup-
*pit, nec fures effodiunt, et furantur*⁶³. Sed et ad
familiam pristinam redimus, vel sicut Septuaginta,
ad patriam nostram ambulabimus. Manifesta est
enim quædam amantium hospitalitatem patria, sive
familia, cui Abraham præest, manifesta castro-
rum, cujus Joseph princeps est : manifesta zelato-
rum, cujus Elias primatum tenet, quarum hæredi-
tatem percipimus, quando horum quæ hic sunt,
remissio, et sanctificatio contra mortem victoriæ
peracta fuerit.

In quinquagesimo anno qui post hebdomadam
hebdomadarum : Id est, post communem finem
veniet, sicut semel ostensum est. Tunc non pos-
sunt seminari, neque meti sponte in agro nascen-
tia, neque primitias vindemiæ colligi. Neque enim
tempus est, in quo nobis per operationem conqui-
ramus aliquam sanctimoniam, quam in hac vita
non conquisivimus in sæculo futuro, sed frui his,
quæ hic operati fuerimus, et propterea subdit :

Sed statim oblata comedetis. Vel sicut Septua-
ginta, *de campis comedetis, quæ nascuntur in ea,* id
est parata, non quæ tunc seminantur, nec quæ
coluntur, sed olim præseminata, et præoperata.
Illud est enim tempus, de quo ait David : *Quia*
*reddis unicuique secundum opera sua*⁶⁴. Sed quid
in finem præsentis sanctionis dixit : *Anno jubilei,* vel
secundum Septuaginta, *anno remissionis significatio-*
nis redient omnes ad possessiones suas.

Evidenter nos lex, per hoc quod nunc dictum
est contestatur, quia vel si hinc recesserimus,
usque ad annum remissionis, qui est sanctificatio-
nis, usque ad communem videlicet consummatio-
nem, et mortuorum resurrectionem, quam Christus
operatur, quando integrum surgit contra inimicum
et mortem trophæum, ad possessionem suam, ad
hæreditatem videlicet nemo redire potest, propter
quod et Paulus ait : *Nos qui vivimus, non præven-*
*iemus eos qui dormierunt*⁶⁵. Neque enim justī, qui
vivi appellantur mortuos præcedunt, sed omnium
judicium erit commune, et omnes simul ad com-
petentia sibi loca transmittuntur. Bene autem
redient, ait, quia ad Deum ambulamus, a quo et
venimus, cum non essemus prius. Quando autem
venerimus ad eum, tunc esse incipimus. Sed cœpi-
mus quidem esse communiter, ex quo Adam creatus
est : specialiter autem unusquisque est. ex quo in
ventre materno plasmatus est, ait enim : Qui format
spiritum hominis in ipsum. A Deo tamen venimus
ratione opificii, et conditionis ejus, propter quod
et Paulus dicebat : *Coarctat autem ex duobus, desi-*
*derium habens dissolvi, et cum Christo esse*⁶⁶. Quod
unicuique nostrum cum fiducia proveniat, id est,
ut possessionem bonam, et quæ familiis justorum
connumeretur, inveniamus atque possideamus.
Tunc enim nostras, sicut diximus, possessiones inve-

⁶¹ Hebr. xii, 14. ⁶² I Cor. xv, 25, 26. ⁶³ Matth. vi, 19. ⁶⁴ Psal. lxi, 15. ⁶⁵ I Thess. ix, 11. ⁶⁶ Phi-
lip. i, 25.

nemus, tunc hereditatem accipiemus. Propter quod numerabis tibi septem hebdomadas, sive septem numerabis tibi septem hebdomadas, sive septem numerabis tibi septem hebdomadas, in hujus legis exordio legislator dixit. Non quia diem et horam illam numero comprehendere possumus, sed et quemadmodum numerantes finem numeri expectant, sic nos non solum specialem nostram, sed et communem respiciamus consummationem, in qua terrenam correptionem relinquentes, ad supernas possessiones, quæ sine labore sunt, transmittimur. Sed et ad requiem sæculi futuri, quam quinquagesimus annus significare dictus est, unde et Salomon in Proverbiis dixit: *Da partes septem, nec non octo*⁶⁷, ut ad consummationem, quam septenarius numerus significat, intendamus, et ad requiem sæculi futuri: illam enim octava dies significat. Propter quod et Christi resurrectio post septimam diem Sabbati in octava peracta est, ex qua substantiam habuit universalis mortuorum resurrectio.

VERS. 14-17. « Quando vendes quidpiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed juxta numerum annorum jubilei emes ab eo, et juxta supputationem frugum vendet tibi. Quanto plus anni remanserint post jubileum, tanto crescit pretium. Et quantumvis numeraveris temporis, tantum minoris et emptio constabit. Tempus enim frugum vendet tibi. Nolite affligere contribules vestros, sed timeat unusquisque Deum suum. Quia ego Dominus Deus vester. »

Esse aliquam venditionem, cujus sine argento contractus provenit, aperte nos Isaias docuit, ait ergo: *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum properate, et comedite*⁶⁸. Propter quod sic dicebat Petrus, condemnans Simonem: *Pecunia tua tecum sit in perditione, quia donum Dei aestimasti pecunia possideri*⁶⁹. Bonum et vere beatum est, quod spiritale est, non tamen cujus possessionem fas sit pecuniis adipisci. Talem et nunc venditionem et possessionem spiritalem lex proponit, ait enim:

Quando vendes quidpiam civi tuo, vel emes ab eo? Id est, si aliquam doctrinam, aut dederis, aut acceperis, id est, aut docueris, aut edoctus fueris, hæc est enim bona possessio, quæ ad possessionem futuri transmittit sæculi. Bene autem conjunxit, quando vendes quidpiam civi tuo, vel emes ab eo. Alterutrum enim sunt divitiæ, alterutrum possessio, discipuli atque doctores: quod demonstrat Paulus, Corinthiis scribens: *Quia gloria vestra sumus, sicut et vos nostra, in die Christi Jesu*⁷⁰. Ne contristet ergo homo fratrem, id est, ut non super virtutem discipulis ingeramus, sed quæ eis suntabilia, id est, virginitatem ei, cui possibilis est, illi videlicet, de quo ait Paulus: *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem*

*habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo custodire virginem suam, bene facit. Conjugium ei qui non capit virginitatis verbum, idem enim dixit: Et qui tradit nuptum virginem suam, benefacit, et qui non tradit, melius facit. Et rursus: Si quis autem turpem se videri existimat super virginem suam, quod sit super adulta, et ita oportet fieri, quod vult faciat, non peccat si nubat*⁷¹. Et rursus: *Melius est nubere, quam uri*: Idem et de omni virtute, eam quæ secundum possibilitatem est, nos ipse Deus exigit, et in alterutrum ministrare vult, nam Phariseos reprehendebat, utpote gravia illis præcipientes, ait enim: *Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeris hominum*⁷². Nimis ergo consequenter legislator addidit:

B *Sed juxta numerum annorum jubilei emes ab eo. Vel sicut Septuaginta, secundum numerum annorum post significationem possidebis a proximo: significationem, secundum quod jam dictum est, adventum Dominicum intelligens, et quæ ad eum pertinens annuntiata est evangelica prædicatio, quæ nobis futuram contra mortem victoriam, requiemque futuri sæculi significavit. Ex quo ergo significatio hæc fit, nemo durum portat jugum, nec onus grave gerit, sed secundum numerum annorum, id est, secundum suam virtutem, quia anni hominis ætatem ostendunt, ex qua manifestus quis sit quid possit secundum corpus. Quod magis explanans subdidit: *Juxta supputationem frugum vendet tibi.**

C Secundum quod habet virtutem operari et fructificare, reddat magistro fructum discipulus.

Quanto plus anni remanserint post jubileum, tanto crescit pretium, et quanto minus numeraveris temporis, tantum minoris et emptio constabit. Tempus enim frugum vendet tibi. Si potest multa operari, multum fructum exiges: si autem pauca parvum: nam hic quidem trigesimum, alter autem sexagesimum, alter vero centesimum fructum ferre exigitur. Nec negligenter hoc a legislatore, sed ex opere studetur, nam ait iterum:

*Nolite affligere contribules vestros, sed timeat unusquisque Deum suum, quia ego Dominus Deus vester. Non affligat homo contribulem, id est, non ei grave onus imponat, et super virtutem ejus, sed timeat unusquisque Deum suum, qui dicit: Tollite jugum meum, quia suave est, et onus meum, quia leve est*⁷³. Ego Dominus Deus vester. Id est, qui de virginitate apostolis præcepi, et dixi, *Non omnes capiunt, sed qui potest capere capiat*⁷⁴. Sic unumquemque exigit secundum virtutem suam, et hoc quidem lucrum est contemplationis spiritus. Habet autem et littera non parvam instructionem: compati enim proximo, et in contactibus sensibilibus, et nullatenus gravem quempiam, neque onerosum vult esse, nec de pauperum necessitatibus negotiari, nec studere, seu festinare possessiones eorum

⁶⁷ Eccles. xi, 2. ⁶⁸ Isa. lv, 1. ⁶⁹ Act. viii, 20. ⁷⁰ I Cor. i, 14. ⁷¹ I Cor. vii, 36, 38. ⁷² Matth. xiii, 4. ⁷³ Matth. xi, 30. ⁷⁴ Matth. xix, 11, 12.

sibi conquirere, domum domui conjugere, agrum agro apponere, sed tribuere opus habentibus, et paulatim quæ dederunt, de fructibus recipere qui de agris colliguntur. Ipsum enim debitum donare, et neque hoc quod mutuum datum est recipere. Perfectæ hoc vitæ est, quam non omnes capiunt: qui autem capiunt, beati sunt.

VERS. 18-20. « Facite præcepta mea, et judicia custodite, et implete ea, ut habitare possitis in terra absque ullo pavore, et gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini usque ad saturitatem, nullius impetum formidantes. »

Maxime ad aures nostras spiritus Dei cautela perfecta que utilitur, ne forte discentes, quia secundum numerum annorum, id est secundum virtutem fructus intelligibilium possessionum, videlicet virtutum exigimur, resupinaremur, et ad delicias reclinemus, ipsaque condescensio nobis noxia fieret.

Facite præcepta mea et judicia custodite, ait, et implete ea. Nullatenus enim nos vacare, licet infirmi simus a legis operatione, sed operari procul dubio, etiamsi secundum virtutem, vult, virtutem autem nostram conscientia nostra convincit, sicut ait Paulus: cogitationum invicem accusantium vel excusantium⁷⁶. Omnes ergo justitias Dei, omnia ejus judicia prius custodiamus, et postea faciamus. Custodiamus non corrumpentes intentionem eorum, sed districte custodientes, et immutabiliter: veluti si quis eleemosynam operari vult, nec proximo nocens operetur, neque si pauper est, ipse rapiat divitum pecunias, ut præbeat pauperibus. Deus enim eleemosynam ex justitia offerri vult. Hoc autem et in unoquoque mandato dicimus, ut prius ejus intentionem et finem custodiamus, et sic in eorum operationem proficiamus. Tunc enim in terra intelligibili habitabimus, in divina videlicet lege spiritualis Scripturæ, et bonæ conversationis, quam nobis Deus possidere et colere præcepit, quando ejus intentionem non fuerimus transgressi, tunc gignit fructus suos, quibus vescamur usque ad saturitatem, et nullius impetum formidemus. Qui enim custodit intentionem legis, et qui operatur, hic ejus colliget fructus, et comedit eos ad saturitatem, et sine formidine in ea habitat, quia legislatoris intentionem non transgreditur, nec conscius sibi est contra legem in lege Dei conversari. Quod si dixeritis, quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras?

VERS. 21, 22. « Dabo benedictionem vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum, seretisque anno octavo, et comedetis veteres fruges usque ad novum annum, donec nova nascentur, edetis vetera. »

Unde dignum est, ut prius juvemur, id est, utilitate litteræ hoc intendendum est, atque hujusmodi lucrum sectandum. Duorum ergo annorum vaca-

tionem terræ præcipiens, non vult deficere, neque conturbari eos, qui legem præcipiebant, quid comedant, aut unde comedant, sed ait:

Dabo benedictionem meam vobis. Quam, quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei: quomodo ergo Christi mandatum quidam tanquam impossibile et laboriosum accusant, quo dixit: *Non cogitetis in crustino*⁷⁶? Ecce enim lex similia præcipit, et de integris tribus annis jubet non cogitare eos, qui virtutem legislatoris intendunt. Præterea per tres annos, uniuscujusque nostrum consummationem, et communem retributionem quæ est post resurrectionem, necessarie intelligimus. In unoquoque horum comedimus quæ hic operati fuerimus, propter quod ait:

Quod si dixeritis: *Quid comedemus anno septimo*. Id est, in uniuscujusque nostrum consummatione. Manifestum est enim, quia et in communi, in qua fit resurrectio, et in retributionem, eundem cibum habemus. Audi quod tibi de his Deus responsum per legem dat.

Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et facietis fructum trium annorum. Benedictio patris filius est, ipse enim maledictum illatum Adæ, disperdidit, propter quod et in eo oportere nos benedici: David Psalmista docuit: *Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini*⁷⁷. Nomen Domini, filium dicit evidenter, quia quemadmodum nomen manifestat unumquemque qui non videtur, sic et Christus apparens, cognosci fecit Patrem in semetipso, quamvis invisibilem. Hic in sexto anno venit, tam in perfectione, hanc enim senarius numerus significat, quam ut in novissimo tempore rursus reformatio proveniret, in cuius dierum numero homo formatus est. Quamobrem quemadmodum formationis sexta dies, sic sextus annus reformationis recte appellatur. Quod autem illic sextus dies, sextus autem hic annus dicitur, hoc ideo: quia multa inter formationem nostram, et reformationem temporum decurrerunt spatia. Ergo non frustra sexti anni legislator mentionem fecit: in hoc enim Christus veniens, dedit nobis acquirere fructus, quibus in propria nostrorum uniuscujusque consummatione, et in communi resurrectione atque retributione nutiri possimus, præstans generi humano abundanter fructificare virtutes, ut tantam et hi qui circa horam undecimam conducti sunt ad operandum⁷⁸, cum illis qui mane conducti fuerunt, denarii acciperent mercedem. Non est autem contrarium iis quod sequitur, ait enim:

Seretisque anno octavo. Quod quinquagesimum appellavit, de quo in præcedenti sanciebat. Quia jubileus, et quinquagesimus annus: *Non seretis, neque metetis*. Quomodo ergo eum hic serere jubet? Putasne contraria sibi legislator dicit? Sed alter hic semen intelligamus, ut neque littera contrarietate-

⁷⁶ Rom. II, 15. ⁷⁷ Matth. VI, 31. ⁷⁸ Psal. CXXVIII, 8. ⁷⁹ Matth. XX, 6.

tem habeat, et contemplationem consonantem A inveniamus spiritus. *Non seretis ergo, neque metetis de quinquagesimo die.* Nec semen septimæ hebdomadæ serant, de quo messio in quinquagesimo anno proventura erat. Hæc enim satio, etsi in præcedenti anno, et quadragesimo proveniebat, in quo maxime, sicut in septima hebdomada, sementem vacare oportebat: verumtamen quinquagesimi dicitur, quod propter eum seminaretur, et propter hoc prohibetur. Neque enim in septima hebdomada, quam diximus esse communis consummationis exemplum, seminari omnino, aut operari lex præcepit. Sicut ergo nos litera non ad se intendere, sed ad intentionem legislatoris compulit, ut solveretur, ea quæ videbatur esse legum contrarietas, sic dabit et de contemplatione consona existimare B intentioni interpretationis spiritalis. Seminant enim anno octavo, sæculo futuro: non quicumque tunc seminant (hoc enim non est fas, sed et impossibile sicut semel diximus): sed nec qui in septimo, cognovisti enim quia etiam hoc prohibitum est. Sed quotquot in sexto, in quo bonum nobis semen Christus veniens dedit, quicumque semen hic præmittunt, ex quo promissionum nobis florebit messis, id est, messura retributionis, de qua ait David: *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos*⁷⁹. Sed et Paulus: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu et metet vitam æternam*⁸⁰. Hinc seminare in octavo anno, in sæculo videlicet futuro, necesse habemus: sic enim conveniunt nobis quæ sequuntur.

Et comedetis veteres fructus, usque ad annum nonum. Donec nova nascantur, edetis vetera. Septuaginta autem, *comedetis vetera veterum*: non simpliciter vetera, sed vetera veterum, quia quemadmodum diximus, non solum mox ut hinc egredimur, quod est annus septimus, sed et in resurrectione mortuorum, quæ est annus videlicet octavus, necnon in retributione, quam nonum annum accipimus, cum quidem unum sit sæculum futurum, dividatur in prædictos ordines, comedimus quæcumque operati fuerimus, et propterea dicuntur vetera veterum ad tanta sæculi, quæ vincunt numerum considerata.

VERS. 25-28. « Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, et voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat; sin autem non habuerit proximum, et ipse pretium ad redimendum potuerit invenire, computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit, et quod reliquum est, reddat emptori: sicque recipiet possessionem suam. Quod si non invenerit manus ejus, ut reddat pretium, habebit emptor quod emerat, usque ad annum jubileum, in ipso enim omnis venditio redit ad Dominum, et ad possessorem pristinum. »

Varia etiam nunc nobis legislator exponit, non qualibet, sed maxima sapientia, si quis intendat plenam: nam et quæ sit nostra substantia et possessio et quomodo ejus partem alienamus, quo modo rursus recipimus, per ordinem docet. Uniuscujusque ergo hominis possessio, bona conversatio est, quam sortiti sumus a Deo, de qua Paulus dicebat: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est frater, in eadem maneat apud Deum*⁸¹, hic autem virginitatem, ille autem castum conjugium, alter vitam justitiæ, hic silentium remotionemque causarum, hic sacerdotium, ille pauperum patrocinium: alter alia, unusquisque scundum propriam virtutem possidet. Sed quando per desidiam cogitationem nostræ infirmatæ fuerint, tunc ex parte de propria ea demus possessione, propter quod Septuaginta: *Si pauper factus fuerit; Aquila, si excideris; Symmachus, si humiliatus fuerit*, ediderunt. Quæ quomodo nobis et post excessum salvari poterit, disces per partes verba ipsa discutens.

Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, et voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat. Fratrem nostrum confidelem lex intellexit. Neque enim simpliciter secundum Septuaginta dixit; *frater tuus*; sed addidit: *Et qui tecum est*: illos quippe innuens, de quibus Joannes evangelista scripsit: *Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum*⁸². Sunt ergo quidam falsi fratres, iniquis hæresibus adhærentes, et pietatis frustra circumferentes nomen, de quibus Paulus ait: *Periculis in falsis fratribus*⁸³. Qui autem hi sint, ipse alias admonet: *Hæreticum hominem post primam, et secundam admonitionem devita*⁸⁴. Sed et Joannes: *Si quis venit ad vos, et doctrinam hanc non afferet, non suscipiatis eum in domum, nec Ave ei dixeritis*⁸⁵. Hos autem corrigere, quibus sociare non licet nullo possumus modo, ad horum ἀντιδιαστολήν ait. *Si attenuatus frater tuus, sive secundum Septuaginta; Si ad paupertatem pervenerit frater tuus qui est tecum.* Fratrem nostrum, et qui nobiscum est, intellexit confidelem, in cujus cogitatione quando venerit peccatum, in paupertatem labitur, et pauper vere est, quoniam divitias perdidit spiritales factus qualis i le de quo David dixit, cum eum qui in cogitationibus peccatorum constitutus erat, exponeret hominem: *Egens sum ego, et in laboribus a juventute mea, exaltatus autem, humiliatus sum et confusus*⁸⁶. Quando ergo hic, qui talis est partem propriæ, bonæque possessionis, quæ ei sorte obvenerat, vendiderat, cogitationem peccati suscipiens, vendit enim hic adversario suam mentem, quemadmodum Deus Judæis dicebat: *Ecce peccatis vestris venundati estis, veniet affinis et propinquus ejus, secundum spiritum, cognatus et confidens, et legem cognationis operibus ostendens, et liberabit venditionem fratris sui, illud implens, quod Paulus scribebat: Fratres, si com-*

⁷⁹ Psal. cxxv. c. ⁸⁰ I Cor. ix, 6; Galat. vi, 8. ⁸¹ I Cor. vii, 20. ⁸² I Joan. ii, 19. ⁸³ II Cor. xi, 26. ⁸⁴ Tit. iii, 10. ⁸⁵ II Joan. x. ⁸⁶ Psal. lxxxvii, 16.

*prehensus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans teipsum, ne et tu teneris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*⁸⁷. Si enim invicem onera nostra exhortationibus, ammonitionibus, opportunitisque consiliis portaverimus, liberare fratrem a paupertate possumus, et redimere quam ipse ex negligentia possessionem, cum non deberet, vendidit, et modo quodam sit communis possessio. Si autem alicui non fuerit proximus vel propinquus, forsitan enim non ostendit opportuno tempore erga alium compassionem ut et ipse ei spiritualis affinitatis jus servet: aut forsitan hoc quod contingit, suggerere eis, qui secundum spiritum sunt cognatis, erubescit: et illud quod dictum est in Proverbiis ignoravit. *Frater autem in angustiis comprobatur*⁸⁸, quia qui abscondit suam passionem, nec accipiens illico in mente medicamen, ipse semetipsum salvare debet, et propriam substantiam redimere, et propterea ait:

Si autem non habuerit proximum, et ipse pretium ad redimendum potuerit invenire, computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit, et quod reliquum est, reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam. Quis ergo nostrum idoneus est, aut potest, ex desidia, aut pravitate mentem venditam liberare, ut non ex toto pereat ab alienante, nisi vita bona, et actio repellens, quicumque inventi fuerimus in mente peccantes? Oportet ergo cogitare quantum tempus prædictas mentes ei qui solet eas cogitationibus malis emere, et in servitutem redigere, vendidimus, placentes ei, et consentientes, et reddi ei quod reliquum est vel secundum Septuaginta, quod habet. Neque enim dixerunt quod reliquum est, sed quod super habet, ut contractu valentiore vincamus, et liberemus mentem nostram. Et si, verbi gratia, desiderium nostrum avaritiæ cogitatus invasit nos, recuperemus mentem nostram, ut eas etiam, quæ de justo sunt, pecunias et possessiones despiciamus. Si gastrimargiæ captivitate suggestit, nos intentionem jejunii districti, et omnium ciborum continentiam recuperemus. Si enim possessionem nostram recipere a majori inimico, quem devicerimus, possumus. Si autem hoc factum non fuerit, quid eveniat, discite:

Et si non invenerit manus ejus, ut reddat pretium. Oportet enim, sicut diximus, quando non præveniens quis propinquus spiritualis commonuerit, quomodo malas cogitationes sine læsione repellamus, subsequi cogitationem et actionem ex qua liberare possumus quæcunque reperti fuerimus male alienasse. Habebit emptor quod emerat usque ad annum jubileum.

In ipso enim omnis venditio redit ad Dominum, et ad possessorem pristinum. Si ergo neque per fraternam doctrinam neque per alioam virtutem nostras

cogitationes emendaverimus, et receperimus quod de nostra possessione alienatum est, dominabitur ejus, qui eam per nostram negligentiam possedit. Usque ad opus enim peccatum producit, et non aliter intelligibilem nostram possessionem recipimus, nisi in tempore jubilei, sivi ut Septuaginta, remissionis. Quia perfectus est annus, qui omnes in se horas habet, et omnium modorum circuitum. Peractum autem peccatum, et per multum tempus manens, non aliter fas est corrigi, et liberare mentem, in qua dominatus est is, qui male nostra acquisivit, nisi per perfectam penitentiam, in qua et jejuniū, et oratio, et cilicium, et elemosyna, et lacrymæ peraguntur. Per hæc remissio nobis plena conquiritur. Si autem hominem dictum fuisse a legislatore eum, qui captivavit mentes nostras, diximus, non admireris, quia et Paulus eum, hominem peccati, et filium perditionis appellavit⁸⁹. Isaias autem Ægyptium hominem, et non Deum, in sua eum prophetia dixit⁹⁰. Sed et Dominus hominem vocari manifeste concedit diabolum, pro eo quod inter homines conversetur, et ad eum vacet insidias. Cum ergo parabolam zizaniorum exponeret, dixit: *Accedentes autem servi patris familias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde zizania? Ille autem dixit eis: Inimicus homo hoc fecit*⁹¹. Deinde parabolam interpretans, et inimicus quis esset, exponens, sic dicit: *Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus.* Quia et qui mentem suam per peccatum diabolo prodit, venditionis suæ pravæ et perniciosæ contractum celebravit. Paulus etiam hoc Romanis scribens, interpretatus est. *Scimus enim quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato*⁹². Illud autem nota maxime, quia non fratrem, non propinquum dixit esse hunc, cui vendidit, sed nec proximum eum, dixit, quemadmodum in præcedenti sanctione, in qua dixit: *Quando vendas quiddam civi tuo, vel emis ab eo, non contristes fratrem tuum nihil tale hic addens, ostendit aperte, quia de aliquo a nobis alieno, qui male nostra conquirat, loquitur. Et hæc quidem est spiritualis contemplatio. Manifesta autem est omnibus solius expositio litteræ, et facilis traditio, quia Judæis legem sufficientiæ, et non gaudendi in avaritia per tale mandatum proponit, et propterea possessiones per circulum ad eos, qui eas semel habuerunt, reverti vult, et nec vendere vetuit, ut non angustaret pauperem, nec angeret indigentem, qui non aliter degere, neque necessitate aliqua evadere valeret, nisi forte vendidisset. Sed nec eos qui acquisiverunt, semper possidere præcipit, sed tempus definivit intra quod lex antiquis dominis possessionem redderet. Quia autem amplius contemplationis lex, et juvenis spiritualis, et non secundum litteram mandati, et quæ in superficie est expositionis, curam habeat, manifestant sequentia.*

Vers. 29-34. † Qui vendiderit domum intra urbis

⁸⁷ Gal. vi, 1. ⁸⁸ Prov. xvii, 17. ⁸⁹ II Thess. ii, 3. ⁹⁰ Isa. xxxi, 1. ⁹¹ Matth. xiii, 27, 28. ⁹² Rom. vii, 14.

muros, habebit licentiam redimendi, donec unus A impleatur annus. Si non redemerit, et anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, et posteri ejus in perpetuum, et redimi non poterit etiam in jubileo. Sin autem in villa fuerit domus, quæ muros non habet, agrorum jure vendetur. Si ante redempta non fuerit, in jubileo revertetur ad Dominum. *Ædes Levitarum quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi. Si redemptæ non fuerint in jubileo, revertentur ad dominos, quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel. Suburbana autem eorum non veniunt, quia possessio sempiterna est.* »

Si ad unam hoc intentionem legislator habuisset, ut possessiones non caderent ab aliis ad alios, erat quippe hoc utile, quia de sufficientia, secundum quod diximus, lex curam gerit : cujus putas rei gratia, quando non fuerint intra annum, sicut ait, redemptæ, proprie esse conquirentium jussæ sunt ? Sed nec hoc simpliciter, sed imo subtilem quamdam custodiens divisionem. Quæcunque enim intra muros sunt munitarum civitatum, intra annum redimi solummodo liceret : quæcunque autem in non muratis, licentiam haberi liberandi eas semper permisit. Levitarum autem domos, sive in muratis sive in non muratis sint, semper redimi præcepit. Agros autem vendere, omnes prohibuit. Hæc autem distinctio, jam infructuosa est ad faciem litteræ quam ostendit : quia lex fuit quidem, quando habuit juramen de littera, non tamen semper, nec de omni, propter quod ei contemplatio spiritualis necessaria est. Utilitas autem hinc intendenti perpetua, et de omni mandato legis provenit : propterea durescit littera, ut necessitate coacti, ad spiritualem contemplationem recurramus. Unde et Paulus dicebat : Ante enim quam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat. Litteræ enim conclusio, libertatem amare suadet spiritus⁹³. Jam nunc ergo præsentis sanctionis discutiamus virtutem, in præcedentibus unius cujusdam possessionem proponens, ait ergo :

Si attenuatus frater tuus, vendiderit possessionem suam, et voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat : sin autem non habuerit proximum, si ipse pretium ad redimendum potuerit invenire : computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit, et quod reliquum est reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam : quod si non invenerit manus ejus, ut reddat pretium, habebit emptor quod emerat usque ad annum jubileum.

Speciale uniuscujusque conversationem procul dubio exposuit. Hic autem non jam de conversatione speciali, sed totius Synagogæ, vel Ecclesiæ loquitur. In quibus Judæorum Synagoga in eo, quod manet usque nunc apud conquirentem inimicum, et adversarium serviens : Ecclesiæ autem, gentium

quodammodo libertatem accipiunt. Sed et Judæorum collectionem, quomodo quædam per quosdam intelligibiles Levitas, id est, apostolos salventur, nimis secundum quod Deum decet, exponit dicens :

Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi donec unus impleatur annus. Hæc de Judæorum Synagoga intelligamus, quæ in hac nubatur quidem : propterea enim eam Deus per Moysen, ut et habitaretur constituit, licet ipsa hæc non custodierit, ab iis, in quibus inhabitaverat. Propter quod, et Dominus Judæis dicebat : Domus mea, domus orationis vocabitur : vos autem fecistis eam speluncam latronum⁹⁴. Erat autem in civitate murata in Jerusalem : habebat enim murum legem hanc ; vendit quispiam : non tamen hic venditorem, neque propinquum, neque proximum, sicut supra appellavit, neque enim unus erat hanc vendens, sed totius Judæorum populus male vivens, qui neque frater, neque cognatus dignus erat appellari, unde cum etiam populum Sodomorum et Gomorrahæ Deus per Isaïæ prophetiam appellavit. Audite, inquit, verbum Domini, principes Sodomorum, auribus percipite legem Dei nostri populus Gomorrhæ⁹⁵. Alibi autem ad eos rursus Propheta dicebat : Cui venditori vendidi vos ? Ecce venditi estis in iniquitatibus vestris⁹⁶. Sed licebat eis hanc venditionem redimere in anno, in quo Christus omni generi humano, maxime populo Judæorum redemptionem peccatorum prædicavit. Quem annum nunc quidem legislator innuit, aperte Isaïas exhibuit : Spiritus Domini super me, eo quod unxit Dominus me ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritos corde, ut prædicarem captivis indulgentiam et clausis aperitionem, ut prædicarem annum placabilem Domini, et diem ultionis Domino nostro⁹⁷. Unde et Septuaginta ediderunt : Diurna erit redditio ejus, quia per singulos dies ejus : qui dictus est anni, licebat eis quod vendiderunt diabolo, redimentibus venundari Deo. Non jam enim dominari eis inimicus, utpote semel Deo venundatis, poterat, quia enim eis non semel, nec secundo, sed quotidie licebat captivitatem propriam redimere, audi Dominum dicentem : Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti⁹⁸ ? In eo enim quod dixit, quoties, manifestavit, quia quotidie licebat eis propriam peragere redemptionem, si omnino voluissent, quia autem non volebant, similia his quæ dixit Christus, legislator exposuit, ab ipso enim ei spiritus ministrabatur.

Si ante redempta non fuerit usque dum impleatur annus confirmabitur domus quæ est in civitate, quæ habet muros veri emptoris posteriorumque ejus in perpetuum et redimi non poterit in jubileo. Dominatus est enim Judæorum Synagogæ, qui eam emit inimicus : et posteri ejus in perpetuum omni videlicet præsen-

⁹³ Galat. III, 25. ⁹⁴ Matth. XXI, 43. ⁹⁵ Isa. I, 10. ⁹⁶ Isa. L, 1. ⁹⁷ Isa. I XI, 13. ⁹⁸ Matth. XXIII, 37;

Luc. XIII, 34.

ti tempore. Hoc enim appellatur per ejus posteros vel generationes, quod Septuaginta edunt, quia præsentis temporis potestatem habet contra eos qui conjunguntur ei, et redimi non poterit etiam in jubileo, sive ut Septuaginta in remissione, qua remissione, nisi utique illam, quam eis Dominus crucifixus dixit: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*⁹⁹. Sed peccatum renovaverunt, post datum remissionem malitiosi effecti, et præterito non sufficiente peccato, addiderunt alia deteriora, quæ circa sepulcrum, et post resurrectionem, et post in caelos ascensionem contra ipsum Christum, et contra chorum apostolorum præsumperunt. Confirmans ergo ea quæ nunc a nobis dicta sunt Dominus, et ostendens quia Judæorum domos, et Jerusalem templum totum adversarii factum est, et partem apud Dominum habere jam non potest, quia evangelizatam non susceperunt redemptionem, dicens: *Quoties volui congregare vos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluistis? addit: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*¹. Quemadmodum ergo ea quæ de Judaicis Synagogis prædixit Spiritus, sic intende quæ Ecclesiæ gentium dicit.

Sin autem in villa fuerit domus, quæ muro non habet, agrorum jure vendetur. Si ante redempta non fuerit in jubileo, revertetur ad Dominum. Domos ergo quæ in villa sunt, quod Ecclesiæ gentium debeant intelligi, Isaias nobis propheta demonstrat, *Lauda, sterilis, quæ non paris, decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas, quomodo multæ filie desertæ, magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus*²: Quæ est autem sterilis et deserta et non pariens, nisi gentium Ecclesia? Quæ non Patriarchas habuit, non legem, non prophetas, unde et sine muro recte nominatur. Unde ergo quid et aliud de ipsa prophetia subdidit: *Dixit enim Dominus: Dilata locum tentorii tui, et aularum tuarum*³: ergo quæ in villis, sive ut Septuaginta, in aulis sunt domus gentium, Ecclesiæ intelliguntur. Quod adhuc planius in posterioribus ejusdem prophetiæ ostenditur. Euge non parcas, extende funes tuos, et paxillos tuos conforta, adhuc ad dexteram, et sinistram extende, et semen tuum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit. Ecce civitates desertas, sine muro videlicet, eas quæ sunt gentium, appellavit. Neque enim habebant legis murum, et desertæ erant, error eis dolorum, quorum domus in villis, quas Septuaginta in aulis dixerunt, quas esse Ecclesias diximus:

Agrorum jure vendentur. Vel secundum Septuaginta: *Ad agrum terræ æstimabuntur.* Cujus agri? Illius utique, quem Dominus dicit: *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit eum præ gaudio: alius abiit, et vendidit omnia, quæ habuit, et emit agrum illum*⁴. Dicit autem agrum, Evangelium, in quo thesaurus

A Christi est mysterium, hujus ergo agri jure vendentur, vel adhuc agrum æstimabuntur, quia ei sunt proximæ, non legi. Quamobrem semper redimi possunt, vel secundum Septuaginta liberatæ per omnia erunt. Ex quo ergo Dominus venit, usque ad secundum adventum ejus, per parte gentes redimuntur, et per remissionem evadunt, quam ipse omni generi humano per crucem appellavit. Crux enim, est vera remissio. Unde et ejus figuram gerens aries qui pro Isaac in holocausto oblatum est, secundum quod Septuaginta edunt, *in virgulto Sabech inventus est religatus.* Sabech autem, remissio interpretatur, quia crucem, quæ fuit remissionis virgultum, præfigurabat hoc quod tunc gestum est. Ergo tanquam Abraham in figura diem crucis cernente, Christus dixit: *Abraham exultavit, ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est*⁵. Quod ergo erat prædictis de Judaica domo contrarium, vide quomodo prævidens legislator solvit, quia enim post annum, in quo Christus in carne præsens liberabat humanum genus, integre Judæorum Synagogæ per apostolicam doctrinam liberatæ sunt, nunc quidem tria millia, nunc autem quinque millia, rursusque multo plures quam dicti sunt, ne quis hoc ignorasse legislatorem arbitraretur, vide, quemadmodum et hoc sapientia spiritalis demonstravit.

Ædes Levitarum, qui in urbibus sunt semper possunt redimi, si redempta non fuerint, in jubileo revertentur ad dominos, quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel. Non frustra Levitas quispiam dicat apostolos appellari, sed quia de Levitis dictum est: *In terra eorum nihil possidebis, nec habebis partem inter eos. Ego pars et hæreditas tua, in medio filiorum Israel*⁶. Hoc autem in apostolis proprie impletum est, qui dicebant confidenter, ad Dominum: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid putas frui nobis?*⁷ Horum ergo ædes, quæ in urbibus sunt, sive secundum Septuaginta, *domos civitatum,* eorum possessiones, quotquot eos secuti sunt fide et conversatione, Judaica collegia recte intelliguntur, quia prius propter eos ire, ut ad oves quæ fuerant per dictæ domus Israel, a Christo jussi sunt. Ergo ad sortem eorum pertinebant illi, atque possessionem, semperque poterant redimi, et hoc historia Actuum apostolorum demonstravit: multa enim Judæorum per apostolos ab errore dixi liberata collegia. Non solis autem licuit apostolis hanc peragere redemptionem, sed et discipulis eorum. Sed tamen hanc secundum illorum oportebat effici doctrinam, ut illis imputaretur qui exordium facto præbuerunt, qui posuerunt dogmata, quomodo hi, qui in circumcissione erant salvati et liberari possint. Et propterea secundum Septuaginta ait: *Et quicumque rediment a Levitis, id est, ab illis accipiens modum liberandi. Non enim a Levitis liberantur, quasi*

⁹⁹ Luc. xxiii, 34. ¹ Matth. xxiii, 57, 58. ² Isa. liv, 1. ³ ibid. 2. ⁴ Matth. xiii, 44, 45. ⁵ Joan. viii, 56. ⁶ Num. xviii, 6. ⁷ Matth. xix, 27.

ipsis possidentibus, et propterea Symmachus, et Aquila, quicumque affinis est de Levitis, dicunt. Quicumque ergo illis similia docet, et redimet quasdam domos, vel si in civitatibus Judaicis sint, exiit secundum Septuaginta venditio, id est, liberabuntur in remissione fidei crucis, et concessæ per eam veniæ. Quod nostra editio habet.

Si redemptæ non fuerint, in jubileo revertentur ad dominos. Quare autem dictum est, sequitur. *Quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel.* Id est, propter apostolorum cognationem, intelligibilium enim Levitarum, apostolorum possessio, in medio filiorum Israel erat, sicut cognovimus, quia Petrus et Joannes sortem apostolatus in prædicatione eorum, qui ex circumcisione, perceperunt. Sed et alio modo apostolis possessio in medio filiorum Israel erat. Circumcisionem enim habebant et ipsi, et secundum legem Israel semper vixerant. Propter quod et eorum erant ipsæ domus civitatum : ab ipsis enim erant liberatæ, et quicumque salvati sunt, per eos salvati sunt. Et cum indigni essent propter blasphemiam, quam commiserunt in crucem, et quam rursus post resurrectionem præsumperunt, honore tamen apostolorum, qui et ante crucem crediderunt, et in cruce, vel etiam post crucem permanserunt, in fide suscepti sunt. Et quia hoc verum est, discite Isaia dicente : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset, et quasi Gomorrha similes essemus*⁹. Si enim non relictum esset semen apostolorum, nihil prohiberet, in modum Gomorrhæ et Sodomæ omnem plebem Judaicam perire. Sed apostolorum causa non omnes perierunt. Quorum virtutes et possessiones, quales erant, in paucis his considera verbis.

Suburbana autem eorum non veniunt, quia possessio sempiterna est. Quorum? apostolorum videlicet, hi esse Levitæ dicti sunt : horum suburbana, sive agri non venduntur, id est, conversationes, et virtutes, et doctrinæ. Hæc enim agrorum vice colebant, ita ut Paulus de eis diceret : *Quis plantavit vineam et de fructu ejus non edet*¹⁰? Et rursus : *Dignus est operarius mercede sua*¹¹. Et rursus : *Nunquid de bobus cura est Deo*¹². An de nobis utique dicit? *Quia debet in spe qui arat arare, et qui seminat, in spe fructus percipiendi*¹³. Et rursus : *Sic nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus*¹⁴? Hæc ergo doctrinæ separatæ erant civitatibus eorum, qui per ipsos constabant, et per ipsos salvabantur : et vendi non poterant, quia ad ipsos dicebatur : *Gratis accepistis, gratis date*¹⁵. Unde et Simonem emere volentem donum spiritus, ejus portione, sive sorte privavit.

VERS. 35-36. « Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu et susceperis eum quasi advenam, et peregrinum, et vixerit tecum, ne accipias usuras

ab eo, nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut darem vobis terram Chanaan : et essem vester Deus. »

In præsentī lege duo sunt, quæ mirari legislatorem oportet, id est, sapientia et pietas. Sapientia quidem, quia quæ sunt sublimia, per ea quæ videntur humilia, exponit. Pietas autem, quæ est in custodia litteræ, et contemplationis spiritualis. Littera siquidem, pauperis exigit subventionem, et neque claudi erga eum viscera petenti mutuū, nec negotiari de paupertate ejus, superabundantiam exigendo, et usuram percipiendo, et lucrum de pietate captando. Spiritus autem anagogice demonstrat, quomodo oporteat uti eis, qui illa paupertate pauperes facti sunt, de qua David clamabat : *Cito anticipes nos misericordia tua, quia pauperes facti sumus nimis*¹⁶⁻¹⁸. Sic ergo secundum ordinem his, quæ dicta sunt, intendimus.

Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum; et vixerit tecum. Fratrem uniuscujusque hic æqualem dignitate, et conversatione dicit. Hic si in operatione virtutum infirmatus fuerit : hoc est enim infirmari manu, propter quod Aquila : *Si exciderit, inquit, frater tuus, et culpaverit manus ejus tecum, auxiliari ei, secundum Septuaginta Interpretum sensum, nos tanquam proselyto, et inquilino vult.* Proselytus autem noster, sive advena est qui nunc ad finem venit. Inquilinus autem noster, qui necdum propriam domum habet, sed nostra admonitione, et diligenti instructione eget, ut protegatur, et non quemadmodum sine domo huc et illuc erret. Sic ergo auxiliatur infirmo fratri : ut vivat nobiscum, et nullatenus moriatur, a conversatione Dei alienus effectus, vivens nobiscum, id est, per nos, et per nostram doctrinam, quemadmodum quibusdam cibis bonis confortatus. Oportet autem ei, sicut infirmo, condescendere et mederi, quæ secundum virtutem ejus sunt, propterea subdidit :

Ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Ne forte cum infirmus factus sit, et a priori regula imminutus, abundantius ab eo virtutum operationem exigamus, sed provocemus eum, manumque ejus ut infirmi sustentemus, caputque eum tantummodo legis, et divinorum mandatorum, id est, ut non peccet exigentes. Ergo nimis necessarie addidit :

Time Deum tuum. Ego Dominus Deus vester : cujus jugum suave est, qui hominem modis omnibus non peccare exigit, virtutes autem exigit, secundum possibilitatem. Propter quod de virginitate sanciens. *Non omnes capiunt*¹⁷, inquit. Sed et de

⁹ Isa. i, 9. ¹⁰ I Cor. ix, 7. ¹¹ I Tim. v, 18. ¹² I Cor. ix, 9. ¹³ ibid. 10. ¹⁴ ibid. 11. ¹⁵ Matth. x, 8. ¹⁶⁻¹⁸ Psal. lxxviii, 8. ¹⁷ Matth. ix, 11.

non possidendo docens : Si vis, inquit, perfectus A esse¹⁸. In mandato dixit :

Sic ergo frater tuus vivat apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges. Sed Paulum imitare dicentem : Factus sum infirmus infirmis¹⁹. Nihil eos ad virtutis rationem exigas, plus a propria virtute. Si autem dicas, forsitan eos posse, sed infirmos se fingere, hoc jam non est tuum, sed illius est, qui scit quid vere possimus. Qui dixit ad illum, qui talentum abscondit : Oportebat te dare pecuniam meam nummulariis, et ego veniens, cum usuris utique exegissem eam²⁰. Et non est condemnatus, quia usuram non accepit, sed quia pecuniam non dedit : sibimetipsi enim paterfamilias exactionem reservavit usuræ. Alterutrum autem nos ut caveamus peccatum, solvere et exigere B vult, locum nobis alternæ conjunctionis non detractentibus, non rapientibus, non occidentibus, non tale aliquid peccantibus, per Paulum præbens, ait ergo : Si quis frater appellatur fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut detractor, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere²¹. Non dixit : Si quis non vendiderit substantiam suam, neque, Si non virginitatem pollicitus fuerit, neque sublimis conversationis fuerit. Hæc autem nimis perfectorum cunctorum humiliora mandata sunt. Vide ergo quam conclusionem mandato addidit :

Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut darem vobis terram Chanaan, ut esset vester Deus. Et quid in præsentī loco hoc commemorare legislator eguit? Sed modis omnibus illud demonstrare volens, quia, quemadmodum populum de terra Ægypti, et de populo peccatoris eduxit, et in terra Chanaan alterius populi, rursus peccatoris introduxit, sed illinc quidem eos eduxit, ut non sub Ægyptiorum, si adhuc terram habitarent, domino tenerentur, in terram autem Chananæorum introduxit, quia expulsis gentibus, non erant jam in eorum servitio redigendi, sed et terra emundata, carebat malis habitatoribus : sic nos Deus sub dominatione quidem redigi peccatorum non patitur, sed neque eorum societatem, usquedum sunt peccatores, amplecti ; quando autem eorum terra emundata fuerit, præcipit cum eis esse, et simul habitare, et dare eis nostram pecuniam, et nostros fructus, id est, divinas doctrinas quas accepimus. Pro doctrina autem intelligitur pecunia, propter quod et Paulus dicebat : Qui ædificaverit super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos²², bonam doctrinam per hæc innuens. Hoc autem ipsum est et fructus, sive, ut Septuaginta, cibi ; utrumque enim hoc rursus invenies Paulum exponentem ; Corinthios enim, alii doctrinæ se sociantes, suamque despicientes, reprehendens scripsit : Jam satiati estis, jam divites facti estis, sine nobis regnatis²³. Ergo doctrinam per pecuniam et fructus, sive, secundum

Septuaginta, cibos : in Scripturis sanctis intellecta sunt pecunia, utpote quæ divites facit, fructus vero vel cibus, ut nutriens. Horum abundantiam Deus exigi non jubet, sed sola quæ secundum virtutem sunt, ut sit noster Deus. Quia et ipse pœnitentes peccatores ad se suscipit et moderatum jugum eis imponit.

VERS. 39-43. « Si necessitate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum, sed quasi mercenarius et colonus erit. Usque ad annum jubilæum operabitur apud te, et postea egreditur cum liberis suis, et revertetur ad cognationem suam, et ad possessionem patrum suorum : mei enim servi sunt, et ego eduxi eos de terra Ægypti, non venient conditione servorum. Ne affligas eum per potentiam, sed metu Deum tuum. »

multa littera ipsa pietate plena est, sed multo magis spiritualis intellectus. Quantum enim libertas animæ melior est a libertate corporis, tantum spiritualis contemplatio his, qui ejus possunt fructus percipere, clariora donat quam littera. Quia littera ergo nullatenus nos his, quæ fratribus eveniunt, abuti vult, id est, confidelibus, sed vel si quis eorum nobis venditus fuerit, a qualibet humiliatus necessitate, nullatenus ab eo servitium servi exigamus. Quem enim semel fratrem per adoptionem Christi habuimus, quomodo deinceps servum habebimus? Unde et Paulus, scribens de Onesimo ad Philemonem dicebat : Propterea recessit ad horam, ut æternum reciperes, non jam ut servum, sed pro servo fratrem C charissimum, maxime mihi, quanto magis autem tibi, et in carne, et in Domino²⁴? Et rursus : Qui autem fideles habent dominos, non despiciant, quia fratres sunt²⁵. Insuper autem et spiritus præcepit etiam aliud, quando aliquem fratrum, et æqualem nobis vocatione et conversatione venditum, humiliatum tamen in virtutibus, id est, infirmatum deprehenderimus, et hunc converterimus, corripientes, exhortantes, nullatenus eo abuti, sed ut modeste et humiliter eum accedamus, propter quod in verbis ipsis intende.

VERS. 59, 60. « Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum, sed quasi mercenarius et colonus erit. »

Quia paupertas animæ est infirmitas consequendarum virtutum, manifestum est ex his, quæ ad Samson Dalila, et ipse ad eam loquitur. Nolisti dicere in quo sit maxima fortitudo. Cumque molesta ei esset, et per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam : Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazareus, id est, consecratus Deo sum, de utero matris meæ. Si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque ut ceteri homines²⁶. Post hæc, historia subdidit : Item at illa dormire eum fecit super genua sua, et in sinu

¹⁸ Matth. xvii, 21. ¹⁹ I Cor. ix, 22. ²⁰ Matth. xxv, 27. ²¹ I Cor. v, 10, 11. ²² I Cor. iii, 12. ²³ I Cor. iv, 8. ²⁴ Philem. xv, 16. ²⁵ I Tim. vi, 2. ²⁶ Judic. xvi, 16, 17.

suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem, et rasil septem crines ejus, et cepit abjicere eum a se, et a se repellere. Statim enim ab eo fortitudo discessit, dixitque: Super te Philistiim. Qui de somno consurgens, dixit in animo suo: Egrediar sicut ante feci, et me excutiam, nesciens quod Dominus recessisset ab eo²⁷. Sed in Septuaginta editione, cum hic dixisset: Si humiliatus fuerit frater tuus: non dixit, a te, sed, apud te: nam etsi nobiscum erat, sed nos non ei sumus facti humiliationis causa. Ipse autem negligens, semetipsum humiliavit, et venditus est, non venditione illa de qua Elias ad Achab dicebat. Dicebat enim ei: Num invenisti me inimicum tibi? Respondit: Inveni, eo quod venundatus es facere malum in conspectu Domini²⁸. Ille enim sicut impius, qui in profundum malorum ceciderat, despiciebat, et inimico venditus, non volebat venditionem immutare, nec prophetæ vendi, id est, subdi, qui ei paulatim manum porrigendo, a gravi liberare eum servitute poterat. Si ergo tibi fideli, et colenti Deum, humiliatus frater venditus fuerit, redemptionem, et pretium animæ ejus tuam doctrinam, et exhortationem suscipiens: et quemadmodum suum dominum existimans, non serviat tibi servitute servi, sed subdetur quidem, verumtamen libertate illa, de qua ait Paulus: libertate, qua liberavit nos Christus²⁹. Invenies autem alibi eundem rursus scribentem: Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum³⁰, propter quod ait legislator:

Quasi mercenarius et colonus erit. Vel sicut Septuaginta, inquilinus: quia horum uterque subjectus est quidem huic, cujus domum habitat, et in agro operatur propter paupertatem, nec domum propriam, nec agrum habens: non tamen propter hoc aufertur libertatis dignitas, quemadmodum et eum qui per nos a peccato conversus est, oportet, si ante peccatum frater noster secundum æqualitatem gratiæ, honoremque conversationis fuit. Nam etsi propriam nunc domum justitiæ, aut agrum proprium virtutis non habet, cum aliquando habuisset, unde non dixit, mercenarius, aut colonus, vel inquilinus erit, sed, quasi mercenarius, et colonus, vel inquilinus erit tibi: in nostris enim habitare opus habet et operari, id est, ad nostras exhortationes, regulasque vitæ, et exempla, quæ a nobis susceperit: spes tamen est eum ad suam recurrere dignitatem, quando integram et perfectam egerit pœnitentiam. Hoc enim manifestans legislator subdidit:

Usque ad annum jubilæum operabitur apud te. Quia per perfectam pœnitentiam, sicut integre mundatus, et propterea perfectus, operari et apud se potest, et postea egredietur: sicut aiunt Septuaginta, in remissionem cum liberis suis. Non solus enim ipse liber efficitur, sed et quæ ab eo genitæ fuerant virtutes, antequam sub venditionem peccati redigeretur. Propterea et revertetur ad cognationem

lionem patrum suorum, recipiens conversationis sortem, et partem gratiæ, quæ ab initio sorte ceperat a Deo, qui proprie noster pater est, de quo ait Paulus: Quia autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in cordibus vestris, clamantem: Abba, Pater³¹. Cur autem hæc sanciens Deus tanta pietate utatur, ipse legis demonstravit verbis.

VERS. 42. « Mei autem servi sunt, et ego eduxi eos de terra Ægypti. »

Ut ergo qui semel ejus facti sunt servi, et per eum intelligibili servitute Ægypti caruerunt, hanc eos perdere dignitatem non vult, nec quia ad modicum quis lapsus est, propterea eum in perpetuum perdere antiquam dignitatem desiderat, ideoque ait:

B Non veniet conditione servorum. Similia dicens Paulo: Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. Sed et hoc addidit:

VERS. 43. « Ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum³². »

Oportet enim moderari nos jugum convertentium, et timere Deum nostrum, qui dixit: In quo judicio judicaveritis, judicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, metietur vobis³³.

VERS. 44-46. « Servus et ancilla sit vobis de nationibus, quæ in circuitu vestro sunt, et de advenis, qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos, et hæreditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum. Fratres autem vestros filios Israel, ne opprimatis per potentiam. »

C Non potest digne laudari varietas et multiplicitas spiritalis sapientiæ. Quamobrem postquam digne admirari non possumus, quia nec capimus, hoc omittentes, districtius aures mentis etiam his, quæ nunc dicta sunt, præbeamus et unumquemque sermonem intente notemus: in differentia enim verborum, differentiam quoque intellectuum reperiemus. Scire igitur nos vult quid restet inter hos, quos ex infidelibus Deo salvaverimus, et illos, qui cum fideles essent, similesque nobis dignitatis invocatione et conversatione, postea pro tempore in operatione virtutum infirmati sunt correximus. Propter quod operari quidem apud nos usque ad annum remissionis, videlicet pœnitentiæ, non autem postea præcepit. Illic autem, quia nec eum, qui ex peccato humiliatus est, et propterea nobis venditus, sed nec fratrem dicit, sed de his dicit quos nos ex infidelibus, aut alterius fidei in disciplinam acquisiverimus: recte eos nec servos nostros esse præcepit: Christi enim et ipsi sunt, sicut et nos, servi. Sed sub nostra tamen possessione manere, sicut per nos edoctos præcepit, sicut ipsa ostendunt legislatoris verba.

Servus et ancilla sint vobis de nationibus, quæ in circuitu vestro sunt, et de advenis qui peregrinantur

²⁷ Judic. xvi, 18-20. ²⁸ III Reg. xxi, 20. ²⁹ Galat. iv, 51. ³⁰ I Cor. vii, 25. ³¹ Gal. iv, 6. ³² I Cor. vii, 27. ³³ Matth. vii, 2.

apud vos. Gentes quæ in circuitu nostro sunt, quæ necdum crediderunt, spem tamen fidei, et salutis habent, quia ipsis missum Evangelium est, sicut Paulus in Antiochia ad Judæos dicebat: *Ecce convertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus*²⁵. De his nobis servi et ancillæ conquirantur, id est, qui per verbum docentur. Unde et eos, qui docuerunt, dominos appellant, quod demonstrat in Philippis custos carceris, qui ad Paulum et Sylam dicebat: *Domini, quid me oportet facere, ut salvus fam*²⁶? Sed et de advenis, sive, ut Septuaginta, filiis inquilinorum, qui peregrinantur apud nos, conquiramus. Dicit autem inquilinos hic Judæos, qui habitant in lumine nostro, non tamen volunt ei oculos mentis accommodare, abscondentes ejus lucernam sub modio. Propter quod non simpliciter inquilinos Septuaginta ediderunt, sed *filios inquilinorum*, qui sunt in vobis, quod a Theodotione et Symmacho planius scriptum est: *A filiis inquilinorum, qui habitant in vobis*. De quibus dixit David: *Inhabitabunt et abscondent*²⁷. Cum enim sunt in nobis, qui legem ipsam et prophetas, quos et nos habemus, habent, inhabitant tamen non eadem sapientes de lege et prophetis, quæ nos: suam enim justitiam constituere quærentes, justitiæ Dei non sunt subjecti, sed hoc abscondent, et recte inhabitant, sicut qui semetipsos a libera, et a fiduciali habitatione excludentes. Unde Dominus, quia inhabitant propter infidelitatem innuens dicebat: *Servus non manet in domo in æternum*²⁸, quod est inhabitantium proprium. Sed ait legislator, secundum Septuaginta: Et de cognatis ipsorum, quicumque fuerint in terra vestra, erunt vobis in possessionem. Cognati enim Judæorum, propter infidelitatem, hæretici sunt, quia non plene, sicut et illi sentiunt, et eadem nobis prædicant mysteria, non tamen in eisdem rectis, et perfectis, et integris in Deum dogmatibus: unde sunt quidem in terra nostra, sed inquilini.

Ilos habebitis, inquit, in famulos, et hæreditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum. Quosunque ergo ex gentibus infidelibus, aut ex Judæis, aut ex hæreticis lucrati fuerimus, et Deo obtulerimus, servosque et ancillas acquisiverimus, impendentes pro eis doctrinæ pecuniam, hi in nostra possessione sunt. Sed et filiis nostris, id est, discipulis, dividere eos, id est, tradere eorum discipulatum possumus. Quod manifestat Paulus, cujus sicut filii erant discipuli Titus et Timotheus. Nam Timotheo, dilectissimo filio in fide, et Tito dilectissimo filio secundum communem fidem, ad eos scribens præscribebat. Deinde huic Ephesius, huic Cretenses distribuit. Nam illi quidem scribebat: *Sicut rogavi te, ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut annuntiares quibusdam, ne aliter docerent*²⁹. Tito autem: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per*

*civitates presbyteros, quos ego tibi constitui*³⁰. Sed et quid restet inter illos, quos deforis lucrati fuerimus, et æqualibus nobis fratribus, qui forsitan humiliati corriguntur, scire nunc legislator nos volens, hæc ad communem rationem prædictorum scripsit.

Fratres autem vestros filios Israel non affligetis per potentiam. Non quia alios, quos lucrati fuerimus exterius, in servitutum redigere, aut contere laboribus præcepit: nusquam enim hoc in sanctione hac dixisse videtur: sed quia non æquali potestate in illis, et istis uti possumus. Aliud est enim infideles ad fidem perductos, aliud fideles lapsos, a nobis admonitos.

VERS. 47-49. « Si invaluerit apud vos manus advenæ, atque peregrini, et attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe ejus, post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, emet eum, et patruus, et patruelis, et consanguineus, et affinis. »

Quia lex pertinere sibi secundum litteram, de libertate indigenarum Israelitarum ostendit, propterea enim qui in eis deterius propter paupertatem, aut aliquam aliam necessitatem aget, proselytis, vel inquilinis, qui de his quidem foris sunt geniti, adhæserit, servire non patitur, sed redimi eum ab aliquo suorum cognatorum præcepit. Vide, quomodo hoc custodiri et secundum anagogen spiritalem oportet, ait enim:

Si invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini (sive ut Septuaginta inquilini.) et attenuatus frater tuus vendiderit se ei aut cuiquam de stirpe ejus.

Id est, si is qui ad fidem ex gentibus, aut ex Judæis, aut omnino hæreticis, noviter nostræ fidei conjunctus clarus est vitulibus, ita ut potens sit in arguendo, et exhortando peccantes, hujus proprie manus invalescit, sive, ut Septuaginta, invenit, quia per suam actionem invenire et aliorum conversationem et exhortationem potest. Deinde et frater tuus, qui olim eruditus est in verbo, sed et quia æqualis tibi est secundum sortem conversationis, hoc est enim frater attenuatus, id est, non inveniens exhortantem, et consilium dantem: advenæ, sive peregrino, vel inquilino se vendiderit, id est, ei qui noviter de gentibus, aut de Judæis, aut secundum quod diximus hæreticis credenti, venundatur autem ei, illo verbum doctorale, propter conversationem ejus impendente: quia incongruum est eum, qui olim in clara scientia et conversatione notus fuit, sub eo qui noviter ad fidem venit, agere. Non est enim parva res discipulatus, sed multi temporis, vitæ etiam non modicus decursus ad perfectionem necessarius. Recte redimitur, qui voluerit ex fratribus suis, emet eum, id est, quispiam eum similis honoris, similisque scientiæ, et conversationis per suam doctrinam redimat, et

²⁵ Act. xiii, 46. ²⁶ Act. xvi, 30. ²⁷ Psal. lvi, 7.

²⁸ Joan. viii, 35. ²⁹ I Tim. i. 3. ³⁰ Tit. i, 5.

faciat non opus habere admoneri ab eis, quos ipse debuit admonere, utpote qui in scientia perfecit eos qui adhuc modo geniti sunt. Non est enim qualiscumque in doctoribus dignitas, longi temporis scientia, in tantum ut Paulus, quando Philemonem volebat alligare, sic scripsisset: Obsecro cum talis sis, ut Paulus senex, nunc autem et vincetus Christi Jesu. Et vetustatem temporis, confessioni, quæ in vinculis erat, conjunxit, utpote idoneam existentem ad gloriam eorum qui in scientia profecerunt. Patruus ergo, et patruelis, et consanguineus, et affinis redimat eum. Patres nostri sunt secundum spiritum, qui nos genuerunt per Christi doctrinam, propter quod et Paulus Corinthiis scribebat: *Nam etsi multos habetis paedagogos in Christo, sed non multos patres* ⁴⁰. In Christo enim Jesu, per Evangelium vos genui. Quotquot ergo fratres horum, id est sacerdotes, sicut et ipsi sunt et doctores, aut et filii fratrum, aut discipuli quidem eorum, in eandem autem quam ille scientiam et doctrinam proveci sunt, fratres patris recte dicuntur. Qui enim consanguinei et affines sunt ejus qui eget consilio et exhortatione, id est, ut qui ejusdem dignitatis et conversationis fuerunt, hi rursus redimunt, Pauli memores vocis: *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* ⁴¹, et qui oportet ad omnes bonum ostendere, maxime autem ad proprios fidei. Hi ergo nobis consanguinei per carnem Christi sunt, quia de carne ejus et de ossibus ejus sumus, quemadmodum ipse rursus Paulus Ephesiis scripsit. In tantum ergo melius est ab antiquis, et ejusdem fidei admoneri eum qui in actione aut scientia minor est, quia Apelles Alexandrinus, doctus magister erat et clarus, sed tamen minorem scientiam habebat, et hoc quod erat summum, reprehensibile habebat, nesciens Christi baptismum. Unde Priscilla et Aquila susceperunt hunc ⁴², et subtilius exposuerunt ei viam, sicut ait Lucas, id est, ea, quæ pertinebant ad doctrinam et scientiam: incongruum esse putantes, si ab aliis et non ab eis qui in scientia profecerunt, quales erant ipsi, emendaretur doctor. Sed et cum hæc sint admirabilia, adhuc admirabiliora sequuntur.

VERS. 50-55. **C** Si autem et ipse potuerit, redimet se, supputatis duntaxat annis a tempore venditionis suæ usque in annum jubileum, et pecunia qua venditus fuerat, juxta annorum numerum et rationem mercenarii supputata. Si plures fuerint anni qui remanent usque ad jubileum, secundum hos reddet et pretium. Si pauci, ponet rationem cum eo juxta pretium, et numerum annorum, et reddet emptori quod reliquum est annorum, quibus ante servivit mercedibus imputatis. Non affliget eum violenter in conspectu tuo. Quod si per hæc redimi non potuerit, anno jubileo egreditur cum liberis suis. Mei enim sunt servi filii Israel, quos eduxi de terra Aegypti. Ergo Dominus Deus vester. **D**

A Tantum de libertate nostra, et honestate, et gloria in nobis, et confidentia sanctus Spiritus ait, ut unumquemque nostrum sub servitute peccati constitutum, virtutibus præcipiat redimi, et correctionibus, si verbi gratia, cilicium et cinerem, et lacrymas, et eam quæ in his est confessionem lucrari volumus, et quæcumque cum his annum continent jubilæi, sive remissionis, ad hujusmodi enim probationem presentia exposuit. Sin autem et ipse potuerit, redimet se supputatis duntaxat annis, a tempore venditionis suæ, usque ad annum jubilæi. Si enim pauper factus per peccatum, qui prius dives erat in virtutibus et correctionibus, recte semetipsum liberavit, dum sufficit ad exhortationem propriam. Veruntamen nec hic integrum de se confidat, ut qui semel infirmatus est, exhortatione et consilio egens, computet apud semetipsum, id est, secum tractet et disceptet. Sic enim et Theodotus: *Tractabit cum eo, qui acquisivit eum. Aquila autem: Supputabit cum eo, qui possedit eum.* Ei qui tractavit, quomodo debeat veram libertatem sibi conquirere: computavit autem ab anno quo semetipsum vendidit, usque ad annum jubilæi, sive remissionis, a quo videlicet peccans eguit consilio et doctrina, usquedum integram et omnimodam peragat pœnitentiam, in qua remissionem accipiens, æqualis ei fiat, qui penitus non peccavit. Quid autem tractabit? quibus virtutibus et correctionibus, eam quæ per studiosam pœnitentiam est remissionem, apprehendere et procedere possit. Sicut enim qui pecuniam reddidit redemptori, annum remissionis exspectare opus non habebat, qui erat quinquagesimus, qui jubileus dicebatur, sic qui peccatum ad delendum illud aequales, sive pares virtutes exquirat, præcedit pœnitentiam, actionibus bonis se redimetis: quod demonstrat Zachæus, qui cum plurimorum plurima sustulisset, non eguit sacco, et cinere, et lacrymis, et oratione. Hic enim nobis annus remissionis, sicut omnia habens, quæ nobis fructificent remissionem. Non indignus autem, quia peccata quidem erant pecuniaria: ipse autem ea, quæ abrepta fuerant, promisit reddere in quadruplum, dimidium autem suorum distribuere pauperibus. Propter quod Christus ad eum: *Hodie salus huic domui facta est* ⁴³, suscipiens pecunias redemptionis ejus, dixit. Admirabile est autem quod sequitur.

Et pecunia qua venditus fuerat juxta annorum numerum, et rationem mercenarii supputatam.

Sive secundum Septuaginta: Erit pecunia venditionis ejus anno sicut dies mercenarii erit cum eo. Cum quo die ergo legislator non frustra mentionem fecit, sed illam inveniens, quam aperte in Evangelii Dominus ostendit, quando parabolam operariorum, qui ad vineam conducti sunt, exposuit ⁴⁴: quando hos quidem mane, illos autem hora tertia, hos autem sexta, illos autem nona, alios vero undecima quum conduci dixisset, et dari mercedes his, qui circa

⁴⁰ 1 Cor. iv, 15. ⁴¹ Gal. vi, 10. ⁴² Act. viii, 26. ⁴³ Luc. xix, 9. ⁴⁴ Matth. xx, 1 seq.

undecimam conducti sunt, sicut his qui totam diem A operati sunt, jussit, sicut unius ergo illorum, erit ei qui redimitur pecunia venditionis suæ: licet enim ei et per parvum tempus, et per multum peragere redemptionem, propter quod et rationabiliter legislator addidit:

« Si autem plures fuerint anni, qui remanent usque ad jubilæum, secundum hos reddet et pretium: si pauci, ponet rationem cum eo, juxta annorum numerum, et reddet emptori quod reliquum est annorum, quibus servivit mercedibus imputatis. »

Primum ergo secundum hæc reddi pretium, id est, secundum ea, quæ peccavit, quod semetipsum redimere vult præcepit, ut si forsitan ex gula peccavit, per jejunium corrigat: sin autem ex verbositate, studeat taciturnitatem. Si ex incautela oculorum in mulieris concupiscentiam cecidit, agat non videre mulieres, neque omnino eis obvium fieri. Deinde si vult celere sibi redemptionem parare, intendat pecuniis acquisitionis suæ, verbo videlicet doctrinæ, quod eum intelligere proprium peccatum et subdi admonenti fecit. Et si viderit multum minus esse ad annum remissionis, et ad correctionem, videlicet definitæ ei pœnitentiæ, magis operetur virtutes, et laboriosam lucratur pœnitentiam. Si autem hoc rursus parum operatus fuit, si non per virtutes, per lacrymas autem, et suspiria, et similia, illis remedia peragere necesse habet. Confirmans autem quod dictum est, secundum Septuaginta infert: Quia mercenarius anno ex anno C cum eo est, non affliges eum in labore, in conspectu tuo. Ad illum respiciens mercenarium, quorum hic quidem per unam horam, ille autem per tres forsitan alter aliquanto amplius mercedem operis accepit ⁴⁵. Neque enim injustus erat, qui conduxit, sed sicut justus, non solum ad tempus operantium, sed et ad opera respexit, sic metieris ei, qui vult per actiones bonas semetipsum, et perfectiones redimere, ut annum ex anno sit cum eo, redemptionis propria: pecunia in momento, aut per multos annos, aut per paucos virtutem operandi redemptioni similem.

Et non affliges eum in labore in conspectu tuo. Quid autem hoc est? Ut eum, qui per virtutem peccatum respuit, non ei superimponas districtæ pœnitentiæ pondus. Semel enim semetipsum operibus bonis redemit. Ergo nimis recte subdidit, quæ sequuntur.

Quod si per hæc redimi non potuerit, anno iubilæo egredietur cum liberis suis. Qui autem æqualibus peccato virtutibus semetipsum non redemit, in anno jubilæi, sive remissionis, id est, in perfecta et districta pœnitentiâ, quemadmodum frequenter diximus, et ipsum redimi præcepit, sed et bona opera, quæ priusquam peccasset, egit, quæ filii uniuscujusque nostrum sunt. Sin autem vis cognoscere, quæ sit perfecta pœnitentiâ, Ninivitas intende, qui

prædicaverunt jejunium, et induti sunt sacco a majore usque ad patrum eorum, et exclamaverunt ad Deum intente, et cum toto animo, et averterunt se unusquisque a via sua mala, et ab injustitia quæ in manibus eorum erat. Sic enim Deus eorum pœnitentiam suscepit, ut propheta subderet: *Misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit* ⁴⁶. Et quæ est causa, quæ pœnitentiam delere peccata faciat, et facit mundam pœnitentiâ profligari redemptionem, ita ut nec opus habeat alium jam a lmonentem, neque sub jugo alterius agere doctrinæ.

Mei sunt enim servi filii Israel, quos eduxi de terra Ægypti. Quomodo autem eos eduxit? Suspirantes videlicet, sicut liber nobis Exodi demonstravit: *Per multum temporis mortuus est rex Ægypti, et ingemiscentes filii Israel propter opera, vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum* ⁴⁷. Qui ergo tunc populi suspirium suscepit, liberavitque eos a servitute Ægypti, ipse et nunc unamquemque in pœnitentiâ suspirantem liberat, et ab intelligibili Ægypto redimet. Dicit ad nos: Ego Dominus Deus vester, qui illa egi, et hæc præcepi.

CAPUT XXVI.

Vers. 1, 2. Non facietis vobis idolum, et sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum, ego enim sum Dominus Deus vester. Custodite Sabbata mea, et pavete sanctuarium meum. Ego Dominus. »

Non solum nobis, quomodo peccantes libertatem habeamus, nec aliorum doctrina aut exhortatione egeamus, lex mandat, ut propheticum illud nobis impleatur: *Et non docebit unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quia omnes scient me, a minore usque ad majorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum et peccatorum illorum jam non recordabor amplius* ⁴⁸. Quomodo autem hoc erat, si non solum ab aperto idolorum cultu, quem prohibet legis littera, sed et ab occulto abstinemus? de quo Paulus dicebat: *Radix omnium malorum avaritia* ⁴⁹, quæ est idolorum servitus: quemadmodum nobis etiam nunc legis spiritus abstinentiam mandat. Et non faciemus nobis idolum, et sculptile, sive, ut Septuaginta, *manufactile*, domos ædificantes, et agros aliquos possidentes, nec sculptile in eis figurantes, nostram quodammodo atterentes amore eorum mentem. Nec titulos nobis, sive statuas in his erigamus, volentes per eam memoriam nostram extendere in futuras generationes: sed nec lapidem insignem erigamus, auri, verbi gratia, aut argenti cumulum, aut lapidum, qui videntur esse pretiosi lapides, etiam hi de terra æquales albis lapidibus sunt, etsi avarorum visus in his, quemadmodum paganorum in idolis, seducuntur: propter quod et insignis lapis dictus est. Nos autem nihil tale patiamur, nec insignis no-

⁴⁵ Matth. xx, 1 seq. ⁴⁶ Jonæ. iii, 10. ⁴⁷ Exod. ii, 25. ⁴⁸ Jerem. xxxi, 34. ⁴⁹ I Tim. vi, 10.

bis lapis efficiantur divitiarum, ut secundum intentionem earum vivamus, secundum intellectum Septuaginta interpretum; et non quaecumque praeceperint, faciamus, et desiderii earum serviamus, adoremusque eas, et colamus in conservando eas. Custodiamus autem et Sabbata, ab omni alio malo abstinentiam vacationemque studentes, et agentes ut operibus praesentis mundi careamus, atque ab eis quiescamus. Hoc enim intelligibile et verum Sabbatum est, quod non populi est ingrati, sed ipsius Dei, quemadmodum in Isaia dicebat: *Beatus vir qui fecit hoc, et filius hominis qui apprehendit istud, custodiens Sabbatum ne polluat illud*²⁰. Unde distinguere ab illis volebat, de quibus initio prophetiae dicebat: *Neomenias, et Sabbatum, et festivitates alias non feram*²¹. Quod autem Dei est Sabbatum, aut quomodo illud quis profanare non potest, subinfert: *Quiescitate agere perverse*²². Ergo a malis abstinere, sabbati est impleti. Sed et sanctuarium ejus paveamus sanctimoniam studentes, id est, castitatem ac pudicitiam: haec enim est vitae imperfectae et consummatuae capitulum, sive summa. Propter quod hoc etiam novissimum posuit, tunc dicit ad nos Deus: Ego Dominus Deus vester, qui sum quidem sanctus, sed et in sanctis requiesco, interimens et disperdens omnes, qui tabernaculum meum polluerint, et templum meum pollutionibus voluptatum violaverint: quod testator Paulus dicens: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*²³. Propter quod sanctuarium ejus paveamus, ut nec corpus nostrum polluamus, neque ad corpus Christi, in quo est omnis sanctificatio (in ipso enim omnis plenitudo inhabitat divinitatis), sine subtili dijudicatione nostri, temere accedamus, sed prius nosmetipsos probeamus, reminiscentes ejus qui dixit: *Quicumque comederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem semetipsum homo, et sic de pane comedat, et de calice bibat*²⁴. Qualem probationem dicit? Id est, ut in corde mundo, atque conscientia, et poenitentiam eorum, quae olim deliquit intendenti participetur sanctis, ad ablutionem peccatorum suorum.

VERS. 3-13. « Si in praecipis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis et feceritis ea, dabo vobis pluviam in temporibus suis: et terra gignet fructum suum, et pomis arbores replebuntur, et apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem: et comedetis panem vestrum in saturitatem, et absque pavore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, et gladius non transibit terminos vestros. Persequimini inimicos vestros, et corruent coram vobis. Persequentur quinque de vestris centum alios, et centum ex vobis decem millia. Cadent inimici vestri in conspectu vestro gladio. Respiciam

vos, et crescere faciam, multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum. Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus projicietis. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos et ero vester Deus, vosque eritis populus meus. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegyptiorum, ne serviretis eis, et qui confregi catenas cervicium vestrarum, ut incederetis erecti. »

Haec sensibiliter suscepit Judaeorum populus, utpote parvam habens spem futuri, et non satis intelligibilibus suspensus bonis. Erat enim totus ad ventrem et ad carnale otium intentus, ita ut in praesenti vita, ea quae ad voluptatem pertinebant, etiamsi nimis essent despecta et minima pro illis, quae parum laboriosa erant, sed multum majora, eligeret, et propterea quaereret Aegyptios pepones, caepas, et alia, quoniam in promptu erant ad exsatiandos eos, et sine labore aderant. Nos autem, si mandatis Dei intendimus, dicentes sicut David: *Viam justificationum tuarum insinua mihi*²⁵. Et rursus: *Deduc me in semita mandatorum tuorum; et custodierimus mandata ejus*²⁶, nihil eorum corruptentes, neque secundum nostram intentionem, sed secundum ejus, et quae ejus sunt, agentes: hoc enim est proprie ejus custodire mandata; intelligibiliter exspectemus unumquodque eorum, quae praedicta sunt. Quia autem a Judaeis inveniemus omni modo haec secundum litteram impleta: multi enim Dei prophetae, custodientes ejus mandata, et in praecipis ejus ambulantes, in multa fuerunt afflictione constituti, nec panem suum cum satietate, sed cum egestate comederunt, quemadmodum Ezechiel, cui ab ipso hoc Deo praecipuum est. Sed et Paulus eos, qui in lege et prophetis justificati sunt, exponens dicebat: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, humiliati, afflicti, quibus dignus non erat mundus*²⁷. Illud autem magis intendere in his, quae dicta sunt, oportet, quia custodientibus Dei mandata, triginta benedictiones in praesenti lex posuit. Sic enim eas numero invenies, unamquamque benedictionem ab alia per conjunctionem, in secundum Septuaginta editione discernens, quia tot annorum existens Dominus, de quo ait Paulus, *Ut occurramus omnes in virum perfectum*²⁸, in mensuram aetatis plenitudinis Christi: venit ad baptismum: quatenus donationis perfectionem, per aetatem, quam agens baptizatus est, nuntiaret et ostenderet: et sic perfectus secundum tempus factus, praedicare Evangelium coepit: in quo omnibus est vitae et donationis plenitudo, et conversationis, retributionisque. Quae hic significavit; ait enim:

Et dabo vobis pluviam in temporibus suis. Dicit autem verbum Dei, utpote descendente de caelo gratiae, de quo Moyses sic dixit: Attende, caelum, et loquar, et audiat terra verba ex ore meo, exspectetur

²⁰ Isa. lvi, 2. ²¹ Isa. i, 13. ²² ibid. 16. ²³ I Cor. iii, 17. ²⁴ I Cor. xi, 28. ²⁵ Psal. cxviii, 27.
²⁶ Ibid. 35. ²⁷ Hebr. xi, 37. ²⁸ Ephes. iv, 13.

sicut pluvia eloquium meum⁵⁹. Hoc non quaecumque bonum est in tempore suo percipere, sed manifesta est Dei bonitatis ostensio, quemadmodum non accipere aversationis est. Propter quod Deus irascens populo Judæorum, per Isaiam prophetam minatus est, dicens : *Et relinquam vineam meam, et non putabitur, nec fodietur, et ascendent in eam, sicut in agro inculto, spinæ; et nubibus mandabo, ne pluant super eam pluviam⁶⁰*. Quid enim nobis ex accipienda pluvia in tempore suo proficit?

Et terra gignet fructum suum. Id est, corpus nostrum, hujus enim doni fructus sunt, castitas, sobrietas, abstinentia. *Et pomis arbores replebuntur*. Sive, ut Septuaginta : *Ligna campi dabunt fructum suum*. Ligna autem campi sunt animæ motus, utpote qui sunt motibus intelligibili nostræ terræ, videlicet carne sublimiores. Horum ergo fructus, veritas, justitia, mansuetudo, compassio, et his similia; propter quod consequenter subjungens, addit.

Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem. Quia enim tritura terræ colligit fructus, vindemia arborum, recte fructus corporis aut fructus animæ comprehendere, sive occupare dicimus, quia hoc quidem maximæ benedictionis est, uno eodemque tempore stabile et fecundum corpus, atque animam in virtutibus possidere. Comprehendit autem, sive occupavit vindemia sementem; congregans enim anima virtutes suas, mod alias desiderat, usque dum illas attingerit divitias, ad quas Paulus festinavit, et propterea dicebat : *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse⁶¹*, unum autem, quæ quidem retro sunt oblitus, in his autem, quæ priora sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Christi. Propter quod et bonum sequitur semen, plenum salutaribus actionibus, ut bene conveniat quod sequitur.

Et comedetis panem vestrum in saturitate. Si enim panis noster virtus est, de qua Dominus dicebat : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam⁶²* : hic illum ad satietatem comedet, id est, operatur, qui in perpetuo ejus appetitum habet.

Et absque pavore habitabit in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris. Vel secundum Septuaginta, *et bellum non pertransibit terram*, quod nostra translatio paulo post dicit. *Gladius non transibit in terminos vestros, et dabo pacem in terra vestra*. Si enim corpus stabile fuerit, et anima fructificat, securi in terra nostra habitabimus, quia *Caro non concupiscit contra spiritum⁶³* : unde nec bellum per terram transibit. Neque enim habebit tempus in resurrectione concupiscentiarum, de quibus ait Jacobus : *Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris ve-*

stris⁶⁴? Quibus destructis pax in terra vestra lege Dei refrænata profligatur.

Et dormietis, inquit. In retributionis autem specie, etiam hoc Scriptura sacra posuit. Dormitio enim utpote requies, mors sanctorum dicitur, iniquorum autem non est ita, cui testis est Ecclesiastes : *Saturitas autem divitis non sinit dormire eum⁶⁵*. Propter quod nunc consequenter addidit :

Et non est qui exterreat. Qui enim sic vixit, quemadmodum in superioribus dictum est, non habebit qui eum terreat tempore mortis, quæ nobis dormitio est, propter spem mortuorum resurrectionis. Non habebit autem qui exterreat, nihil sibi conscius, de quo terreatur.

Auferam malas bestias. Videlicet dæmones. Bestiæ enim sunt ex simili malitia, primum sicut latentes, deinde ut venenum importabile et mortiferum habentes. *Prosequimini inimicos vestros*. Non possunt enim ante faciem eorum, qui secundum legem vivunt, stare. *Et corruent coram vobis*. Qua morte? Quæ est utique per jejunium et orationem. Hoc enim modo nostri intelligibiles inimici dæmones interimuntur, ut nequaquam ultra contra nos possint reviviscere. Unde et Dominus apostolis inquirentibus, cur nutum et surdum dæmonium ejicere minime potuissent, respondit : *Hoc enim genus non ejicitur, nisi per jejunium et orationem⁶⁶*.

Persequentur quinque de vobis centum alienos. Sive ut Septuaginta : *Expellent quinquaginta centum quinquaginta*. Dicimus esse spiritalem hominem, quia die Pentecostes Spiritus de cælo descendit. Ergo spiritalis ille qualis sit, Paulus dicebat : *Spiritalis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur⁶⁷* : id est, qui scientiam perfectam habet, ad subtilem eorum, quæ agenda sunt discretionem, hic quamvis validum dæmonem, verbi gratia, qui ex eis supra centum, et qui legio appellatur propter multitudinem obedientium ei malorum spirituum et cooperantium, valet superare atque vincere.

Et centum ex vobis decem millia. Qui enim non solum scientiam habet subtilem, sed et vitam perfectam atque consummatam, hic duplex quodammodo spiritalis est, et propterea centenario numero honorandus est, sicut duplicem fructum ferens in spiritu, atque perfectum, et quo majorem Christus non dicit, sed frequenter bonam terram insinuans dicebat : *Afferet fructum trigesimum, et sexagesimum, et centesimum⁶⁸*. Hic ergo millia hostium subijcere, omnes videlicet contrarias virtutes, utpote qui virtutum habet perfectionem, potest. Quomodo autem, subjicit. In verbo utique Dei; ait enim :

Et cadent inimici vestri in conspectu vestro gladio. Illum dicens, quem Paulum sic scribens, exposuit. Cum enim prius dixisset inimicorum millia, id est : *Non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus*

⁵⁹ Deut. xxxii, 2. ⁶⁰ Isa. v, 6. ⁶¹ Phil. iii, 15. ⁶² Joan. vi, 27. ⁶³ Gal. v, 17. ⁶⁴ Isa. iv, 1. ⁶⁵ Eccl. v, 11. ⁶⁶ Matth. xvii, 20. ⁶⁷ I Cor. ii, 15. ⁶⁸ Matth. xiii, 8, 23.

mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia A nequitiae in caelestibus ⁶⁶, subinfert. Propterea accipite armaturam Dei ⁶⁷; quam singulatim dinumerans, ait: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei* ⁷⁰

Respiciam vos. Quid est enim melius, quam respici a Deo, cujus respectus salus est, aversatio autem mors est? *Et crescere faciam, et multiplicabimini.* Auget nos quidem, cum parva bona, quae agimus, maxima facit apparere. Multiplicat autem pauca crescere faciens in multis. Annon augens nostras virtutes et magnificans dicebat: *Quandiu fecistis uni de minimis his, mihi fecistis* ⁷¹? Et multiplicans rursus, Paulum scribere faciebat: *Non enim occides; non adulterabis; non concupisces; et si quod est aliud mandatum* ⁷², hoc verbo restauratur: *Dilige proximum tuum sicut teipsum* ⁷³, multa mandata efficiens hoc unum mandatum, ut nos assequentes illud, divites efficiamur. Nimis ergo opportuna sunt, quae sequuntur.

Firmabo pactum meum vobiscum. Ea quidem sunt praedicta, per retributiones autem illud firmat, quod manifestant, quae sequuntur: *Comeditis vetustissima veterum.* Sive ut Septuaginta, *vetera veterum*, id est, quae vobis per legem et prophetas promissa sunt, et quae per patriarchas in eorum benedictionibus promisit. *Et vetera novis supervenientibus projicietis.* Quae sunt nova? Evangelia videlicet; nam cum maxima sunt ea, quae sunt per patriarchas, legem et prophetas pollicita, tamen per Evangelium promissa majora sunt, propter quod, horum comparatione, illa nobis superflua judicantur. Ecce ergo capitulum, quod totam benedictionem confirmat, infert, id est, quae per evangelicam acta sunt et impleta gratiam.

Ponam tabernaculum meum in medio vestri. Vel sicut Septuaginta: *Constituam testamentum meum vobiscum.* Quod est hoc, in quo nova promisit, cujus sic propheta Jeremias memoriam facit: *Et constituam vobis testamentum novum, non secundum testamentum, quod disposui patribus vestris* ⁷⁴. His enim conjuncta sunt, et quae sequuntur maxime.

Et non abominabitur anima mea vos. Ambulabo inter vos, et ero vester Deus, vosque eritis populus meus. Aperte etiam haec a praedicto propheta, sicut Septuaginta editio continet, scripta sunt. Hic Deus vester, non reputabitur alius ad eum. *Posthac in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* ⁷⁵: quod non egisset, si nos aversaretur. Non ergo nos abominatus est, sed et inambulare in nobis per carnem voluit, et fieri noster Deus, cum esset prius, sed ignotus: quia nos errori conjuncti eramus. Ex quo autem nos proprio emit sanguine, Deus noster factus est, et nos plebem suam fecit. Et quis est qui haec fecit?

Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegypti, ne serviretis eis. Quod si vis cognoscere, haec Exodi verba per Evangelii ordinem discute. Dixit ergo Dominus ad Moysen: *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, clamorem ejus audivi, propter duritiam eorum, qui praesunt operibus: et sciens dolorem ejus, descendi liberare eos de manibus Aegyptiorum, et educere de terra illa in terram bonam et speciosam, quae fluit lacte et melle* ⁷⁶. Et quis sit qui introducit in promissionis terram? Ipse Deus, qui haec Moysi ostendit: *Ecce ego mitto Angelum meum qui praecedat te et custodiat te in via, et introducat ad locum quem paravi* ⁷⁷. Angelum filium appellans, quia voluntatem nobis Patris annuntiavit, de quo ait Isaias: *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, cujus principatus super humeros ejus, et appellabitur nomen ejus magni consilii Angelus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis* ⁷⁸. Quomodo enim, cum promiserit Deus, per ea quae superius dicta sunt, introducere populum in terram, Angelus hoc facere, et non ipse qui promisit, poterat? Quis autem, et qui descendit, ipse nobis dicens haec ad Nicodemum ostendit: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis qui in caelo* ⁷⁹. Atqui necdum in caelum cum carne ascenderat, necdum enim assumptus erat, sed descensionem et ascensionem pristinam dicit, de qua, sicut diximus, Moysi locutus est: *Vidi afflictionem populi mei, et descendi liberare eos de manibus Aegyptiorum.* Hic ergo nobis et ea, quae sequuntur, dedit.

Qui confregit catenas cervicumstrarum. Tam peccati quam legis litterae: Ut incederetis erecti. Id est, cum confidentia, quia virtutes nobis sine aliqua haesitatione operari dedit.

VERS. 14-17. « Quod si non audieritis me, nec feceritis mandata mea, si spreveritis leges meas, et judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea, quae a me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque haec faciam vobis. Visitabo vos velociter in egestate et ardore, qui conficiat oculos vestros, et consumat animas. Frustra seretis semen, quod ab hostibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos, et corructis coram hostibus vestris, et subjiuemini iis qui oderunt vos. Fugietis nemine persequente. »

Quae bona eos, qui obediunt Dei mandatis, expectant, sufficienter lex superius dixit. Quae autem evenire transgredientibus comminata est, ea quae nunc sancuntur, ostendunt. Quorum quando ad litteram singula discutimus, invenimus populum Judaeorum, horum passum quaedam secundum litteram, omnia autem secundum spiritum.

Quod si non audieritis me, nec feceritis mandata mea, si spreveritis leges meas, et judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea, quae a me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum.

⁶⁶ Ephes. vi, 12. ⁶⁷ ibid. 11. ⁷⁰ ibid. 17. ⁷¹ Matth. xxv, 40. ⁷² Rom. xiii, 9. ⁷³ ibid. ⁷⁴ Jerem. xxxi, 52. ⁷⁵ Baruch. iii, 58. ⁷⁶ Exod. iii, 7, 8. ⁷⁷ Exod. xxiii, 20. ⁷⁸ Isa. ix, 6. ⁷⁹ Joan. iii, 13.

Qui non audiunt mandatum Dei, et qui judicia abscondere poterant, sed clamabant palam atque contempnunt? nisi qui traditiones seniorum intendentes, et legislatoris intentionem transgredientes, ad hoc quod eis videbatur legem exponebant, qui dicebant, sicut ait Dominus: *Quicumque dixerit patri aut matri: Donum quodcumque ex me tibi proderit, et non honorificabit patrem suum et matrem suam*⁸⁰: id est, quicumque dixerit parentibus: Vota sunt Deo ea quæ habeo, ipsi enim ea munus et oblationem obtuli, eos, qui generaverunt, honorare non cogitur. Qui sunt qui non ejus omnia faciunt mandata? nisi qui *anetum et cyminum decimant, et mentham, relinquunt autem judicium, et misericordiam, et fidem*⁸¹; cum Deus eis per prophetam dicat: *Indicabo tibi, o homo, quid Dominus quærat a te, utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo*⁸². Propter quod Dominus ad eos, utpote non omnia implentes legis præcepta, sed quæ ejus sunt gravia relinquentes, et quæ minima agentes, dicebat: Hæc oportebat facere, et illa non omitttere. Sed et mandata Dei illi proprie transgrediuntur, et eis maxime inobedientes sunt, quia exteriorem faciem eorum, non autem intentionem Dei conservant. Planctus ergo Aquila, et Theodotion, et Symmachus edidisse inveniuntur. Nam ille quidem ait: *Si constituta mea reprobaveritis; illi autem: Si subtilitates meus*, id est, agri viam, *renueritis*. Dogmata autem Dei, et subtilitatem, quæ in spiritali mandatorum intellectu erat, transgrediuntur, quia Novo Testamento concordat, infirmare evangelicam gratiam per hoc volentes, quod eos arguens ait:

*Et ad irritum perducatis pactum meum. Quid ergo pro hoc minatus est? Nimis enim similis pœna est prævaricationi eorum. Ego quoque hæc faciam vobis. Quomodo? Visitabo vos velociter in egestate. Nimis enim egentes eos Dominus per verbum suum fecit, in tantum ut ad invicem dicerent: Durus est sermo hic, quis potest eum audire*⁸³? Sicut ergo sponte legis intellectum transgrediebantur, ut evangelicum testamentum in irritum deducerent, quod illinc habebat exordium, sic eis et ipse obscura verba dicebat, et difficilem suorum dogmatum faciebat comprehensionem. Sed jam quæ sequuntur agnosce.

Et ardore qui conficiat oculos vestros. Sive secundum Septuaginta: Scabiem, et morbum regium consumentes oculos vestros, obfirmabo super vos. Scabies autem morbus est corporis, sed manifestus, in superficie carnis et corio ejus decurrens. Morbus autem regius, id est, ἔκτερος, fit quidem ex accensione. Manifestus autem hic est, in superficie carnis et pellis decurrens, et multo magis oculis insidens. Latere autem morborum neuter potest. Tales erant animarum Judaicarum morbi, manifesti et mali, et nequaquam ultra latentes. Æmulantes enim Domini verba et miracula, non jam morbos suos

prædicabant: *Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit? Si omittimus eum sic, venient Romani, et tollent nostrum et locum et gentem*⁸⁴. Ergo non quia legi aut prophetis contraria docebat, nam nimis eis consona docuit, sed sui amoris causa, sui que causa negotii, sermonibus ejus non obediebant. Hoc ergo percussus morbo, oculos suos conficiebant, et animas consumebant, non solum exardescentes furore, et invidia corrupti, sed ut semel infirmati mente, et cogitationes non nimis sanas ad discretionem factorum dictorumve habentes, verbis et miraculis, interiores suos oculos conficiebant, et animam consumebant, ita ut ad eum clamarent: *Usquequo animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam*⁸⁵. Quod utique animæ infidelitatis consumptioni subjacentes erant. Sed et Joannes hæc de eis dicit: Propterea non poterant credere. Qui rursus dicit Isaias: *Cæca cor populi hujus, et aures ejus aggravata, ne quando oculis suis videant, et auribus audiant, et corde intelligant*⁸⁶. Cernis, quia quemadmodum fecerunt ipsi, sic et Christus eis fecit. Quia enim ejus irritum facere pactum, sive testamentum studuerunt, recte eorum oculos et cor excæcavit, et ardorem sive ἔκτερον conficientem oculos eorum, et animas consumentem eis dedit. Sed quid iis addidit?

Frustra sementem seretis, quæ ab hostibus devorabitur. Frustra enim illis prophetarum et legis proferunt semina, et doctorales illinc seminant sermones, non habentes terram fertilem ad intelligibilem dogmatum fructum: unde nec cibo eorum fruuntur, sed devorant ea adversarii eorum qui in Christo credunt, quos ipsi sibi per infidelitatem et invidiam contrarios fecerunt.

*Et ponam faciem meam contra vos. Secundum propheticam illam vocem: Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum*⁸⁷.

Et corruetis coram hostibus vestris. Gentiles enim, quos inimicos sibi judicant, coram eis cadunt, in salute eorum offendentes. Unde Symmachus, pro cadetis, offendetis, ait, ante inimicos vestros. Quid autem aliud addidit? Persequentur vos, odio habentes vos, et fugietis nullo persequente.

Hic quodammodo contrarium esse videtur quod dicitur. Si enim ab hostibus persecutionem patiuntur, quomodo nullo persequente fugiunt? Sed, persequentur vos, non ad expellendum legislator accepit: sed quia currendo imminerent, ad salutem eorum festinantes. Unde, persequentur vos, *In servitute redigenti vos, Symmachus; Erudiunt a vobis, Theodotion edidit. Talem nobis et Paulus persecutionem demonstrat: Sequar autem, si comprehendam, in quo et comprehensus sum*⁸⁸. Gentes ergo, et sicut David de Judæis, dicunt: *Nonne qui te odierunt,*

⁸⁰ Marc. vii, 11. ⁸¹ Matth. xxiii, 23. ⁸² Mich. vi, 8. ⁸³ Isa. vi, 10. ⁸⁴ Psal. xxxiii, 17. ⁸⁵ Philipp. iii, 18.

⁸⁶ Joan. vi, 61. ⁸⁷ Luc. ii, 47. ⁸⁸ Joan. x, 21.

Deus, oderam illos ⁸⁹? Verumtamen eorum instat salutem, festinatque et orat, scit enim *Quia assumptio carum, sicut ait Paulus, vita est ex mortuis, et plenitudo carum, salus mundi* ⁹⁰. Illi autem fugiunt nullo persequente. Non enim quemadmodum illi nostrae salutem invident, sic et nos illorum, unde eos nec persequimur, nec cum nos aversantur, aversamur, sed implemus quod Isaias propheta dixit: *Dicite odientibus vos fratribus vestris, et abominantibus, ut nomen Domini glorificetur, et videatur in exultatione eorum, et illi erubescant* ⁹¹.

VERS. 18-26. «Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, et conteram duritiam superbiae vestrae, daboque caelum vobis desuper, sicut ferrum, et terram aeneam. Consumetur incassum labor vester. Non proferet terra germen, nec arbores poma praebent. Si ambulaveritis ex adverso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras usque septuplum propter peccata vestra: emittamque in vos malas bestias agri, quae consumant et vos et pecora vestra, et ad paucitatem cuncta redigant, desertaque fiant viae vestrae. Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque contra vos adversus incendam, et percussam vos septies propter peccata vestra, inducamque super vos gladium ultorem foederis mei. Cumque confugeritis ad urbes, mittam pestilentiam in medio vestri, et trademini hostium manibus: postquam confregero baculum panis vestri, ita ut decem mulieres in clibano coquent panes, et reddent eos ad pondus, et comedetis, et non saturabimini.»

Talibus distinctionibus non frustra legislator usus est, nam nunc quidem ait: *Sin autem nec sic obedieritis mihi.* Deinde quasdam correptiones denumerans subinfert: *Si ambulaveritis ex adverso mihi.* Et rursus alias plagas exponens, addit: *Quod si nec volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi.*

Sed ideo, ut diximus, his distinctionibus usus est, quia frequenter Christus suscipere populum Judaeorum voluit, illi autem non obediebant, ita ut ad eos clamaret: *Jerusalem, Jerusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluisti* ⁹²? Illud ergo maxime in his, quae dicta sunt, attendamus, quia cum septem correptiones comminatus fuerit, sic eas subdividit: Contritionem ergo duritiae superbiae, et dationem caeli ferrei, et terrae aeneae, et incassum eorum consumi laborem, et terram non proferre germen, nec arbores poma praebere minatus est. Haec autem sex sunt, non septem: hoc idem autem invenies, et reliquas correptiones percurrens. Ergo per hoc manifestum est: quia septenarius numerus,

totius praesentis vitae figura est, et signum est, quae per septenarium numerum volvitur. Et quia septem eis correptiones sive vindictas vel plagas inferre, omnimodam poenam, et integram vindictam, utpote non venialia nec poenitentia digna peccatis minatus est, ita ut finem in eis illud acciperet propheticum eloquium: *Quid cogitatis contra Dominum* ⁹³? Consummationem ipse faciet, non consurget duplex tribulatio, quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium illorum pariter potantur, consumentur quasi stipula ariditate plena. Ex te exhibit, cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans praevericationem. A quo autem cogitatio contra Dominum egressa est, mala cogitans, et contraria praecipis ejus, nisi populo Judaeorum? de quo Isaias dicebat: *Vae illis, quia consilium cogitant malum, contra semetipsos dicentes: Circumveniamus justum: quia inutilis est nobis* ⁹⁴. Fructus ergo laborum suorum manducabunt. Intende enim ordinem quo utitur legislator ad comminationem.

Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra. Septuaginta autem ediderunt: *Si usque ad hoc non audieritis me:* usque ad hoc quod praecedentia ostenderunt, ubi egestatem ardoremque dixit. Quae quomodo oporteat accipi, in praecedentibus exposuimus. Si ergo usque ad hoc inobedientes fuerint, ut nec ex his, quae dicta sunt, emendantur, septies illos dixit corripi, id est, perfectam correptionem in peccatis eorum evenire. Quibus autem, non dicit, ut eorum peccata hoc ipso, quod non emendati sunt, ex praedictis intelligamus. Et quid ad lidit?

Et conteram duritiam superbiae vestrae. Non voluerunt eam Christi libertatem suscipere, dicentes: *Semen Abrahae sumus, et nulli servivimus unquam* ⁹⁵. Hanc eorum duritiam superbiae contrivit, servire eos gentibus faciens. *Dabo caelum vobis desuper sicut ferrum.* Nullam ergo ex eo visitationem penitus sunt adepti. *Et terram aeneam.* Terra enim divinae Scripturae, quam possident, infructuosa eis est; cum non ab eis intelligitur quo oporteat modo, illam aeneam esse dicit. Ad cuius rei ostensionem addidit:

Consumetur incassum labor vester. Labor enim, quem in divinis Scripturis ostendunt, incumbentes traditioni litterae, incassum consumitur, qui plene non possunt lege secundum litteram uti, ablato loco, in quo littera omnem divinum cultum legis conclusit. Nimis enim convenit quod sequitur: *Non dabit terra germen suum, nec arbores poma praebent.* Neque enim exterior eorum homo, qui appellatur terra, fructificat, quia in gastrimargia vivunt, et de eis dictum est: *Quorum Deus venter, et gloria in confusione eorum* ⁹⁶. Sed nec mentes, quae sunt agri ligna, sicut insertae quidem corpori: sed tamen eo

⁸⁹ Psal. cxxxviii, 21. ⁹⁰ Rom. xi, 15 et 12. ⁹¹ Isa. lxxvi, 5. ⁹² Matth. xxiii, 37. ⁹³ Nahum. i, 9. ⁹⁴ Sap. ii, 12. ⁹⁵ Joan. viii, 53. ⁹⁶ Philip. iii, 10.

excelsiores fructus Deo præbent quod germinare nos a ris sapientiam obstupescere, quomodo opportuna in pietate vult.

Si ambulaveritis ex adverso mihi. Neque enim recto corde ad Deum incedunt. Pervertunt enim ejus viam, legis et prophetarum sensus subvertentes, ut suam inobedientiam per hoc atque prævaricationem colerent. Propter quod infert: *Nec si volueritis audire me, addam vobis plagas vestras usque ad septuplum propter peccata vestra.* Non jam correptiones, sed plagas, validiorem nunc pœnam præcedenti, et æqualem eorum iniquitatibus exponens, quam hanc.

Emittamque in vos malas bestias agri, quæ consumant vos et pecora vestra, et ad paucitatem cuncta redigant, desertæque fiant viæ vestræ. Quia enim semetipsos a Dei via repulerunt, recte super eos bestiæ agri, dæmones immittuntur, dominari eis permissi, qui eos et consumunt. Quidquid enim videntur justitiæ agere, Deus sibi non imputat, quod demonstrat Paulus dicens: *Justitiam suam querentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti*⁷⁷. Et rursus: *Israel autem sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit*⁷⁸. Necesse est ergo, ut eum comedant dæmones, qui eorum pecora, id est, pecoribus similes homines, pravum videlicet populum atque imperitum consumunt, siquidem nullus est in illis intellectus, nihil Dei servitio dignum cogitare consueverunt, sed sicut jumenta in modum freni stultis præpositorum suorum traditionibus docentur, propter quod sunt dæmonum cibi, et ad paucitatem rediguntur, tam multitudine quam dignitate. Desertæque eorum fiunt viæ, quæ nec aquam habent vitæ, nec susceptionem, sive hospitalitatem intelligibilem, nec producentes se vel quasi ad manum deducentes, aut custodientes.

Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque contra vos adversus incedam. Adversa pœna ular, quemadmodum adversa est legi vestra prævaricatio: cum enim meditari eam videamini, intentionem ejus non servatis, sic et ego adversam vobis superinducam pœnam, non vos corripuens illis, quibus flagellabam prius, quando mortiferas serpentes et incendiium, et terræ hiatus, et similia super vos inducebam, sed alias. Quæ sunt autem hæc, sequentia legentes sciemus.

Et percutiam vos septies propter peccata vestra. Prius corripiam, deinde percutiam. Procedens enim pœna, utpote contra inobedientes, fortior efficitur. *Inducamque super vos gladium ultorem fœderis mei.* Gladium spiritus quia verbum Dei sit, frequenter diximus. Hoc verbum in linguis Ecclesiæ magistrorum, vindicat iudicium fœderis, sive testamenti evangelici. Convincit enim eos qui novum transgrediuntur, nec vetus custodire posse, et vindicatur Evangelium, cum inimici legis ostenduntur, qui Evangelii gratiam transgrediuntur. Sed et legislato-

ris sapientiam obstupescere, quomodo opportuna subdit:

Cumque fugeritis ad urbes, mittam pestilentiam in medio vestri. Intelligibiles civitates, prophetæ sunt. Manifestum est autem ex quibus Deus Jeremiæ dicebat: *Ego quippe dedi te hodie civitatem munitam*⁷⁹. Quemadmodum ergo in civitates muratas qui fugit, si amicus est salvatur, si autem inimicus, facilius perimitur in earum ambitu circumdatus: sic in prophetis libris, et in eorum testimoniis, amici fidei confugientes munitionem salutemque inveniunt, inimici autem et infideles cito captivi pereunt. Propter quod, quando ad prophetas Judæi fugiunt, declinantes cum qui est in doctis viris, spiritalem gladium, pestilentiam ait se mittere in medio eorum. Illic enim moriuntur, etiam nullo arguente, non valentes cunctis de Christo prophetiis sic apertis repugnare.

Et trademini hostium manibus ejus. Videlicet intelligibilem. *Postquam confregero baculum panis vestri.* Rarescit enim apud eos doctoralis panis, maxime salutaris: quomodo autem? Audi quæ sequuntur: *Ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, et reddant eos ad pondus, et comedetis, et non saturabimini.* Nihil habent Judæi, quod doctrinam vires habere nutriendi faciat, exceptis decem præceptis, quia veram prophetarum expositionem, utpote concordantem Salvatoris nostri dispensationi fugiunt. Reliqua autem legis nolunt intelligibiliter accipere, nec spiritualiter suscipere: sed secundum litteram solam, quod stare non potest. Primum, quia locus destructus est, in quo erant sacrificia, et mundationes, et oblationes, et reliqua, quæ pertinent ad servitutem litteræ, deinde nulla in eis erant, non tam studio, quam risu digna, sicut ea, quæ sunt de lepra parietum, trabium, vestium, non arare cum bove et asino, et similia, quæ legalibus traditionibus continentur. Decem autem mandatorum littera clara est, digna ad custodiendum atque operandum. Nec contrarium est Sabbati mandatum, quia etsi decem mandatis insertum est, non tamen ex eis est. Si ergo mandatum speciale ponamus:

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis, perfectum decem mandatorum numerum invenimus. Dehinc aperte requiem intelligibilem significat, in qua nullum opus hujus mundi licet nos agere. Hæc ergo sola patere operantur populo Judæorum, in clibano uno legali videlicet, et reddunt eos ad pondus supradictos panes, id est, ad sensibilem restrictionem. Neque ergo dilatant doctrinam sicut Evangelium, neque adulterii doctrinam ostendunt ad custodiam, nec respiciendi mulierem, nec homicidii, nec ad irascendum. Unde nec satiantur Judæorum panibus, qui ex eis sunt nutriti, arctam quamdam doctrinam,

⁷⁷ Rom. x, 5. ⁷⁸ Philip. iii, 6. ⁷⁹ Jerem. i, 18.

n hilique habentem ubertatis, spiritualisque largitatis sumentes.

VERS. 27-45. « Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaveritis contra me, et ego incedam adversum vos in furore meo contrario, et corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, ita ut comedatis carnem filiorum vestrorum, et filiarum vestrarum. Destruam excelsa vestra et simulacra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, et abominabitur vos anima mea, in tantum, ut urbes vestras redigam in solitudinem, et deserta faciam sanctuaria vestra, nec recipiam odorem ultra suavissimum, disperdamque terram vestram, et stupebunt super eam inimici vestri, cum habitatores illius fuerint. Vos autem dispergam in gentes, et evaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, et civitates dirutæ. Tunc placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis sue, quando fueritis in terra hostili. Sabbatizabit et requiescet in sabbatis solitudinis sue, eo quod non requieverit Sabbatis vestris, quando habitabitis in ea. Et qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum : in regionibus hostium terrebit vos sonitus folii volantis, et ita fugiet quasi gladium. Cadent nullo sequente, et corruent singuli super fratres, quasi bella fugientes. Nemo vestrum inimicis audebit resistere. Peribitis inter gentes, et hostilis vos terra consumet. Quod si et de his aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis, in terra inimicorum suorum, et propter peccata patrum suorum et sua affligentur, donec conflentur iniquitates suas, et majorum suorum, quibus prævaricati sunt in me et ambulaverunt ex adverso mihi. Ambulabo igitur et ego contra eos, et inducam illos in terram hostilem, donec erubescat incircumcisa mens eorum. Tunc orabunt pro impietatibus suis, et recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Jacob, et Isaac, et Abraham : terræ quoque memor ero, quæ cum relicta fuerit ab eis, complacebit sibi in sabbatis suis, patiens solitudinem propter illos. Ipsi vero rogabunt pro peccatis suis, eo quod abjecerant iudicia mea, et leges meas despexerunt. Attamen cum essent in terra hostili, non penitus abjeci eos neque sic despexi, ut consumerentur, et irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum, et recordabor fœderis mei pristini, quoniam eduxi eos de terra Ægypti, in conspectu gentium, ut essem Deus eorum. Ego Dominus Deus. »

Quia non solum legislator Moyses, sed etiam et propheta erat, ipse demonstravit, de Christo specialiter prophetans his verbis : *Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris, sicut me*¹. Bene autem sibi Christi similitudinem custodivit, qui præter alia, in quibus similitudinem ejus gerebat, quemadmodum Dominus de fine mundi dixit, ita et hic ea, quæ futura erant populo Judæorum, in præsentia lege conscripsit. Multas siquidem su-

A erant captivitates experti, multaque flagella pertulerant, sed ea quæ nunc per partes dicit, ad illam captivitatem pertinent, quæ propter iniquitatem in Christo commissam, a Romanis depopulantibus eis contigit. Cognoscis autem, si subtilius nosse vis ea, quæ eis evenerunt, ex Josephi historia, in qua eos et filios comedisse, et reliqua præsentium comminationum sustinuisse descripsit, quorum plurimæ etiam nunc nostris ad cernendum adjacent visibus. Deserta eorum terra, civitates deprædatæ ab hostibus, desolata provincia ipsique peregrinantes apud inimicos suos gentiles, cum metu continuo. Verumtamen quemadmodum non solum hoc secundo litteram perpassi sunt, sed ad ipsam considerationem spiritus, dupliciter enim peccantes, in legis transgressione, et legislatoris blasphemia, duplices et pœnas recte patiuntur, quod hoc modo disce. Ambulaverunt cum Christo, ex adverso subvertentes miracula ejus, et de doctrina ejus detrahentes : cum per invidiam insidiarentur, tanquam contra eum agentem divini amoris Doctorem fallaciter asserebant. Sed et ipse in ira eis ex adverso hæc modo usus est : quia enim iudicium fuit, et pœna commissæ in eo iniquitatis captivitas, quam sustinuerunt : quam non tamen propter hoc Romanos inferre fecit, necdum enim ejus vindicabant gloriam : sed quomodo qui eorum imperio resistebant, cum pridem collatores eorum fuissent, tributisque eorum, et legibus, atque magistratibus obedientes : sed C furorem ex adverso exercens adversus eos Deus, superinduxit contra eos iram, ut vindicaretur per Romanorum imperium, tanquam ipsius prædicatores exstitissent, et corripuit eos septem plagis, secundum peccata eorum, multiplicans eorum pœnas. Et non uno modo vindicavit, quia nec ipsi uno peccaverunt modo : sed et carnes filiorum suorum et filiarum suarum comedent, id est, discipulos suos, quos quasi in filios sibi assumunt, ad eandem doctrinam verbis callidis, animamque subvertentibus comedentes. Sed et excelsa eorum ad desertum perduxit, et simulacra confregit. Excelsa quippe eorum principes et doctores, quos intendentes, sicut in sublimi constitutos, vel sicut LXX, *statuas*, vitam suam componere debuerunt. Sed quia nihil habebant sanum, neque forte, sed infirma omnia, et corruptibilia virtutis schemata, et imitationis, quæ tempore corrumpuntur atque putrescunt, unde et apud LXX, *ligneæ manufacta* dicebantur : desolavit ea, arguens coram unam hypocrisin, cum ipsis autem et populares, qui eis intendebant. Posuitque cadavera eorum inter ruinas idolorum ipsorum, id est, membra populi, et actiones coacervans super actiones idolorum ipsorum, Phariseorum atque Scribarum, quibus sicut idolis utebantur, relinquentes Deum, et idolorum seductionibus intendentes, propterea ait :

Abominabitur vos anima mea. Quæ ? quam pro nobis posuit, et nos de servitute peccatorum

¹ Deut. xviii, 15.

mortis redimeret. Hæc ergo Judæos abominabitur, atque in perpetuum eos aversatur, quia ejus opus, quantum ad eos pertinuit, ad irritum perduxerunt, concessum per eam donum renuentes. Propter quod urbes eorum redexit in solitudinem, fecitque deserta sanctuaria; nullum enim inveniunt de prophetis libris fructum, neque aliquam studere sanctionem valent. Nec recipit odorem suavissimum, nec suscipit eorum orationem, disperditque terram eorum, omne vetus testamentum, non quia ipsum ex toto despoliavit, sed illis desolatum et inivum fecit. Habitare autem in ea fecit gentes, propter quod ait:

Stupebunt super eam inimici vestri, cum habitatores illius fuerint. Gentes siquidem inimicæ sunt Judæorum, quia illi elegerunt inimicitias habere cum Deo, et cum illis quos Paulus inimicos crucis Christi vocat. Habitant autem in Judæorum terra, in veteri testamento, et habitantes stupescunt eum, qui in lege et prophetis talia locutus est. Qui vitæ illie fundavit exordia, insuper ait:

Vos autem dispergam in gentes. Non solum sensibili hac dispersione, sed et intelligibili. Quæ sit autem hæc, discite. *Et evaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta et civitates dirutæ.* Dei enim verbum, quod est spiritus gladius, ubique in gentibus decurrens, et omnem terram circumdans, consumit Judæorum filios, et disperdit eos de sanctis Dei: ostendens quod nullam cum eis communionem habeant, unde deserta terra et civitates, expulsis eis habitatione sua, inveniuntur.

Tunt placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ, quando fueritis in terra hostili: sabbatizabit et requiescet in sabbatis solitudinis suæ, eo quod non requieverit in Sabbatis vestris, quando habitabit in ea. Terram esse intelligibilem Scripturam Dei, et conversationem, quæ in eis est, sæpe ostendimus: sed Judæorum quidem vetus testamentum: gentium autem, quæ inimicæ sunt Judæis, novum: quia ergo Sabbatum vacationem significat Judæis, maxime hoc nunc evidenter legislator innuit. Quia nihil nunc inveniunt ex lege et prophetis, quod ipsi facere volunt, sed destructa eorum pene omnis superficies litteræ. Propter quod facti sunt in terra inimicorum suorum, id est, in evangelico testamento: facti sunt autem, etsi non sponte, tamen ex necessitate. Ipsi enim nolentibus, sacrificia, et purificationes azymorum, et tabernaculorum festivitates, et reliqua cessare fecit, difficultatem patientes, in meditationem ejus discedunt. Et hanc vacationem pro Sabbato suscepit, et ab eis sacra Scriptura, nimisque eis etiam supra priorum Sabbatorum vacationem placebit. Cur? *Quia non est speciosa laus in ore peccatoris*¹. Sed ait:

Et qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum, in regionibus hostium terrebit eos

sonitus folii volantis. Quotquot enim ex eis relictis sunt, adhuc studentes Scripturam sacram, pavent in terra inimicorum suorum, in novo testamento, sicut diximus: timeant enim ex fatuitate, et corde caecato commixtione ejus, et compleatur: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*².

Terrebit eos sonitus folii volantis. Folium legis litteram appellans: hujus enim eos sonitus persequitur, et timorem nostrum eis indicit, quia, verbi gratia, audiunt custodiendum diem Sabbati, vident autem nos nihil de eodem mandato despicabile sapere, neque terrenum, neque a cultura terræ, sed a mala actione vacationem discentes: offendunt in nobis, et commisceri nobis fugiunt. Folium autem recte legis littera accipitur, quia quemadmodum arborum fructus foliis tegitur, sic sub legis littera absconditur spiritus. Propter quod nos, de quibus dictum est: *Si vindemiatores ingressi fuissent in te, saltem reliquissent racemum tibi*³: nudamus folium litteræ, ut fructum spiritus inveniamus. Illi autem qui hæc ignorant, sicut inimicos nos habent, et fugiunt nos sicut qui fugit gladium.

Et cadent nullo sequente. Neque enim nos eos persequimur, sed ex sui cordis duritia persecutionem patiuntur. Nam vide quid subdidit. *Et corrueant singuli super fratres suos, quasi bella fugientes.* Quando enim cum eis loquimur, et legis prophetarumque testimonia contra eos de Christo Evangelicisque mysteriis proferimus, coarctati hi quidem hoc, illi autem illud dicunt, et unusquisque super fratrem ruit. Infirmi enim omnes dicunt, consistere propter hoc in alternis non valent verbis, et conturbantur quasi bella fugientes, nullo sequente. Nos autem non persequimur eos, nec ut noceamus, sed ut juvemus atque lucremur eos, disceptamus cum eis. Quid ergo hinc patiuntur?

Nemo vestrum inimicis audebit resistere, peribitis inter gentes, et hostilis vos terra consumet. Consumit enim eos evangelicum testamentum, totius eorum conterens erroris substantiam. Unde nec resistere inimicis suis, qui salvari per fidem possunt, sed et pereunt inter gentes, in lapide angulari offendentes, et nec legis quidem litteram respicere volentes, utpote qui in eam non habent fiduciam.

Quod etsi de his aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis, in terra inimicorum suorum. Quicumque enim ex eis, qui conversi sunt, remanent, permanentes in legis studio, hi propter peccata sua, quæ in terra inimicorum suorum, id est, in Evangelico testamento, secundum quod diximus, propter transgressionem ejus percunt: hæc sunt enim modis omnibus peccata, quæ in eo committuntur.

Et propter peccata sua, et propter peccata patrum suorum. Quia prævaricati sunt, et despexerunt me: ea enim quæ nunc eis evenerunt, patrum peccatis ascribunt. Propter quod et tabescent in eis, pro eis

¹ Eccli. xv, 9. ² Psal. xiii, 5. ³ Jerem. xxix, 9.

confitentes, quia prævaricati sunt Deum in temporibus anterioribus, non bona hoc mente, sed mala facientes, ut pœnam quæ super eos venit propter iniquitatem, quam in Christo commiserunt, molliant; nam infert: *Et ambulaverunt ex adverso mihi. Ambulabo igitur et ego contra eos, et inducam illos in terram hostilem. Quemadmodum enim illi reputant Deum circumvenire, ex adverso ei ambulantes, et alia pro aliis interpretationibus legis et prophetarum, quæ confirmant Christi mysterium, dicentes, quod est adversantium proprium: sic et ipse ambulavit cum eis adversus, et inducet eos in terram hostilem, id est, in Evangelium, quod gentibus dedit. Ex quo duobus modis pereunt: primum, quia Judaicam justitiam destruit: deinde, quia apud gentes est, quibus ænuli sunt, et contentioso adversus eas animo salvari non volunt, ita ut Deus per Moysen diceret: *Ad æmulationem vos adducam non in gente* ⁵. Paulus autem: *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos* ⁶. Rursus: *Sicut enim vos cum inimici essetis, reconciliati estis Deo, sic et nunc non crediderunt in vestra misericordia* ⁷.*

*Tunc erubescit incircumcisa mens eorum, et tunc orabunt pro iniquitatibus suis. Sive ut LXX, Et peccata sua placita habebunt, id est, pœnas quas patiuntur pro peccatis: sic enim quod dictum est in Osee intelleximus: *Peccata populi mei comedent* ⁸. Quid autem hoc est, in subsequentibus manifestavit: *Et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. Ergo peccata populi comedere, est pro eis pœnas sustinere, dignaque se pati peccatis suis dicunt: etsi quædam peccata sua confitentur, quædam tegunt, quæ in Christum commiserunt.**

Et recordabor fœderis mei quod pepigi cum Jacob, Isaac et Abraham. Cujus rei gratia non secundum ordinem temporis et generis Abraham cœpit, sed Jacob? vel cur LXX non dicunt: Testamentum Jacob, et Isaac, et Abraham, sed, testamentum Jacob, et testamentum Isaac, et testamentum Abraham? Tria quemadmodum testamenta innucentes, ut legem videlicet et prophetas commendaret Evangelium, quorum quia antiquior lex est, secundo vero loco prophetæ novissimum Evangelium ostendere voluerunt. Quia Evangelium, etsi novissimum gratia, sed a Deo præponitur, atque ideo prius ejus memoriam facit, primum Jacob, qui novissimus est tempore et ordine, mentionem facit. Ut cognationem autem inter se habentia similiter conjunxit. Et in his, in quibus legis prophetarumque mentionem facit, in his se et Evangelii dicit facere. Nimis autem hoc ea, quæ sequuntur, confirmat.

Terra quoque memor ero, quæ cum relicta fuerit ab eis, sive ut LXX, relinquitur ab eis. Ergo quia benedictio maxime terra est a Deo, in memoria haberi diligens intelligibilem terram Deus, id est, suas scripturas, et memoriam eorum, et non oblivione

relinqui illa a Judæis fecit, quia malitiose interpretantes, non bene meditabantur, injuriabant eas: primum quidem dicentes, et non facientes, deinde despiciabiliter interpretantes, et quod in eis erat optimam spiritalem intelligentiam tegentes. Unde et consequenter addidit:

Complacebit sibi in Sabbatis suis. Id est, dum desolata ab eis remanet. Gaudet enim Dei lex Judæorum fruens desolatione, quam ipsi sibi intulerunt. Propter quod et solitudinem istam pati pro eis dixit.

Ipsi vero rogabunt pro peccatis suis, eo quod adjecerint judicia mea, et leges meas despexerint. Duplicita, inquit, bona expulsa de plebe Judæorum, de Scripturis sacris provenerunt, nec ipsi enim injuriantur, propter quod et gaudent non legi ab eis, neque enim ita legunt, sicut prius, cum sint dispersi omnique carentes præsumptione. Sed etiam ipsi peccatorum suorum, et prævaricationis divinæ legis conscii sibi effecti sunt. Admirandum etiam est quod ad totius sanctionis conclusionem fastigiumque addidit. Et intelligendum, quia aperte qui in Moyse, ipse etiam in Paulo, et in omnibus apostolis locutus est.

Attamen cum essent in terra hostili, non penitus abjeci eos, neque despexi, ut consumerentur, et irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum, et recordabor fœderis mei pristini, quando eduxi eos de terra Ægypti, in conspectu gentium, ut essem Deus eorum. Ego Dominus.

Hæc si vis per singula cognoscere, Paulum lege, quomodo eos non despexerit Deus in terra hostili, id est, in Evangelico testamento, nec consumpsit eos, ut irritum faceret pactum suum pristinum. Neque enim ad irritum illud deduxit ex toto, sed et spem salutis reliquit, non omnibus autem, sed reliquiis, sicut Paulus ait, proferens Isaïæ prophetæ testimonium. Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ sunt ⁹. Dico ergo, Numquid repulit Deus plebem suam? Absit! Recordabitur etiam fœderis sui pristini, quando filios Israel de terra Ægypti eduxit. Et in quo recordabitur? Ut esset Deus eorum in conspectu gentium. Ad quorum manifestam demonstrationem sufficiunt tibi hæc Apostolicæ verba sapientiæ. *Non enim volo vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis apud vosmetipsos sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret* ¹⁰. Bene ergo ad totius verbi conclusionem Dominus dixit: *Ego Dominus. Qui omnium salutem volo, atque ideo etiam Judæorum, licet post tot iniquitates, salvaturus reliquias.*

Vers. 45. « Hæc sunt præcepta atque judicia, et leges quas dedit Dominus inter se, et filios, vel, in monte Sinai per manum Moysi. »

⁵ Deut. xxxi, 21; Rom. x, 19. ⁶ Rom. xi, 28.

⁷ Rom. v, 10. ⁸ Osee. iv, 8. ⁹ ibid. ¹⁰ Rom. ix, 27; Isa. x, 22. ¹¹ Rom. xi, 25, 26.

Non otiose intendas, quæ dicta sunt. Conclusionem enim verbis suis legislator adjecit, ex qua usque ad certum tempus firmam velit esse legis litteram, sine aliqua dubitatione manifestavit, et Judæorum obstruxit os, tentantibus hac lege uti etiam nunc, quando tempus non habent, jam veniente eo qui Judæis, sicut infirmis, lactis vice legis litteram exquisivit, et huic Moysen præcipiens ministrare, ipse veniens ad illam perfectius introduxit judicia. Ergo secundum quod semel diximus, proprietate, quæ Deo judicante de quibusdam capitulis, quæ ignorantes interrogaverunt, dicta sunt. Præcepta autem, quæ non hoc modo, sed semetipso legislator nullo interrogante sancivit. Deinde succincte totius sanctionis dispensationem complecti volens subdidit :

Et leges quas dedit Dominus inter se et inter filios Israel. Propter quod et reliqui interpretes, exceptis LXX, leges ediderunt, differentia legis negotia verbo hoc demonstrare cupientes. Quid autem est quod dixit inter? nisi quia proculdubio usque dum veniat de quo ait Isaias : *Ipse veniet et salvabit nos : tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient*¹¹, et quæcunque in illa prophetia continentur : tunc nequaquam ultra secundum superficiem litteræ, sed quemadmodum ipse exposuerit, oportet legem custodiri ad Evangelicam gratiam translata; et ad perfectiorem conversationem, non ut ad irritum deducatur, sed ut ad prudentem interpretationem, spiritalemque sensum trahatur. Cur etiam locum significavit? ait enim :

*In monte Sinai, nisi ut non, David dicente : Videbitur Deus deorum in Sion*¹²; et Malachia: *Subito veniet in templum suum Dominus, quem vos queritis*¹³; et rursus David : *Ex Sion species decoris ejus, Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit*¹⁴ : illam ejus dici dispensationem putemus tempore legis actam, unde hic tam loci mentionem fecit quam ministrantis Moysi, ut ex hoc disceremus, quia alium nobis adventum ejus prophetæ promiserunt, qui nec in Sina, nec per mediatorem, sed aperte factus est.

CAPUT XXVII.

VERS. 1-8. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : Loquere filiis Israel et dices ad eos : Homo qui votum fecerit, et sponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium. Si fuerit masculus, a vicesimo usque ad sexagesimum annum, dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram sanctuarii : si mulier, triginta. A quinto autem anno usque ad vicesimum, masculus dabit viginti siclos, femina decem. Ab uno mense usque ad annum quintum pro masculo dabuntur quinque sicli, pro femina tres. Sexagenarius, et ultra masculus dabit quindécim siclos, femina decem. Si pauper fuerit, et æstimationem reddere non valuerit, stabit coram sa-

cerdote, et quantum ille æstimaverit, et videit eum posse reddere, tantum dabit. »

Plena sunt hæc etiam legislatoris verba prudentia, maxime opportuno conservata tempori; quæ enim oporteat agi, quæ minime, in superioribus præcipiens, nunc etiam dignitatem ea peragentium ex toto, vel ex parte, per hæc, quæ dicuntur exponit. Et quid sit perfecta vita, quæ autem adhuc in profectu constituta, quid initium cognitionis Dei habens, quid veri, quæ virtutum opera, clare perfecteque percurrit. Sed et infirmatus, non tamen recedens ab ea, differentes ætates ascribens, exposuit. Dicit autem sic :

Homo, qui votum fecerit, et sponderit Deo animam suam. Id est, quicumque promiserit animam suam Deo, omnemque ei suam vitam offerre voluerit. Propter quod Aquila et Theodotion, pro eo quod dictum est, *votum fecerit*, Symmachus autem, *si superaverit*, ediderunt. Admirabile enim vere est et valde beatitudini proximum, totum semetipsum quempiam Deo offerre, ut animam suam Domino, vel sicut LXX, *honorem animæ suæ Domino*, id est, ut offerat Deo quem accepit ab eo animæ honorem illum, de quo David dæmonum insidias innuens, dicebat : *Verumtamen honorem meum cogitaverunt repellere*¹⁵.

Erit pretium masculi a vicesimo anno, usque ad sexagesimum annum, quinquaginta sicli argenti, ad mensuram sanctuarii. Sive ut LXX, *didrachmæ argenti.* Quinquaginta didrachmæ sive sicli, oboli sunt mille : viginti enim obolos esse siclum, sive didrachmam, hic ipse in Exodo dixit. Ait enim sic de filiis Israel : *Juxta numerum dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino*¹⁶, qui autem dabunt dimidium sicli, juxta mensuram templi, vel ut LXX, didrachmæ, quod secundum didrachmam sanctam viginti oboli. Sicli ergo sive didrachmæ, ideo non juxta mensuram templi, vel secundum mensuram sanctuarii reminisci voluit, ad illum legis textum transmittere nos cupiens, in quo viginti obolos didrachmam sanctam esse, sive siclum ait. Cum adiaceret autem præcipere unum siclum, vel drachmam offerri, non sic præcepit, sed sicli sive didrachmæ dimidium. Per hoc demonstrans, quia proprie sanctum in lege est, non quod secundum solam litteram, sed etiam secundum spiritum intelligitur, et hujus debetur oblatio. Unde et secundum LXX, ipsas didrachmas sibi conjunxit, dimidium autem offerri præcepit : ut dicas, quia condescendens sicut infirmis, his qui legem accipiebant, non perfectam oblationem, imperfectum est quippe dimidium, offerri præcepit, quod sanctam didrachmam in his decem est obolus, id est, in viginti. Lex enim his decem mandata habet, exigens ea duplicari, id est, secundum litteram, et secundum spiritum custodiri. Illis autem, ut mente pauperibus, sufficiebat, et so-

¹¹ Isa xxxv, 4, 5. ¹² Psal. lxxxiii, 8. ¹³ Malach. iii, 1. ¹⁴ Psal. xlix, 5. ¹⁵ Psal. lxi, 5. ¹⁶ Exod. xxx, 12.

lam litteram custodire, propter infirmitatem suam : et decem mandatorum offerre saltem sensibilibus impletionem atque actionem, per quam suam etiam liberare animam de peccatorum servitute sensibilibus Israelita poterat. Si quis ergo a vicesimo anno est, id est, pubes, fortis, validus, sufficiens omnes virtutes operari, et subjicere intelligibiles inimicos omnibus actionibus, et operibus : a viginti enim annis, et supra, Israel vide quid de hac ætate dicebat.

Omnis masculus a viginti annis et supra. Omnes qui ambulant in virtute : sua fortitudini maxime his qui illud agunt tempus, in prædictis testimonium præbuit verbis, ita utpote hac ætate, excurrere valentem, et arma portare, multumque habentem in agendo fervorem caloremque, hujus pretium, id est, conversatio et vita, retributio, quam pro semetipso Deo offert, et promittit, quinquaginta sicli, sive drachmæ sunt. Quinquagenarius enim numerus spiritalem figurat vitam, quia in quinquagesimo die sancti Spiritus adventus factus est. Sed in anno quinquagesimo liberatio fit omnis debiti, et terræ restitutio, multaque in eo alia bona Judæis per legem disposita sunt. Quinquaginta autem ait siclos, vel didrachmas, ut iterum duplicaret quinquaginta, et centum diceret drachmas, fructum illum perfectum signans, istam dicens bonam terram fructificare, exponens seminum parabolam, in triginta, et sexaginta, et centum dividit : hunc enim numerum nullus hominum potest transcendere. Centum autem drachmæ rursus decuplatæ, obolus enim decem drachmas, quemadmodum diximus, habet, millenarium numerum perficiunt, in quo est non quælibet perfectio, sed cælestium, id est incorporeorum, quæ est illorum, qui habitationem super nos sortiti sunt, quæ est excedentium corruptionem, et consequentium incorruptionem, propter quod Dei spiritus in Canticis dicebat : *Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos. Tradidit eam custodibus, vir affert fructum ejus mille argenteos* ¹⁷. Quis vir (neque enim omnes hunc offerre possunt fructum), ex sequentibus disce. Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus ejus. Mille tui pacifici, id est Salomon : Salomon autem intelligibilis Christus est, quia Salomon *pacificus* interpretatur. Christus ergo pacem generi humano dedit. Ipsum decet præcipue et perfectio, et eos qui conversationem ejus sectantur, et angelicum peragunt cursum, quibus millenarius numerus utpote perfectus deputatur : *Millia enim millium ministrabant ei* ¹⁸, ait Daniel, dum cælestes virtutes Deo astantes exponeret. Sed et David ait : *Memor fuit in sæculum testamenti sui* ¹⁹ : verbi quod mandavi in mille generationes, perfectionem divinæ legis, et eorum qui legem percipiebant, per mille generationes ostendens. A viginti autem annis usque ad sexaginta annos, intra hæc enim tempora, ætas et in-

A intellectum perfectum, et fortitudinem, et filiorum procreationem habet, ut ex sensibilibus nos intelligibilia cogitemus. Ergo qui intellectum maturum et perfectum habet, et fortitudinem, ut quod intellexit agat, hic filios comparare alios Deo, per suam conversationem, vel doctrinam impendens potest. Hujus pretium animæ quinquaginta didrachmæ perfectus fructus est, et perfectionis corona, quæ et martyrium habebit et rerum despectum, et omnem illam perfectionem, quam Dominus dicebat : *Eritis perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est* ²⁰. Hoc autem quando masculus fuerit, id est, quando semper fortis : hoc enim hic masculum dicit. Feminae autem erit æstimatio, triginta sicli, sive didrachmæ, ut sint drachmæ sexaginta, fructum videlicet sexagenarium, magnum quidem et ipsum, sed centenario minor est, propter quod et feminae introduxit personam, quæ minor est a virili. Ergo et mulieres, quando ad mensuram summam pervenerint, perfectæque fuerint ad perfectionem, fortes possunt appellari, utpote quæ suam transgressæ sunt infirmitatem, intentionemque fortitudinis resumentes, propter quod et spiritus Dei in Proverbiis dicebat : *Mulierem fortem quis inveniet* ²¹? Cui ergo rerum despectus deest? Alia autem ait perfecte, quæ de omnium rerum continentia lex corrigere jubet, ei qui secundum eam vivit. Hujus æstimatio est triginta sicli, sive didrachmæ, id est sexagenarius fructus, quem et Paulus figurans dicebat : *Vidua eligatur non minor sexaginta annorum* ²² : per ætatem numerumque annorum manifestare volens, quas virtutes et actiones exhibere debeat vidua, quæ a Deo legitur, quæ in divinis scribitur Libris, et quæ potest in numero Jerusalem cælestis degere. Propter quod et subdidit, insinuans quod non tantum ei de ætate, aut annis, quantum de virtutibus que per hæc significantur, cura erat : *Unius viri uxor : si filios educavit, si hospitio pauperes recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus ministravit, si omne opus bonum subsecuta est* ²³. Hæc quidem perfectus et per omnia consummatus homo. Vide autem et eum cui hoc deest, sed tamen ad illum proveli desiderat.

D *A quinto autem anno usque ad vicesimum masculus dabit viginti siclos.* Sive, ut LXX, didrachmas. Hic eum qui necdum quidem est perfectus, sensatum tamen hominem dicit, et qui proficere cepit : sensus enim per numerum quinque annorum innuit, qui tot sunt numero. Perfectus autem : qui ad juventutem tendit, et ad perfectiorem, a quinque annis, et usque ad vicesimum annum est. Viginti enim annorum, inter fortes etiam pugnare valens numeratus est a lege, sicut Numerorum liber ostendit. Hujus ergo pretium viginti didrachmæ, id est drachmæ quadraginta oboli quadringenti.

¹⁷ Cant. viii, 11. ¹⁸ Dan. vii, 10. ¹⁹ Psal. civ, 8. ²⁰ Ibid. 10.

²¹ Matth. v, 48. ²² Prov. xxxi, 10. ²³ I Tim. v, 9.

Jejuniorum autem atque orationis profectum, quadraginta drachmarum numerus significat, quia et tot diebus jejunasse et Moysen, et Eliam, et ipsum Dominum didicimus, quando a diabolo tentabatur ²⁴. Quadringentorum autem numerus quid significet, aut quam demonstret conversationem, ostendit quod dictum est in libro Regum, quando reversa navis quæ mittebatur a Salomone, ad Sophiram, dicebat; ait enim secundum LXX: *Et venit ad Sophiram* ²⁵. Sophir autem *bonum* interpretatur, et accepit inde auri quadraginta et viginti talenta, et adduxit regi Salomoni. Quod ergo sic bonum est, sicut per jejunium, et orationem exerceri, et provehi ad illam vitam, ad quam Moyses et Elias superædificantes jejunio atque orationi virtutes, protracti sunt: sic Dominus insinuare semetipsum per prædicationem, et signa generi humano incipiens, jejunium et orationem suæ conversationis principium fecit. Quicumque ergo sensatus quidem est, et proficere incipit, non tamen nimis, sed medie, ut præsumptione conversationis jejunii non possit onerari, hic pretium decem didrachmarum, id est viginti drachmarum, et obolorum ducentorum est. In custodia enim decem mandatorum, quæ duplicatur secundum litteram, et spiritum, conversatio hujus est, inter quæ jejunium non est præceptum. Sublimior enim est ad eam pertinens conversatio, quæ legislatores, et prophetas, et omnes qui profecerunt, decet, et necdum quidem conversatio ejus habet perfectionem: opus enim habet mansuetudinem, perfectamque charitatem, quæ est in zelo Christi, producit tamen ad perfectionem. Quia autem mandatorum secundum litteram, et spiritum custodia, decem didrachmæ, quod sunt oboli ducenti, recte putatur, ad memoriam tuam revocat sermo, quem ex Canticis canticorum nuper protulimus. Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructum ejus. Quam vineam? de qua in præcedentibus dicebat: *Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos* ²⁶, quam non custodierunt Judæi, propter quod pro avis spinas protulerunt, sed et vindemiant ea omnes qui transeunt viam. Qui eustodiunt autem fructum, in ducentis, id est viginti drachmis duplicata custodia mandatorum, sicut diximus, secundum litteram, et spiritum, inveniuntur.

Ab uno autem mense usque ad annum quintum pro masculo dabuntur quinque sicli, sive quinque didrachmæ, pro femina tres. Unius mensis intelligas eum qui nunc est genitus in fide, ad quem Petrus dicebat: *Sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, ut crescatis in eo in salutem, si tamen gustatis, quia dulcis est Dominus* ²⁷. Hujus pretium usque ad quinquennem ætatem, id est conversatio, et vita, quinque didrachmarum argenti, id est decem drachmæ, oboli autem centum. Conversatio ergo modo geniti, quinque di-

drachmæ sunt, ut in mysteriis duplices sensus habeat, id est, ut quæ sensibiliter audit, hæc intelligibiliter suscipiat. Si etiam videns, et gustans, et odorans, et tangens, perducit hoc eum ad perfectionem, propter quod et centum obolorum pretium habet. Numerus autem, sicut dictum est, perfectus est. Ergo procul dubio eum, qui nunc mysteriorum particeps effectus est, necdumque ad agendum processit, sed in fide interim probatur, sicut adhuc infantem, et necdum tempus ad ostensionem virtutem habentem, demonstrat. Si autem minor his, qui tale est, fuerit, ita ut conveniat in eo feminae personæ, minor autem est ut simplicior, et non valde discretus: hujus pretium est tres didrachmæ, fides Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut non hanc transgrediatur, sed corde credat, sicut ait Paulus, *Ore autem confiteatur* ²⁷. Sic enim ei hæc, tria non solum confitenti lingua, sed et fide credenti, sunt duæ drachmæ. Fit autem et huic talis fides ad perfectionem mediocrem: tres enim didrachmæ, sex sunt drachmæ: sex autem drachmæ, sexaginta sunt oboli, hic autem talis numerus mediocrem perfectionem gerit. Propterea et populus Israel, sexcentorum millium, quod sunt sexaginta myriades, numerum habuit. Sensibilis enim Israel habebat quidem et mediocriter perfectos, qui in lege constituti, Evangelicam conversationem aliquatenus agebant. Sunt autem, quibus mediocre legis et prophetarum erat studium propter quod et similia, myriades erant, sed nec mille millia, nec myriæ myriades, ut semper esset in eis perfectio; hoc enim angelorum, et secundum evangelicam vitam conversantium est. Angeli enim et ipsi, quando profecerint, efficiuntur.

Sexagenarius autem et ultra masculus, dabit quindecim siclos, sive didrachmas, femina autem decem. Et quis est hic, qui maximam conversationem, per virginitatem v. gr., vel non possidendo, virtutibusque aliis promittit, et post hæc infirmatus est? Cognovisti enim, quia eum, qui a viginti annis usque ad sexaginta annorum est, omnibus legislator præposuit. Deinde nunc post omnes eum qui a sexaginta annis et supra est, ait. Per hoc quod dixit, supra, animæ senectutem et infirmitatem ejus, qui maximam conversationem proposuerat, procul dubio designat. Qui ergo pro virginitate, vel despectu possidendi conversationem promittit, et proponit, deinde infirmatur complere propositum, audiat a Paulo: *Si quis turpem se videri existimat super virginem suam, eo quod fuerit superadulta* ²⁸, ostendit quodammodo infirmatum, et ad senectutem deductum propositum, et sic oportet fieri, quod vult faciat, non peccat si rixat ²⁹. Et rursus: *Si nupseris, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco, hoc*

²⁴ Matth. iv. ²⁵ III Reg. ix, 28. ²⁶ Cant. vii, 11. ²⁷ I Petr. i, 2. ²⁸ Rom. x, 9. ²⁹ I Cor. vii, 36.

²⁹ ibid.

autem dico, fratres, tempus breve est, reliquum est ut et qui habent uxores tanquam non habentes sint : et qui lugent, tanquam non lugentes : et qui gaudent, tanquam non gaudentes : et qui emunt, quasi non possidentes : et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse²⁰. Propterea et quindecim didrachmæ erit pretium ejus, quæ sunt drachmæ triginta. Tres enim fructificationes de bona terra Christus proposuit : per centenarium virginitatis, et non possidendi, per sexagenarium continentiæ, per tricenarium casti conjugii vitam designans. Si autem infirmior hujusmodi est, forsitan enim in fornicatione, hic qui talis est, decidit, unde et femina dicitur. Nec sic respuendus est, sed habet pretium decem didrachmas. Custodiam enim mandatorum Dei, quam viginti esse drachmas et obolos ducentos ostendimus, offert Deo, et in hoc conversationem habet, per custodiam mandatorum justificatus. Si autem dicas : Quomodo? annorum Dominus erat triginta, dum solus esset perfectus cum nos in centenario numero dicamus perfectionem esse, post hunc autem in sexaginta, tertio autem in triginta; disce, quia solus quidem fuit vere perfectus, verumtamen sicut omnium doctor, et primitiæ massæ totius effectus, ex omnibus temperatam conversationem figurat, et proponit : sive enim virginitatem velis, ipse ex virgine virgo est, et virginitatem docuit : sive nuptias, et nubere præcepit, et nubentes benedixit : sive abstinentiam, etiam hanc docuit : similiter et fidei cursus, sive perfectorum simplicium est.

Quia ergo in præsentī differentias innuit, et quodammodo vitam distinguebat hominum, et hujus quidem esse pretium quinquaginta didrachmas ait, hujus triginta, hujus viginti, hujus decem, hujus quinque, hujus tres, hujus quindecim, colliguntur hæc parum, quod de centum quinquaginta minus habentia, hæc autem in quinque divisa faciunt prope tricenarium numerum. Vide quemadmodum nec legislator ignoravit temperamentum, quod Christus in nostra vita et conversatione fecit, nec Evangelista numerum temperamentum habentem ignoravit. Propter quod eum non plenorum triginta annorum venisse ait ad baptismum, ait enim : *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta*²¹. Et cur hoc? quia et qui nimis perfectam, et qui mediocriter perfectam : et qui minorem vitam studet, non perfecte venit ad mensuram, minus enim habet omnimodo, quia Dei solius est perfectio, sed minus habet tantum in quantum veniam in hoc quod minus est dat : unde ad centum quinquaginta, septem minus sunt : in centum enim quadraginta tres prædictus numerus colligitur : per septenarium autem numerum, manifeste venia significatur.

Si autem pauper fuerit, et æstimationem reddere

non valuerit, stabit coram sacerdote, et quantum ille æstimaverit, et viderit eum posse reddere, tantum dabit. Nunc dicit de eo qui multum peccavit, et propterea Aquila pro paupere, si excessit, edidit. Illic ergo si offerri Deo vult, coram sacerdote stabit, ut quantum viderit eum posse, æstimet eum reddere : regulam ei vitæ imponens, quæ est secundum virtutem, mensuramque philosophiæ indicens, quam eum probaverit posse portare. Verbi gratia, si locuples est, ut distribuatur pecunias; si sanus est, ut jejuniis, et orationibus, aliisque laboribus bonis vacet; si autem et locuples est et sanus, quæcumque divitiæ et salus ei suggerunt, agere jubetur : si autem neutrum, in oratione flere : ut breviter dicamus, quodcumque eum viderit per corpus, aut per substantiam, aut per aliam valetudinem, aut facultatem posse peragere.

VERS. 9, 10. « Animal autem quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit, et mutari non potest, id est nec melius malo, nec pejus bono. Quod si mutaverit, et ipsum quod mutatum est, et illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino. »

Quia ipsas quæ ex nobismetipsis offeruntur oblationes quosdam habere gradus et differentias legislator exposuit : ecce enim eorum, qui quolibet modo sic nobis subjiciuntur, ut etiam pecora nostra nominentur, propter hoc quod nimis subjecti sunt, aut quia non eis ad nostrum ministerium, quemadmodum pecoribus utimur, quando sancta sit oblatio, per hæc, quæ dicta sunt, exponit. Præcipit autem, ut non nos poeniteat de his quæ offerimus Deo. Ergo si quidem de his obtulerimus pecoribus, quæ mos est Deo offerri, mos autem est ut ei immaculata et munda offerantur : munus nostrum illico sanctificatur, etiam non est fas ut nos de eo poeniteat, veluti si filium, vel discipulum, vel servum, aut alium qui sub manu nostra est, Deo obtulerimus. Neque mutare malum ad melius, aut bonum ad malum. Malum autem hic dicit, non quod pravum modis omnibus et immundum; si autem immundum est, non est de illis quæ mos est offerri Deo, esse autem de his quæ immolari possunt Domino, hanc oblationem legislator dixit. Sed malum hic dicit, quod est deterius, sic enim manifeste et Symmachus tradidit. Non reddit melius pro deteriori, aut deterius pro meliori, ut non hunc filium, aut servum offerentes Domini servitio et ministerio, recipere eum in nostrum ministerium et utilitates velimus, promittentes offerre meliorem forsitan, vel deteriorem. Neque enim licet, propter quod et Anna de Samuele dicebat : *Si respiciens respexeris ad humilitatem ancillæ tuæ, et memineris mei, et dederis ancillæ tuæ semen virile, et dabo eum in conspectu tuo datum usque ad diem mortis eius*²².

²⁰ I Cor. vii, 28-32. ²¹ Luc. iii, 25. ²² I Reg. i, 11.

Quod si mutaverit, et ipsum quod mutatum, et illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino. Ut et hunc quem antea obtulimus, et cum quem postea, cum prima oblatione sanctificemus, et utrosque Deo concedamus. Hoc enim non nos permittit, in his quæ offerimus, pœnitentiam agere : sed percutit inimicum : qui nobis pœnitere suggestit, dum videlicet duplicamus nostram oblationem : quam ille per pœnitentiam intercipere voluit.

VERS. 11-13. « Animal immundum quod immolari Domino non potest si quis voverit, adducatur ante sacerdotem. Qui dijudicans an bonum, an malum sit, statuet pretium : quod si dare voluerit is qui offert, addet supra æstimationem quintam partem. »

Inquirendus est Judæus, quomodo hoc mandatum stare juxta litteram potest? Si enim offerri non licet, nec nondum erit acceptabile, quomodo utrumque legislator, tanquam sibi repugnans, atque resistens scripsit? Sed aliquid evangelicæ proximum largitati modis omnibus innuit, et condescensionem, quam gratia novit. Sic ergo ea quæ dicta sunt, intelligamus, non licebat Deo offerri de pecoribus, quæ non simul et unguam findebant, et ruminabant. Hæc enim lex habebat immunda, cujus autem erat ænigma, id est unguam non findere, non distinguere legis litteram, et spiritum scientis : non autem ruminare ejus, qui non continue meditationis legis habebat studium, et qui lingua solum, non etiam corde eam ad meditationem revocat. Si ergo aliquis filium talem, vel servum, vel discipulum Deo offerat, qui ad meditandas sacras Scripturas, aut ad divisionem contemplationis, non ex malitia, sed ex infirmitate minor sit, necdum quidem est votus Deo, neque enim quasi oblatus sit, ejus legislator memoriam facit. Adducit autem ante sacerdotem, et statuit pretium ejus sacerdos, dijudicans utrum bonum an malum sit, ut imperfecto condescendens, moderatum ei jugum imponat, id est, eam quæ est media inter bonam malamque conversationem. Est autem a malo declinatio, et profectus ad meliora. Hoc enim forsitan proprium dicimus esse inter deterius et melius : quod pro eo quod dictum est, utrum bonum an malum, edidit Symmachus : *Statuit pretium sacerdos, si quomodo proficiens donum esse eorum, quæ Deo offeruntur, possit.*

Quod si dare volueritis, quam offert, addet super æstimationem quintam partem. Et quid hoc est? Quinque numero sensus sunt. Horum nobis quinta pars mens est, ab ipsa enim gubernantur. Sine hac ergo non valde habent esse, nec juvant. Horum ergo quinque virgines, quæ ad nuptias non susceptæ sunt, figuram gerunt. Quinque ergo non habuerunt sapientiam, unde absolute et fatuæ nominatæ sunt. Ergo si quis vult redimere eum, qui propter prædictas causas immundis comparatur pecoribus, hac

vere hunc opus habet, et facere intelligentem. Sic enim semetipsum gubernare, et non necesse habere alterius pedagoga poterit.

VERS. 14-19. « Homo si voverit domum suam, et sanctificaverit Domino, considerabit eam sacerdos, utrum bona an mala sit, et juxta pretium, quod ab eo fuerit constitutum, venundetur. Si autem ille qui voverit, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis supra, et habebit domum. Quod si agrum possessionis suæ voverit, et consecraverit Domino, juxta mensuram sementis æstimabitur pretium. Si triginta modiis hordei seritur terra, quinquaginta siclis venietur argenti. Si statim ab anno incipientis Jubilæi voverit agrum, quanto valere potest, tanto æstimabitur ; si autem post aliquantum temporis, supputabit sacerdos pecuniam juxta annorum qui reliqui sunt, numerum usque ad Jubilæum, et detrahetur ex pretio. Quod si voluerit redimere agrum ille qui voverat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ, et possidebit eum. »

Non qualiscunque hic paritur questio. Paulo post enim ad finem libri legislator sic dicit : *Omne quod Domino consecratur, sive homo erit, sive animal, sive ager, non venietur, nec redimi poterit.* Quomodo ibi quidem redimi oblata prohibuit, hic autem domum et agrum postquam sanctificata sunt præcipit redimi? Aut forsitan omnimodo aliam hic intentionem, aliam hic offerentis novit. Ibi quidem, ut nequam ultra atteret quod obtulit : sed ut penitus illud consecraret Deo, propter quod non ait, quemadmodum hic : Si consecravit domum suam, aut agrum possessionis suæ : sed, *omne quod Domino consecratur.* Eorum enim quæ offerebantur Deo, nihil licebat in usum humanum ultra reverti, sed nec sacerdos illis uti poterat. Demonstrat autem hoc ea, quæ est Amalechitarum historia. Præceptum est enim Saul ut anathema essent omnia Amalech spolia : et quia concessit populo quædam de gregibus et armentis accipere, maledictum grande, iramque sustinuit : et nullatenus ei ad satisfactionem suffecit, cum irasceret Samuel, et inquireret : *Quæ est vox gregis hujus in auribus meis, et vox boum quam ego audio* ²², cum responderet alia ad prophetam verba, ea quæ erant : *De Amalech adduxit ea quæ acquisivit populus meliora gregis et boum, ut immolarentur Domino Deo tuo, reliqua autem disperdidi* ²³. Ergo aliud est sanctificare Deo, licet enim ei qui sanctificavit, hoc modo uti quem nunc nobis legislator ostendit : aliud est anathema quid facere, hujus enim usus prohibitus. Similis autem huic et intellectus suscipi debet contemplationis, sed de anathemate quidem dicemus, quando ad illam partem sancti venerimus. Nunc autem quid sit domum sanctificare, quid agrum, doceamus, mihi suggerente spiritu, hoc primo loco dicentes : quia aliud est sanctificari Deo, aliud sanctum esse : aliud offerri ei aliquid, aliud non opus habere obla-

²² I Reg. xv, 14. ²³ ibid. 15.

tionem, sed esse Dei, et offerentis non egere. Quod enim sanctificatur, et offertur, eo quod offertur, sanctificari incipit, ergo prius non erat sanctum. Quod autem incipit sanctificari, hoc opus habet, et profectum, et per partes augmentum. Quod autem olim sanctum est, et olim est Dei, hoc nihil minus habet, sed est perfectum, nec ullo additamento egeat. Propterea bonum quidem est, et doctrinis aliorum ad sanctificationem uti, melius tamen in tantum proficere, ut qui semetipsum et eos qui ejus sunt, ad sanctificationem producat, quod non omnis viri est, sed solius sensati. Et hæc sunt, quæ in hoc loco significare legislator intentionem habet. Sanctificat ergo domum Deo, qui familiam suam, et cognationem, et intelligibilem domum in sanctimonia conversari vult, ut Ecclesia sit, et appelletur, quemadmodum multi fidelium domos suas, propter sanctificationem ecclesiam habebant, sicut Paulo scribente ad Romanos audivimus. *Salutate Priscam et Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu, qui pro mea anima cervices suas posuerit. Quibus non ego solus gratias ago, sed et omnes Ecclesie gentium et domestica eorum Ecclesia* ²⁵. Quicumque ergo hanc habet intentionem, ipse autem per se non est idoneus ad opus perducere ea quæ intendit, hujus domum sacerdos utrum bona an mala sit, considerabit, et sicut æstimabit, sic erit. Quare utrum bona an mala? ut quia domus ex multis personis, et differentibus constat, in quibus multi condensationibus egeant, non valentes agere aut sapere quæ perfecta sunt, nihil eis injungat grave, sed uniuscujusque pensans virtutem, a malo eos declinare, et ad virtutes eos proficere jubeat.

Sin autem ille qui voverat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis supra, et habebit domum. Id est, si domus dominus, qui eam sanctificare vult, cum non fuisset sancta prius, nec potuisset ecclesia appellari, nam et sanctificata utique esset, quod nunc se ita non habet, sed exordium capit sanctificationis: si ergo hic redimit domum suam, illud absolute mundans, ejus quod sanctificatione egere sacerdotes exhortationem necessariam habere faciebat. Redimit autem eam per doctrinam bonam, et vitæ formulam, liberans eos, et diluens quidquid eis obviabat ad sanctimoniam. Quid faciet? *Dabit*, sive secundum LXX, *adjiciet quintam partem æstimationis supra*. Sacerdotis enim doctrinæ, cui domum ab initio suam obtulit, ut eam æstimaret, id est definitionem imponeret, ad quam deberet stare, sive conversari, ipse adjiciet hoc quod est intellectus. Hoc est ergo quinta, id est, ut quæ dicuntur suscipiat, et superædificet sacerdotis sermonibus; frequentior enim commemoratio, sensatos et intelligentes homines facit. Et sic habebit domum, non perdens sanctificari Deo, nam in damno ei convertitur; sed habebit eam, quia ei

A sanctificatio proprie domus ascribitur, non solum ut offerenti, sed et ut docenti: sicque suæ domui bene præpositus, et recuperans eam sibi sacerdos quodammodo invenitur: quia Paulus eum qui scit præesse suæ domui, ad episcopatus electionem atque dignitatem sublimavit ²⁶. Propter quod Aquila, pro eo quod dictum est, *Qui eam sanctificavit redimet: si sanctificans ad finem fecerit*, edidit. Quod autem ex hoc discimus, quia si domus sibi principatum et gubernationem qui sanctificavit, vindicat, et hanc ipse acquirere vult: ad finem autem facere secundum legem, est aliis sicut cognatum præponi, hæc faciat quæ in præsentem legislator jussit. His autem ita se habentibus, quod proprie argentum divinorum eloquiorum doctoralis exhortatio sit, audi David dicentem: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, terræ purgatum* ²⁷. Et Jeremiam: *Frustra conflavit conflator, scoria ejus non est consummata* ²⁸. De Judæis dicit, quia nihil eis verba exhortantium proderant. Sed et Paulum audi dicentem: *Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos* ²⁹.

Quod si agrum possessionis suæ voverit, et consecraverit Domino, juxta mensuram sementis, æstimabitur pretium. Agrum Scripturam esse divinam nemo dubitabit. Cujus vitis proprie Christus, et agricola Pater est ³⁰, in quo absconditur thesaurus, id est salutaris prædicatione, quem qui invenit operator agri, vendet omnia quæ habet, quemadmodum Dominus in Evangelii ait, ut emat agrum illum ³¹. In hoc agro diversa est uniuscujusque possessio, id est modus, quem sibi ex ea ad sapiendum obtinere potuerit. Si ergo consecraverit hanc homo Domino, cum non prius sancta fuerit, nunc incipiat consecrare gubernationem conversationis suæ: cum ipse non sit idoneus semetipsum gubernare sacerdotem eligat, Consecrari enim hic ea quæ deputata sunt sacerdoti, legislator appellavit.

Juxta mensuram sementis æstimabitur pretium. Ut quantum seminatus est, videlicet edoctus. Doctrinæ enim verbum, in semine accipere Scriptura divina solet. Tantum ei sacerdos indicet, quantum fuerit eruditus de doctrina bona legitima, et spiritali, et non quam homines seductores, pagani, verbi gratia, vel Judæi, vel hæretici docent. Propter quod postquam dixit: *Juxta mensuram sementis*, addidit:

Si triginta modis hordei seritur terra, quinquaginta siclis venietur argenti. Sive et LXX, *quinquaginta didrachmis argenti*: in quibus Vetus et Novum Testamentum intelligit. Et per modum sive corum hordei, Vetus Testamentum ostendit: quia hujus seminis pinguior cibus est: per quinquaginta autem didrachmas, tam quod spiritale est, quam perfectum simul inquit: perfecta enim doctrina etiam spiritalis est. Sed quando hæc regula sive definitio integre ei

²⁵ Rom. xvi, 3, 4. ²⁶ I Tim. iii, 5. ²⁷ Psal. xi, 7. ²⁸ Jerem. vi, 25. ²⁹ I Cor. iii, 12. ³⁰ Jo: n. xv, 1. ³¹ Matth. xiii, 44.

indicendæ, quando minuenda si: per condescensio-
nem per sequentia disce.

Si autem statim ab anno incipientis Jubilæi voverit agrum, quanto valere poterit, tanto æstimabitur. Sin autem post aliquantum temporis, supputabit sacerdos pecuniam juxta annorum qui reliqua sunt numerum usque ad Jubilæum, et detrahetur ex pretio. Duorum hic annorum remissionis vel Jubilæi memoriã facit, baptisina aperte insinuans et pœnitentiam: uterque enim annus remissionis est, quia perfectam remissionem, unus quidem per donum gratiæ, alter propter eos qui vacant in oratione et jeuniis, aliisque operibus quæ perficiunt pœnitentiam, possidet. Si ergo simul quis gratiæ viam, quam elegit, gubernari per sacerdotem et produci vult, hoc eum sacerdos exigat, quod cum doceretur, ex perfecta et spiritali doctrina percepit, nullo modo ei condescendens, neque enim necesse habet, utpote qui per donum renovatus est, sed in doctrina, quam accepit plene eum permanere facit. Si autem de illo est dono, quod percepit, deciditque ab eo in conversatione: hoc est enim aliquantum temporis Jubilæi sive remissionis consecrare agrum, recte ei reputabit sacerdos argentum in annos reliquos, usque ad annum remissionis sive Jubilæi, ut reliquum ei tempus definiat ad pœnitentiam et detrahetur ex pretio. Quod enim minus fecit, et detrimentum pertulit, et deterius conversatus est, hoc dono imminuit, et infirmior effectus est et propterea abjectior, et non jam talis est qualis cum acceperit donum, fuit. Verumtamen et hic volens redimere agrum suum poterit, id est, semetipsum gubernare et docere, adjiciens quintam argenti ad pretium suum, addens doctrinæ sacerdotis proprium intellectum, ut intelligens eruditusque sui gubernator doctorque efficiatur. Sic enim intelligibilis ager, quem consecravit offerens sacerdoti, ab eo possidebitur, et non ab alio, conversatio, et virtus quam studet, sive ex toto, sive ex parte, sed ipse qui agit reputabitur. Divisioni enim legislatoris intende, quemadmodum sanctificare, sive consecrare domum, vel agrum volentem consecrationem prius facere vult, sicque ei præcipit redimere, quæ sanctificata sunt.

Et tunc, inquit, possidebit eum. Hoc procul dubio mandans, quia oportet quidem nos per sacerdotum doctrinam, et regulam, et legem nostram conversationem gubernare, quando eam prius sanctificamus. Sed oportet et proficere, et illorum doctrinæ nostrum adjicere intellectum: propter quod Paulus ad Timotheum scribebat: *Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum*⁴². Et tunc possidebimus proprie quæ egerimus sanctificationi proxima. Si autem hanc divisionem non intuiti fuerimus, vide quid patiemur.

Vers. 20-21. « Si autem noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venundatus, ultra eum qui

voverat redimere non poterit, quia cum Jubilæi venerit dies, sanctificatus erit Domino, et possessio consecrata, ad jus pertinet sacerdotum. »

Ecce damnum ejus qui semper ab alio opus habet gubernari, et non proficit, neque juvatur ex aliorum doctrina, sed suas semper ipse dux est ad agendum utilla per præsentia, aperte legislator ostendit. Qui enim consecravit agrum et postea redimit, ille est qui suam conversationem alii gubernari permisit. Postea qui juvenis est, et conquisivit intellectum, et jam esset, sicut ait Propheta, *docibitis Dei*⁴³, et disponere apud semetipsum possit in futuro quæ expediunt, hic agrum suum sibi recipiens conquisivit. Qui autem nihil proficit ex alterius gubernatione, nec acquisivit intellectum, sed semper opus habens ab alio doceri et talis existere, qualis fuerunt quidam Judæorum: quos Deus per propheticam vocem exprobrans, talia dicebat: *Qui electi sunt ex utero, edocti ab infantia usque ad senectutem*⁴⁴, et rursus: *Ephraim sicut columba insensata non habens cor*⁴⁵, et rursus: *Ephraim in populis suis commiscebatur*⁴⁶. Ephraim factus est in occulto tuo conversus, et cani effloruerunt ei, ipse autem non cognovit, quia si malos doctores invenerit, mala modis omnibus operatur, ut qui non habet discretionem, querere non potest mercedem virtutis quam egerit, et propterea proprium agrum dicitur non redimere. Sed veniente Jubilæo, id est tempore remissionis transeunte, in quo remissio locum habet, est autem præsens vita, vide quale quantumque sit, quod patietur: possessio sanctificata erit Domino, conversationem quam semel consecutus est, etiamsi alter erat qui gubernabat, sancta erit Domino. Sed quemadmodum et possessio consecrata, ad jus pertinet sacerdotum: possessio enim ejus, et lucrum ei, qui continue gubernavit, imputabitur, etsi parum neglexerat, verterat, sive mutaverat se ad malum is qui ab eo gubernabatur: utpote qui nihil habebat boni studii ex intellectu proprio qui gubernabat: ergo eum, sicut in sua conversatione, sic in illius gloriabitur, et propterea ait:

Possessio consecrata, ad jus pertinet sacerdotum. Et nihil nocet sacerdoti, alii agrum vendi, quia finem doctrinæ, et exhortationis, quem oportuit, exhibens ei quem gubernabat, invenit illum non posse propria redimere, id est semetipsum regere et gubernare, tunc agrum vendidit alium præponens ei, qui obtulit, qui exhortari deberet, sed merces et lucrum ejus est, qui proposuit: nisi forte nec Petro, nec Paulo, nec apostolis dicamus imputari eos quos per proprios discipulos ad vitam gubernaverunt.

Vers. 22-26. « Si ager emptus, et non de possessione majorum sanctificatus fuerit Domino, supputabit sacerdos juxta numerum annorum, usque ad Jubilæum pretium, et dabit ille qui votum voverat Domino. In Jubilæo autem revertetur ad priorem

⁴² I. Tim. II, 7. ⁴³ Isa. LIV, 15; Joan. VI, 45.

⁴⁴ Jerem. III. ⁴⁵ Osce. VII, 11. ⁴⁶ Ibid. 8.

Domnum, qui vendiderat eum, et habuerat in sortem possessionis suæ. Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur. Siclus viginti obolos habet. Primogenita quæ ad Deum pertinent, nemo sanctificare poterit, et vovere, sive bos, sive ovis fuerit Domini sunt.)

Maximam justitiam legis littera et spiritus ostendit. Littera siquidem agrum possidentes alienum, ut sanctificent Deo, ut offerant sacerdotibus, ut eorum sit redditus ager, non vetuit quia non specialiter suum obtulit: sicut enim emptus, ejus tunc erat, sic etiam qui de vendentis fuerat possessione, recte alienus est. Præcepit enim computare sacerdotem agri pretium usque ad Jubilæum, et sic pro eo dare pretium; in Jubilæo autem reverti ac reddi priori domino, id est ei qui propter paupertatem rem propriam vendidit, et ad certum eam tempus alienavit. Ab hoc ergo et ad spiritalem intelligentiam transit.

Si ager emptus, et non de possessione majorum sanctificatus fuerit Domino, supputabit sacerdos juxta annorum numerum usque ad Jubilæum. Agrum qui possidet quem emit, et non est suæ possessionis, is qui intelligibilem paupertatem patientem exhortari valet, arguereque eum, atque movere ad pœnitentiam: intelligibilem enim terram, quam ille possidebat, de qua David psallebat: *Spiritus tuus sanctus deducet me in terram rectam*⁴⁷, ipse possidet, non permittens eam quæ ex toto corrumpi, sed lucrans fratris virtutem, vel vitam, de qua ille per negligentiam cecidit. Si igitur eam sanctificaverit Domino, id est obtulerit sacerdoti, audisti enim quia in præsentem sanctificari Deo dicit ea, quæ sacerdotibus sorte obvenerunt. Offerri autem, quomodo? Id est, oportet eum, qui culpavit emundari, et sanctam ejus efficere conversationem.

Supputabit sacerdos juxta annorum numerum usque ad Jubilæum pretium, et dabit ille qui votum roverat Domino. Recte sacerdos, simul cum eo qui movit fratrem ad pœnitentiam, quia ille quidem districte ejus actionem et conversationem, utpote qui ipse eum correxerat, hic autem ut sacerdos novit veram atque perfectam redemptionem, supputant, sive probant qualem ei oporteat pœnitentiam indicere. Supputant autem usque ad Jubilæi pretium, id est ex his quæ de pœnitentia in divina dicta sunt Scriptura. Ipsa enim æstimatio est anni Jubilæi, sive remissionis, tam quia ipsa æstimavit, sive supputavit pœnitentiam, quam quia æstimat quanta ejus sit dignitas, hoc enim dicimus esse æstimationem, quia sic pœnitentia definita, definitio ejus sancta erit Deo, propter quod et addidit:

Et dabit ille qui votum roverat Domino. Sive secundum LXX, Et reddet pretium in die illo sanctum Domino. In tempore enim, in quo secundum hanc rationem, ea quæ sunt de pœnitentia definiuntur, sive inducuntur ei, cum necessaria est definitio

A ejus, sancta Domino invenitur: bene autem David, *redde*⁴⁸, vel sicut LXX, *reddet*, non, *reddent*: nam etsi communi consilio sacerdotis, et ejus qui movit peccatorem ad pœnitentiam, de ea definitio constituitur, quæ æstimatur, verumtamen ille eum efferat, qui fratrem culpantem compungi fecit: hinc enim et obediens, sed et ipse obligatur in emendationem ejus qui pœnitentiam agit, utpote qui semel ejus correctionis fecit exordium. Qui autem non illico, cum definitur pœnitentia, pœnitens munitur, sed quando eam perfectam egerit, propterea ait:

In Jubilæo autem revertetur ad priorem dominam qui vendiderat eum. Ergo definitio pœnitentiæ in illa die sancta mox fiet, in qua a sacerdote et exhortatore ejus qui pœnitentiam acturus erat per divinam Scripturam, quomodo eam debeat agere, æstimatur. Tunc autem pœnitens possessionem suam, agrumque, et conversationem recipiet, quando ad annum pervenerit Jubilæi, sive remissionis, sive immutatione, et plene agens ea quæ ad pœnitentiam pertinent: sed etiam in totum reddens sacerdotem et omnem hominem qui exhortari semetipsum aut proximum, aut domum suam vult, et ex hoc sibi sanctificationem conquirere, coronam inclytam, et firmitatem admirabilem exquisivit.

Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur: sic'us sive didrachma viginti obolos habet. Ut omnis æstimatio, sive definitio, sanctis fiat ponderibus, id est, his quæ sunt de sacra Scriptura. Exteriora enim pondera, veluti philosophorum, in quibus ipsi vitas conversationesque pensant, non sunt sancta, quia scientiam imperfectam possident. Sed nec hæreticorum pondera sancta sunt, *cauteriata est enim eorum conscientia*⁴⁹: sed sancta sunt ea quæ sunt in divina Scriptura, in quibus viginti oboli sunt, siclus, sive didrachma, id est decem mandata secundum litteram, et secundum spiritum intellecta, sicut evangelica gratia insinuat, et qui in ea dicit: *Non arbitremini, quia veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed implere*⁵⁰. Quicumque aut legem irritam facit, aut Evangelium renuit, hic non habet didrachma, nec hujus doctrinam ut sanctificantem recipimus. Hæreticos autem et Judæos, quorum alii gratiam, alii legem negant, æqualiter suscipiamus.

Primogenita quæ ad Deum pertinent, nemo sanctificare potest, et vovere; Sive bos, sive ovis fuerit, Domini sunt. Pecora eos qui nobis obediens sunt, filios, et servos, in præcedentibus diximus. Horum primogenitum, id est, qui nobis sic parens et obediens fuerit, ut et aliis obedientiæ et parendi ducatum præbeat, et propterea hic quidem primogenitum dicitur, alibi autem de eo legislator dicit: *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*⁵¹. Adaperit enim vulvam generandorum filiorum, qui obedire secundum Deum, et

⁴⁷ Psal. LXXII, 10.⁴⁸ Psal. LIX, 14.⁴⁹ I Tim. IV, 2.⁵⁰ Matth. V, 17.⁵¹ Exod. XXXIV, 9.

cum pia subiectione incipit, qualis, verbi gratia, A partem pretii: addet quintam, cum intellectu ei erat Paulo Timotheus, et propterea de eo ad Corinthios scripsit: *Qui est filius meus in Domino, ipse vos commonefaciat vias meas, quæ sunt in Christo Jesu.* Hunc qui talis est, nemo sanctificet: non quia indignus est sanctificatione, sed ut qui non eget sanctificari, est ergo olim sanctus. Didicisti enim, quomodo et superius dicebamus, quia aliud est sanctum esse aliquid Deo, aliud autem initium sanctificationis sumere. Illud enim melius ac superius est, utpote quod olim perfectum est meliore rationi non eget. Quia ergo filius, qui tantum honorat patrem et matrem, ut aliis fiat talis honoris exemplum; honorans autem propter pietatem, id est propter obedientiam legis, et sciens, quia Deo offert hunc honorem, qui honorari patres præcipit, primum mandatum quod est in promissione, secundum quod Paulus dixit, *implevit.* Servus autem, qui domino pure subditur, propter mandatum quod dixit: *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis, sicut Domino, non ad oculum servientes, sicut hominibus placentes, sed sicut servi Dei obedientiam Deo ostendunt*⁵². Hoc autem idem et discipulus. Si magistro ad honorem Dei, qui per Paulum sanctum: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis, ipsi enim pervigilant pro animabus vestris, obedite, et subiecti estote*⁵³, ad Deum referre ea, quæ sunt hujus obedientiæ et subiectionis, evidenter unusquisque horum dicitur, sive per bonam simplicitatem placens est Deo, sive per studiosam mandatorum operationem, et qui debeat bos propter hoc, aut ovis, nominari, domini uterque est. Audisti enim quemadmodum ad dominum pertinet uniuscujusque obedientia, et subiectio, quando subiecti patribus vel dominis vel magistris, etiam conversationem habent bonam, quæ eos inter munda animalia facit esse, et non de immundis, de quibus subdidit sequentia.

VERS. 27. « Quod si immundum est animal, redimet qui obtulerit juxta æstimationem suam, et addet quintam partem pretii. Si redimere noluerit, vendetur alteri. »

Quia immundus omnis peccator est, manifestum est: immundus enim est, inquit Salomon, ante conspectum Domini, omnis iniquus. Iniquus enim est, quia tam meditari, quam discernere legem eum, qui ruminat, et unguam findit, legislator jussit, quicunque unum ex his minus habet. Quicumque ergo obediens est, et vehementer subditus patri, aut domino, aut magistro, non tamen legem, sicut oportet, meditari aut distinguere novit, primogenitus quidem in pecoribus est, sicut obedientiæ dux. Est autem immundus, quia non habet hoc quod habere mundum legislator jussit. Si ergo eum pater, aut dominus, aut magister vult redimere, secundum æstimationem ejus redimetur, et addet quintam

partem pretii: addet quintam, cum intellectu ei doctrinam offerens, in sapientia eum gubernans, et non insipienter regens. Insensati enim patris, et domini, et magistri est, obedientia, quæ ad se pertinet, docere filium, vel discipulum, vel servum, et non disponere ejus vitam, ut secundum legis scientiam operetur, permittereque eum indoctum esse in lege et imperitum. Addat igitur et subiectioni et doctrinæ intellectum, ipse enim solus in præsentem minus est, propter quod dixit: *Addet quintam partem pretii.*

Quia pretium habet obedientia, unde non ait: *Æstimabit eum sacerdos*, sicut supra dixit, sed sicut olim pretium habentem, et qui definitionem doctrinæ, subiectionemque sortitus est. jussit super eum addi quintam partem, ut quia obedientiam, quam valde lex præcipit, possidet, secundum LXX. Filius sapiens subditus est patri, quintam adjicit et quemadmodum diximus, obedientiæ addit sensum ex quo obediturus est, et recte redemptus, invenietur mundus. Tunc, secundum LXX, erit ejus, qui possidet servum, aut filium, aut discipulum, habebit enim in eo gloriam sicut Paulus dixit: *Quia gloria nostra vos estis in Christo Jesu*⁵⁴. Et rursus: *Gaudeo igitur in vobis.* Et rursus: *Nunc enim vivimus, si vos statis in Domino*⁵⁵. Si autem non redemerit, qui filium, aut servum, aut discipulum possidet: ipsius enim eum redimere est et per prudentem admonitionem sensatum efficere, secundum modum, qui dictus est, alienatur ab hujus possessione, vendet enim, ait, alteri, vel sicut LXX si non liberaverit, veniet secundum pretium ejus, ita ut illius quidem sit pretium apud Deum. obedire domino, et patri, et magistro. Qui autem eum, cum deberet et potuisset exhortari, non est exhortatus, damnum patitur ejus possessionis, et non potest dicere: Ecce ego et pueri, quos mihi dedit Deus.

VERS. 28, 29. « Omne quod Domino consecratur, sive homo erit, sive animal, sive ager, non venietur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino: et omnis consecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur. »

Quæ differentia sit anathematizare, et sanctificare secundum litteram, per ea quæ superius discussa sunt, ostendimus: ubi hoc quod anathematizatum est, nullo modo in usum humanum, nullius, nec sacerdotis fas esse reverti diximus, secundum Amalechitarum historiam, quam in testimonium rei protulimus: in tantum enim non licebat tangere quod anathematizabatur, ut quando Jericho anathematizaverunt, quia quidam ex populo, id est Achan filius Charmi, de anathemate furatus est, multi de eis in bello ceciderint, iratusque Deus, hæc dixit: *Non ero ultra vobiscum donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est*⁵⁶. Ex utraque ergo

⁵² I Cor. iv, 17. ⁵³ Heb. xiii, 17. ⁵⁴ II Cor. i, 12. ⁵⁵ I Thess. iii, 8. ⁵⁶ Josue vii, 12.

historia, quomodo omnis usus et possessio prohibetur anathematis, demonstratum est. Non solum autem hoc, sed quia quæcunque jure bello valde inimicis, cum quibus non oportebat amicitiam jungere, spolia sumebant post victoriam, et deprecationem hæc faciebant anathema et non a semetipsis, sed Deo præcipiente. Quæcunque enim propheta præcipiunt, manifestum est, quia Dei præcepta sunt. Ergo et nos quodcunque, intelligibilibus inimicis, id est dæmonibus, pugnantes, cum quibus non licet amicitias jungere; contra quos perpetuas inimicitias, et incommutabiles habemus, propter quos Dominus dicebat. *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium*⁸⁷: propter quod dividet hominem adversus patrem, et filiam adversus matrem, et scindet compassionem generis, et deorsum relinquentes carnis compassionem, facilius incorporeos perimamus inimicos: sive hominem, sive pecus, sive agrum pro spolio, ex bello quod contra eos habemus, atque victoriam acquisiverimus, consecrare quidem Deo hæc debemus. Sic autem consecrare, ut nihil in eis habeamus nostræ voluntatis, sed sive suæ potestatis quispiam est, hoc enim est vere homo, dicimus autem eum, qui nullatenus nobis subjectus est, sed æqualis nobis est secundum conversationem, sive eum qui nobis subjectus est, et propterea pecus nominatur, intelligibiles hostes vincentes acquisiverimus, sive de agro possessionis, id est, ex qua sortiti sumus conversationem, in spoliis et trophæis sumpturimus, contra inimicos intelligibiles pugnantes, nec venundare hæc possumus, nec redimere opus habemus, quia omne consecratum, sanctum sanctorum est Domino. Quomodo? audi. Non potest aliquis exspoliare inimicum, antequam eum perfecte subjiciat, sicut Dominus Judæis dixit: *Quomodo potest aliquis ingredi in domum fortis, et vasa ejus diripere, si non prius alligaverit fortem, et tunc vasa ejus diripiantur*⁸⁸? Tunc autem plene intelligibilem hostem subdimus, id est diabolum, ligareque eum, et deprædari, et consecrare Deo spolia ejus possumus, quando ejus omnes vicerimus machinas, omne contriverimus caput, omnemque speciem peccati declinaverimus, cuncta mundi desideria vicerimus, cunctasque virtutes assecuti fuerimus: tunc enim eum et ligatum habemus, et prædari possumus. Sic autem diripientes, et eum prædicta victoria devincentes, quodcunque diripuerimus, Deo recte offerimus. Sanctum autem sanctorum perfectum consummatumque habemus, nec nostra exhortatione nec aliorum egens, quod nec additamentum aliquod, nec perfectum opus habet. Quomodo? Quod omne peccatum evasit, omnem virtutem operatum est, et alienatum est mundo, mundoque crucifixum. Nimis ergo consequenter addidit:

A *Et omnis consecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morietur. Qua morte? Qua Paulus dicebat: Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus*⁸⁹. Et rursus: *Sic et vos æstimate vos mortuos quidem peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu*⁹⁰. Talis ergo, sicut qui usque ad culmen virtutis proficit, et mensuras contigit perfectionis: mortuus enim sæculo est, et a præsentibus alienus et olim a mundi migravit sapientia: recte sanctus sanctorum Domino est: quia Sanetum sanctorum unitatus est secundum possibilitatem suam.

VERS. 30-33. (Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, et illi sanctificantur. Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum. Omnium decimarum, boves et oves capræ quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligitur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutaverit, et quod mutatum est, et pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, et non redimetur.)

B Quæris forsitan, ejus rei gratia fructuum terræ redimi decimam præcipit. bonum autem et ovium non præcipit? quod Judæus dicere non potest, quia soli servit litteræ, in qua maxime multa quæstionem recipientia legislator interponit, ut angustiati ad spiritum currant, et sciant quia littera tunc est bona, quando illa usa fuerit velut instrumento, et ministrata spiritus. Differentiam ergo discipulorum legis hic proponit, et quemadmodum in primogenitis mundis, et immundis, quidam cum obedientia et bonam legis meditationem et scientiam acquisiverunt, quidam autem sunt qui solam obedientiam habent: sic et hic quidam operantes mandata, sapientiam terrenam habent, et propterea redemptione necessaria egent, quidam nec redimi opus habent, sed nec mutari debent, sicut perfecti semper et consummati. Fruges ergo, in præsentem lex missionem, quæ est de semine, dicit, similiter et poma arborum secundum tempus suum. Horum autem geminis decima pars Deo secundum legem debetur, utrumque autem hoc ad legis fructificationem accipi oportet. Dominus quidem bonam terram fructum afferentem triginta, et sexaginta, et centum, eos qui suscipiunt verbum, et faciunt illud, in parabola seminum evangelicorum exponens dixit⁹¹. David autem nunc clamabat: *Justus ut palma florebit*⁹². Et rursus: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini*⁹³. Nunc autem breviter describens justum: *Et erit, ait, sicut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*⁹⁴. Hujus ergo omnis decima, sancta est. Sancta enim horum actio, et studium est, quia qui legis mandata operans, spem in præsentem retributionis ponit, terrena sapit, quales erant quidam Judæorum, ad quos utpote terræ inhærentibus,

⁸⁷ Matth. x, 34. ⁸⁸ Matth. xii, 29. ⁸⁹ Gal. ii, 20. ⁹⁰ Rom. vi, 11. ⁹¹ Matth. xiii, 8 seq. ⁹² Psal. xci, 17. ⁹³ Psal. li, 10. ⁹⁴ Psal. i, 3.

Dominus dicebat : *Vos de deorsum estis, ego sursum* ⁶⁴. Sed et Paulus de eis dixit, qui terrena sapient : *Nostra autem conversatio in caelis est* ⁶⁵. Hoc autem nunc inluit, neque enim simpliciter dixit, *omnes decimæ terræ* : sed, *omnes decimæ terræ prædixit*, et tunc subdidit, *sive de frugibus*, ut prædicaret aperte eum, qui intentionem expectatione terrenorum bonorum legis mandata operatur, etsi sancta ejus decima, id est mandati operatio est, verumtamen non grande juvamen eorum est ex tali operatione circa retributionem, quam non oportet a Deo expectari ab eis qui terrenis inhiant. Unde si vult quis sibi ipsi decimam hanc acquirere, addat quintam, id est intelligentiam, ut *quæ sursum sunt sapiat, ad ea quæ sursum sunt intendat* ⁶⁷, sicut Paulus scribebat. Qui enim sic legis mandata operatur, non perdet lucrum ejus, quia decima ejus efficitur. Ergo ejus qui terrena sapit, decima sancta quidem est, sed non ei, quia non intelligibiliter mandatum operatur, nec scit quod lucrum in ea expectet, aut quam retributionem in ea speret.

Boves autem et oves, et quæcunque sub numero sunt sub virga transeunt. Dicit enim eos qui sub virga numerantur crucis, quibus ut numerentur, fides Dei amicitia donat. Quisquis enim fidelis est Deo, hic et ejus amicus invenitur, quod demonstrat Abraham, de quo dictum est : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam, et amicus Dei appellatus est* ⁶⁸. Qui enim amici Dei, numero digni habentur, licet sint immensæ multitudinis, et non solum si numerum, sed etiam si mensuram excesserint, audi David dicentem : *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur* ⁶⁹. Ii terrenam non habent sapientiam, nec in his quæ agunt, corruptibilem retributionem quærunt. Propter quod non speciale quidpiam illorum, sed quodcunque egerint mandatum, sanctum Deo est.

Sed nec eligetur inter bonum et malum. Id est, inter deterius et melius. Non est enim eorum facilis discretio, quia etsi alterutrum superant, quemadmodum stella stellam in gloria differentes, sed omnes in cælo sunt, ut revera sequentes cælestia, ^D et a solo eo, qui idoneus est discernere sanctos cognoscuntur : secundum hanc rationem oportet intelligi :

Non eligetur bonum, nec malum, nec altero commutabitur. Cum enim nullus de eis sit, qui respui possit, quem quo commutabis, aut quid magis eliges, nostræ non est dijudicare virtutis. His ergo superædificans, addidit quæ sequuntur :

Si quis mutaverit, et quod mutatum est, et pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, et non redimetur. Quia ergo omnium cursus divinus et sublimis, et supernæ conversationi proximus est, frustra co-

naris hunc respuere, alium autem pro eo introducere, et consecrare Deo quasi meliorem : non est tuum hoc discernere, neque hunc illo inter sanctos appellare deteriore : quod etiam ex historia factum cognosce. Paulus aliquando et Barnabas inter semetipsos contenderunt. Barnabas enim dicebat debere assumi Marcum : Paulus autem dicebat, eum qui semel recessit a Pamphilia, et qui non concurrit eis in opere, non debere assumi. Facta est autem inter eos talis contentio, ita ut discederent ab invicem, et Barnabas, assumpto Marco, navigaret Cyprum, Paulus autem, eligens Silam, traditus est gratiæ Dei. Vides quomodo mutavit melius, sicut æstinavit, deteriore. Ipsum autem quod mutatum est et pro quo mutatum est, factum est ^B sanctum. Silam enim, sicut aptiorem Marco, ad ministerium prædicationis elegit, non tamen expulsus est Marcus. Barnabas autem, eum assumens, abiit Cyprum, et cum eo prædicabat, et in tantum erat magnus, ut evangelista unus de quatuor fieret. Ergo Paulus retractans, et cognoscens, quia nullus sanctorum respuendus est, nec potest aliquis eorum, qui perfecte profecerunt, hunc dicere deteriore, nec illum meliorem, ipse rursus Marcum assumpsit, et ad Timotheum scribebat : *Assume Marcum, et deduc tecum ; est enim mihi utilis in ministerio* ⁷⁰. Non ergo intendatis quis inter hos bonus aut malus, sed nec commutes alterum altero.

Et non redimetur. Cui enim nihil minus est, qua redemptione eget ? Si autem et affinitatem oportet intelligere redemptionem, quemadmodum Aquila edidit, recte affinis non efficietur, talis enim nemo sibi vindicabit gubernationem, sed etsi alterius tamen fructus, vel discipulus fuerit ex quo ad hanc pervenerit perfectionem, ipse suus erit gubernator, ipse doctor. Præter alia enim, quæ in præsentia dicta sunt, ostendere legislator vult, quia hi qui a nobis docentur, quando fiunt perfecti, nihil jam nostri magisterii egent : et propterea immundorum primogenita redimi ait, mundorum autem, nequaquam. Sec nec ea, quæ Deo consecrata sunt, nec hæc, de quibus nunc sermo est, perfecta demonstrata sunt, utpote quæ intentionem divinam cælestemque gerunt. Quem enim finem libri hujus præceperit esse spiritus, hunc in sequentibus intuere.

VERS. 34. « Hæc sunt præcepta quæ mandavit Dominus Moysi, ad filios Israel in monte Sinai. »

Et cujus rei gratia non ipsi filii Israel, sed Moysi ad filios Israel ? Quia populus erat infirmior, tantam legis sanctionem capere non valens, in qua sicut in speculis claras formas suorum mysteriorum Deus ostendit. Tu ergo, si non vis de vulgo esse, sed qualis Moyses fuit, præbe temetipsum obedientem, mundosque habentem omnes animæ sensus, et dic Deo : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* ⁷¹. Relinque materiam carnis, et spiritus

⁶⁴ Joan. viii, 23. ⁶⁵ Philip. iii, 20. ⁶⁷ Col. iii, 1, 2. ⁶⁸ Gen. xv, 6 ; Rom. iv, 3. ⁶⁹ Ps. cxxxviii, 17, 48. ⁷⁰ II Tim. iv, 11. ⁷¹ Psal. cxviii, 18.

divitias sequere. Dic cum David : *Quam dulcia favicibus eloquia tua, Domine, super mel et favum orimeo*⁷¹ Ut et tibi, quemadmodum et Moysi, mandet, suamque tibi credat sapientiam. *Melior est enim negotiatio ejus argento et auro puro, fructus ejus pretiosior est cunctis opibus : et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera ejus, in sinistra autem divitiæ et gloria. Vie*

*A ejus viæ pulchræ, omnes semitæ ejus pacifær. Lignum vitæ est his qui apprehenderit eam, et qui tenuerit eam beatus*⁷². *Fili mi, audi doctrinam patris, id est Dei : et non discedas a lege matris tuæ, id est sapientiæ. Coronam enim gratiarum dabit capiti tuo, id est Christum : et torques aurea sit circa colulum tuum*⁷³, id est Spiritus sanctus : Cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

⁷¹ Psal. cxviii, 103. ⁷² Prov. iii, 14-18. ⁷³ Prov. i, 8, 9.

EJUSDEM HESYCHII HIEROSOLYMITANI FRAGMENTA.

FRAGMENTA IN PSALMOS.

(Ex Catena Græcorum Patrum in Psalmos, Balth. Corderio interprete.)

PSALMUS I.

Vers. 1. « Beatus vir. »

Primum enim colenda pietas est, ac tum vivendi institutum ordinandum. Atque illic quidem non abire, hic vero non stare præcepit, ut impietati ne minimum quidem, vel per transennam communicare, aut eam attingere caveamus : et in peccato (utcumque per id transire contigerit) non insistamus, hoc est, immorari aut perseverare fugiamus. Pestes vero vocat impostores, qui specie tenus justitiam colunt, malitiam vero factis exercent. Ili siquidem vitam humanam inficiunt. Cathedra enim pestilentiarum est judicium jura prodentium. Cathedra pestilentiarum est sedes falsorum doctorum. Cathedra pestilentiarum est hypocritarum stola. Cathedra pestilentiarum est sacerdotum hypocrisis : in ea jubet non sedendum.

Vers. 4. « Et erit tanquam. »

Judæi autem disjecti sunt, stante adversus eos vehementi apostolorum prædicationis spiritu, et tanquam pulvis ad nihilum redacti sunt. Nam neque civitatem, neque cultum sacrum, neque aliud quidpiam priorum habentes, per universum terrarum orbem dissipati sunt, instar pulveris, in faciem contempti.

PSALMUS VI.

Vers. 2. « Miserere mei, Domine. »

Docet quomodo orare, et qua ratione se humiliare, et Dei misericordiam implorare oporteat.

« Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. »

Ossa porro, animamque præterea suam, pertur-

B

ΨΑΛΜΟΣ ΠΡΩΤΟΣ.

« Μακάριος ἀνὴρ. »

Δεῖ γὰρ πρῶτων κατορθοῦσθαι τὴν εὐσέβειαν, καὶ τότε τὴν τοῦ βίου πολιτείαν ρυθμιζέσθαι. Ἄλλ' ἐκεῖ μὲν μὴ πορευθῆναι, ἐνταῦθα δὲ τὸ μὴδὲ στήναι προσέταξεν. Ἴνα τῆς μὲν ἀσεβείας μηδ' ὅσον ἐν παρόδῳ μεταλαβείν, ἢ ψαῦσαι φυλαξόμεθα· ἀμαρτίας δὲ (εἰ καὶ τις ἡμῖν πάροδος υπαρχθεῖσιν γένοιτο) στήναι ὁμῶς ἐν αὐτῇ, τουτέστιν ἐνίστασθαι, ἢ ἐπιμένειν ἐγκλίνομεν. Λοιμοὺς δὲ καλεῖ τοὺς ἀμφιβόλους ἀνθρώπους, τοὺς τὴν δικαιοσύνην κατορθοῦντας ἐν σχήματι, τὴν κακίαν δὲ μετιόντας ἐν τοῖς πράγμασι. Τὸν βίον γὰρ οὗτοι λυμαίνονται τὸν ἀνθρώπινον. Καθέδρα γὰρ λοιμῶν, ἢ τῶν δικαστῶν τῶν προδιδόντων τὰ δίκαια· καθέδρα λοιμῶν, ὁ τῶν ψευδοδιδασκάλων θρόνος· καθέδρα λοιμῶν, ἢ τῶν ὑποκριτῶν στολή· καθέδρα λοιμῶν, ἢ τῶν ἱερέων ὑπόκρισις· ἐν ταύτῃ κελεύει μὴ καθέζεσθαι.

« Καὶ ἔσται ὡς τὸ ξύλον. »

Ἀπεβλήθησαν δὲ Ἰουδαῖοι ἀνέμου κατὰ τῶν ἰσχυροῦ τοῦ κηρύγματος τῶν ἀποστόλων πνεύσαντος, καὶ καθάπερ ὁ χνοὺς εἰς οὐδὲν διελύθησαν. Οὐ πόλιν γὰρ, οὐ λατρείαν, οὐχ ἑτερόν τι τῶν ἐξ ἀρχῆς ἔχοντες, ἐσχορπίσθησαν εἰς ὄλον τῆς γῆς, καθάπερ ὁ χνοὺς ἡτιμωμένοι τὸ πρόσωπον.

ΨΑΛΜΟΣ Γ'.

« Ἐλέησόν με, Κύριε. »

Διδάσκει τίνα δεῖ τρόπον προσεύχεσθαι, πῶς δεῖ ταπεινοῦσθαι, καὶ τοῦ Θεοῦ προκαλεῖσθαι τὴν ἔλεον.

« Ἰασαί με, Κύριε, ὅτι ἐταράχθη τὰ ὀστά μου. »

Τεταράχθαι γὰρ μὴν τὰ ἑαυτοῦ ὀστά φησι, καὶ

προσέτι τὴν ψυχὴν. Καὶ ὅσα μὲν ἰσως κατὰ γε τὴν ἄνθρωπον ἐν πνεύματι θεωρίαν νοηθεῖν ἀνὰ λόγῳ ληπτὰ τῆς ψυχῆς δυνάμεις, αἱ καὶ ἀνέχουσιν αὐτὴν εἰς νοητὴν εὐρωστίαν. Ὅσον ἐγκράτεια, φρόνησις, ἡ κατὰ θεὸν ἀνδρεία, σωφροσύνη, καὶ δικαιοσύνη, καὶ ἀπαξ ἀπλῶς πᾶν εἶδος ἀρετῆς, ὧν οὐκ οὐδὲν ἐν ἡμῖν ἀσυγχύτως (ἡγοῦν ἐν κόσμῳ τῷ δέοντι) διὰ τὸ τὴν ἰδίαν οὐκ ἔχειν ἰσχὺν, ἀνάγκη ταράττεσθαι τὴν ψυχὴν ἀτακτούντων ἐν αὐτῇ τῶν παθῶν.

« Ἀπόστητε ἀπ' ἐμοῦ πάντες. »

Ὁρᾶς ὡς ὅταν ἀποστῶμεν τῶν ἐργατῶν τῆς ἀνομιᾶς (εἴτε ἀνθρώπων, εἴτε λογισμῶν), τότε ὁ θεὸς τὰς ἡμετέρας δεήσεις ἐτοίμως καὶ τὴν προσευχὴν δέχεται.

ΨΑΛΜΟΣ Ζ'.

« Ἀνάστηθι, Κύριε, ἐν ὀργῇ σου. »

Ἐψώθηται τὸν Χριστὸν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ παρακαλεῖ, συντελείας καὶ ἀφανισμοῦ τῶν δαιμόνων ἕνεκα. Ὅταν γὰρ ὑψωθῶ, πάντα ἐλλύσω πρὸς ἐμαυτὸν. Πέρας δὲ ταῦτα καὶ κατάλυσις τῆς τῶν νοητῶν ἐχθρῶν δουραστείας ἐγένετο.

ΨΑΛΜΟΣ Η'.

« Κύριε, Κύριος ἡμῶν. »

Τὸ, Κύριε, ὁ Κύριος ἡμῶν, ἡ Ἐκκλησία λέγει. Μετὰ γὰρ τὴν εἰς Χριστὸν ἐπίγνωσιν, τῆς τῶν εἰδώλων ἀποστῆσα δουλείας, Κύριον αὐτῆς καλεῖν τὸν ἀληθῶς θεὸν καὶ Κύριον ἠρᾶτο.

Ἄει μὲν γὰρ ἡ γῆ πᾶσα τῶν θαυμάτων ἀληθῶς τῆς τοῦ θεοῦ δημιουργίας πεπλήρωται, εἴτι δὲ μάλλον, ἀφ' οὐπερ αὐτοῦ τὸ ὄνομα, δηλαδὴ τὸ τοῦ Χριστοῦ, παρὰ πᾶσιν Ἑλλήσι τε καὶ βαρβάροις, διὰ τῆς εἰς αὐτὸν ἐθαυμαστώθη πίστεως.

« Πάντα ὑπέταξας ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτοῦ. »

Πετεῖνὰ τοῦ οὐρανοῦ τοὺς περὶ τὴν θεολογίαν ἡσυχολημένους καλεῖ, τοὺς ἐρευνῶντας τὰ ὑψηλὰ καὶ μετάρσια δόγματα· ἰχθύας δὲ τῆς θαλάσσης, τοὺς ἐν τοῖς πράγμασι τοῦ βίου τούτου νηχομένους, καθάπερ ἐν κύματι. Σωτηρία δὲ καὶ τούτοις ἀπόκειται, ὅταν πορευθῶσι τρίβους οὐκέτι θαλάσσης, ἀλλὰ θαλασσῶν, διὰ βαπτισματος καὶ μετανοίας ὁδεύοντες.

Ἦν μὲν γὰρ αὐτῷ καὶ τὰ αἰσθητὰ διὰ τὸν τῆς δημιουργίας ὑποταγμένα νόμον, κτήνη, καὶ βόες, καὶ πρόβατα. Πρόβατα δὲ πάλιν νοητὰ, ὑποταγμένα τῷ Χριστῷ τοῦ ἐν ἀκακίᾳ πολιτευομένου ἀνθρώπου εὐρίσκομεν· βόας τοὺς τῶν ἐντολῶν ἐργάτας, περὶ ὧν Μωσῆς ὁ νομοθέτης ἔλεγεν· Ὁ φιλώσεις βοῶν ἀλωῶνται. Ὅθεν οὐχ ἀπλῶς βόας, ἀλλὰ καὶ πάσας ὁ Ἐλλήνων ἐξέθετο. Πᾶσιν γὰρ ὁ θεὸς τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν τυχοῦσαν ἐργαζομένοις εὐρίσκεται. Κτήνη δὲ καλεῖ τοὺς ἁμαρτωλοὺς, ἐπειδὴ κάτω τὰς βίβους εἰς γῆν νεοῦσας κέχτηνται. Ἀλλὰ καὶ ταῦτα μετανοοῦντα, καὶ ὑποταγένητα σώσεται, ὅταν τῷ Χριστῷ ἀναβάτη διὰ τῆς εὐαγγελικῆς πολιτείας ὑποδέξηται. Ἀρθρώπους γὰρ, φησὶ, καὶ κτήνη σώσεις, Κύριε.

A bata fuisse dicit. Per ossa vero, juxta spiritalem intelligentiam, virtutes animi rationis compotes intelligit, quæ et ipsum ad intellectualem soliditatem evehunt. Ut sunt continentia, prudentia, et quæ secundum Deum est fortitudo, temperantia, et justitia, et absolute demum genus omne virtutum, quæ cum in nobis non fuerint inconfusæ (id est cum decenti ornatu ordineque), necesse est animam, cum proprium robur non obtineat, perturbari passionibus illis inordinatis quæ in ipsa sunt.

Vers. 9. « Discedite a me omnes. »

Vides ut Deus preces nostras ac supplicationem promptus admittat, cum ab operantibus iniquitatem (sive homines, sive cogitationes inane sint) longo recesserimus.

B

PSALMUS VII.

Vers. 7. « Exsurge, Domine, in ira tua. »

Hortatur ut Christus in cruce exaltetur, dæmonum interitus atque abolitionis ergo. Cum enim, (inquit), exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum¹. Hæc enim fluvis et dissolutio potentiæ spiritualium inimicorum fuere.

PSALMUS VIII.

Vers. 2. « Domine, Dominus noster. »

Illud Domine Dominus noster, dicit Ecclesia. Nam post Christi agnitionem, ab idolorum servitute liberata, Dominum suum tanquam vere Deum ac Dominum vocare cœpit.

Semper quidem universa terra vere mirabilibus creationis Dei operibus repleta fuit; multo tamen magis, ex quo nomen illius, scilicet Christi, apud omnes gentes ac barbaras nationes per fidem in eum admirabile factum est.

Vers. 8. « Omnia subjecisti sub pedibus ejus. »

Volucres cæli vocat illos qui, alta et sublimia dogmata perscrutantes, theologiæ incumbunt: pisces vero maris, eos qui in vitæ hujus negotiis tanquam in fluctibus natant. His autem etiam salus reposita est, cum non amplius maris, sed marium, per baptismum et pœnitentiam, vias inambulent.

Cæterum erant etiam ipsi sensibilia omnia per conditionis legem subjecta, jumenta, et boves, et oves. Rursus autem oves intellectuales, homines innocenter viventes, Christo subjectos reperimus: boves item præceptorum observatores, de quibus legislator Moyses ait: Non obturabis os bovi trituranti². Unde non boves simpliciter, sed boves universos, Psalmographus posuit. Ab omnibus enim Deus qualemcunque virtutem exercentibus invenitur. Pecora vero peccatores vocat, siquidem prona in terram spectantia creata sunt. Atqui et ipsa si pœnitentiam egerint, et obdixerint, salva fient; cum Christum per evangelicam institutionem ascensorem admiserint. Homines (enim, inquit) et jumenta salvabis, Domine³.

¹ Joan. xii, 52. ² Deut. xxv, 1; 1 Cor. ix, 9. ³ Psal. xxxv, 7.

PSALMUS IX.

VERS. 3. « Confitebor tibi in toto corde. »

Sed quomodo toto corde constitemur? Quando non amplius in ea peccata prolabemur, quorum a Deo veniam obsecramus.

VERS. 16. « Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt. »

Cæterum gentes hic appellat dæmonum cuneum. Hic enim cum salutarem crucem fabricassent, per eandem tyrannide sua exciderunt, et laqueo quem absconderant comprehensus est pes eorum, et in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

VERS. 18. « Convertantur peccatores. »

Peccatorum, quemadmodum et justorum, plura esse genera vincitur. Sed hoc loco peccatores appellat infideles, quos etiam Dei oblivionem subire dixit. Sicut igitur qui credunt in Deum, licet mortui fuerint, vivunt; nam qui credit in me, inquit Christus, etiamsi mortuus fuerit, vivet⁶: sic qui non credunt, etiam antequam moriantur, propter sententiam in ipsos latam mortui sunt.

VERS. 33. « Exsurge, Domine. »

Interrogat, quodnam impii, scilicet diaboli, vel valde impii hominis, peccatum Deus potissimum aversetur. Deinde inductam ipse interrogationem solvit. Dixit enim in corde suo: Non requirer³. Conviciatur, inquit, Deum, ut qui res nostras sine providentia et sine examine esse permittat. Quæ persuasio deceptis exitio esse reperitur: quare consequenter subjunxit: « Tibi derelictus est pauper. »

PSALMUS XII.

VERS. 1. « Usquequo, Domine, oblivisceris me? »

Gravis sane est oblivio Dei, etiam temporaria: quin imo mortem affert omnimodam et immortalam.

VERS. 3. « Usquequo exaltabitur inimicus? »

Exaltatio enim Satanae, depressio est hominum. Nam sicut Deus in salute nostra exaltari, sic diabolus in perditione extolli dicitur.

PSALMUS XIV.

VERS. 3. « Qui loquitur veritatem in corde suo. »

Corde prius, et deinde lingua, nos vult esse veraces. Ex abundantia enim cordis, os loquitur⁴. Cum autem dicit: Nec fecit proximo suo malum; non hic cædem tantum, sed et quodlibet aliud crimen vetuit.

« Et opprobrium non accepit. »

Cogitabimus autem proximos, peccatores et imbecilles esse, uti nos; ne cum ipsi peccatores simus, aliis peccatum obijciamus, quin invicem potius adhortemur atque instruamus.

VERS. 4. « Timentes autem Dominum glorificat. »

⁶ Joan. II, 25. ³ Psal. X, 13. ⁴ Matth. XII, 34.

A

ΨΑΛΜΟΣ Θ'.

« Ἐξομολογήσομαι σου ἐν ὅλῃ καρδίᾳ. »

Πῶς δὲ ἐν ὅλῃ καρδίᾳ ἐξομολογούμεθα; ἢ μηκέτι πρὸς τὴν ἁμαρτίαν ἐκείνην ὑποστρέψῃ ὑπὲρ ἧς συγγνώμην παρὰ τοῦ Θεοῦ παρεδωκῆται. « Ἐνεπάγησαν ἔθνη ἐν διαφθορᾷ, ἣ ἐποίησαν. »

Ἔθνη δὲ ἐνταῦθα προσαγορεύει τῶν δαιμόνων στίφος. Οὗτοι γὰρ τὸν σωτήριον σταυρὸν τετήρημενοι, διὰ τοῦτου τῆς τυραννίδος ἐξέπεσαν, καὶ παγίδι ἣ ἐκρυψαν, συνελήφθη ὁ πούς αὐτῶν, καὶ τοῖς ἔργοις τῶν χειρῶν αὐτοῦ συνελήφθη ὁ ἁμαρτωλός.

« Ἀποστραφήτωσαν οἱ ἁμαρτωλοί. »

Ἄμαρτωλῶν πολλὰ γένη, ὡς περδὴ καὶ δικτῆς γνωρίζεται. Ἐνταῦθα δὲ ἁμαρτωλοὺς τοὺς ἀπίστους καλεῖ, οὓς καὶ λήθην τοῦ Θεοῦ παθεῖν ἐφησεν. Ὅσοι τοίνυν οἱ πιστεύοντες εἰς τὸν Θεὸν ζῶσι, κινεῖσθαι θάνατον. Ὁ γὰρ πιστεύων εἰς ἐμὲ, φησὶν Ἰησοῦς, κἀν ἀποθάνῃ, ζήσεται, οὕτως οἱ ἀπιστοῦντες, καὶ πρὶν ἀποθανεῖν, διὰ τὴν ἀπόφασιν τὴν ὑπ' αὐτοῦ τεθνήκασιν.

« Ἀνάστηθι, Κύριε. »

Ἐρωτᾷ ποῖαν ὁ Θεὸς τοῦ ἀσεβοῦς, δηλαδὴ τοῦ διαβόλου, ἣ καὶ τοῦ λίαν ἀσεβοῦντος ἀνθρώπου, ἁμαρτίαν ἀποστρέφεται μάλιστα. εἶτα αὐτὸς ἐπετρέχει τὴν ἐρώτησιν, ἔλυσε. Εἶπεν γὰρ ἐν καρδίᾳ αὐτοῦ, Ὅχι ἐκζητήσῃ. Συκοφαντεῖ τὸν Θεὸν, φησὶν, ἐξ ἀπρονόητα καὶ ἀνεξιχνίαστα εἶναι συγχωροῦντα τὰ ἡμέτερα. ὅπερ ἀπωλεία ἐστὶν προτροπὴ τοῖς ἀπατωμένοις εὐρίζεται. ταιγαροῦν ἀκολούθως προσέθημεν. « Σοὶ ἐγκαταλέλειπται ὁ πτωχός. »

ΨΑΛΜΟΣ ΙΒ'.

« Ἔως πότε, Κύριε, ἐπιλήσῃ με; »

Θεοῦ γὰρ λήθη χαλεπὴ μὲν, καὶ πρόσκαιρος· αἰὶ μὴν θάνατον ἐπιφέρει παντελεῖ καὶ ἀθάνατον.

« Ἔως πότε ὑψωθήσεται ὁ ἐχθρός; »

Ἦψο; γὰρ τοῦ Σατανᾶ, ἣ τῶν ἀνθρώπων ταπεινώσις. Καθάπερ γὰρ ὁ Θεὸς ἐν τῇ σωτηρίᾳ ὑψοῦσθαι τὴν ἡμετέραν, οὕτως ὁ διάβολος ἐν τῇ ἀπωλείᾳ ἐπαιρῆσθαι λέγεται.

ΨΑΛΜΟΣ ΙΔ'.

« Ἄλῶν ἀλήθειαν ἐν καρδίᾳ αὐτοῦ. »

Πρότερον ἀληθεύειν ἡμᾶς κατὰ καρδίαν, καὶ μετὰ ταῦτα κατὰ τὴν γλῶσσαν βούλεται. Ἐκ γὰρ τοῦ ἀρισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ. Ἐν ἑ τῷ εἰπεῖν, Ὅχι ἐποίησεν τῷ πλησίον κακόν, ἐνταῦθα οὐ φόνου μόνου, ἀλλὰ καὶ πάσης ἄλλης ἁμαρτίας ἐκώλυσε.

« Καὶ ἀνειδισμὸν οὐκ ἔλαβεν. »

Τοὺς δὲ ἔγγιστα, ὡς περ ἡμεῖς, ἁμαρτωλοὺς καὶ ἀσθενεῖς νοήσομεν, ἵνα μὴ ἁμαρτωλοὶ ἁμαρτίαν ἐτέροις ὀνειδίζωμεν, νοθευόμεν δὲ μᾶλλον ἀλλήλους, καὶ διδάσκωμεν.

« Τοὺς δὲ φοβουμένους τὸν Κύριον δοξάζει. »

Κάν ἀσθενεῖς ὡς, κἄν πτωχοί, κἄν βάρβαροι, κἄν ἀλλότριοι. Ὁ γὰρ τοὺς πονηρευομένους ἐξουθενῶν, τοὺς δὲ φοβουμένους τὸν Κύριον δοξάζων, πολλοὺς ἐκ πονηρίας ἀποτρέπει, προτρέπει δὲ πρὸς εὐσέβειαν.

ΨΑΛΜΟΣ ΙΕ'.

« Κύριός μου εἰ σύ. »

Ὁρξ̄ς τῆς Ἐκκλησίας τὴν εὐγνωμοσύνην. Ὁμοῦ γὰρ καὶ τὴν ἑαυτῆς πτωχείαν, καὶ τοῦ νυμφίου τὸν πλοῦτον ὠμολόγησεν. *Εἶπα*, φησὶ, τῷ Κυρίῳ, τουτέστι τῷ Χριστῷ, *Κύριός μου εἰ σύ*. Οὐκ εἰ, φησὶ, φίλῳς ἄνθρωπος, ἀλλὰ Κύριος, ἐπειδὴ δούλην εἰς γάμου κοινωνίαν, καὶ τὴν ἀπόδηλον ἐλαβες.

« Κύριος μερὶς τῆς κληρονομίας μου καὶ τοῦ πτηρίου μου. »

Κληρονομίας φησὶ, τουτέστι τοῦ μυστηρίου τούτου. Κληρονομίαν γὰρ ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ ἡ Ἐκκλησία οὐ κέκτηται, πλὴν μόνον τὸν Θεόν. Ὅστις αὐτῇ τὸν κληρὸν εὐπρεπίζει τὸν μέλλοντα, διὰ τοῦτο εἰκότως ὁ στίχος ὁ ἐπόμενος πρόσκειται : « *Σὺ εἰ ἀποκαθιστῶν τὴν κληρονομίαν.* »

« Εὐλογῆσω τὸν Κύριον. »

Εὐλογεῖ τὸν Θεὸν ἡ Ἐκκλησία, ὡς παρ' αὐτοῦ δεξαμένη τῶν μυστηρίων τὴν σύνεσιν, καὶ τὴν κλάνη τῶν Ἰουδαίων ἐκκλίνασα.

« Προωρόμην τὸν Κύριον ἐνώπιόν μου διαπαντός. »

Θεωρεῖς Υἱοῦ καὶ Πατρὸς ὁμοτιμίαν; Ποτὲ μὲν γὰρ ὁ Υἱὸς ἐστάναι ἐκ δεξιῶν, ἢ καθῆσθαι λέγεται· νῦν δὲ τῷ Πατρὶ τὸν δεξιὸν τόπον ἀπονέμει· ἵνα μάθῃς μίαν εἶναι τοῦ Γεννηθέντος καὶ τοῦ Γενήσαντος δύναμιν, εἰ καὶ νῦν ταπεινὰ διὰ τὴν σάρκα φθίγγεται.

ΨΑΛΜΟΣ ΙΓ'.

« Θαυμάτωσον τὰ ἔλεή σου, ὁ σώζων τοὺς ἐλπίζοντας ἐπὶ σέ. »

Ποῖα διαθήματα καταρτισθῆναι ἐν τοῖς τρίβοις τοῦ Θεοῦ, ποῖα δὲ μὴ σαλευθῆναι ὁ Προφήτης εὐχεται; Διαθήματι πρῶτα τὰ τῆς ψυχῆς κινήματα κεκτήμεθα, καὶ ταῦτα καταρτισθῆναι, τουτέστι βεβαιωθῆναι, ἐν ταῖς τρίβοις τοῦ Θεοῦ, ἐν τοῖς προστάγμασι τοῖς θεοῖς δηλονότι προσεῦχεται. Τούτων γὰρ καταρτισθέντων, οὐδὲ τὰ ἄλλα ἡμῶν διαθήματα, τουτέστιν αἱ πράξεις, σαλεύονται· ἁμαρτία γὰρ αὐτὰ μοχλεῖσσι οὐ δύναται.

« Οἱ ἐχθροὶ μου τὴν ψυχὴν μου. »

Κυκλοῦσι γὰρ τὴν ψυχὴν ἡμῶν οἱ δαίμονες, καὶ θηρίων δίκην, ἕκαστος προσλαμβάνει παγιθεῦσαι βουλόμενος. Στάει δὲ τῶν δαιμόνων, καὶ τροφή λιπαρὰ, εἰ ἁμαρτάνοντες, οὗς ταῖς ἡδοναῖς ἀπολαύοντας, ὥστε μηκέτι διαφυγεῖν, συγχλωροῦσι. Ποίαν δὲ ὑπερηφανίαν; Τὴν ἀποστασίαν τὴν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, τὴν ἀπιστίαν τοῦ μέλλοντος, τῆς κρίσεως τὴν ἀβέτησιν. Ταῦτα γὰρ οἱ θέμενοι ἁμαρτεῖν, τοὺς ἀπατωμένους προτρέπονται.

« Ἀνάστηθι, Κύριε. »

Ῥομφαίαν καλεῖ τοῦ Θεοῦ τὸ δίκαιον, μαχαίρας δίκην ὕλας τὰς τῶν δαιμόνων παρατάξεις ἐκτέμνοντα.

« Ἐχορτάθησαν υἱῶν. »

§ Tametsi imbecilles sint, tametsi pauperes, tametsi barbari, tametsi alienigenæ. Qui enim malignos contemnit, timentes vero Dominum glorificat, multos a nequitia avertit, et ad pietatem convertit. PSALMUS XV.

VERS. 2. « Dominus meus es tu. »

Vides Ecclesiæ gratitudinem: simul enim et suam paupertatem, et sponsi divitias professa est. *Dixi*, inquit, *Domino* (id est Christo): *Dominus meus es tu*. Non es, inquit, purus homo, sed Dominus: siquidem servam in uxorem et sociam duxisti, et rejectam tibi conjunxisti.

VERS. 5. « Dominus pars hæreditatis meæ. »

Hæreditatis (inquit), hoc est mysterii hujus. Nam in præsentī seculo, præter solum Deum, non habet Ecclesia hæreditatem. Hic illi futuram hæreditatem parat: propterea huic versiculo sequens jure additur: « *Tu es qui restitues hæreditatem.* »

VERS. 7. « Benedicam Dominum. »

Deo benedicit Ecclesia, ut quæ ab ipso mysteriorum intelligentiam acceperit, ac Judæorum errorem declinaverit.

VERS. 8. « Providebam Dominum in conspectu meo semper. »

Vides æqualem Filii cum Patre dignitatem? Nunquam enim Filius stare a dextris aut sedere dicitur; nunc vero Patri dextrum locum attribuit: ut discas unam esse Geniti et Genitoris potestatem, tametsi jam propter carnem humilia loquatur.

PSALMUS XVI.

VERS. 7. « Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te. »

Quosnam gressus in Dei semitis perfici, quos item non commoveri Propheta rogat? *Gressus* primos animi motus tenemus, quos *perfici*, hoc est confirmari in *semitis* Dei, hoc est in divinis mandatis, orat. Nam, iis stabilitis ac perfectis, reliqui gressus nostri, hoc est actiones, non mutant: nam peccatam eos dimovere non potest.

VERS. 9. « Inimici mei animam meam circumdederunt. »

Circumdant enim animam nostram dæmones, et ferarum more, quilibet eam irretire tentat. Adepti vero dæmonum, et esca pinguis, sunt peccatores, quos voluptatibus inescatos, ne amplius effugiant, circumcludunt. Sed qualis superbia? Apostasia et defectio a Deo, futurorum incredulitas, judicii negatio. Ad hæc enim ii qui peccare jubent, eos qui sunt decepti, adhortantur.

VERS. 13. « Exsurge, Domine. »

Frameam appellat justitiam Dei, instar gladii integras dæmonum acies excindentem.

VERS. 14. « Saturati sunt filii. »

Non, ut quidam putant, reprehendit hic Psalmista A escam filiorum (nam ea quæ introeunt in os, non coinquinant hominem ⁷.) sed ipsos ut valde insanos arguit, quod, cum copiosam a Deo prolem acceperint, non virtutem ipsis, sed malitiæ suæ reliquias pro hæreditate dereliquerint.

PSALMUS XVII.

VERS. 10. « Et inclinavit cælos, et descendit. »

Inclinavit cælos, ut terram cælo conjungeret, et inferioribus cum supernis communicationem præberet. Hoc autem minime factum fuisset, nisi descendens eo quo suscipi poterat modo, in terram advenisset; scilicet in carne, quam *caliginem sub pedibus* appellavit.

PSALMUS XXXII.

VERS. 5. « Diligit misericordiam et judicium. »

Misericordiam vocat benignitatem, quam iudicio propterea præposuit, quod Deus primum benignitate, ac deinde iudicio utatur in eos qui in peccato perseverant.

VERS. 7. « Congregans sicut utrem aquas. »

Abyssos verò dicit aquarum multitudinem, quam in abditis sub terram locis collocavit, ut etiam in hoc sapientia ejus admiranda sit: siquidem aridam super humidum fundavit, effecitque ut a leviori gravior portaretur.

VERS. 16. « Non salvatur rex per multam virtutem. »

In vanum igitur corporis robur adeo curamus, temere vero potentiam ab affinibus, amicis et pecuniis ipsi nobis vindicamus: nam nihil præter cœlitus missum auxilium servare nos potest. Exemplum sume a Goliath et a Pharaone. Ille enim gigas, robustissimus cum esset, a simplici puero David facile superatus fuit: hic Israelem maxima curruum et equorum multitudine persecutus, mare habuit pro sepulcro.

PSALMUS XXXIII.

VERS. 12. « Venite, filii, audite me. »

Venite dicit, tam iis qui prope sunt, quam iis qui procul absunt, ut hi quidem qui remoti sunt, propius accedant; illi vero ex propinquis, propinquiores fiant, Deo tanquam patri obediens. et divinum timorem doceantur, qui a dæmonum terrore liberat. Unde subjungit: *Timorem Domini docebo vos.*

PSALMUS XXXIV.

« Psalmus ipsi David. »

Aperta quidem est psalmi hujus inscriptio: sed in Davidem simul spiritalem referenda est, qui etiam verba precationis format, quæ non divinitatis ratione, sed assumptæ carnis humilitate æstimanda sunt. Cum enim semetipsum assumpta servi forma humiliaverit, non abs re passionis tempore orat et una in afflictionibus constitutis orandi formam præscribit.

⁷ Matth. xv, 11; Marc. vii, 15.

Οὐχ, ὡς τινες νομίζουσι, τὸ βρῶμα ἐνταῦθα ὁ Ψαλμφοδὸς διαβάλλει τῶν υἱῶν (οὐδὲ γὰρ τὰ εἰσπορευόμενα εἰ; τὸ στόμα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον), ἀλλ' αὐτοῦ; ὡς λίαν ἀγνώμονας, ὅτι τέκνα ἀπὸ Θεοῦ λαμβάνοντες εἰς πλήθος, οὐκ ἀρετὴν αὐτοῖς, ἀλλὰ κατάλοιπα τῆς αὐτῶν κακίας ἀντὶ κλήρου παρέδωκαν.

ΨΑΛΜΟΣ ΙΖ'.

« Καὶ ἐκλινεν οὐρανοῦς, καὶ κατέβη. »

Ἐκλινεν οὐρανοῦς, ἵνα τὴν γῆν τῷ οὐρανῷ συνάψῃ, καὶ τοῖς κάτω πρὸς τὰ ἄνω κοινωνίαν χαρίσῃται. Οὐκ ἂν δὲ τοῦτο ἐγένετο, εἰ μὴ καταβάς τοῦτον τὸν τρόπον, ἐπεδήμει τῇ γῆ, καὶ ὄν ἡδύνατο δεχέσθαι, τουτέστιν ἐν σαρκί, ἦντινα γνόγον ὑπὸ τοῦς πόδας ἐκάλεσε.

ΨΑΛΜΟΣ ΑΒ'.

« Ἀγαπᾷ ἐλεημοσύνην καὶ κρίσιν. »

Ἐλεημοσύνην τὴν φιλανθρωπίαν λέγει, ἣν τῆς κρίσεως διὰ τοῦτο προέταξεν, ἐπεὶ προτέρη τῇ φιλανθρωπίᾳ ὁ Θεὸς, μετὰ δὲ ταῦτα τῇ κρίσει κέχρηται κατὰ τῶν ἐπιμεινάντων τῇ ἀμαρτίᾳ.

« Συνάγων ὡσεὶ ἀσπὸν ὕδατα. »

Ἀθύσους δὲ τὰ πλήθη τῶν ὑδάτων λέγει, ἅπερ ἐν ἀποκρύφοις ὑπὸ τὴν γῆν ὁ Δημιουργὸς ἔταξεν, ὥστε καὶ κατὰ τοῦτο τὴν αὐτοῦ σοφίαν θαυμάζεσθαι. Ὅστε τὴν ξηρὰν ἐπάνω τῆς ὑγρᾶς ἐθεμελίωσε, καὶ τὸ βαρὺ ὑπὸ τοῦ ἐλαφροτέρου βαστάζεσθαι δέδωκεν.

« Οὐ σώζεται βασιλεὺς διὰ πολλὴν δύναμιν. »

C Ὅστε μάτην τῆς τοῦ σώματος ἰσχύος ἐπιμελούμεθα, εἰκὴ δὲ δύναμιν αὐτοῖς τὴν ἀπὸ συγγενῶν, καὶ φίλων, καὶ πλοῦτου περιβάλλομεν· οὐδὲν ἕτερον γὰρ σῶσαι δίχα τῆς συνεργείας τῆς ἀνωθεν δύναται. Ὑπόδειγμα δὲ τὸν Γολιάθ καὶ τὸν Φαραῶ λάμβανει. Ὁ μὲν γίγας ὑπάρχων ἰσχυρὸς, ἀπὸ τοῦ Δαβὶδ ἀπλοῦ παιδαρίου νενίκηται· ὁ δὲ μετὰ πλήθους ἀρμάτων τὸν Ἰσραὴλ διώξας τάφον ἔσχε τὴν θάλασσαν.

ΨΑΛΜΟΣ ΑΓ'.

« Δεῦτε, τέκνα, ἀκούσατέ μου. »

Δεῦτε, λέγει τοῖς ἐγγύς, καὶ τοῖς πόρρωθεν, ἵν' εἰ μὲν μακρὰν ἐγγίσωσιν, οἱ δὲ ἐγγύς ἐγγύτερον γένωνται, ὑπακοὴν ὡς πατρὶ τῷ Θεῷ προσκομίζοντες, καὶ φόβον θεῖον διδαχθῶσιν, ἀπαλλαγὴν τοῦ φόβου τῶν δαιμόνων παρέχοντα, ὅθεν ἐπιφέρει· *Φόβον Κυρίου διδάξω ὑμᾶς.*

ΨΑΛΜΟΣ ΑΔ'.

« Ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ. »

Ἀήλη μὲν ἡ ἐπιγραφή τοῦ ψαλμοῦ· εἰς Δαβὶδ ἂν ὄμως τὸν νοητὸν ἀναφέρεται, ὃς καὶ προσευχῆς ὑποκρίνεται ῥήματα, οὐ τῇ ἀξίᾳ ταύτῃ τῆς θεότητος, ἀλλὰ τῇ ταπεινώσει τῆς ἀνθρωπότητος προσήκει λογίζεσθαι. Εἰ γὰρ ἐταπεινώσεν αὐτὸν μορφὴν δούλου λαθὼν, εἰκότως ἐν τῷ καιρῷ τοῦ πάθους προσεύχεται, ὁμοῦ καὶ προσεύχεσθαι διδάσκων ἐν ταῖς θλίψεσι.

« Δίκασον, Κύριε. »

Τοὺς μὲν ἀδικούντας Ἰουδαίους λέγει, δαίμονας δὲ τοὺς πολεμοῦντας· οἳτινες δι' ἡμᾶς τὸν Χριστὸν ἐπολέμησαν. Τοὺτους πολεμηθῆναι, τουτέστι καταργηθῆναι, βούλεται.

« Ἐλθέτω αὐτῷ παγὶς ἣν οὐ γινώσκει. »

Εἰς Ἰούδαν τὸν προδότην τοῦτο, ἀλλὰ μὴν καὶ εἰς τὸν λαὸν τῶν Ἰουδαίων, ἔτι δὲ καὶ εἰς αὐτὸν τὸν διάβολον εἴρηται. Ὁ μὲν γὰρ Ἰούδας εἰς τὴν παγίδα τῆς ἀγγόνης ἐπέπεσεν· ὁ δὲ λαὸς τῶν Ἰουδαίων, παγιδεύειν νομίσας, παγιδεύεται, καὶ ὑπὸ τὴν αὐτοῦ συνελήφθη θήραν. Ὁσαύτως ὁ διάβολος, τὴν παγίδα τοῦ σταυροῦ μελετήσας, διὰ τοῦ σταυροῦ τῆς ἑαυτοῦ βασιλείας ἐξέπεσεν.

« Ἀνταπεδίδωσάν μοι πονηρά. »

Ἐαυτῷ γὰρ τὴν τῶν Ἰουδαίων ἀκαρπία, ὡς οἰκοδεσπότης καὶ γεωργός, ἐλογίζετο.

« Ὡς πλησίον, καὶ ὡς ἀδελφόν. »

Τὴν πρὸς τὸν Ἰούδαν λέγει συμπάθειαν, ὅπως αὐτῷ καὶ τῇ γλωσσόκομον βαστάζειν, καὶ μόνον συμβάπτειν εἰς τρυβλίον ἐπιτρεψεν, ὡς ἀδελφόν καὶ πλησίον. Ἀδελφὸς εὐαρεστών, τουτέστιν ἀρέσκων αὐτῷ, καὶ καλῶς ἐν ἅπασι χρώμενος.

« Ἐπειρασάν με, ἐξεμυκτήρισάν με μυκτηρισμῷ. »

Ἰσως μὲν καὶ τοὺς ὀδόντας ἐξ ὠμότητος ἔβρυχον, μονονοῦχι μάσασθαι τὸν Ἰησοῦν βουλόμενοι. Πλὴν βρυγμὸς ὀδόντων καὶ ἡ κακία ἣ ἐν λόγοις λέγεται. Τὸν Πατέρα οὖν ἐβούλετο μάρτυρα κατὰ τῶν εἰς αὐτὸν βλασφημούντων ἐσόμενον. Ὅθεν ἐπιφέρει· Κύριε, C ποτε ἐπόψῃ;

ΨΑΛΜΟΣ ΛΕ'.

« Φησὶν ὁ παράνομος τοῦ ἀμαρτάνειν. »

Ὅχι ἀπλῶς παράνομον, ἀλλὰ τὸν ὑποκριτὴν καὶ δόλιον ὁ ψαλμὸς ὑποτίθεται, τὸν πολλὸν ἐν τῇ ψυχῇ βρῆθρον παρανομίας ἔχοντα, καὶ διὰ τοῦτο λέγοντα ἐν ἑαυτῷ τοῦ ἀμαρτάνειν ἀποτιθέμενον. Διὰ τί δὲ, ἐν ἑαυτῷ, λέγει; Ἐπειδὴ ταῦτα λογίζεται ἅπερ φανερώς εἶπεν ἢ φοβεῖται ἢ αἰσχύνεται.

« Μεθυσθήσονται ἀπὸ πίότητος οἴκου. »

Οἴκος τοῦ Θεοῦ, τὸ σῶμα αὐτοῦ, πίσις τὸ ἐκχυθὲν ἀπὸ τῆς πλευρᾶς αἷμα καὶ ὕδωρ, ἐξ οὗπερ οἱ πιστοὶ πάντες μέθην σωτήριον ἐμεθύσθημεν. Χειμάρρος γὰρ τρυφῆς τὰ τοῦ Χριστοῦ πάθη. Χειμάρρος μὲν, ἐπειδὴ ἐν ἀκμῇ τοῦ χειμῶνος τῆς ἡμετέρας ἀμαρτίας ἐπράττετο, ὅτε πᾶσα μὲν ἀρετὴ, ἀγάπη δὲ μάλιστα ἡ πρὸς Θεὸν ψυχῆσα ἐνεκέρωτο. Ὅστε τὸν προφήτην Ζαχαρίαν περὶ τῆς ἡμέρας τοῦ σταυροῦ λέγειν· Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκεῖνῃ οὐκ ἔσται φῶς· ὕψος καὶ παγετὸς ἔσται· ἡμέρα μεγάλη ἔστί. Τρυφῆς δὲ εἰκότως ἐλέγετο. Σφόδρα γὰρ ὁ Χριστὸς ἐνετρώφα τοῖς ὑπὲρ ἡμῶν πάθεσιν, τοῦ τε διαβόλου καταπαλίζων, καὶ ὑπὲρ τῆς τῶν ἀνθρώπων σωτηρίας ἠδόμενος. Τοῦτον ἡμᾶς τὸν χειμάρρον τῆς τρυφῆς μυστικῶς ποτίζει. Τὸ γὰρ τοῦ Δεσπότητος πάθος μαρτύριον τοῖς δούλοις γέγνηται.

• Zach. xiv, 16.

A VERS. 1. « Judica, Domine. »

Nocentes quidem Judæos intelligit; dæmones vero oppugnantes, qui propter nos Christum oppugnabant. Hos expugnari, hoc est, eorum conatus irritos fieri cupit.

VERS. 8. « Veniat illi laqueus quem ignorat. »

In Judam proditorem, necnon in populum Judæorum, atque insuper in diabolum ipsum, hoc dictum est. Nam Judas quidem in laqueum colli incidit: populus vero Judæorum, cum illaqueare putaret, illaqueatur, et sua ipsius captura comprehensus est. Similiter quoque diabolus, cum laqueum crucis excogitasset, per crucem regno suo excidit.

VERS. 12. « Retribuebant mihi mala. »

B Judæorum enim sterilitatem sibi ipsi ascribebat, tanquam paterfamilias et agricola.

VERS. 14. « Quasi proximum, et quasi fratrem. »

Affectum in Judam ostendit, ut eidem marsupium concrederet, et eum solum manum intingere secum in catino, ceu fratrem et proximum, permetteret. Frater complacens, id est, placens illi dicitur, et ejus opera in omnibus utens.

VERS. 16. « Tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione. »

Fortassis etiam ex immanitate dentibus frenduerunt, tantumnon Jesum mandere volentes. Cæterum stridor dentium etiam in alitia sermonum nuncupatur. Hinc Patrem testem volebat esse contra eos qui adversus ipsum blasphemabant. Unde subjungit: Domine, quando respicies?

PSALMUS XXXV.

VERS. 2. « Dixit injustus ut delinquat. »

Non simpliciter injustum, sed hypocritam et dolosum hic psalmus proponit, eum scilicet qui multum in anima iniquitatis cœnatum contineat; et idcirco inducit dicentem in semetipso, quod delinquere statuat. Sed cur dixit, *In semetipso*? Quoniam ea secum animo versat, quæ palam proferre vel timet vel erubescit.

VERS. 9. « Inebriabuntur ab ubertate domus. »

Domus Dei, corpus ejus est; ubertas, sanguis et aqua quæ e latere ejus effluxit, ex qua fideles omnes salutari ebrietate inebriati sumus. Torrens enim voluptatis, fuere Christi pœnæ. Torrens quidem, quoniam in media hieme peccatorum nostrorum contigere, quando virtus omnis, et præcipue charitas in Deum, frigida effecta, jam extincta erat; ita ut Zacharias propheta de die crucis dicat: *In die illa non erit lux; frigus et gelu erit: dies magna est*. Voluptatis autem merito dicebatur: valde enim Christus deliciabatur, cum pro nobis pateretur, diabolo illudens, et de salute hominum gaudens. Hoc torrente voluptatis mystice nos potat: nam Domini perpressio, martyrium servis facta est.

PSALMUS XXXVI.

Vers. 29. « Junior fui. »

Pulchre nos iudicii memores facit, ne, rerum quæ hic flunt, confusionem videntes, virtutem negligamus, viso probos viros apud homines esse inglorios, et afflictionibus vexari. Non enim derelinquet eos Deus, hoc est, non despiciet; sed in futurum sæculum eos servat, ubi infinita est bonorum retributio.

PSALMUS XXXVII.

Vers. 3. « Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt. »

Non temere pro ipso genere humano etiam Christus hæc petit a Patre suo. Sed quoniam, inquit, quæ in eos intorta erant jacula, hoc est, quæcunque plagæ propter Adam communem naturam invasent, in me infixæ sunt. Nam cum ego pro genere humano peccata susceperim, necessario etiam pro illis subeo disciplinam. Et ideo confirmasti super me manum tuam correptricem, de qua Job ait: *Manus Domini tetigit me* *.

PSALMUS XXXVIII.

Vers. 2. « Dixi: Custodiam vias meas. »

Decet hoc omnem prophetam et doctorem proprias vias custodire, scilicet actionum cursus et ingressus, ita ut non declinet in vitium, non aberret in lingua, dum dictis agat contraria. Vere enim lingua peccat, qui quod verbo vitium coarguit, opere astruit; ex quo illud consequitur, ut vitæ suæ instituto doctrinam ementiat.

Vers. 3. « Obmutui, et humiliatus sum. »

Vides quomodo primum per inobedientiam obmutuit, et cum obmutuit, humiliatus est. Nihil enim æque hominem deprimit ac stupor sensuum, et deinde inobedientia. Aut etiam propterea siluit, quoniam a bonis, hoc est a meditatione legis, quæ boni magistra est, cessavit. Unde non immerito renovatus est dolor peccati: siquidem vulnus a peccato illatum gravius est, cum a legis meditatione nos ipsos subducimus. Fit quoque depascens ulcus, tanquam nullo a divinis præceptis apposito medicamento. Et ideo non stetit in silentio, sed cum se collegisset, ipsum abiecit, tanquam rem animæ pernicientem afferentem. Hoc igitur ostendens, subjunxit: *Concaluit cor meum*.

PSALMUS XXXIX.

Vers. 10. « Annuntiavi justitiam. »

Magnam vocat Ecclesiam, non solum quod multorum hominum congregationem complectatur; sed multo magis, quod alta sublimiaque theologiæ dogmata capere valeat. Labia autem et oculi Ecclesiæ figurate accipi possunt celebres illi apostoli, et post ipsos omnes doctores, quos reliquum corpus Ecclesiæ non solum non prohibet annuntiare Christum, qui ipsa justitia est; sed magis excitat, convenientem ipsis operam præstans.

* Job xix, 24.

A

ΨΑΛΜΟΣ ΑΓ'.

« Νεώτερος ἐγενόμην. »

Καλῶς ἡμᾶς ἀναμνησκει τῆς κρίσεως, ἕνα μὴ πρὸς τὴν ἐνταῦθα θεωρησαντες σύγχυσιν, ἀρετῆς ἀμελήσωμεν· ὀρῶντες τοὺς ἐν ἀρεταῖς, ἐν ἀδοξίᾳ τῇ παρὰ ἀνθρώποις, καὶ πόνοις τυγχάνοντας. Οὐκ ἐγκαταλείψει γὰρ αὐτοὺς ὁ Θεός, τουτέστιν οὐκ ὑπερβήσεται· φυλάττει δὲ αὐτοὺς; εἰς τὸν αἰῶνα τὸν μέλλοντα, ἕνα τῶν ἀγαθῶν ἢ ὁμοίως ἀτελεύτετος.

ΨΑΛΜΟΣ ΑΖ'.

« Ὅτι τὰ βέλη σου ἐνεπάγησαν. »

Ὁ μᾶτην ὁ Χριστὸς καὶ ταῦτα τῷ Πατρὶ αὐτοῦ ὑπὲρ τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων προσέβηται. Ἄλλ' ἐπειδὴ τὰ κατ' αὐτῶν βέλη, φησὶν, ὅσα; πληγὰς; δὲ τὸν Ἀδὰμ ἐπῆλθεν κατὰ τῆς κοινῆς φύσεως, ἐμοὶ ἐνεπάγησαν. Ἐπειδὴ γὰρ ἐγὼ τὰς ὑπὲρ τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων ἀμαρτίας ἀνέλαβον, ἀναγκαίως καὶ τὰς ὑπὲρ αὐτῶν παιδείας ὑφίσταμαι. Διὸ καὶ ἐπεστήριξας ἐπ' ἐμὲ τὴν χειρὰ σου τὴν παιδευτικὴν, περὶ ἧς Ἰὼβ ἔλεγε· *Χεὶρ Κυρίου ἢ ἀγάμενθ μου ἐστίν*.

ΨΑΛΜΟΣ ΑΗ'.

« Εἶπα· Φυλάξω τὰς ὁδοὺς μου. »

Παντὶ τοῦτο προφήτῃ καὶ διδασκάλῳ πρέπει, τὰς οἰκείας φυλάττειν ὁδοὺς, δηλαδὴ τοὺς δρόμους καὶ τὰς πορείας τῶν πράξεων, ὥστε μὴ ἐκκλίνειν εἰς κακίαν, μηδ' ἀμαρτάνειν ἐν γλώσσῃ, ἐναντία τοῖς ἑαυτοῦ λόγοις διαπραττόμενον. Ἀμαρτάνει γὰρ ἀληθῶς τῇ γλώττῃ ὁ τῷ λόγῳ κατηγορῶν τῆς κακίας, ἔργῳ δὲ ταύτην συνιστῶν, ἀφ' ὧν αὐτὴν μετέρχεται, καὶ τὴν ἑαυτοῦ διδασκαλίαν τῇ πολιτείᾳ ψευδόμενος.

« Ἐκωφώθην, καὶ ἐταπεινώθην. »

Ὅρξῃ ὅτι πρῶτον διὰ παρακοῆς ἐκωφώθη, καὶ κωφωθείς ἐταπεινώθη. Οὐδὲν γὰρ οὕτω ταπεινοὶ τῶν ἀνθρώπων ὡς ἀναισθησία, καὶ παρακοὴ μετὰ τοῦτο. Ἡ καὶ διὰ τοῦτο ἐσίγησεν, ἐξ ἀγαθῶν, τῆς μελέτης δηλαδὴ τοῦ νόμου, τοῦ ἀγαθοῦ διδασκάλου, παυσάμενος. Ὅθεν ἀνεκαινίσθη εἰκότως τὸ τῆς ἀμαρτίας ἄλημα· βαρύτερον γὰρ τὸ συμβᾶν ἐξ ἀμαρτίας; ἡμῖν τραῦμα, ὅταν τῆς τοῦ νόμου μελέτης ἑαυτοὺς ἀποστήσωμεν. Γίνεται καὶ νόμων ὡς περ οὐδενὸς ἀπὸ τῆς θείας ἐντολῆς ἐπιτιθεμένου φαρμάκου ἢ σηπεδῶν ὑφίσταται. Διόπερ οὐκ ἐπέμενε τὴν σιωπὴν, ἀλλ' ἀνανήψας αὐτὴν, ὡς ψυχοφθόρον ἀπέσπαστο. Δηλῶν τοῦτο, τοιγαροῦν ἐπήγγαγεν· *Ἐθερμάνθη ἡ καρδίᾳ μου*.

ΨΑΛΜΟΣ ΑΘ'.

« Εὐαγγελισάμην δικαιοσύνην. »

Μεγάλην φησὶν Ἐκκλησίαν, οὐ μόνον τὴν σύστημα πολυάνθρωπων ἔχουσαν, ἀλλὰ καὶ πολλῷ μᾶλλον τὴν τὰ ὑψηλὰ καὶ μεγαλοπρεπῆ δόγματα τῆς θεολογίας παραδέξασθαι δυναμένην. Χεῖλη δὲ τῆς Ἐκκλησίας, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ τροπικῶς ληφθεῖσιν ἂν οἱ πανεύφημοι ἀπόστολοι, καὶ πάντες οἱ μετ' ἐκείνου διδασκαλοὶ, οὓς τὸ λοιπὸν σῶμα τῆς Ἐκκλησίας, οὐ μόνον ὁ κωλύει τὴν αὐτοδικαιοσύνην εὐαγγελίζεσθαι τὸν Χριστὸν, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον παρορμῆ τὴν ἀνάλογον συνεργίαν αὐτοῖς παρεχόμενον.

ΨΑΛΜΟΣ Μ'.

A

PSALMUS XI.

« Εἰς τέλος. »

Εἰ καὶ πολλάκις τοὺς ψαλμοὺς ὁ Προφήτης εἰς τὸ τέλος ἐπέγραψε, δεῖ δὲ νομίζειν ὅμως, ὡς οὐ μάτην τοῦτον ἐκάστηψ τῶν ψαλμῶν τὸν τίτλον ἐπιτίθῃσι. Τίς δὲ νῦν ἡ αἰτία; Ἐπειδὴ τὰ πρὸς τῷ τέλει τῆς οικονομίας τοῦ Χριστοῦ διαλέγεται, ὃν Δαβὶδ οὐ μόνος ὁ προφήτης οὗτος, ἀλλὰ καὶ ἄλλος ἐκάλεσεν, Ὡσπὲρ δὲ οὗτος· *Μετὰ ταῦτα, φήσας, ἐπιστρέψουσιν υἱοὶ Ἰσραὴλ, καὶ ζητήσουσι Κύριον τὸν Θεὸν αὐτῶν, καὶ Δαβὶδ τὸν βασιλεὺς αὐτῶν*· καίτοι Δαβὶδ πρὸ πολλῶν γενεῶν τοῦ προφήτου τούτου τελευτήσας ἐτύγχανεν· ἐν ἡμέραις γὰρ Ἐζεκίου τοῦ βασιλέως τὴν προφητείαν ἐξέθετο. Ἀλλὰ τὸν νέον λέγει Δαβὶδ, πρὸς ὃν οἱ σωθέντες ἐπέστρεψαν.

« Κύριος βοηθήσαι αὐτῷ. »

Εὐρηται καὶ μέχρι τοῦ παρόντος πολλάκις ἡ τῆς προφητικῆς ἐπαγγελίας ἀλήθεια. Πολλοὶ γὰρ νοσηλεύομενοι, καὶ χαλεπῶς κάμνοντες, εἶτα κενώσαντες εἰς τοὺς πτωχοὺς καὶ πένητας τὸν πλοῦτον, εὐθὺς μεταεβλήθησαν πρὸς τὸ κρεῖττον. Εἰ γὰρ κατὰ τῆς μελλούσης ἡμέρας κατακαυθᾶται ἔλεον κρίσεως, τί θυμαστὸν, εἰ κἀνταῦθα τὸν προσδοκώμενον θάνατον ὁ δαψιλῆς ἔλεος ἀνατρέπει, καὶ πρὸς ῥῶσιν μεταβάλλει; Πλὴν ἔστι καὶ τῆς ψυχῆς ἀβήρωστία, λαμβανόμενη κατὰ τὸν ἐνδοθεν ἀνθρώπων, καθ' ἣν ἀνεμείνας ἔχουσα χεῖρας, ἦτοι τὰς πρακτικὰς δυνάμεις. Εὐρίσκεται καὶ γόνατα παραλελυμένα, καὶ διὰ τοῦτο μὴ δυνάμενα πορεύεσθαι τὴν ἀπάγουσαν ὁδὸν πρὸς ζωὴν. Τηνικαῦτα γὰρ οἶονεὶ τὴν ψυχὴν δυσφορήτω νόσῳ τῆς ῥασιτύνης κατεχομένην, καὶ διὰ τοῦτο πρὸς τὸν θάνατον τῆς ἀμαρτίας ἐπιγομένην, ἡ πρὸς τοὺς πτωχοὺς ἐλεημοσύνη ἐξιδίεται καὶ μεταβάλλει. Διόπερ ἀμέσως ἐπήγαγεν· *Ἐγὼ εἶπα· Κύριε, ἐλέησόν με, ἴασαι τὴν ψυχὴν μου, ὅτι ἡμαρτόν σοι.*

« Σὺ δὲ, Κύριε, ἐλέησόν με. »

Ὡδὲ διὰ τὸ πεπονθέναι τὸν θάνατον παρ' αὐτῶν, ἐφιέμενος αὐτοῖς ἀνταποδοῦναι τὴν τιμωρίαν τοῦτ' ἦσαν (αὐτὸς γὰρ ἔλεγε ἐν τῷ καιρῷ τοῦ σταυροῦ, *Πάτερ, ἄφεσ αὐτοῖς τὴν ἀμαρτίαν*)· ἀλλ' ἐπειδὴ τὴν ἀπροσωπώληπτον καὶ δικαίαν κρίσιν τοῦ Πατρὸς ἔβλεπε καταψηφιζομένην τοῖς μαιφόνοις, τούτου χάριν, ὡς τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ ταυτοουργεῖς, εἶπε· *Καὶ ἀνταποδώσω αὐτοῖς ἵνα δεῖξῃ μίαν ἐπ' ἀμφοῖν τὴν ἐνέργειαν.* Οὐδὲ γὰρ δύναται ὁ Υἱὸς, φησὶ, *ποιεῖν ἄψ' ἑαυτοῦ οὐδέν.* Ἄ γὰρ βλέπει τὸν Πατέρα *ποιούντα ταῦτα καὶ ὁ Υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ*· τὴν ταυτοβουλίαν καὶ ταυτοουργίαν ἐνεῦθεν ἑκατέρωθεν παρεμπεδῶν.

ΨΑΛΜΟΣ ΜΑ'.

« Εἰς τὸ τέλος, εἰς σύνεσιν τοῖς υἱοῖς Κορέ. »

Ψαλμῶδες καὶ οὗτοι, ψαλμοὺς παρὰ τοῦ Δαβὶδ, οὓς αὐτὸς προεφήτευσε, δανειζόμενοι. *Εἰς σύνεσιν δὲ ἴσως ὁ ψαλμὸς ἐπιγράφεται, ἐπειδὴ πρόγονος αὐτοῖς ὁ Κορὲ ἐγεγόνει παράνομος, ὁ τῷ Μωσῆ μετὰ Δαθὰν καὶ Ἀβειρῶν ἐπαναστάς.* Οὗτοι δὲ πάντως τὸν πρόγονον οὐκ ἐξήλωσαν, ἀλλ' οὐδὲ οἱ τοῦ-

« In finem. »

Etsi frequenter Psalmos *in finem* inscripserit Propheta, arbitrari tamen oportet eum non temere singulis psalmis hunc titulum apposuisse. Sed quæ causa est præsentis inscriptionis? Quoniam quæ ad finem dispensationis Christi pertinent recenset: quem non solus hic Propheta, sed et alius, Davidem nominavit, nimirum Osee, qui, *Post hæc, dixit, revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum*¹⁰; licet David per multas generationes ante hunc prophetam obierit: etenim in diebus Ezechiæ regis hanc prophetiam edidit; sed novum David intelligit, ad quem conversi sunt qui servati sunt.

B VERS. 4. « Dominus opem ferat illi. »

Quin et in præsens usque tempus frequenter prophetiæ hujus promissionis veritas reperiri possit. Multi namque morbidi et ægre laborantes, ubi in egenos et pauperes opes suas evacuaverint, illico commutati sunt in melius. Nam si etiam in futuro die superexaltat misericordia judicium¹⁰; quid mirum, si etiam hic mortem quam exspectamus pinguis miseratio avertat, et robur restituat? Cæterum est et animæ infirmitas, quæ secundum interiorem hominem accipitur, juxta quam resolutas habet manus, sive operandi vires. Reperiuntur quoque genua luxata, ideoque non valentia ambulare viam quæ ducit ad vitam. Tunc enim animam gravi velut morbo soærdiæ detentam, et per hoc ad mortem peccati adductam, eleemosyna in pauperes erogata curat et recreat. Quapropter immediate subjunxit: *Ego dixi: Domine, miserere mei, sauva animam meam, quia peccavi tibi.*

VERS. 11. « Tu autem, Domine, miserere mei. »

Non quod quia mortem ab ipsis sit passus, vindictam eis referre velit, hoc dicit (ipse enim crucis tempore dixit: *Pater, dimitte illis peccatum*¹¹); sed, cum sine personarum acceptione et justum Patris judicium vidisset in homicidas istos decretum, idcirco tanquam qui idem cum Deo ac Patre operetur, ait: *Et ego retribuam eis*, ut eandem in utriusque operationem declaret. Nam *non potest*, inquit, *D Filius a se facere quidquam. Quæ enim viderit Patrem facere, hæc et Filius similiter facit*¹²: voluntatis et operationis identitatem utriusque hinc ostendens.

PSALMUS XLI.

VERS. 1. « In finem, in intellectum filii Core. »

Psalmorum hi quoque cantores erant, qui quos David propheta psalmos fecerat, ab eo accipiebant. Psalmus vero ea forte de causa *intellectus* inscribitur, quod Core, proavus illorum, malus fuerit, simul cum Dathan et Abiron contra Moysen insurgens. Verum hi vestigia proavi non sunt secuti, sed ne-

¹⁰ Osee, III, v. ¹¹ Jac. II, 13. ¹² Luc. XXIII, 34.¹² Joan. v, 19

que illorum patres; unde everso omni Core concilio, illi a Core iniquitate (uti verosimile est) recedentes, servati sunt. Hoc enim tunc temporis, ne una perirent, reliquo etiam populo Moyses præceperat. Cæterum hic psalmus longe verius *In finem ad intelligentiam* inscribitur; quandoquidem baptismum præsignificat, qui ante finem post Judaicas lustrationes institutus est. Ad hunc autem accedere vere sapientia et intelligentia existit.

PSALMUS XLIV.

Vers. 5. « Accingere gladio. »

Gladium vocat crucem: hac enim quasi gladio utens, duos inimicos e medio sustulit, scilicet diabolium et mortem. *Femur* autem carnem a parte totum denominat; juxta illud, *Neque dux de femore ejus* ¹². Crucem igitur carni accingere hortatur vere potentem specie et pulchritudine, id est divinitate et humanitate: ut hac quidem passionibus nostras assumat; illa vero passionibus superet, velut expers passionis. Vel etiam benignitatem intelligere possimus speciem et pulchritudinem. Nihil enim adeo Deo convenit, ac salvare proprium signum. Et *intende* contra hostes, et *prosperè age* respectu fidelium, et *regna* utrisque; ut hostes quidem subigas, fideles vero coronas; quoniam id iudicis et regis proprium est. Quin et propter veritatem Christus Judæorum hypocrisim redarguit: et propter mansuetudinem sustinuit cum tentaretur. Cæterum dextra quoque Filii Patris est, sicut Patris Filius. A Patre igitur Christus deducitur, non quod duce indigeat; sed quod quodammodo communis quædam via sit Patris Filiique circa nos dispensatio, quam Filius quidem perambulet (siquidem ipse mysterium hoc perficit), Pater vero ducatum præstet, quoniam ipsius beneplacito peractum est.

PSALMUS XLIX.

Vers. 3. « Agnus in conspectu ejus exardescet. »

Quid vero illa tempestate aut hieme vehementius? quando a conscientia nostra et a cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, quasi fluctibus agitamur.

Vers. 4. « Advocabit cælum desursum. »

Cælum vocat eos qui cælestia sapiebant, de quibus dixit Paulus: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis* ¹³. *Terram* vocat eos qui terrena sapiunt, qui luto et lateribus serviunt. Hos itaque congregandos assertit, ut populum suum dijudicet, et unicuique reddat secundum opera ejus ¹⁴.

Vers. 5. « Congregate illi sanctos ejus. »

De populo Judæorum hic loquitur: eos enim, propter patres suos sanctos appellat, qui Dei testamentum super sacrificia legalia ordinant, ignorantes uno rationali sacrificio Deum, non pluribus irratio-

Α των πατέρες, ἔθεν πάσης τῆς τοῦ Κορὲ συναγωγῆς ἀπολλυμένης, εὐφορίσαντες ἑαυτοὺς, ὡς εἰκίς, ἐκεῖνοι τῆς τοῦ Κορὲ κακίας, ἐσώθησαν. Τοῦτο γὰρ κατ' ἐκείνον τὸν καιρὸν, ὥστε μὴ ἀπολέσθαι, καὶ ἄλλοι ὁ Μωϋσῆς τῷ λαῷ διατάξαστο. Τὸ δὲ ἀληθέστερον εἰς τὸ τέλος εἰς σύνεσιν ὁ ψαλμὸς ἐπιγέγραπται, ἐπειδὴ προμηνύει τὸ βάπτισμα, ὃ πρὸς τῷ τέλει μὲν καὶ μετὰ τοὺς Ἰουδαίους καθαρισμοὺς νενομοθέτηται. Προσλθεῖν δὲ τούτῳ σοφία τις ἀληθῶς ὑπάρχει καὶ σύνεσις.

ΨΑΛΜΟΣ ΜΔ'.

« Περιζῶσαι τὴν ῥομφαίαν. »

Ῥομφαίαν καλεῖ τὸν σταυρὸν· αὐτῷ γὰρ καθάπερ ῥομφαίᾳ χρῆσάμενος, ἔχθρους δύο ἀνείλε, διὰ βολὸν τε καὶ θάνατον. *Μηρὸν* δὲ τὴν σάρκα ἀπὸ μέρους; τὸ πᾶν φησι. Ὡς τὸ, *οὐδὲ ἠγρούμενος ἐκ τῶν μερῶν αὐτοῦ*. Ζώσασθαι τοίνυν τὸν σταυρὸν ἐν τῇ σαρκὶ τὸν θνῶς δυνατὸν τῇ ὑραιότητι καὶ τῷ κάλλει, τουτέστι τῇ θεότητι καὶ τῇ ἀνθρωπότητι παρακαλεῖ· ἵνα τῇ μὲν ἀνάσχηται τὰ περὶ ἡμῶν πάθη, τῇ δὲ τῶν παθῶν ὡς ἀπαθῆς περιγένηται. Ἡ καὶ φιλανθρωπία τὴν ὑραιότητα καὶ τὸ κάλλος νοήσαιμεν. Οὐδὲν γὰρ οὕτως εὐπρεπὲς τῷ Θεῷ, ὡς τὸ σῶσαι τὸ ἴδιον πλάσμα. Καὶ ἐντεῖνε κατὰ τῶν ἐχθρῶν, καὶ κατευοδῶ κατὰ τῶν πιστῶν, καὶ βασιλεὺς ἐκατέρων, ἵνα τοὺς μὲν ὑποτάξῃ τοὺς ἐχθροὺς, τοὺς δὲ στεφανώσῃ τοὺς πιστοὺς. Τοῦτο γὰρ κριτοῦ καὶ βασιλέως ἴδιον. Ἄλλὰ καὶ ἀληθείας ἐνεκεν ὁ Χριστὸς τῆν τῶν Ἰουδαίων ὑπόκρισιν ἐλεγε, καὶ πράττης δὲ χάριν ἐκαρτέρει πειραζόμενος. Ἄλλὰ καὶ δεξιὰ τοῦ Υἱοῦ ὁ Πατὴρ, ὡς περ τοῦ Πατρὸς ὁ Υἱός. Παρὰ τοῦ Πατρὸς τοίνυν ὁ Χριστὸς ὡδεγεῖται, οὐχ ὡδεγεῖται, ἀλλ' ὡς περ κοινήν ὁδὸν εἶναι τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ τὴν καθ' ἡμᾶς οἰκονομίαν ἣν ὁδεύει μὲν ὁ Υἱός (οὗτος γὰρ ἐνεργεῖ τὸ μυστήριον), ὡδεγεῖ δὲ ὁ Πατὴρ, ὅτι αὐτοῦ εὐδοκίᾳ ἐπράττετο.

ΨΑΛΜΟΣ ΜΘ'.

« Πῦρ ἐναντίον αὐτοῦ καθύστηται. »

Τί δὲ ἐκείνης τῆς καταγίδος ἢ τοῦ χειμῶνος σφοδρότερον ἔταν ὑπὸ τοῦ ἡμετέρου συνειδήτος μαστιζόμεθα, καὶ ὑπὸ τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων κυμάτων δίκην τυπόμεθα.

« Προσκαλέσεται τὸν οὐρανόν. »

Οὐρανὸν καλεῖ τοὺς φρονούντας τὰ οὐράνια, περὶ ὧν ἔλεγεν ὁ Παῦλος· *Καθὼς ἐφορέσαμεν τὴν εἰκόνα τοῦ χοινοῦ, φερέσωμεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανοῦ*. *Γῆν* καλεῖ τοὺς φρονούντας τὰ γῆνα, τοὺς τῷ πηλῷ καὶ τῇ πλινθίᾳ δουλεύοντας. Τοῦτους; τοίνυν συναγαγεῖν ἐπαγγέλλεται, ἵνα τὸν ἑαυτοῦ διακρίνη λαὸν, καὶ ἐκάστῳ ἀποδώῃ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ.

« Συνάγετε αὐτῷ τοὺς ὁσίους αὐτοῦ. »

Περὶ τοῦ λαοῦ τῶν Ἰουδαίων ἐνταῦθα διαλέγεται· τοῦτους γὰρ ὁσίους διὰ τοὺς πατέρας καλεῖ, οἵτινες τοῦ Θεοῦ τὴν διαθήκην ἐπὶ θυσαίαι ταῖς νομικαῖς ὀρίζονται, ἀγνοοῦντες ὅτι θυσιᾶ μὴ ὁ Θεὸς τῇ λογι-

¹² Gen. xlix, 10. ¹³ I Cor. xv, 49. ¹⁴ Matth. xvi, 27.

κῆ, οὐχὶ ταῖς, πολλαῖς ταῖς ἀλογίστοις ἀρέσεται. Α Διόπερ καὶ συνελθεῖν αὐτοῦς, ὥστε τοῦτο διδαχθῆναι προσέταξεν.

« Οὐκ ἐπὶ ταῖς θυσίαις σου ἐλέγξω σε. »

Ἡπίστουσαν Ἰσως ταῦτα οἱ τῶν Ἰουδαίων παῖδες ἀκούοντες, καὶ ἠπόρουσαν εἰ τὸ παντελῶς συμβῆναι δυναθῆσεται, νῦν δὲ ἔργον ὁ λόγος ὤφθη· οὐκέτι γὰρ αὐτῶν ἐνεργουῦσιν αἱ θυσίαι τοῦ ναοῦ λυθέντος, πεπτωκότος τοῦ βωμοῦ, καὶ πάσης τῆς ἐπ' αὐτοῦ πολιτείας διαφθοραμένης, ἀλλὰ μὴν καὶ τῆς πόλεως, ἔνθα ἔδει μόνον τὰς θυσίας τὰς κατὰ νόμον πράττεισθαι. Οὐ χρῆζω, φησὶ, θυσιαῶν ἀλόγων, ἵπαι τι τὸ κωλύον τὰ θηρία καὶ τὰ κτήνη προσφέρεισθαι; Ἰσως δὲ θηρία καὶ κτήνη τὰ ἔθνη λέγει· βόας τοὺς ἀπὸ τοῦ λαοῦ τῶν Ἰουδαίων πιστεύσαντας λέγει, ὧν τὴν προσφορὰν κεκτημένους οὐκέτι τὰ παρὰ τοῦ λαοῦ τῶν Ἰουδαίων, ὡς περιττὰ προσδέχεται· περὶ γὰρ αὐτῶν καὶ τὰ ἐπόμενα λέγεται.

Πεπεισμένον δὲ τοῦ οὐρανοῦ τοὺς παρθενίαν φιλοσοφούντας ἢ ἐγκράτειαν νόησον· ἐπειδὴ περ ἄνω περὶ τὸν οὐρανὸν, Ἰσα τοῖς ἀγγέλοις φιλοσοφούντες, ἵπανται.

Αὐτὴν τὴν Ἐκκλησίαν λέγει ὡραιότητα τοῦ ἀγροῦ, δηλαδὴ τοῦ κόσμου τυγχάνουσαν· εὐπρεπέως γὰρ ἐγένετο τῇ τοῦ βαπτίσματος χάριτι· ὅθεν οὐκ εἶπεν, παρ' ἐμοὶ ἔστιν, ἀλλὰ, μετ' ἐμοῦ ἔστιν, ὡς νόμφη συμφύου· τοῦτου γὰρ εἶναι ἢ Ἐκκλησία τοῦ Χριστοῦ νομίζεται.

« Θύσον τῷ Θεῷ θυσίαν αἰνέσεως. »

Γενοῦ, φησὶ, τοῖς ἀγγέλοις ἐφάμιλλος· μίμησαι τῇ δοξολογίᾳ τὰ Σεραφίμ· διήγησαι καθάπερ οἱ οὐρανοὶ δόξαν Θεοῦ· θύσον θυσίαν ἣν περ πᾶσα ἡ κτίσις προσφέρει δοξάζουσα διηνεκῶς. Ἰσως δὲ καὶ θυσίαν αἰνέσεως τὰς ἀρετὰς λέγει, δι' ὧν ὁ Θεὸς αἰνεῖται, τούτῃσιν εὐφημεῖται καὶ δοξάζεται· μάλιστα διόπερ τοῖς ἀποστόλοις ἔλεγεν· Λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ἕπως ἴδωσι τὰ καλὰ ὑμῶν ἔργα, καὶ δοξάζουσι τὸν Πατέρα ὑμῶν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

Θλίψιν δὲ τὴν πειρασμὸν, τὴν παρὰ ἀνθρώπων, ἢ τοῦ Σατανᾶ γινόμενον νόησον. Ἄν τοίνυν τότε τὸν Θεὸν ἐπικαλεσώμεθα, ἐξελεῖται· ἡμᾶς, ὡς περ ποτὲ τὴν Σουσάναν ἐξελεῖτο· καὶ εἰκότως αὐτὴν παράδοξον ἡμῖν οἰκονομουμένων πραγμάτων δοξάζομεν.

« Σύνετε δὴ ταῦτα, οἱ ἐπιλανθανόμενοι. »

Τὴν ἡμέραν ὑπογραφεῖ τοῦ θανάτου, ἐν ἣ καλούμενος ἕκαστος μετὰ τάχους ἀρπάζεται. Ὡστε χρὴ πρὸς ἀλειψὴν τῶν ἀμαρτημάτων ἰδεῖν, ἕως ἡμῖν εἰς μετάνοιαν καιρὸς διαψιλεύεται.

« Θυσία αἰνέσεως δοξάσει με. »

Τίς αὕτη καὶ ποία ὁδός; Ἡ κοινῶνία τοῦ Θεοῦ σωματικῶς τε καὶ αἵματος, ἣν αὐτὸς ἡμῖν πρῶτος ἐν τῇ Σιών καταρξάμενος ἔδειξεν. Ἐπειδὴ τοίνυν εἰς λύτρωσιν τῶν ἀμαρτημάτων τοῖς λαμβάνουσι δέδοται, εἰκότως ἐστὶ σωτήριον τοῦ Θεοῦ· εἰκότως δὲ καὶ ὁδός· πῶς εἰς οὐρανὸν ὁδεύσαι τοῖς ὄνδε' τρόπον προσευχομένοις δεικνύσεται.

¹⁶ Matth. v, 16.

nalibus placari. Quare ipsos convenire jubet, ut hoc addiscant.

VERS. 8. « Non in sacrificiis tuis arguam te. »

Non credebant, uti verosimile est, Judæi hæc audientes; et addubitabant, utrum hæc evenire possent; nunc vero sermo reipsa comprobatus est: non enim amplius eorum sacrificia locum habent, templo destructo, altari collapsa, et universa ipsorum administratione sublata; quin etiam urbe eversa, in qua secundum legem sacrificia fieri oportebat. Non indigeo, inquit, sacrificiis irrationalibus. Ad hæc, quid feras et pecudes offerro prohibuit? Fortasse vero per *feras* et *jumenta* gentes intelligit; per *boves* autem illos qui ex Judæorum populo crediderunt; quorum oblationem consecutus, non amplius admittit dona Judæorum, utpote superflua: nam de illis sequentia dicuntur.

Volatilia vero cæli eos intellige, qui virginitatem et continentiam colunt: siquidem hi superne circa cælum tanquam angeli intenti volant.

Pulchritudinem agri dicit ipsam Ecclesiam, ut quæ sit mundi pulchritudo: nam pulchra per baptismi gratiam facta est. Unde non dixit, *apud me est*; sed, *mecum est*, tanquam sponsa cum sponso: hujus enim, scilicet Christi, Ecclesia esse censetur.

VERS. 14. « Immola Deo sacrificium laudis. »

Esto, inquit, consors angelis; imitare glorificatione Seraphim: enarra sicut cæli gloriam Dei: immola sacrificium, quod omnis immolat creatura, dum continenter Deum laudat. Forte vero *sacrificium laudis* virtutes intelligit, per quas Deus laudatur; hoc est, benedicitur et glorificatur; præsertim cum apostolis dixerit: *Lucent lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est* ¹⁶.

Tribulationem autem intellige tentationem, quæ ab hominibus vel a Satana existit. Si itaque tunc Deum invocaverimus, utique eripiet nos, sicut quondam Susannam eripuit: et jure merito ipsum rebus rite peractis mirabilem prædicamus.

VERS. 22. « Intelligite hæc qui obliviscimini. »

Diem mortis describit, in qua quisque vocatus celeriter rapitur. Quare oportet, quæ ad abolenda crimina pertinent, nos cognoscere ac providere, quandiu nobis ad agendam pœnitentiam occasio exhibetur.

VERS. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me.*

Quænam et qualis est hæc via? Nimirum Domini corporis et sanguinis communicatio, quæ prius ipse nobis in Sion demonstrare cœpit. Cum ergo in redemptionem peccatorum accipientibus traditum sit, merito est salutæ Dei: merito quoque via est, quæ quemadmodum in cælum ire oportet orantibus ostendit.

PSALMUS L.

VERS. 1. « In finem, psalmus David, cum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabee. »

Clariorem liber Regum historiam continet. Nam cum David e domo sua conspexisset Bersabee uxorem Uriæ Hettæi se lavantem, et inde in eam cupiditate exarsisset, accersens illam, cum ea concubuit: cum autem concepisset, veritus Uriam, curavit ut Urias sub duce Joab in prima acie pugnans constitueretur; atque ita per alienigenas ipsum occidit. Propter hæc iratus Deus, misit ad illum Nathan prophetam, ut illi propter cædem et adulterium comminaretur: quo facto, David ad pœnitentiam conversus scripsit hunc psalmum, minime veritus hoc vulnus suum propalare, ut peccatoribus pœnitentiæ remedium indicaret.

Rogat deleri iniquitatem, ita ut non solum curetur vulnus, verum ne cicatrix quidem relinquatur. Quamobrem etiam miserationum multitudinem præterdit: neque enim ab una miseratione, hoc est, venia unius delicti peccator salvari potest, sed ad multa multis opus est miserationibus, ut minas et supplicium effugiamus.

Non simpliciter lavari, sed amplius rogavit, petens ut purgatio crimini seu lapsui respondeat. Nam quemadmodum vestis parum sordida facile abluitur et mundatur; quæ vero multum et sæpius sordes contraxit, majori studio et labore extergenda est; sic et anima, quæ semel et parva peccaverit, mediocri pœnitentia purgatur: cum vero multis et gravibus delictis sese obstrinxerit, non levi et negligentia, sed laboriosa et aspera pœnitentia indiget, cum multorum bonorum actuum operibus. Tali enim pœnitentia Deus abluat delicta nostra. Recte autem peccatum iniquitatem appellavit; volens ostendere, ne sibi quidem, quanquam regi, legem transgredi licuisse: nam Regem omnium altissimum offendit.

VERS. 5. « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. »

Beatum est, cum quis proprium novit peccatum, et continenter ante oculos habet delicta sua. Nam qui cognoscit, et meminit, et oculis animi delictorum suorum vulnera intuetur, erubescit rubore suffusus; et recordatione animam compungit, et pudore coactus ad pœnitentiam properat. Quem vero passionum suarum capit oblivio, ad alia rursus peccata (quasi nihil mali ab eo patratum sit) adducitur.

VERS. 6. « Tibi soli peccavi. »

Non quod omnes homines latuerit, ut nonnulli opinantur: non enim Bersabee ipsam, quæ adulterium commiserat; sed nec illos qui eam regis nomine vocaverant, adulterii negotium latere potuit. Joab quoque scivit operam suam regi se præstitisse in cæde peragenda. Sed nec ipse permissum sibi

A

ΨΑΛΜΟΣ Ν'.

« Εἰς τὸ τέλος, ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ ἐν τῷ ἐλθεῖν πρὸς αὐτὸν Νάθαν τὸν προφήτην, ἥνικα εἰσῆλθε πρὸς Βηρσαβέε. »

Σαφέστερον τὴν ἱστορίαν ἢ βιβλὸς τῶν Βασιλείων κέκτηται. Τὴν Βηρσαβέε γὰρ Οὐρίου τοῦ Χετμαίου γυναῖκα τυγχάνουσαν λουομένην ἀπὸ τοῦ δώματος τότε Δαυὶδ θεασάμενος, εἶτα ἐρασθεὶς καλέσας συνεγένετο. Ἐν γαστρὶ δὲ λαβούσης αἰσχυνοῦντος, τὸν Οὐρίαν, πεσεῖν ἐν τῷ πολέμῳ παρατάξαντος Ἰωάβ τοῦ στρατηγοῦ παρεσκευάσας πρόμαχον στήσαι τὸν Οὐρίαν, οὕτως καὶ ὑπὸ τῶν ἀλλοφύλων ἀπέκτεινεν. Ἐπὶ τοῖς δὲ Θεοῦ ὀργισθεῖς, Νάθαν αὐτῷ τὸν προφήτην ἀπειλοῦντα διὰ τὸν φόνον καὶ τὴν μοιχείαν ἐπεμψεν. Ὁ δὲ εἰς μετάνοιαν ὀρών ψαλμὸν τὸν ἐχόμενον ἔγραψεν οὐκ αἰσχυνοῦντος δημοσιεύσαι τὸ τραῦμα, ἵνα τοῖς ἁμαρτωλοῖς ἀποδείξῃ τῆς μετανόιας τὸ φάρμακον.

Ἐξαλειφθῆναι τὴν ἀνομίαν, ὥστε μὴ μόνον ἰαθῆναι τὸ τραῦμα, ἀλλὰ μηδὲ μῶλωπα περιλειφθῆναι βούλεται, ἐφ' ᾧ καὶ τῶν οἰκτιρῶν τὸ πλῆθος προτείνει. Οὐδὲ γὰρ ἀφ' ἐνὸς οἰκτιρμοῦ, τουτέστιν, ἀπὸ συγγνώμης τῆς ἐφ' ἐνὶ παραπτώματι σωθῆναι ἁμαρτωλὸς δύναται, πολλῶν δὲ καὶ ἐπὶ πολλοῖς οἰκτιρμοῖς, ὥστε διαφυγεῖν τὴν ἀπειλήν, καὶ τὴν κόλασιν χρῆζομεν.

Οὐχ ἀπλῶς πλύναι, ἀλλ' ἐπὶ πλεῖον ἰκέτευσεν ἀναλόγως τῷ πταίσματι παρακαλῶν γενέσθαι τὴν κάθαρσιν. Ὡς περὶ γὰρ τὸ μὲν ρυτωθὲν συμμέτρως ἱμάτιον εὐκόλως πλύνεται καὶ καθαίρεται· τὸ δὲ ἄγαν καὶ πολλάκις, σπουδαιότερας χρῆζει καὶ ἐπιπόνου πλύσεως, τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ψυχῆ, ἡ μὲν ἅπασις ἁμαρτηκυῖα καὶ μέτρια, συμμέτρῳ μετανόια καθαίρεται· πολλὰ δὲ ὅταν αὐτῇ καὶ χαλεπὰ ἁμαρτήματα γένηται, οὐ χρὴ πάρεργον εἶναι, ἀλλὰ μετὰ πόνου πολλοῦ καὶ πράξεων ἀγαθῶν τὴν μετάνοιαν. Ταύτη γὰρ ὁ Θεὸς πλύνει τὰ ἡμέτερα πταίσματα. Καλῶς δὲ τὴν ἁμαρτίαν ἀνομίαν ἐκάλεσε, δεῖξαι βούληθεις, ὅτι οὐδὲ αὐτῷ νόμον παραβαίνειν ἐξῆν, εἰ καὶ βασιλεὺς ἐτύγχανε. Βασιλεῖ γὰρ τῷ πάντων ὑψίστῳ προσέκρουσεν.

« Ὅτι τὴν ἀνομίαν μου ἐγὼ γινώσκω. »

Μακάριον ὅταν τις οἰκείαν ἁμαρτίαν ἐπίσταται, ἐν ὀφθαλμοῖς δὲ ἔχει διαπαντὸς τὰ πταίσματα. Ὁ μὲν γὰρ γινώσκων, καὶ μεμνημένος, καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς τῆς ψυχῆς κατανοῶν τῶν ἑαυτοῦ πταισμάτων τὰ τραύματα, αἰσχύνεται, τῇ μνήμῃ τὴν ψυχὴν νόπτει, καὶ ὑπὲρ τῆς αἰσχύνης ἀναγκασθεὶς εἰς μετάνοιαν ἔρχεται. Ὁ δὲ λήθην παθὼν, εἰς ἕτερα κάλιν ἁμαρτήματα (ὡς μηδενὸς αὐτῷ κακοῦ πραχθέντος) προσάγεται.

« Σοὶ μόνῳ ἤμαρτον. »

Οὐχ ὅτι πάντας ἀνθρώπους ἔλαθεν, ὥς περ τινεῖς νομίζουσιν· οὐδὲ γὰρ αὐτὴν Βηρσαβέε τὴν μοιχευθεῖσαν, ἀλλ' οὐδὲ τοὺς κεκληρότας αὐτὴν λαθεῖν τὸ δράμα τῆς μοιχείας ἤδυνατο. Ἰωάβ δὲ τὸν φόνον ὡσαύτως τῷ βασιλεῖ συμπράξας ἐπίστατο. Ἄλλ' οὐδὲ αὐτὸς ἐν ἐξουσίᾳ τὴν ἁμαρτίαν διὰ τὴν βασιλείαν

ἐνόμιζεν. Ἀνάξιον γὰρ τοῦτο προφήτου καὶ βασιλέως εἰκότως εὐσεβοῦς ἐτύχαιεν. Ἀλλὰ σοὶ μόνῳ ἡμαρτον, ἔλεγεν ἔπειθ' ἰδὼς τὴν Θεῷ μὴ ἀμαρτάνειν ἡμᾶς μέλει ὡς δημιουργῷ φειδομένῳ τοῦ πλάσματος. Ἰσως δὲ, Καὶ τὸ πονηρὸν ἐνώπιόν σου ἐποίησα· ὅτι πάντων ὡς βασιλεῖ χαριζομένων, καὶ τῇ σιωπῇ κρυπτόντων τὸ ἀμάρτημα, ὁ Θεὸς τὸν Νάθαν ἐπεμψε καὶ πονηρὰν οὖσαν τὴν πρᾶξιν ἐξήλεγξε, καὶ τίνος τοῦτο χάριν, τὰ ἔζης ἀκόλουθα δεικνυσιν.

« Ἰδοὺ γὰρ ἐν ἀνομίαις συνεληφθην. »

Ταῦτα οὐ μόνον διὰ τὸν ῥύπον τὸν ἐκ τοῦ Ἀδάμ καταγόμενον λέγεται· αὐτοῦ γὰρ ἔνσκα ῥυπαρὰ νομίζομεθα γίνεσθαι, ὥστε καὶ πρὶν ἔλθειν εἰς ἕξιν ἡλικίας καλοῦ καὶ κακοῦ δεχομένης διάκρισιν, καθάρσεως ὡς ἐκ πατέρων ἐῤῥυπωμένοι χρῆσομεν. Τοῦτο γὰρ καὶ παρὰ τῷ Ἰὼβ εἰρημὸν ἐρήσομεν· *Τίς, φησὶ, κωλύεται καθαρὸς εἶναι ἀπὸ ῥύπου; ἀλλ' οὔτε βρέφος, κἀν ἡ μίᾳ ἡμέρᾳ ἢ ζωῇ αὐτοῦ.* Πρὸς τοῦτοις μητέρα τῆς ἀμαρτίας τὴν ἐπιθυμίαν ἢ Γραφὴ καλεῖν ἢ θεόπνευστος εἶωθεν. Ἐγγονον δὲ πάλιν ἐκατέρως τὸν θάνατον καὶ μαρτυρεῖ ὁ Ἰάκωβος λέγων· *Ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίθει ἀμαρτίαν, ἢ δὲ ἀμαρτία ἀποτελεσθεῖσα ἀποκτείνει θάνατον.* Ὡστε ὅταν ἀμαρτάνωμεν, ἐν ἀμαρτίαις συλλαμβανόμεθα.

« Ῥαντιεῖς με ὑσσώπῳ. »

Ὡσπερ καὶ ἡμεῖς ἐν τῇ δωρεᾷ τοῦ βαπτίσματος, τῷ μὲν ὕδατι πλυνόμεθα, τῷ δὲ πνεύματι λαμπρυνόμεθα.

« Ἀκουτιεῖς με ἀγαλλίασιν. »

Ταπεινοῦνται μὲν τὰ τῆς ψυχῆς ὀστέα, τουτέστιν αἱ δυνάμεις, ὑπὸ τῆς ἀμαρτίας, καὶ συντριβονται· ἀλλὰ τῇ μετανοίᾳ σωθέντα ἀναθάλλει, καὶ εἰς τὴν χαρὰν τὴν ἀρχαίαν ἐπανέρχεται.

« Ἀπόστρεψον τὸ πρόσωπόν σου. »

Ἐάν γὰρ μὴ παραβλέψῃται ἡμέτερα πταίσματα, σωθῆναι οὐ δύναμεθα. Πῶς, δὲ τοῦτο κατορθοῦται; Ὅταν ἡμεῖς ἀγαθὰς πράξεις καὶ ἀρετὰς ἀσκήσωμεν, ἵνα τοῦ κριτοῦ τὸν ὄφθαλμὸν εἰς αὐτάς μετενέγκωμεν· οὕτω γὰρ καὶ τῆς τῶν ἡμετέρων ἀμαρτημάτων θεωρίας αὐτὸν ἀποστῆσαι δύναμεθα.

« Καὶ πάσας ἀνομίας μου ἐξάλειψον. »

Οὐ μίαν, ἀλλὰ πάσας· ἱκανὴ γὰρ καὶ ἡ μία παραπέμψαι πρὸς γέενναν. Μὴ τοίνυν ἡμεῖς τῆς τυχοῦσης ἀμαρτίας ἀμελήσωμεν. Ἐάν γὰρ ἐσπιλωμένος, οὕτινος ἦν ῥύπου, ὁ χιτῶν εὐρεθῇ ὁ ἡμέτερος, εἰς τὸν νυμφῶνα εἰσελθεῖν τοῦ βασιλέως, ἢ πατῆσαι τὴν αὐλήν οὐ δύναμεθα. Τοῦτο ὁ Παῦλος ἐπιφραγίζων ἔλεγε· *Μὴ πλανᾶσθε· οὔτε πόρνοι, οὔτε μαλακοί, οὔτε πλεονέκται, οὔτε μέθυσοι, οὐ λοιδοροί, οὐχ ἄρπαγες βασιλείαν Θεοῦ κληρονομήσουσι.*

« Καρδίαν καθαρὰν κτίσον ἐν ἐμοί. »

Οὐχ ἵνα τὴν φύσιν ἀμείψῃ (οὐδὲν γὰρ αὕτη φαῦλον ἐκέκτητο)· ἀλλ' ἵνα τὸν λογισμὸν τῆς ψυχῆς

fuisse peccatum reputavit propter regiam dignitatem. Namque hoc indignum fuisset et propheta et rege, qui merito pius habebatur. Sed tibi soli peccavi, inquiebat : quoniam soli Deo tanquam opifici, et figmenti sui miserenti, curæ est ne peccemus. Et sic etiam illud, *Et malum coram te feci*, addidit, quoniam reliquis omnibus ei tanquam regi indulgentibus, et peccatum silentio contegentibus, Deus misit Nathan, et nefarium illud scelus reprehendit : et cur hoc fecerit sequentia declarant.

VERS. 7. « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. »

Hæc non dicuntur solum propter sordes ab Adam contractas : nam pollutos nos ejus causa nasci cognovimus, ita ut priusquam ad ætatem boni et mali discreticem perveniamus, quasi a parentibus contaminati purgatione indigemus. Quin et hoc ab ipso Jobo dictum reperimus : *Quis, inquit, gloriabitur mundus esse a sordibus? sed neque infans, etsi fuerit unius diei vita ejus* ¹⁷. Præterea peccati matrem divina Scriptura concupiscentiam appellare solet. Rursus vero mortem utriusque genitricem esse Jacobus testatur dicens : *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem* ¹⁸. Quare cum peccamus, in peccatis concipimur.

VERS. 9. « Asperges me hyssopo. »

Quemadmodum et nos in baptismi dono aqua lavamur, sed spiritu illustramur.

VERS. 10. « Audire me facies gaudium. »

Humiliantur quidem animæ ossa, id est vires, a peccato; verumtamen saluti per pœnitentiam restituta florent, et in pristinam kettitiam revertuntur.

VERS. 11. « Averte faciem tuam. »

Nam nisi conniveat ad peccata nostra, salvari minime possumus. Sed quo pacto id efficitur? Nimirum cum opera bona et virtutes exercuerimus, ut iudicis oculos ad illas convertamus : ita enim illum ab intuitu delictorum nostrorum avertere possumus.

« Et omnes iniquitates meas dele. »

Non unam, sed omnes : namque vel una satis est, ut mittat in gehennam. Ne ergo nos vel minimum peccatum negligamus : nam si vel levi macula vestis nostra sordida inventa fuerit, nec regis thalamum ingredi, nec aulam calcare poterimus. Hoc Paulus confirmans dixit : *Nolite errare : neque fornicarii, neque molles, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt* ¹⁹.

VERS. 12. « Cor mundum crea in me. »

Non ut naturam mutet (nihil enim illa mali possiderat) : sed ut cogitationes animi mundet, et eluat

¹⁷ Job. xiv, 5. ¹⁸ Jac. i, 15. ¹⁹ I Cor. vi, 9.

inaculas ejus, voluptate et consiliis diaboli contractas: nam *creare* in sacris Litteris plerumque significat corrigere.

« Et spiritum rectum innova. »

Cernis prophetam orare, non ut naturam mutet, sed ut gratia adveniat, ut laboranti naturæ, ac sub peccato veterascenti, opem ferat. *Spiritum enim rectum* vocat, non vitalem illum qui in nobis est, sed ipsummet Spiritum Dei; de quo in alio psalmo cecinit: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*²⁰. Hunc orat, ut in visceribus, hoc est in necessariis et maxime aptis animæ partibus, innovetur, quatenus nempe in nobis antea non perfecte habitabat, neque conquiescebat ob imbecillitatem nostram, quia perfectam gratiam suscipere minime sufficiebamus. Quamohrem petit illum renovari, ut prorsus in nobis expleatur: nam domus, quæ expletur et ornatur, eadem innovatur.

Grave est, si servus vultum Domini offendat; uti etiam grave est, si filius patris et miles regis offensionem incurrat: nam qui hujusmodi est, extorri, reperitur: at si quis hoc in Deum fecerit, interitum sibi parat. Siquidem non solum nobis Pater ac Dominus et Rex Deus est, sed quidquid dicere potes ex iis quæ ad vitam, incolumitatem et salutem nostram pertinere possunt. Quare cum a nobis faciem averterit, statim Spiritum sanctum amittimus; in quo omnis bonorum nostrorum proventus jacturam et detrimentum facit. Quare pro eo quod poterat dicere; Ne auferas spiritum, *Ne denovo auferas* posuit. Quoniam qui Dei mandata custodiunt, semel experti sunt efficaciam Spiritus, quæ in nobis erat ante Adæ inobedientiam, vel per propheticam gratiam, vel per virtutem morum. Unde merito petit Spiritum a se iterum non auferri, ne iterum ejus jacturam experiretur.

Vers. 15. « Docebo iniquos vias tuas. »

Prius quoque docuerat vias Domini, sed fortasse non docuerat iniquos, neque antequam delinqueret, doctrinam in preceatione tanti faciebat, sed tum præcipue, cum in crimen delapsus resipuit, et ad pœnitentiam accurrit. Ut enim de curandis morbis loquenti potissimum creditur, si cum ægrotaverit medicinæ periculum fecerit: sic qui per pœnitentiam sanati sunt, peccatoribus aliis conversionis et salutis janua inveniuntur; ita ut Paulus cum fiducia clamaret: *Christus Jesus venit in mundum, ut peccatores salvos faceret, quorum primus ego sum*²¹. Si prædicationi, inquit, fidem non habetis salutem peccatorum annuntianti, a me prædicante discite, qui cum persecutor essem, Evangelii ministerium mihi concreditum est.

Vers. 17. « Domine, labia mea aperies. »

Viden labia Davidis propter peccatum clausa fuisse, sed iterum per pœnitentiam recludi, et Dei

καθήρη, καὶ διορθώσῃται ῥυπαρὸν ταῖς ἡδοναῖς καὶ ταῖς ἐπινοαῖς τοῦ διαβόλου γενόμενον· κτίσαι γὰρ παρὰ τῆ θείᾳ Γραφῇ πολλακίς τὸ διορθώσασθαι λέγεται.

« Καὶ πνεῦμα εὐθὲς ἐγκαινίσσον. »

Θεωρεῖς ὡς οὐ τὴν φύσιν ἀμείψαι ὁ προφήτης, ἀλλὰ τὴν χάριν ἐλθεῖν, ἵνα τῇ καμνύσει τῇ φύσει, καὶ ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας παλαιωθήσῃ προσεύχεται βοηθήσῃ. Πνεῦμα γὰρ εὐθὲς οὐ τὸ ἐν ἡμῖν τὸ ζωτικὸν τοῦτο λέγει, ἀλλ' αὐτὸ τοῦ Θεοῦ τὸ Πνεῦμα, περὶ οὗ ἐν ἑτέρῳ ψαλμῷ ἐμελέθησεν· *Τὸ Πνεῦμά σου τὸ ἀγαθὸν ἐδηγήσει με ἐν γῆ εὐθείᾳ*. Τοῦτο ἐν τοῖς ἐγκάτοις ἐγκατα, τουτέστιν ἐν τοῖς ἀναγκαίοις καὶ λίαν κίριοις τῆς ψυχῆς μορφοῖς ἐγκαινισθῆναι βούλεται, ὅσον μὲν καὶ πρὸ τούτων ἐν ἡμῖν τελείως οἰκούν, οὐδὲ ἐφ' ἡμῖν ἀναπαυόμενον διὰ τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν ὑφ' ἧς οὐκ ἔμεν ἱκανοὶ τὴν χάριν ἐλόκληρον δεῖξασθαι. Διὸ περ αὐτὸ ἐγκαινισθῆναι ἵνα πάντως ἐν ἡμῖν ἀπαρτισθῇ προσεύχεται· οἶκος γὰρ ὁ συμπληρούμενος, ἐκαίνεος ἐγκαινίζεται.

Κακὸν μὲν οἰκέτη τὸ τοῦ δεσπότου ζημειωθῆναι πρόσωπον· ὡσαύτως καὶ υἱὸ τῷ τοῦ πατρὸς, καὶ στρατιώτῃ τῷ τοῦ βασιλέως· ἐξόριστος γὰρ ὁ τοιοῦτος εὐρίσκειται· ἐπὶ δὲ Θεοῦ βλεθρον τοῦτο παρασκευάζει τῷ πάσχοντι. Οὐδὲ γὰρ Πατὴρ μόνον καὶ δεσπότης; ἡμῖν Θεὸς καὶ Βασιλεὺς, ἀλλὰ πᾶν ὅτι περ ἂν εἰποῖς τῶν εἰς ζωὴν καὶ σωτηρίαν τὴν ἡμετέραν συντεινόντων καθέστηκεν. Ὡστε, ὅταν ἀφ' ἡμῶν ἀποστρέφει τὸ πρόσωπον, παραχρῆμα ἀπολλύμεθα τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐν ᾧ πᾶσα ἡμῶν ἡ χορηγία τῶν ἀγαθῶν ζημειούμενοι. Διὰ τί δὲ ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν, *Μὴ ἀνέλθῃς τὸ πνεῦμα, Μὴ ἀντανέλθῃς ἔταξεν*; Ἐπειδὴ περ ἅπαξ τῆς ἐν ἡμῖν ἐνεργείας τοῦ Πνεύματος πείραν διὰ τῆς τοῦ Ἀδάμ παρακίης, καὶ προφητικῆς χάριτος, ἣ διὰ πρακτικῆς ἀρετῆς οἱ τοῦ Θεοῦ φυλάττοντες τὰς ἐντολάς ἐδέξαντο. Ὅπερ εἰκότως μὴ ἀνταναιρεθῆναι προσήχεται, ὥστε μὴ καὶ δευτέραν αὐτοῦ ὑποστῆναι ἀφάρεισιν.

« Διδάξω ἀνόμους τὰς ὁδοὺς σου. »

Ἐδίδασθε μὲν τὰς ὁδοὺς τοῦ Θεοῦ καὶ πρότερον, ἀλλ' οὕτως τοὺς ἀνόμους ἴσως, οὐδὲ προσευχῇ τὴν διδασκαλίαν πρὸ τῆς ἁμαρτίας τοσοῦτον ἐτίθετο, τότε δὲ μᾶλλον ἀφ' οὗπερ ἡμαρτηκῶς μετενόησεν. Ὡστε γὰρ ἐκεῖνος λέγειν περὶ θεραπείας πιστεύεται μάλιστα ὁ νενοσηκῶς αὐτὸς, καὶ πείραν τοῦ φαρμάκου δεξάμενος· οὕτως καὶ οἱ τῆς μετανοίας σωθέντες, θύρα τοῖς ἄλλοις ἁμαρτωλοῖς ἐπιστροφῆς καὶ σωτηρίας ἐβρίσκονται, ὥστε τὸν Παῦλον μετὰ παρήρητας βόξιν· *Χριστὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ*. Εἰ ἀπιστεῖτε τῷ κηρύγματι, φησὶν, ἁμαρτωλῶν σωτηρίαν κηρύττοντι, ἀπ' ἐμοῦ τοῦ κηρύττοντος μάθετε, ὅτι δικαιοσύνης ὧν ἐπιστεύθητεν Εὐαγγελίου γενέσθαι διάκονος.

« Κύριε, τὰ χεῖλη μου ἀνοίξεις. »

Ὅρῃς ὅτι κεκλεισμένα τοῦ Δαβὶδ τὰ χεῖλη διὰ τὴν ἁμαρτίαν ἐτύγγαζεν, ἀλλὰ πάλιν τῇ μετανοίᾳ ἀνοίγει-

²⁰ Psal. cxlii, 10. ²¹ Tim. i, 15.

ται, καὶ τοῦ Θεοῦ διηγέσθαι τὴν αἴνεσιν. Ἄρχεται ἄ
δὲ κεφάλαιον τῶν ὕμνων τοῦ ἁμαρτωλοῦ τὴν ἐπιστρο-
φήν ἔχουσα.

Τὴν ταπεινοφροσύνην θυσίαν ἀρεστὴν τῷ Θεῷ εἶναι
τὸ Πνεῦμα ἐκτίθεται· Μακάριοι γὰρ οἱ πτωχοὶ τῷ
πνεύματι, ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐ-
ρανῶν. Πῶς δὲ ἡμῶν τὸ πνεῦμα ἐπὶ τῷ ταπεινωθῆ-
ναι συντρίβομεν; Ὅταν καλὸν μὲν πράξαντες, μὴ
ἐπαρθῶμεν, διηνεκῆ δὲ μνήμην τῶν ἁμαρτημάτων
τῶν ἡμετέρων ἔχομεν.

Εὐδοκίαν δὲ τὴν τοῦ Μονογενοῦς προσαγορεύει
σάρκωσιν. Δῆλον δὲ ἀφ' ὧν Παῦλος πρὸς Ἐφεσίου
ἔγραψε· φησὶ δὲ οὕτως· Γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστή-
ριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ καὶ τὴν εὐδοκίαν αὐ-
τοῦ ἦν προέθετο ἐν αὐτῷ εἰς οἰκονομίαν τοῦ
πληρώματος τῶν καιρῶν. Ἐν ταύτῃ τοίνυν ἡ Σιών
ἀγαθύνεται, διὰ τὸ ἐπιτελεσθῆν αὐτῇ τοῦ Θεοῦ δε-
πνου μυστήριον ἕτερα ἢ πολλὰ τὰ παρ' αὐτῇ πε-
πραγμένα καὶ προελθόντα θαύματα.

ΨΑΛΜΟΣ ΝΑ'.

« Τί ἔγκαυχᾷ ἐν κακίᾳ ; »

Θαυμάζοντος καὶ ἀποροῦντος, ὡς εἰκός, τὸ προσέ-
μιον· ὅτι τοσοῦτόν τινες εἰς κακίαν προέκοψαν, ὥστε
ἔφ' οἷς δεῖ πενθεῖν, ἐπὶ τούτοις καυχῶνται. Πλὴν
ὅτι τὸν μὲν Δωὴκ ἡ ἱστορία περιέχει, Ἰούδαν δὲ τὸν
προδέτην αἰνίττεται ὁ Ψαλμῶδης, δυνατὸν λίαν ἐν
κακίᾳ γενόμενον, ὥστε τὸν εὐεργέτην καὶ τροφέα,
καὶ διδάσκαλον προδοῦναι, καὶ μηδὲ τοὺς συνεχεῖς
ἐλέγχους, μηδὲ τὰς παραινέσεις αἰσχύνεσθαι.

« Ἄνοιμίαν ὄλην τὴν ἡμέραν. »

Ἦνίκα τοῖς Φαρισαίοις ὁ Ἰούδας ἔλεγε· Τί θέλεις
μοι δοῦναι, καὶ γὰρ ὑμῖν παραδώσω αὐτόν; Οἱ
δὲ ἔστησαν αὐτῷ ἰργύρια, καὶ ἀπὸ τότε ἐζήτει
εὐκαιρίαν, ἵνα αὐτόν παραδῷ. Ὅστε ὄλην τὴν
ἡμέραν μελετῶν τὴν ἁμαρτίαν τῆς προδοσίας ἔμει-
νεν, μέχρις ἢ νύξ ἐπέστη, καθ' ἣν τὸ δράμα
ἔπραξε.

« Ἀδικίαν ἐλογίσατο ἡ γλῶσσά σου. »

Τὸ δὲ ὡσεὶ ξηρόν, τουτέστιν ἀναισθητῶς τέμνοντα.
Τί γὰρ ἐκείνου τοῦ ὀλοῦ ὀξύτερόν, ἢ τῆ γλώσσης τῆς
προδοσίας πρὸς τοὺς συλλαβόντας τὸν Ἰησοῦν συν-
έθετο· Ὅν ἂν φιλήσω, αὐτός ἐστι, κρατήσατε αὐ-
τόν;

« Ἠγάπησας κακίαν ὑπὲρ ἀγαθωσύνην. »

Κακία ὁ διάβολος, ὡς κακὰ πάντα καὶ πᾶσι βου-
λόμενος. Ἀγαθωσύνη δὲ ὁ Χριστός, Θεοῦ γὰρ ἡ
ἀγαθότης κατὰ φύσιν. Ἴδιον ἀφελὲς τοίνυν τὸν Χρι-
στὸν ὁ Ἰούδας, τὸν Σατανᾶν ἠγάπησεν· ἀλλὰ καὶ
ἀδικίαν ὑπὲρ τὸ λαλήσαι δικαιοσύνην εἶλατο. Ἐξῆν
γὰρ αὐτῷ τὴν ὄντως δικαιοσύνην λαβεῖν, καὶ μετὰ
τῶν λοιπῶν ἀποστόλων κηρύττειν τὸ Εὐαγγέλιον· εἰς
τὴν ἀδικίαν δὲ ἑαυτὸν τῆς προδοσίας ἐνέβαλε. Τὸ δὲ
αὐτὸ πάσχει πᾶς ὁστις κατηγορεῖ χεῖρει, καὶ λοι-
δορεῖ τὸν ἀδελφόν, ἡδύτερον τὴν ἀδικίαν, τουτέστι

laudes aggredi. Exorditur autem laudes Dei a con-
versione peccatoris.

Docet hic Spiritus sanctus humilitatem esse sa-
crificium Deo placitum : *Beati enim pauperes spi-
ritui, quoniam ipsorum est regnum caelorum* ²¹. Sed
quoniam modo spiritum nostrum per humilitatem
conterimus? Sane cum recte factis non extollimur,
sed perpetuum delictorum nostrorum memoriam
retinemus.

Bonam voluntatem seu beneplacitum appellat
Unigeniti incarnationem, hoc autem manifestum est
ex iis quæ scribit Paulus ad Ephesios; sic enim
ait : *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis
sue secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in
eo in dispensationem plenitudinis temporum* ²². Hac
ergo bona voluntate Sion beneficiis cumulatur,
tum propter mysterium divinæ cœnæ quod in ipsa
paractum est, tum propter miracula quæ in ea edita
sunt.

PSALMUS LI.

VERS. 3. « Quid gloriaris in malitia ? »

Hoc præmium est quasi admirantis et obstupe-
scentis; quod nimirum aliqui ad tantam devenerunt
malitiam, ut in iis gloriantur, de quibus lugere
oportuerat. Cæterum historia quidem Doec continet,
sed Psalmista Judam proditorem insinuat in
malitia potentem evasisse, eo usque, ut benefactor-
em, et educatorem, et magistrum proderet, ne-
que assiduas increpationes, neque admonitiones
revereretur.

VERS. 4. « Iniquitatem tota die. »

Quando Judas dixit Pharisæis : *Quid vultis mihi
dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei
triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem
ut eum traderet* ²³ : itaque tota die meditationi pro-
ditionis immorabatur, donec nox instaret, in qua
facinus hoc patravit.

« Injustitiam cogitavit lingua tua. »

Illud vero *sicut novacula*, id est, insensibiliter se-
cans. Quid enim acutius isto dolo, quem lingua
proditoria composuit ad illos qui Jesum comprehen-
derunt : *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete
eum* ²⁴.

VERS. 5. « Dilexisti malitiam super benignita-
tem. »

Malitia est diabolus, utpote qui omnia mala atque
omnibus velit. Benignitas vero Christus est, quo-
niam natura sua Dei bonitas exsistit. Suo igitur
Christo derelicto, Judas Satanam dilexit; quin et
iniquitatem magis, quam loqui æquitatem elegit.
Poterat enim vere justitiam recipere, et cum cæte-
ris apostolis Evangelium prædicare; verumtamen
ad proditionis iniquitatem semet ipse dejecit. Hoc
ipsum usuvenit omni qui accusatione gaudet, et
calumniatur fratri suo, cum lubentius iniquitatem,

²¹ Matth. v, 3. ²² Ephes. i, 9. ²³ Matth. xxvi, 15, 16. ²⁴ Matth. xxvi, 48.

hoc est mendacium, loquatur, et sileat justitiam, id est virtutem, quam proximus ejus possidet.

VERS. 7. « Propterea Deus destruet te. »

Hæc omni quidem homini doloso, sed multo maxime ad proditorem dicuntur. Deus enim ipsum sustulit in finem, et de tabernaculo, id est, de loco discipulatus transtulit, et tanquam spinosæ plantæ radicem de terra viventium, de apostolorum agriculturæ evulsit.

« Speravi in misericordia Dei. »

Quadrant hæc verba quoque Petro negationem suam in memoriam revocanti, qui sicut oliva fructifera in domo Dei, id est, in fide semper constitit; licet ad exiguum tempus negationis æstum sustinuerit: verumtamen minime exaruit: siquidem poenitentiae lacrymis radicem irrigavit. Propterea, inquit: *Confitebor tibi, quia fecisti. Quid fecisti? Misericordiam, benignitatem, commiserationem. Quia eum qui negaverat, mysteriorum præconem effecisti, columnam titubantem confirmasti, et eum qui erraverat, pastorem agnorum constituisti. Bonum autem non Judæis, neque idololatriæ morbo laborantibus, sed in conspectu sanctorum qui per gratiam et lætitiâ justificati sunt. His enim nomen ejus bonum. Quid enim Jesu appellatione suavius? Exspecto autem: ad quid? quoniam qui exspectat in finem, hic salvus erit.*

PSALMUS LII.

VERS. 1. « Dixit insipiens in corde suo. »

Cujus enim erat istud dicere, nisi insipientis? de quo Isaias dixit: *Fatuus fatua loquetur, et cor ejus vana intelliget*²². Qualia ista? Quoniam cum prava quædam et absurda patrant, et Dei erga ipsos longanimitatem aspicientes, tanquam benigno, et malorum toleranti gratias agere, et laudes deferre porteret, ad stoliditatem exorbitant, Deum res humanas non intueri, sed indifferenter ac temere cuncta ferri arbitantes.

VERS. 2. « Corrupti sunt et abominabiles facti. »

Morbus qui per maledicum diffunditur, alios quoque in iniquitatibus corrumpi facit, et Creatori suo abominabiles existere, tanto virtutis defectu laborantes, ut nullum penitus bonum operentur. Cæterum per insipientem, idololatræ insaniam insinuat. Dicentes enim in corde suo non esse Deum, ligneorum ac lapideorum deorum simulacra fabricati sunt. Per iniquitatem, quæ legis est transgressio, Judæos insinuat, quos incredulitate corruptos, Deus abominatus est.

VERS. 3. « Deus de cælo prospexit. »

Usque adeo enim Deus desiderat veritatem, ut cum res omnes nostras exacte cognoscat, attamen per suam nobiscum condescensionem, quasi per fenestellam, prospiciat, res humanas accurate nosse volens. Utique Christi adventum manifeste intelli-

A τὸ ψεῦδος λαλῶν, καὶ τὴν δικαιοσύνην σιωπῶν, θαλαδὴ τὴν ἀρετὴν, ἣν ὁ πλῆσιον κέκτηται.

« Διὰ τοῦτο ὁ Θεὸς καθελεί σε. »

Ταῦτα παντὶ μὲν δολίῳ, πολὺ δὲ μᾶλλον πρὸς τὸν προδότην λέγεται· καθέλειν γὰρ αὐτὸν ὁ Θεὸς εἰς τέλος, καὶ ἀπὸ τῆς σκηνῆς, τουτέστιν ἐκ τοῦ τόπου τῆς μαθητείας μετέστησεν, καὶ τὴν ῥίζαν ὡς ἀκανθῶδους φυτοῦ ἐκ γῆς ζώντων, ἐκ τοῦ γεωργίου τῶν ἀποστόλων ἐξέτιλεν.

« Ἠλπίσα ἐπὶ τὸ ἔλεος τοῦ Θεοῦ. »

Ἀρμόττει ταῦτά γε τὰ ῥήματα Πέτρου εἰς ἀνάμνησιν ἐρχομένου τῆς οικείας ἀρνήσεως, ὅστις ὡς ἐλαία κατάκαρπος ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ, τουτέστι, τῇ πίστει διηνεκῶς ἱστάμενος, εἰ καὶ πρὸς μικρὸν ὑπέστη τὸν καύσωνα τῆς ἀρνήσεως, ἀλλ' ὅμως οὐκ ἐξηράνθη. Τῷ γὰρ δακρύῳ τῆς μετανοίας τὴν ῥίζαν ἐπότισεν. Διὰ τοῦτο φησιν, *Ἐξομολογήσομαί σοι, ὅτι ἐποίησας. Τί ἐποίησας; Ἐλεος, χρηστότητα, συμπάθειαν. Ὅτι τὸν ἀρνησάμενον κήρυκα τῶν μυστηρίων ἐποίησας, στύλον τὸν σαλευθέντα κατέστησας, καὶ ποιμένα τῶν ἀμνῶν τὸν πλανηθέντα ἐποίησας. Χρηστὸν δὲ οὐκ Ἰουδαίος, οὐδὲ εἰδωλολατρεῖαν νοσοῦσιν, ἀλλ' ἐναντίον τοῖς ὄσλοις, τοῖς δὲ: γάρ: καὶ εὐφροσύνης δικαιοθεΐαι. Παρὰ τοῦτοις γὰρ τὸ ὄνομα αὐτοῦ χρηστόν. Τί γὰρ τοῦ Ἰησοῦ προσηγορίας χρηστότερον; Ὑπομῆμα δέ: διὰ τί; Ἐπειδὴ ὁ ὑπομῆμας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται.*

ΨΑΛΜΟΣ NB.

C « Εἶπεν ἄφρων ἐν καρδίᾳ αὐτοῦ. »

Τίνος γὰρ ἦν τοῦτο λέγειν, ἀλλ' ἡ ἀφρονος; περὶ οὗ Ἡσαΐας ἔλεγεν· *Ὁ μωρὸς μωρὰ λαλήσει, καὶ ἡ καρδία αὐτοῦ μάταια φρονήσει. Ποῖα ταῦτα; Ὅτι φαῦλά τινα καὶ ἄτοπα ἐργαζόμενοι, καὶ τὴν ἐπ' αὐτοῖς τοῦ Θεοῦ μακροθυμίαν βλέποντες, θεόν εὐχαριστεῖν καὶ δοξάζειν ὡς χρηστὸν, καὶ ἀνεξίκακον, εἰς παραφροσύνην ἐκτρέπονται, οὐ νομίζοντες θεὸν ἐφορᾶν τὰ ἀνθρώπινα, ἀκριτῶς δὲ καὶ αὐτομάτως φέρεσθαι.*

« Διεφθάρησαν καὶ ἐδεδεύχθησαν. »

Ἡ τοῦ βλασφήμου διαδοθεῖσα νόσος τοὺς ἄλλους ἐν ἀνομίαις παρασκευάζει φθειρεσθαι, βδελυκτοῦς τε εἶναι τῷ Κτίσαντι, ἀπραξίαν τῆς ἀρετῆς τασάτην νοσοῦντας, ὥστε μηδὲν αὐτοῦ ἀγαθὸν ἐργάζεσθαι. Ἀλλὰ γὰρ διὰ τοῦ ἀφρονος τὴν τῶν εἰδωλολατρῶν μανίαν αἰνίττεται. Λέγοντες γὰρ ἐν καρδίᾳ οὐκ εἶναι θεόν, εἰδῶλα ξυλίων θεῶν καὶ λιθίνων ἐποίησαν. Διὰ δὲ τῆς ἀνομίας, ἥτις ἦν τοῦ νόμου παράβασις, τοὺς Ἰουδαίους αἰνίττεται, οὓς τῇ ἀπιστίᾳ φθαρέντας, ὁ Θεὸς ἐδεδεύχασατο.

« Ὁ Θεὸς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ διέκρυψεν. »

Τοσοῦτον γὰρ ὁ Θεὸς ἀληθείας ἐφίεται, ὅτι πάντα γινώσκων ἀκριβῶς τὰ ἡμέτερα, ὅμως διακρύπτει, καθάπερ ἀπὸ τίνος θυρίδος τῆς πρὸς ἡμᾶς συγκαταβάσεως, διαγνῶναι θέλων ἀκριβῶς τὰ ἀνθρώπινα. Ἀλλὰ γὰρ σαφῶς Χριστοῦ τὴν ἐπιδημίαν λέγει, ὅς

²² Isa. xxxii, 6

ἐκ τοῦ οὐρανοῦ διέκυψεν, ἤνικα ἡμῖν μετὰ σαρκὸς ἄ
ἐπεδήμησεν. Ὡς περ γὰρ ὁ παρακύπτων ἀφ' ὕψηλοῦ
τόπου, ἄνω μένων, κάτω τῇ ἐνεργείᾳ γίνεται, οὕτω
καὶ ὁ Χριστὸς ἐν τοῖς κόλποις τοῦ Πατρὸς μένων,
τῇ γῆ διὰ σαρκὸς ἐπεδήμησε. Τίνος χάριν; Τοῦ
ἰδεῖν, εἰ ἔστι συνίων, ἢ ἐκζητῶν τὸν Θεόν. Οὐκ-
οῦν οὐ τὰς πράξεις τοσοῦτον τῶν ἀνθρώπων κατήλ-
θεν ἐπισκέψασθαι, ὅσον ἰδεῖν εἰ τινα ὄλως θεογνωστῶν
ἔχουσι, εἰ ἐν πίστει τὸν Θεὸν ἐκζητοῦσι.

« Οὐχὶ γινώσκονται πάντες. »

Πάντες μὲν οἱ τοὺς πένητας ἀδικοῦντες, καὶ τὰ
τοῦ πλησίον ἀρπάζοντες, βρώσει ἄρτου τὸν λαὸν τοῦ
Θεοῦ ἐσθίειν εἰκότως λέγονται · τροφὴν γὰρ τῆς
ἑαυτῶν πλεονεξίας τὴν ἀδικίαν, τὴν εἰς ἐκείνους
ἔχουσι. Νομίσεις δὲ μάλιστα τοὺς διδασκάλους τῶν
Ἰουδαίων λέγεσθαι. Ὑπὲρ γὰρ ἀγνωσίας τὸν νόμον
ὡς ἐδόκουν ἐκδικοῦντες, τῇ δὲ ὑβρεὶ τοῦ νομοθέτου
ἀνομίαν ἐργαζόμενοι, οὗτοι τὸν λαὸν τοῦ Θεοῦ ἡσθιον
βρώσει ἄρτου, ἕνεκα πλησμονῆς καὶ γαστριμαργίας
προσωποληπτοῦντες, καὶ τὸν νόμον ἐν τῷ διδάσκειν
παραβαίνοντες.

Περὶ τῶν Ἰουδαίων λέγει · τὸν γὰρ ἀληθῶς Θεὸν
τὸν Χριστὸν οὐκ ἐπεκαλέσαντο, καὶ ἐφοβήθησαν φό-
βον περιττὸν, ἐνθα οὐκ ἦν φόβος, ὅτε πρὸς ἀλλήλους
ἔλεγον · Ἐὰν εἰσωμεν τὸν ἄνθρωπον τοῦτον,
ἡξουσιν οἱ Ῥωμαῖοι, καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν τὸν τό-
πον καὶ τὸ ἔθνος. Καίτοι οὐκ ἂν τοῦτο ἐγίνετο, εἰ
τὴν εἰς αὐτὸν πίστιν ἐφύλαξαν. Ὁμοίως δὲ καὶ
πάντες ἄνθρωποι ὅσοι τὸν Θεὸν ἐπικαλεῖσθαι ραθυ-
μοῦσιν, ὃν μὲν δεῖ φόβον οὐ φοβοῦνται, τῇ εἰς Θεὸν
ἀπιστίᾳ. Φοβοῦνται δὲ μάτην τὰς τῶν ἀνθρώπων
ἀπειλὰς, καὶ τὰς τῶν ἐχθρῶν δυναστείας, οὐκ εἶδο-
τες ταῦτα μηδὲν ἡμᾶς, ὅταν ἐχομεν τὴν εὐμένειαν
τοῦ Θεοῦ, παραβλάπτοντα. Ἀνθρωπαρέσκων δὲ περὶ
τούτων λέγει · ἀεὶ γὰρ τοῖς ἀνθρώποις ἀρέσκειν
παρὰ τὸν Θεὸν βούλονται, ὧν ὁ Θεὸς τὰ ὀστέα, δηλαδὴ
τὰς φυλάς διεσκόρπισε. Κατησχύνθησαν. Ὅν γὰρ
νεκρὸν καλοῦσιν, ὑπὸ τούτου διώκονται. Τὰ δὲ αὐτὰ
καὶ τοῖς τυχοῦσιν ἀνθρωπαρέσκοις ἐπέρχεται · τὰ
γὰρ ὀστέα αὐτῶν, τουτέστιν ὁ πλοῦτος καὶ ἡ δόξα
ὑπὸ Θεοῦ σκορπίζεται.

Διὰ τί ἀπὸ τῆς Σιών, καὶ οὐκ ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ,
οὐκ ἀπὸ τοῦ ναοῦ, οὐκ ἀπὸ τῆς κιβωτοῦ, οὐκ ἀπὸ
τῶν ἁγίων ὁ Προφήτης τὸ σωτήριον εὐχεται; Ἐπειδὴ
ἐκεῖ ἡμῖν ἀπέδωκεν ὁ Χριστὸς τὸ ἀρχαῖον ἐμψύχημα.
Ὅπερ δῆλον ἐπήγαγεν · Ἐν τῷ ἐπιστρέψαι Κύ-
ριον.

Ἥμω ἀλώτευσεν γὰρ ἡμῶν ὁ Σατανᾶς δι' ἀπάτης
τὴν κοινωνίαν τοῦ Πνεύματος · ἀλλ' ὁ Χριστὸς αὐτὴν
ἐν τῇ Σιών ἀπέδωκε διὰ τοῦ τῶν ἀποστόλων ἐμψύχη-
ματος. Διὰ τί δὲ Ἰακώβ, ἀγαλλιᾶσεται πρότερον,
καὶ τότε Ἰσραὴλ εὐφρανθήσεται, ἐνὸς ἑνὸς; Ἐπει-
δὴ Ἰακώβ περριστοῦς ἐρμηνεύεται, Ἰσραὴλ δὲ
νοῦς ὁρῶν Θεόν. Χρῆζόμεν δὲ περριστῶν γενέσθαι
πρότερον, τουτέστι διαδόλου, καὶ τότε ἡμῶν ὁ δι-
ωρατικὸς νοῦς τῇ κατὰ τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ ἠεωρίᾳ
εὐφραίνεται.

¹⁷ Joan. xi, 46 ¹⁸ Joan. xx, 22.

git, qui de caelo prospexit, quando ad nos in carne
venit. Quemadmodum enim qui ex alto loco prospic-
cit, sursum manens, per operationem suam deor-
sum sit : sic etiam Christus in sinu Patris manens,
per carnem descendit in terram. Cujus rei gratia?
ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Ita-
que non tam actiones hominum inspecturus adven-
nit, quam ut videat utrum omnino aliquam
Dei notitiam habeant, hi qui in fide Deum requi-
runt.

VERS. 3. « Nonne scient omnes. »

Omnes qui pauperibus injuriam inferunt et res
proximi diripiunt, cibo panis populum Dei devorare
merito dicuntur : nam pro avaritiæ suæ pabulo ha-
bent injustitiam, quam in ipsos exercent. Existima-
bis autem potissimum hæc dici de magistris Judæo-
rum. Nam qui ab ignorantia legem quodammodo
vindicare videbantur, sed ad legislatoris contume-
liam operabantur iniquitatem, hi cibo panis legem
Dei devorabant, dum præ saturitatis ac ventris
studio personas acciperent, et in docendo legem
violarent.

De Judæis loquitur, qui Christum verum Deum
non invocauerunt, et timuerunt timore supervacaneo,
ubi non erat timor, quando ad invicem dicebant :
Si dimittimus hunc hominem, venient Romani, et tol-
lent nostrum locum et gentem¹⁷. Verumtamen hoc
minime evenisset, si fidem in ipsum custodivissent.
Simili quoque ratione omnes homines qui Deum
invocare negligunt, præ incredulitate in Deum non
timent timore quo oportet : in vanum autem minas
hominum et inimicorum potentias metuunt, ne-
scientes ista nihil nobis offcere quando propitium
habemus Deum. Loquitur autem de iis qui homini-
bus placere student, siquidem hi semper homini-
bus præ Deo placere volunt; quorum Deus ossa,
id est tribus, dispersit. *Confusi sunt*. Nam quem
mortuum appellant, ab hoc infestantur. Cæterum
hæc eadem quoque quibusvis, qui hominibus pla-
cent, eveniunt : ossa enim eorum, id est divitiæ,
et gloria a Deo dissipantur.

Cur ex Sion, et non a caelo, non a templo, non
ab arca, non a sanctis propheta salutare deprecatur?
Quia nimirum illic antiquam nobis Christus
inspirationem tradidit. Quod utique subjunxit : *Cum
converterit Dominus*.

Satanas nimirum per deceptionem captivaverat
nostram Spiritus participationem; sed Christus eam
in Sion restituit, quando apostolis insufflavit¹⁸.
Cur autem Jacob prior exsultabit, ac deinde Israel
lætabitur, cum unus idemque sit? Quia nimirum
Jacob *supplantator* interpretatur, Israel vero *mens
videns Deum*. Debemus enim prius fieri *supplanta-
tores*, scilicet diaboli; ac tunc perspicax mens
nostra pro viribus suis Dei contemplatione læta-
tur.

PSALMUS LIII.

A

ΨΑΛΜΟΣ ΝΓ'.

VERS. 3. « Deus, in nomine tuo. »

Non propter opera mea, inquit, neque enim ullius pretii digna habeo, neque ob parentum nobilitatem (alius enim alium servare non potest), sed *in nomine tuo*; siquidem hæc salus perpetua et inviolabilis existit. Si enim nonnulli in latrones aut barbaros incidentes, postquam principum nomen produxerint, tanquam ipsorum familiares pericula evadunt, quomodo non multo magis in nomine Dei ab omnibus dæmonum insidiis liberemur?

« Et in virtute tua judica me. »

Judicium cupit, non quo condemnemur, sed quo ab oppressore liberemur; quapropter in potentia judicari postulavit, ut adversario, sive sensibili, sive spiritali, potentia Dei subacto, nos ab insidiatoribus remoti simus.

VERS. 4. « Deus, exaudi orationem meam. »

Nulla enim arma contra inimicos validiora habemus oratione, dummodo Deo digna rogaverimus; cujus sibi ipsi conscius propheta, cupit Deum auribus percipere verba oris sui, ut sciens ipsum nihil humani postulare, sacrificium orationis admittat.

VERS. 5. « Quoniam alieni insurrexerunt. »

Alieni sunt omnes qui non sapiunt ea quæ Dei sunt, quantumvis et cognati, et amici, et fratres fuerint. Quamobrem sæpenumero non pudet eos nobis tanquam alienos alienis, licet cognati sint, insidiari. Qui enim semetipsos Deo alienos reddiderunt, quomodo non multo magis a naturæ lege alieni sint? Fortes vero vocat eos qui potentes sunt in malitia, qui tam vehementi et implacabili pravitate laborant, ut etiam ipsimet animæ struant insidias, non solum sensibilem nobis; sed etiam spiritalem mortem machinantes.

VERS. 8. « Confitebor nomini tuo. »

Involuntarium enim sacrificium Deus minime suscipit; siquidem tunc non offerenti, sed cogenti oblationem attribuit. Quod cum sciret quoque Paulus apostolus, dixit: *Non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus*¹¹. Tu vero etiam ex tempore voluntatis promptitudinem considera. Sæpe enim cum in afflictionem incidimus, nobis ipsis pientiores evadimus. Oportet enim cessante etiam afflictione nos similiter gerere.

Viso inimicorum interitu, confessionem dixit gratiarum actionem: bonum enim est quod in ipsa recte agitur: nam qui benefactori gratias agit, in posterum promptiorem ipsum reddit; peccatorum autem præsentium ac futurorum redemptio conciliat ipsi familiaritatem Dei, futurorum bonorum spem, omnis afflictionis liberationem, ita ut ad beatitudinem istiusmodi vita transferatur.

¹¹ II Cor. ix, 7.

« Ὁ Θεός, ἐν τῷ ὀνόματί σου. »

Μὴ διὰ πράξεις, φησὶν, οὐδὲ γὰρ ἀξιοχρέους ἔχω, μὴ διὰ πατέρων εὐγένειαν (ἄλλος γὰρ ἄλλον διασώζειν οὐ δύναται), ἀλλ' ἐν τῷ ὀνόματί σου· εἰ γάρ-τοι αὕτη σωτηρία διηνεχῆς καὶ ἀσυλος ἴσταται. Εἰ γὰρ λησταὶς τις; ἢ βαρβάρους περιπεσόντες, εἴτα ὄνομα δυναστῶν παραγαγόντες, ὡς ἐκείνων οικεῖοι τοὺς κινδύνους ἐκφεύγουσι, πῶς οὐ πολὺ μᾶλλον ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Θεοῦ ἀπὸ πάσης ἐπιβουλῆς δαιμόνων σωζόμεθα;

« Καὶ ἐν τῇ δυνάμει σου κρίνον με. »

Κρίσιν, οὐχ ὅτι κατακριθῶμεν, ἀλλ' ὥστε ἐλευθερωθῆναι τοῦ τυραννοῦντος βουλεύεται· διόπερ ἐν δυναστείᾳ κριθῆναι προστύξατο ἵνα τοῦ ἀντιδίκου εἴτε τοῦ αἰσθητοῦ, εἴτε τοῦ νοητοῦ τῇ δυναστείᾳ τοῦ Θεοῦ χειρωθέντος, ἡμεῖς γενώμεθα τῶν ἐπιβεσζόντων ἀλλότριοι.

« Ὁ Θεός, εἰσάκουσον τῆς προσευχῆς μου. »

Οὐδὲν γὰρ ὄπλον πρὸς τοὺς ἐχθρούς ὑπὲρ τῆν εὐχὴν ἰσχυρότερον ἔχομεν, μόνον ἐν τῷ ἅξια τοῦ Θεοῦ προσευξόμεθα, ὅπερ ὁ Προφήτης ἑαυτῷ συνειδῶς ἐνωτίσασθαι τὴν θεῶν βρῆματα τοῦ στόματος βούλεται, ἵνα διαγινώσκῃ, ὅτι οὐδὲν ἀνθρώπινον ζῆτει, τὴν θυσίαν τῆς προσευχῆς προσδέξεται.

« Ὅτι ἀλλότριοι ἐπανέστησαν. »

Ἄλλότριοι πάντες οἱ μὴ φρονούντες τὰ τοῦ Θεοῦ, καὶ συγγενεῖς, καὶ φίλοι, καὶ ἀδελφοὶ τυγχάνωσι. Διὸ καὶ ἐπιβουλεύειν ἡμῖν ὡς ἀλλότριοι ἀλλοτρίοις, καὶ συγγενεῖς ὄντες, πολλάκις οὐκ αἰσγύνονται. Οἱ γὰρ ἑαυτοὺς ἀλλοτριώσαντες τοῦ Θεοῦ, πῶς πολὺ μᾶλλον καὶ τοῦ νόμου τῆς φύσεως ἀλλότριοι γίνονται; Κρατατοὺς δὲ τοὺς ἰσχυροὺς τῇ κακίᾳ λέγει, οἵτινες εἰς τοσοῦτον ἰσχυρὰν καὶ ἀνένδοτον τὴν πονηρίαν κέκτηνται, ὥστε καὶ εἰς ἑαυτὴν ἐπιβουλεύειν τὴν ψυχὴν, οὐ μόνον τὸν αἰσθητὸν ἡμῖν, ἀλλὰ καὶ τὸν νοητὸν κατασκευάζοντες θάνατον.

« Ἐξομολογήσομαι τῷ ὀνόματί σου. »

Ἀκούσιον γὰρ θυσίαν ὁ Θεός οὐ προσδέχεται· οὐδέποτε γὰρ τῷ προσφέροντι, ἀλλὰ τῷ ἀναγκάζοντι τὴν προσφορὰν λογίζεται. Ὅπερ εἰδὼς καὶ Παῦλος ὁ ἀπόστολος, εἶπε· *Μὴ ἐκ λύπης ἢ ἐξ ἀνάγκης· Ἰλαρὸν γὰρ ὄντην ἀγαπᾷ ὁ Θεός*. Σὺ δὲ καὶ ἀπὸ καιροῦ τὸ ἐκούσιον νόησον. Πολλάκις γὰρ εὐλίψει περιπεσόντες γινόμεθα ἑαυτῶν εὐλαδέστεροι. Χρὴ δὲ ἡμᾶς καὶ τῆς θλίψεως μεταβληθείσης παραπλησίως εὐρίσχεσθαι.

Τῶν πολεμίων τὸν βλεθρον θεασάμενος, ἐξηκολόγησιν εἶπεν τὴν εὐχαριστίαν· ἀγαθὸν γὰρ τὸ ἐπ' αὐτῇ κατόρθωμα· ὁ γὰρ εὐχαριστῶν τῷ εὐεργέτῃ, φιλοτιμώτερον αὐτὸν ἐν ταῖς ἐξῆς ἐργάζεται· ἡ δὲ τῶν ἀμαρτημάτων ὧν ἔχει καὶ τῶν μελλόντων λύτρων, αὐτῷ ἐργάζεται οικειώσιν Θεοῦ, ἐλπιδᾶ τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, πάσης θλίψεως ἀπὸ ἀλλαγῆν, ὥστε εἰς μακκρυότητα τῷ τοιοῦτῳ ὁ βίος μεθίσταται.

ΨΑΛΜΟΣ ΝΑ΄.

« Εἰς τὸ τέλος, ἐν ὕμνοις συνέσεως τῷ Δαυῖδ. »

Σκοποῦ τοῦ αὐτοῦ καὶ ὁ ψαλμὸς ὁ ἐχόμενος ἔχεται· διαγράφει γὰρ τὸν ἐν πειρασμοῖς ἐξεταζόμενον ἄνθρωπον· διόπερ ὕμνεῖν μετὰ συνέσεως τὴν δυνάμενον ἐλευθερῶσαι πειρατῶν ἐπαγγέλλεται. Σαφῆς δὲ καὶ τῶν Δεσποτικῶν παθῶν ἡ προφητεία πρόκειται.

« Ἐνώτισαι, ὁ Θεὸς, τὴν προσευχὴν μου. »

Ταῦτα Χριστοῦ προσευξαμένου, καὶ ἡμεῖς προσευξόμεθα, καὶ τὸν Δεσπότην οἱ δοῦλοι, καὶ τὸν πλούσιον οἱ πτωχοὶ μιμησώμεθα· αὐτὸς τὴν ἡμῶν προσευχὴν εἰσακουσθῆναι βούλεται, καὶ μὴ παρωφθῆναι τὴν δέσιν ὑπὲρ τῆς σωτηρίας τοῦ γένους οὔσαν, ὡς ἀπαρχὴ τυγχάνων ὧν πρεσβεύεται. Ὁμοῦ καὶ τίνα δεῖ προσεύχεσθαι, τρόπον δειξάμενος, Ἐνώτισαι, φησὶ, καὶ μὴ ὑπερίδης. Πολλάκις γὰρ ἡμῶν τὴν προσευχὴν ἀκούσας, ὡς περιττὴν καὶ ἀναξίαν τῆς ἀκοῆς αὐτοῦ, παρορᾷ καὶ παραπέμπεται.

« Ἐλυπήθην ἐν τῇ ἀδολεσχίᾳ μου. »

Λόγισαι, φησὶ, τίς οὗτος ὁ εὐχόμενος, ὅτι Υἱὸς τοῦ Πατρὸς, ὁμοούσιος βασιλεὺς; ἀλλὰ δούλου μορφῆν φέρων, ἵνα σώσῃ τὸ πλάσμα τὸ ἡμέτερον.

Ἄδολεσχίαν τὸν ἐν θεωρίᾳ μετεωρισμῶν λέγει, ὃν ὑπέμεινε ὁ Κύριος, τὰ κατ' ἡμᾶς λογιζόμενος, ἐφ' ᾧ καὶ ἐταράττετο, ὅτι τοσοῦτον ἀνοίας προεξέψαμεν, ὥστε σκελίζειν τὸν ὑπὲρ ἡμῶν τρέχοντα, καὶ τὸν παραγενόμενον σώσαι, τιθέναι προσκόμματα. Ταῦτα καὶ Καϊάφας, καὶ Ἰούδας, καὶ οἱ συνεργοὶ διεπράττον· οὐδὲν ὧν κατὰ λόγον ἐπήγαγεν· Ἀπὸ φωνῆς ἐχθροῦ, καὶ ἀπὸ θλίψεως ἀμαρτωλοῦ· ἐχθρὸν τὸν Καϊάφην λέγων, ὡς ἀφέναι φωνὴν κατὰ τοῦ Σωτῆρος; ἐν τῷ κτηρῷ τοῦ κριτηρίου τοιαύτην τετολημῆκα· Ἐβλασφημήσῃ· τί ἐτι ζητεῖτε; ἀμαρτωλὸν δὲ τὸν Ἰούδαν. Πῶς γὰρ οὐχ ἀμαρτωλὸς ὁ προδιδοὺς τὸν διδάσκαλον; Ἐφ' ᾧ καὶ σφόδρα ὡς μαθητῆ καὶ προδότη θλιβόμενος, ἐπιφέρει τὰ ἐχόμενα.

« Φόβος καὶ τρόμος; ἦλθεν ἐπ' ἐμέ. »

Τοῦτο τῶν ἐν πειρασμοῖς καὶ θλίψεσιν ἴδιον, μὴ μόνον φόβον καὶ τρόμον, ἀλλὰ καὶ σκότον τὸ κατὰ ψυχὴν ἀπορροούμενος συνεχέσθαι. Ἄλλ' ὁ Χριστὸς, ὡς ποιμὴν ἀληθινὸς καὶ γνήσιος, ὑπὲρ τῆς ἑαυτοῦ ποιμνῆς ἔδειλα καὶ ἐτρεμεν· τὸν γὰρ ἀδημονοῦντα καὶ λυπούμενον οὐδὲν ἦν ἀπεικὸς φοβεῖσθαι καὶ τρέμειν, πάντα χωρὶς ἀμαρτίας τὰ ἡμέτερα πάσχοντα· οὐκ οὖν καὶ σκότος αὐτὸν ἐκάλυψε τὸ ἡμέτερον. Μᾶλλον δὲ σκότος ἐκείνο λέγει, ὅπερ τὸν κόσμον ἐκάλυψε κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ σταυροῦ, ἀπὸ ἕκτης ὥρας ζωῆς ἐννάτης γενόμενον.

« Καὶ εἶπα· Τίς δώσει μοι πτέρυγας; »

Πτέρυγας τοὺς ἀποστόλους καλεῖ· ἐν αὐτοῖς γὰρ ἐπὶ τὴν αἰκουμένην ὅλην τοῦ Χριστοῦ τὸ μυστήριον ἔπη, καὶ καθάπερ ἐν νεοσσιαῖ; Ἐκκλησίαι; κτι-

A

VERS. 1. « In finem, in carminibus intellectus David. »

Psalmus hic eundem quoque scopum habet : describit enim hominem tentationibus examinatum : propterea monet, ut cum intelligentia eum canamus illi, qui a tentationibus liberare possit. Cæterum perspicua quoque Dominicarum passionum prophetia proponitur.

VERS. 2. « Exaudi, Deus, orationem meam. »

Christo hæc orante nos pariter oremus, et servi Dominum et divitem pauperes imitemur : ipse vult preces nostras exaudiri, et minime despici deprecationem, quæ pro salute generis existat, cum sit primitiæ illorum pro quibus obit legationem. Præterea etiam quomodo orandum sit ostendere volens : *Auribus, inquit, percipe, et ne despexeris.* Frequenter enim nostram orationem audiens, tanquam nullius pretii et auditu suo indignam, despicit rejicitque.

VERS. 3. « Contristatus sum in exercitatione mea. »

Expende, inquit, quisnam sit is qui orat, scilicet Filius Patris, ejusdem cum ipso substantiæ Rex. sed formam servi gerens, ut figmentum nostrum salvum faceret.

Exercitationem vocat illam in meditando elevationem, quam sustinuit Dominus, dum res nostras expenderet; propter quas etiam conturbabatur, quod ad tantam dementiam devenissemus, ut illi, qui pro nobis currebat, crura succideremus, et obstacula poneremus illi, qui ad servandum advenerat. Hæc etiam Caiaphas, et Judas ac commilitones eorum faciebant; de quibus in decursu sermonis subjunxit : *A voce inimici, et a tribulatione peccatoris; inimicum appellans Caiapham, ut qui tempore judicii vocem istiusmodi contra Salvatorem emittere ausus sit: Blasphemavit; quid adhuc queritis [Vulgata egemus testibus]*²⁰? peccatorem vero Judam. Quomodo enim non peccator sit, qui præceptorem prodidit? A quo, utpote discipulo ac proditore, vehementer afflictus, subjungit ea quæ sequuntur.

VERS. 6. « Timor et tremor venerunt super me. »

Hoc tentatis et afflictis proprium est, ut non solum timore ac tremore, sed etiam tenebris secundum animam deficientes corripiantur. Quin et Christus, tanquam verus ac sincerus pastor, pro grege suo timuit tremuitque : siquidem mœrentem ac dolentem nil prohibebat timere ac tremere, cum absque peccato omnia nostra pateretur : itaque etiam tenebræ nostræ ipsum obumbrarunt. Quin potius tenebras illas intelligit, quæ mundum contexerunt tempore crucis a sexta hora usque ad nonam.

VERS. 7. « Et dixi : Quis dabit mihi pennas? »

Pennas vocat apostolos : in ipsis enim per totum terrarum orbem Christi mysterium volavit, et quasi in novellis Ecclesiis requievit : ipsis quodammodo

²⁰ Matth. xxvi, 65.

alas columbæ, id est Spiritus sancti dispensatione plenas, optat. Particula autem quis non est hic haesitantis, sed potius desiderantis et urgentis.

VERS. 9. « Expectabam eum qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate. »

Pusillanimitatem vocat contumeliam, *tempestatem* vero vigorem, et violentiam, ac vehementiam tentationis; e quarum utrisque a Deo auxilium præstolandum. Christus autem non tanquam sibi ipsi hoc petit, sed apostolis animo deficientibus tempore passionis, ita ut increpando ad ipsos dixerit: Sic? Non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem²¹. Quod si conspiratio in malo mala sit, etiam e diverso magnum bonum est, dissipatio in malo conspirantium. Qui itaque in turris ædificationem consenserant, cum haberent vocem unam et labium unum, omnes impediti fuerunt, maxima impietate confusi, quod non amplius haberent vocum consensionem.

Quando malitia in semetipsa divisa fuerit, securi sumus qui ab illa oppugnamur: non amplius enim insidiis ejus creditur. Etenim Christo miracula faciente Judæorum linguæ divisæ sunt: atque alii quidem dicebant: Non est hic homo a Deo, quia Sabbatum non custodit. Alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator talia signa facere? Et schisma erat inter eos²².

VERS. 10. « Quoniam vidi iniquitatem et contradictionem. »

Dum Christus inique judicabatur, contentio facta est, Pilati scilicet et principum sacerdotum Judæorum: illo quidem dicente: Nihil invenio causæ in hoc homine²³; ipsis vero respondentibus: Nos legem habemus; et scimus quia secundum legem nostram debet mori²⁴.

VERS. 11. « Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas et labor in medio ejus. »

Die quidem, id est tempore crucis; nocte vero, id est tempore prodicionis; super muros, id est super sacerdotes: ipsi enim sunt muri populi: fortes quidem, dum secundum legem sacerdotii vivunt; cariosi vero ac ruinosi, quando a dignitate sua aliena tractant. Iniquitatem vero et laborem in medio ejus et injustitiam vocat servitutem litteræ: iniquitatem, quia legem spiritaliter non servarunt: injustitiam, quia tantis a Patre beneficiis affecti, medicum et altorem suum cruci tradiderunt. Non defecit autem de plateis ejus usura et dolus. Fortassis quidem etiam Judæorum avaritiam taxat; qui, dum lex ipsos fenerari prohiberet, dolo usuras aliis artificibus extorquebant. Cæterum deceptionis fenus est hypocrisis: hæc una cum dolo de Hierosolymæ plateis minime defecit: in iis enim tanquam in virtutibus valde præsidebant. Verumtamen et nos caveamus, ne die

έπαυσε· τούτοις οἶα πτέρυγας περιστερᾶς, τούτέστι πλήρεις τῆς χορηγίας τοῦ Πνεύματος, βούλεται. Τὸ δὲ τίς οὐκ ἀπορούντος ἐναυῦθα, ἀλλὰ τὸ μᾶλλον ἐπιθυμούντος καὶ κατεπειγοντος.

« Προσεδεχόμεν τὸν σώζοντά με ἀπὸ ὀλιγοψυχίας καὶ καταγιγῶς. »

Ὁλιγοψυχίαν τὴν λοιδορίαν καλεῖ, καταγιγῶς δὲ τὴν ἀκμήν τοῦ πειρασμοῦ, καὶ βίαν, καὶ σφοδρότητα· ὧν ἐξ ἑκατέρας χρῆ παρὰ Θεοῦ προσδέξασθαι τὴν βοήθειαν. Ὁ Χριστὸς δὲ οὐχ ὡς ἑαυτῷ τούτο προσεύχεται, ἀλλὰ τοῖς ἀποστόλοις ὀλιγοψυχοῦσι κατὰ τὴν καιρὸν τοῦ πάθους· ὥστε καὶ πρὸς αὐτοὺς ἐπιτιμῶν εἶπεν· Οὕτως; οὐκ ἰσχύσατε μίαν ὥραν γρηγορῆσαι; Γρηγορεῖτε καὶ προσεύχεσθε, ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν. Εἰ ἐπὶ κακῷ συμφωνία δεινὸν, καὶ ἐκ τοῦ ἐναντείου μέγα ἀγαθὸν ἢ τῶν ἐπὶ κακῷ συμφωνησάντων διάλυσις. Καὶ οἱ ἁποστόλοι γοῦν ἐπὶ τῇ πυργοποιίᾳ, τὸ ἔχειν φωνὴν μίαν καὶ χεῖλος ἓν, πάντες ἐνεποδίσθησαν, μεγίστην δυσσεβείαν συγχυθέντες, ὡς μηκέτι ὁμοφωνίαν ἔχειν.

Ὅταν ἡ κακία καθ' ἑαυτὴν μερισθῇ, ἔχομεν τὸ ἀσφαλὲς οἱ παρ' αὐτῆς πολεμούμενοι· οὐκέτι γὰρ αἱ ἐξ αὐτῆς ἐπιβουλαὶ πιστεύονται. Τοιγαροῦν τοῦ Χριστοῦ θαυματουργοῦντος τῶν Ἰουδαίων αἱ γλῶσσαι διηρέθησαν· καὶ οἱ μὲν ἔλεγον· Οὐκ ἔστι παρὰ Θεοῦ ὁ ἄνθρωπος οὗτος, ὅτι οὐ τηρεῖ τὸ Σάββατον· ἄλλοι ἔλεγον· Πῶς δύναται ἄνθρωπος ἀμαρτωλὸς τοιαῦτα σημεῖα ποιεῖν; Καὶ σχίσμα ἦν ἐν αὐτοῖς.

« Ὅτι εἶδον ἀνομίαν καὶ ἀντιλογίαν. »

Τοῦ Χριστοῦ κρινομένου ἀνόμως, ἀντιλογία τῶν κρινόντων, Πιλάτου δηλαδὴ καὶ τῶν Ἰουδαίων ἀρχιερέων ἐγένετο· τοῦ μὲν λέγοντος, Οὐδὲν αἴτιον εὗρισκω ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τούτῳ· ἐκεῖνων δὲ· Ἡμεῖς νόμον ἔχομεν, καὶ οἶδαμεν, ὅτι κατὰ τὸν νόμον ἡμῶν ὀφείλει ἀποθαιεῖν.

« Ἡμέρας καὶ νυκτὸς κυκλώσει αὐτὴν ἐπὶ τὰ τεῖχη αὐτῆς, ἀνομία καὶ πόνος ἐν μέσῳ αὐτῆς. »

Ἡμέρας μὲν, κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ σταυροῦ· νυκτὸς δὲ, κατὰ τὸν καιρὸν τῆς προδοσίας· ἐπὶ τὰ τεῖχη, δηλαδὴ ἐπὶ τοὺς ἱερεῖς· αὐτοὶ γὰρ τεῖχη τοῦ λαοῦ τυγχάνουσιν· ἰσχυρὰ μὲν, κατὰ τὸν νόμον τῆς ἱερουσύνης ζῶντες· σαθρὰ δὲ πεπτωκότα, ὅταν ἀλλότρια τοῦ προσήματος πράττουσιν. Ἀνομίαν δὲ καὶ κόπον ἐν μέσῳ αὐτῆς, καὶ ἀδικίαν λέγει τὴν δουλείαν τοῦ γράμματος· ἀνομίαν, ὅτι τὸν νόμον πνευματικῶς οὐκ ἐφύλαττον· ἀδικίαν, ὅτι τοσαύτας παρὰ τοῦ Πατρὸς εὐεργεσίας δεξάμενοι, σταυρῷ τὸν ἱατρὸν καὶ τὸν τροφέα παρέδωκαν. Οὐκ ἐξέλειπε δὲ ἐκ τῶν πλατειῶν αὐτῆς τόκος καὶ δόλος. Ἰσως μὲν καὶ τὴν τῶν Ἰουδαίων φιλαργυρίαν διαβάλλει· οἷτινες, τοκίζουσιν αὐτοῦ τοῦ νόμου κωλύοντες, δόλῳ τοὺς τόκους δι' ἐπινοίῳν ἐτέρων ἐκέρανον. Πλὴν τόκος τῆς ἀπάτης ἢ ὑπόκρισις· αὕτη μετὰ δόλου τὰς τῆς Ἱερουσαλὴμ πλατείας οὐκ ἐπέλειπε· σφόδρα γὰρ ἐπ' αὐτοῖς ὡς ἐπ' ἀρετᾶς;

²¹ Matth. xxvi, 40. ²² Joan. ix, 16. ²³ Luc. xxiii, 4. ²⁴ Joan. xix, 7.

ἐπαρβήσιάζοντο. Πλὴν καὶ ἡμεῖς φυλαζώμεθα, καὶ μῆτε ἡμέρας μῆτε νυκτὸς ἐπὶ τὰ ἡμέτερα τείχη, δηλαδὴ τὰς ἀρετὰς, ἀνομίαν ἔχειν ἢ ὧλως ἀντιλογίαν καρτερήσωμεν· ἀλλὰ μὴδὲ τόκον ἢ δόλον ἐν πλατεῖαις ταῖς ἡμετέραις ἔχωμεν. Πλατεῖται γὰρ καὶ εὐθυνοῦσαι αἱ ὁδοί, ἐν αἷς τὰ πληγμμελήματα οὐ μὴν εἰς ζωὴν, ἀλλ' εἰς ἀπώλειαν ἄγουσιν.

« Ὅτι εἰ ἐχθρὸς ὠνεΐδισέ με. »

Φορητὰ τὰ παρὰ τῶν ἐχθρῶν ἀποκεκαλυμμένων διὰ τοῦτο νομιζέται, ἐπειδὴ περ εὐχερῆς ταῦτα φυλάξασθαι· οἱ δὲ φίλοι δοκοῦντες, τὰ τῶν ἐχθρῶν λογιζόμενοι, οὐκ εἰσὶ φορητοί· μέλιτι γὰρ τὸν ἴον κεράσαντες λανθάνοντα, κατασκευάζουσι θάνατον. Τοῦτο καὶ τῷ Ἰουδᾷ ὁ Χριστὸς διὰ τῆς παρουσίας προφητείας ὠνεΐδισεν. Ὡν ἵνα παραστήσῃ σαφέστερον, τὰ ἐχόμενα ὁ Προφήτης ἐπήγαγεν·

« Σὺ δὲ, ἄνθρωπε ἰσώψυχε. »

Ἰσώψυχε, διὰ τὴν ἀγάπην, ἣν περὶ τοὺς ἑαυτοῦ μαθητὰς ὁ Κύριος ἐπεδείκνυτο, ὥστε τῷ Πατρὶ λέγειν· Πάτερ ἅγιε, τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου, οὗς δέδωκάς μοι· ἵνα ὧσιν ἐν, καθὼς καὶ ἡμεῖς. Ἥγεμῶν, ἐπειδὴ τὸ γλωσσόκομον τῶν χρημάτων βασιτάζων αὐτὸς, ἴσως τὴν ἐξουσίαν τῆς οἰκονομίας ἐκέκτητο. Γνωστὸν, πάντα γὰρ ὡς μαθητῆ ἀπεκάλυψεν. Ὅς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐγλύκυνάς μοι τὰ ἐδέσματα. Μόνος γὰρ μετὰ τοῦ Ἰησοῦ ἐνέβαπτεν εἰς τὸ τρυβλίον. Ἐν τῷ ὀλκῷ τοῦ Θεοῦ ἐπόρευέθημεν ἐν ὁμορολίᾳ. Οἶκον Θεοῦ τὴν Σιών λέγει· ἐκεῖ γὰρ ἐν ὁμορολίᾳ τὸ δεῖπνον τοῦ Πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν ὁ Χριστὸς ἐπέτελεσεν· οὐ μὴν ἐφύλαξε Ἰουδᾶς τοῦ δεῖπνου τὸ μυστήριον· ἐκείθεν γὰρ ἐξελθὼν τὴν προδοσίαν ἐπραξεν. Ὡστε ταῦτα τῷ προδότῃ τῷ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καὶ πρὸ πολλῶν γενεῶν ὠνεΐδισεν ἐφθέγγετο.

« Ἐλθέτω δὴ θάνατος ἐπ' αὐτούς. »

Τοῦτο πεπλήρωται μὲν ἐπὶ τῷ Ἰουδᾷ· τὴν γὰρ προδοσίαν ἀγγέλον διεδέξατο. πεπλήρωται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων Ἰουδαίων· Χριστὸν γὰρ τὴν ζωὴν τὴν ἀληθινὴν ἔχοντες, ἀσεβήσαντες εἰς αὐτὸν, ὑπὸ τὴν φοβεράν τοῦ θανάτου κατάραν ἐγένοντο. Παροιμία δὲ ὁ βίος ὁ ἀνθρώπινος λέγεται. Οὐδὲ γὰρ οἰκεῖν ἐνταῦθα μέχρι πολλοῦ δυνάμεθα, ἀλλ' ὡς πάροικοι, ὅταν οἰκοδεσπότης προστάξῃ, παραχρῆμα ἐκβαλλόμεθα. Ἐπειδὴ δὲ παροικίας ὁ Προφήτης πολλὰς ἀντι μᾶς εἶπε, τὰς πολλὰς τῶν ἀνθρώπων κατὰ τὸν βίον διαφορὰς αἰνίττεται. Οἱ μὲν γὰρ τυχόν ἀπορίαν, οἱ δὲ γεωργίαν, οἱ δὲ τὴν ἐν τοῖς θεῖοις λειτουργίαν μετέρχονται. Ἄλλ' ἐν πᾶσι τούτοις οἱ τῶν Ἰουδαίων παῖδες ἐπονηρεύοντο· οὐ γὰρ μόνον ὁ ἄλλος δῆμος, ἀλλὰ καὶ οἱ κατ' ἐξοχὴν αὐτῶν, εἶτε ἄρχοντες, εἶτε ἱερεῖς, τὴν πονηρίαν μέσην αὐτῶν ὡσπερ ἀπολαβόντες, μετέρχοντο.

« Ἐγὼ πρὸς τὸν Θεὸν ἐκέκραξα. »

Ὁ Χριστὸς καὶ ταῦτα λέγει· πρὸς γὰρ τὸν Θεὸν ἑαυτοῦ Πατέρα ἐκέκραξε, καὶ ὁ Κύριος εἰσήκουσεν αὐτοῦ. Εἶτε τὸ Πνεῦμα λέγοις (ὁ γὰρ Κύριος τὸ Πνεῦμα ἐστίν), εἶτε τὸν Κύριον αὐτὸν ἑαυτοῦ εἰσακού-

neque nocte super muros nostros, nempe virtutes, habeamus iniquitatem, vel omnino contradictionem toleremus : sed neque usuram vel dolum in plateis nostris habeamus. Plateæ enim et lateæ viæ sunt, in quibus delicta non ad vitam, sed ad interitum ducunt.

VERS. 13. « Quoniam si inimicus exprobrasset me. »

Ea quæ a manifestis inimicis inferuntur idcirco tolerabilia censentur, quia facile est ista cavere : at qui, cum amici videantur, hostilia machinantur, intolerabiles existunt : siquidem melle venenum miscentes, clandestinam mortem inferunt. Hoc etiam Judæ Christus præsentī vaticinio exprobravit. Quæ, ut propheta clarius exponeret, sequentia subjunxit :

VERS. 14. « Tu vero homo unanimis. »

Unanimis, propter dilectionem, quam erga discipulos suos Dominus ostendit, cum Patri diceret : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi : ut sint unum, sicut et nos*²⁵. *Dux*, quia cum ipse marsupium pecuniarum ferret, fortasse rei familiaris habebat potestatem. *Notus*, quia tanquam discipulo ei omnia revelaverat. *Qui simul mecum dulces capiebas cibos*²⁶. Solus enim cum Jesu intingebat manum in catino. *In domo Dei ambulavimus cum consensu*²⁷. Domum Dei vocat Sionem : illic enim cum consensu cœnam Paschæ cum discipulis Christus perfecit ; verum Judas cœnæ mysterium non observavit : inde enim egressus proditorem adornavit. Hæc itaque Dei Spiritus ante plurimas generationes, proditori exprobrando, insinuavit.

VERS. 16. « Veniat mors super illos. »

Hoc quidem in Juda impletum est : proditorem enim laqueus excepit. Quin et in aliis Judæis impletum est : cum enim Christum vitam veram haberent, erga ipsum impie se gerentes, terribile mortis maledictum incurrerunt. Porro tabernaculum humana vita dicitur. Habitare enim hic longo tempore non valemus ; sed tanquam incolæ, quando Dominus domus præceperit, illico ejicimur. Cum autem Propheta multa tabernacula pro uno dixerit, plurimas hominum in hac vita differentias insinuat. Siquidem alii, verbi gratia, in paupertate, alii in agricultura, alii in divino cultu exercentur. Verum in his omnibus Judæi nequiter se gesserunt, non solum plebs communis, sed etiam primicerii eorum, cum principes, tum sacerdotes nequitiam, quasi in medio sui excipientes, sectati sunt.

VERS. 17. « Ego ad Deum clamavi. »

Christus etiam hæc dicit : siquidem ad Deum Patrem suum clamavit, et Dominus exaudivit eum. Sive Spiritum dixeris (Dominus enim Spiritus est), sive ipsum Dominum semetipsum exaudientem,

²⁵ Joan. xvii, 11. ²⁶ Matth. xxvi, 25. ²⁷ Marc. xiv, 20.

uique hic manifestum fit, Christum quidem orare ut humanitatis legem observet, ipsum nihilominus semetipsum exaudire : ipse enim propriam consummat orationem, dum ea quæ ut homo rogat, eadem tanquam Deus exsequitur :

VERS. 18. « Vespere, et mane, et meridie. »

Vel narrat mysteria quæ dictis temporibus peracta sunt. *Vespere* quidem, quando Joseph ipsum sepelivit, et Nicodemus ejus curam gessit, et rursus, quando ostiis Sionis clausis, secundum ingressus est. *Mane* vero, quando adductus fuit in Pilati prætorium, et quando a mortuis resurgens mulieribus semetipsum manifestavit. *Meridie*, quando cruci affixus fuit, et terræ motum excitavit, non illam interire, sed innovari ac emendari volens. Et cur ista se narraturum recepit? Quia nimirum etiam cætera Unigeniti miracula continebant. Unde quoque Patrem suum hanc vocem exauditurum asserit, cum prædictorum mysteriorum commemoratione gaudeat.

VERS. 19. « Redimet in pace animam meam. »

Sive militum, qui sepulcrum ejus obsidebant, sive falsorum testium, qui ipsum criminantes iudicii tempore circumdabant; sive potestatum infernalium, quæ ipsum quidem obstupescabant, simul vero etiam observabant ne universam defunctorum captivitatem reduceret.

VERS. 21. « Extendit manum suam in retribuendo. »

Accuratio prophetiæ hujus digna est admiratione. Siquidem hoc rebus ipsis in Juda deprehenditur, quando argentum, prodicionis pretium, principibus sacerdotum restituere volens, necessatio manum extendit.

VERS. 22. « Molliti sunt sermones ejus super oleum. »

Judæi, inquit, sermones habebant adeo molles, ut etiam omnem benignitatem superare viderentur, in quibus Dei sapientiam tentabant, non secus ac nautæ per holidas mare explorant; sed eam minime attigerunt. Quid enim bolis in abyso facere possit? Abyssus autem est Dei sapientia; de qua etiam Paulus dixit : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus*²⁸ ! quin et ipsemet hic Propheta : *Justitia tua sicut montes Dei : judicia tua abyssus multa*²⁹ ! Cæterum exemplaria nonnulla habent, *Molliti sunt sermones ejus*. Ita ut vaticinium ad Judam referatur : hic enim sermones suos per signenta emollivit, dum quandoque quidem curam pauperum prætendunt, ut crumenam clepet; quandoque vero per osculum et salutationem Christo illudens.

VERS. 23. « Jacta super Dominum curam tuam, »
 Πᾶς etiam nobis dicta credimus : si enim in Deum

Α σαντα · οὐκοῦν ἐντεῦθεν δῆλον, ὡς προσεύχεται μὲν ὁ Χριστὸς φυλάξαι τὸν νόμον τῆς ἀνθρωπότητος, βουλόμενος, ἀλλ' ὁμως αὐτὸς ἑαυτοῦ εἰσακούει · αὐτὸς γὰρ τὴν οἰκείαν ἐπιτελεῖ προσευχὴν, ἅπερ ἂν ὡς ἄνθρωπος εὐξεται, ταῦτα ὡς Θεὸς ἐπιτελῶν.

« Ἐσπέρας, καὶ πρωτῆ, καὶ μεσημβρίας. »

Ἡ ἀπαγγέλλει τὰ κατὰ τοὺς εἰρημένους καιροὺς πεπραγμένα μυστήρια. Ἐσπέρας μὲν, ἔπω; αὐτὸν ἔθαπτεν Ἰωσήφ, καὶ ἐκδέευσε Νικόδημος · καὶ πάλιν, ὅπως τῶν θυρῶν τῆς Σιών κεκλεισμένων, εἰσῆρχετο δεύτερον. Πρωτῆ δὲ, ὅπως ἀπηρέχθη εἰς τὸ Πιλάτου πραιτόριον, καὶ ὅπως ἐκ νεκρῶν ἀναστὰς ταῖς γυναῖξιν ἑαυτὸν ἐνεφάνισε. Μεσημβρίας, ὅπως ἐσταυρώθη, καὶ τὴν κτίσιν ἐσάλευσεν, οὐκ ἀπολέσαι ταύτην, ἀλλ' ἀνακαινίσαι καὶ διορθῶσαι βουλόμενος. Καὶ διὰ τί ταῦτα διηγεῖσθαι ὑπέσχετο; Ἐπειδὴ περιεκτικῆ καὶ τῶν λοιπῶν τοῦ Μονογενοῦς θαυμάτων ἐτύχαιεν. Ὅθεν αὐτοῦ φησι καὶ τὸν Πατέρα τῆς φωνῆς εἰσακούσεσθαι, τῇ διηγήσει τῶν μυστηρίων τῶν εἰρημένων χαίροντα.

« Αὐτῶσεται ἐν εἰρήνῃ τὴν ψυχὴν μου. »

Ἐἴτε τῶν στρατιωτῶν, οἵτινες αὐτοῦ τὸν τάφον ἐκύκλωσαν · εἴτε τῶν ψευδομαρτύρων, ὑπὲρ αὐτὸν συκοφαντοῦντες, περιέστησαν ἐν τῷ καιρῷ τῆς κρίσεως · εἴτε τῶν ἐν ἄδη δυνάμεων, αἱ περὶ αὐτὸν ἔμοῦ μὲν ἐκπληττόμεναι, ἔμοῦ δὲ καὶ φρουροῦσαι, ὥστε μὴ πᾶσαν τῶν νεκρῶν τὴν αἰχμαλωσίαν ἀναγαγεῖν.

« Ἐξέτινε τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐν τῷ ἀποδίδοναι. »

С θαυμάσαι τὴν ἀκρίβειαν τῆς προφητείας ἄξιον. Αὐτοῖς γὰρ ἔργοις τοῦτο ἐπὶ τὸν Ἰουδα καταλαμβάνεται, ὅτε τὸ ἀργύριον τῆς προδοσίας τοῖς ἀρχιερεῦσιν ὑποστρέψαι βουλῆθεις, ἀνσγκαίως τὴν χεῖρα ἐξέτεινεν.

« Ἡπαλύνθησαν οἱ λόγοι αὐτοῦ ὑπὲρ ἔλαιον. »

Λόγους, φησὶν, εἶχον οἱ Ἰουδαῖοι ἀπαλοῦς, καὶ χρηστότητα κατὰ τὸ δοκοῦν ἅπασαν ὑπερβαίνοντας, ἐν οἷς τὴν τοῦ Θεοῦ σοφίαν ἐπέπραζον · ὥσπερ οἱ ναῦται πειράζουσι διὰ βολίδων τὴν θάλατταν · οὐ μὴν ἐφθανον. Τί γὰρ βολὴς ἐν ἀδύσῳ ποιῆσαι δύνηται; Ἄβυσσος δὲ ἡ τοῦ Θεοῦ σοφία · περὶ ἧς καὶ Παῦλος ἔλεγεν · Ὁ βάθος πλοῦτου σοφίας καὶ γνῶσεως Θεοῦ ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρῖματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ! αὐτὸς δὲ οὗτος ὁ Προφήτης · Ἡ δικαιοσύνη σου ὡς ἔρη Θεοῦ · τὰ κρῖματα σου ἄβυσσος πολλή. Ἄλλὰ τῶν ἀντιγράφων ἔνια ἔχει, Ἡπαλύνθησαν οἱ λόγοι αὐτοῦ. Ὄστε τὴν προφητείαν εἰς τὸν Ἰουδα ἐκφέρεσθαι · οὗτος γὰρ ἑαυτοῦ τοὺς λόγους διὰ τῶν εἰδῶλων ἠπάλευεν, ποτὲ μὲν τῶν πτωχῶν προσποιουμένους κήδεσθαι, ἵνα κλέπη τὸ γλωσσόκομον · ποτὲ δὲ διὰ φιλήματος καὶ ἀσπασμοῦ τὸν Χριστὸν εἰρωνεύμενος.

« Ἐπὶ ῥίψον ἐπὶ Κύριον τὴν μέριμνάν σου. »
 Εἰρησθαι μὲν αὐτὰ καὶ πρὸς ἡμᾶς πιστεύομεν · ἐὰν

²⁸ Rom. 11, 35. ²⁹ Psal. xxxv, 7.

γάρ τῷ Θεῷ τὰς ἡμετέρας φροντίδας ἐπιβρίψωμεν, αὐτὸν τροφία καὶ στηριγμὸν, ὥστε μηδαμῶς σαλευθῆναι, εὐρήσομεν. Δοκεῖ δέ μοι τοῦ Ἰούδα μνησθεῖς ὁ Προφήτης, ἀναγκαίως· καὶ τὸν Πέτρον ἠνίξασθαι, ἵνα σφάλματος ἀκουσίου καὶ παραπτώματος ἐκουσίου διαφορὰν ἐνδείξηται. Τὸν γὰρ Πέτρον ἕνεκα τοῦ σφάλματος τῆς ἀρνήσεως παραθαρβύων, καὶ προτρέπων εἰς μετάνοιαν, ἐπιβρίψαι τῷ Θεῷ τὴν ὑπὲρ τούτων προτρέπεται μέριμναν, διατρέψαι τὸν μαθητὴν τῆ συγγνώμῃ δυνάμενον, καὶ μὴ συγχωροῦντα εἰς τὸν αἰῶνα σάλον τῷ δικαίῳ γενέσθαι· ἀλλὰ καὶ ὑπομένην πρὸς καιρὸν, εὐθέως τοῦτον εἰς γαλήνην μεταβάλλοντα.

« Ἐγὼ δέ, Κύριε, ἐλπῶ ἐπὶ σέ. »

Ὁ πιστὸς λεγέτω τοῦτο· ἡ γὰρ εἰς Θεὸν ἐλπὶς τῶν κακῶν ἐλευθερίαν ἀγαθῶν τε πάντων παρουσίαν χαρίζεται.

ΨΑΛΜΟΣ ΝΕ'.

« Εἰς τὸ τέλος, ὑπὲρ τοῦ λαοῦ τοῦ ἀπὸ τῶν ἁγίων μεμακρυμμένου, » κ. τ. λ.

Δοκεῖ πως ἐναντία εἶναι τῆς προγραφῆς τὰ ῥήματα. Ἐπεδήμησε μὲν γὰρ ὁ Δαβὶδ τῇ Γέθ, ἠνίκα ἀπὸ Σαοὺλ ἐδραπέτευσεν· οὐ μὴν ἐπέσχον τὸν προφήτην οἱ ἀλλόφυλοι, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ἀπίσαντο, ἐπειδὴ ἐξεστηκότα καὶ παρὰ φρονίον ἐν ταῖς θύραις κιθαρίζοντα, καὶ σιέλον ἀποβρίπτοντα τοῦ στόματος ὑπεκρίνατο, ὡς ἡ βίβλος τῶν Βασιλείων δείκνυσσι. Τινὰ δὲ καὶ λαὸν μεμακρυμμένον ἀπὸ τῶν ἁγίων, ὑπὲρ οὗ τὸν ψαλμὸν ὁ Δαβὶδ ἔγραψε, ζητοῦντες κατὰ τὴν ἱστορίαν, οὐχ εὐρήσομεν. Οὐκοῦν ἀνάγκη νοητῶς ταῦτα, ὡς περ δὴ τῷ Πνεύματι γέγραπται, παραδέξασθαι. Ὑπὲρ γὰρ τοῦ λαοῦ τῶν ἐθνῶν τὸν ψαλμὸν ὁ Προφήτης συνέγραψεν, ὅστις μεμακρυμμένος ἀπὸ τῶν ἁγίων ἐτύχχανεν· οὐδεμίαν γὰρ κοινωνίαν πρὸς πατριάρχας ἢ προφήτας ἐπέκτηντο. Ἀλλ' ὅμως οἱ μακρὰν ἔγγυς, καθά φησιν ὁ Παῦλος, ἐγένετο, ὅτε τὸν νέον Δαβὶδ ἐκράτησαν οἱ ἀλλόφυλοι ἐν Γέθ, τοῦτο ἐστὶν ἐν τῇ ληνῷ (ληνὸς γὰρ ἡ Γέθ ἐρμηνεύεται)· ληνὸς δὲ καὶ ἡ Ἐκκλησία, διὰ τὸν Θεόν, τὸν ἐν αὐτῇ ληνοθατοῦντα τὸ μυστήριον, λέγεται, ὡς διὰ τῆς Ἡσαίου προφητείας, *Ληνὸν ἐπάτησα μόνος*, βοήσας εὐρίσκειται· ὥστε πρὸς αὐτὸν τὰς τῶν οὐρανῶν δυνάμεις τὰ τῆς αὐτῆς προφητείας ἀντιφθέγγεσθαι· *Διὰ τί σου ἐρυθρὰ τὰ ἱμάτια, καὶ τὰ ἐνδύματά σου, ὡς ἀπὸ πυλῆτος ληνοῦ πλήρης κατακατημένον;*

« Ἐλέησόν με, ὁ Θεός, ὅτι καταπάτησέ με. »

Πολλάκις δὲ καὶ ὁ ἡμῶν ἄνθρωπος τὸν χαλεπὸν τοῦτον ὑφίσταται πόλεμον, ἔλην τὴν ἡμέραν παρὰ τοῦ Σατανᾶ πολεμούμενος, καὶ παρ' αὐτοῦ πατούμενος. Εἰ γὰρ καὶ ἀνθρώπου ὁ ψαλμὸς ἐμνημόνευσεν, ἀλλ' ὅμως τὸν Σατανᾶν. αὐτὸν, οὕτως ἐν τῇ θείᾳ Γραφῇ πολλάκις ὀνομαζόμενον, ἢ τινα τῶν ἐκεῖνυ στρατευομένων ἀντίτεται. Πλὴν καὶ τὸν λαὸν τῶν ἐθνῶν ταῦτα ὑποβάλλειν ἀρμόδιον, χρόνῳ πολλῷ ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ ἀπατηθέντα, καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ πόλεμον διὰ

sollicitudines nostras conjecerimus, ipsum et eductorem et firmamentum esse reperimus, ne ulla ratione commoveamur. Cæterum cum Prophetæ Judæ fecerit mentionem, visus est mihi Petrum quoque necessario insinuasse, ut lapsus involuntarii et sceleris voluntarii differentiam indicaret. Petrum enim post negationis lapsum excitans, et ad pœnitentiam adhortans, monet, ut in Deum horum curam conjiciat, qui discipulum per indulgentiam enutrire possit, et non permissurus sit, ut justus in æterna fluctuatione versetur; sed si ad tempus eam sustinuerit, illico ipsum reducturus sit ad tranquillitatem.

« Ego autem sperabo in te, Domine. »

Fidelis hoc dicat: nam spes in Deum malorum liberationem et bonorum omnium copiam largitur.

PSALMUS LV.

VERS. 1. « In finem, pro populo qui a sanctis longe factus est, » etc.

Verba tituli videntur quodammodo esse contraria. Siquidem David pervenit in Geth, quando Saulem fugiebat; non tamen prophetam alienigenæ retinebant, quin potius expellebant, quia se amentem et insanum simulabat in portis citharizando, et salivani oris projiciendo, uti liber Regum⁴⁰ declarat. Quænam porro populum a sanctis elongatum dicat, pro quo David psalmum scripserit, secundum historiam quærentes, non facile reperiemus. Quamobrem necesse est hæc spiritualiter accipi, prout a Spiritu sancto scripta sunt. Nam psalmum hunc Prophetæ conscripsit pro populo e gentibus, qui a sanctis longe factus fuit: nullam enim cum patriarchis et prophetis habebant communicationem. Verumtamen qui erant longe⁴¹, ut Paulus ait, facti sunt prope, quando novum Davidem ceperunt alienigenæ in Geth, hoc est in torculari (Geth enim *torcular* interpretatur). Cæterum torcular etiam Ecclesia dicitur propter Deum, qui in ea ceu torculari sacramentum expressit; sicut per illud Isaïæ vaticinium: *Torcular calcavi solus*, exclamasse reperitur; ita ut ad ipsum cœlestes Virtutes quasi interrogando dicerent: *Quare rubra sunt vestimenta tua, et indumenta tua, sicut a calcato torculari pleno conculcato*⁴²?

VERS. 2. « Miscrere mei, Deus, quoniam conculcavit me. »

Sæpenumero etiam noster homo difficile hoc bellum sustinet, a Satana toto die oppugnatus, et ab eo conculcatus. Etsi enim hic psalmus hominis meminerit, simul tamen ipsum Satanam, qui in divina Scriptura frequenter hoc nomine appellatur, aut ducem aliquem ipsi subordinatum insinuat. Quin imo consentaneum sit, hæc populum quoque gentium succinere; utpote longo tempore a Satana deceptum, ejusdemque bellum per dæmonum insidias

⁴⁰ I Reg. xxi, 15. ⁴¹ Ephes. ii, 15. ⁴² Isa. vi, 3.

eustinentem; quos in sequentibus insinuans, manifestius expressit.

Vers. 3. « Conculcaverunt me inimici mei. »

Secundo scripsit Leontius *Vitam Joannis Eleemosynarii* Alexandrini præsulis. Circa hanc *Vitam* duo sunt observanda: Primo illam servari in codice 19 bibliothecæ Cæsareæ non solum Latino idiomate, et

NOTÆ.

(9) Concil. Nic. II, an 887, act. 4.

(10) Baron. ad 504, n. 31.

eam ediderunt Anastasius Biblioth. jussu Nicolai I, circa medium sæculi ix, sed et Bollandus et Henschenius. In *Actis Sanctorum* in codice M. S. Vindoboniensi legitur hic titulus:

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ἱ' Ἀσονται ἀρχιεπισκόπου Νεαπόλεως τῆς Κύπριων νήσου εἰς τὰ λειπόμενα τοῦ βίου τοῦ ἐν ἄγλοις Πατρὸς ἡμῶν καὶ ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας Ἰωάννου τοῦ Ἐλεήμονος, ὁ μὲν σκοπὸς εἰς ἐστίν, ἡμῶν καὶ τῶν πρὸ ἡμῶν φιλοπόνων καὶ ὁσίων ἀνδρῶν ὁ ἐπὶ τῇ παρουσίᾳ τοῦ ἀοιδίου ἀνδρὸς τοῦ βίου διηγήσει, τοῦτ' ἐστὶ, τὸ πᾶσιν μὲν μίμησιν θεοφιλῆ καὶ ὠφέλιαν προσγενέσθαι, δόξαν τε καὶ μεγαλοπρέπειαν τῇ ἀγία καὶ προσκυνητῇ Τριάδι ἀναπέμψαι. Hoc est: *Mensis die duodecima Leontii archiepiscopi Neapoleos insulæ Cypri Historia* (hæc vox enim, quæ deest in Græco, debet suppleri) *de residua Vita sancti Patris nostri et Alexandriæ archiepiscopi Joan. Eleemosynarii: Scopus noster est, eorum qui nostro tempore aut ante nos vixerunt studiosorum et sanctorum virorum et præcipue super vita præsentii memorabilis viri enarratione; ita ut ex hoc omnibus quidem pia fiat imitatio et utilitas, gloria autem sanctæ et adorandæ Trinitati referatur.*

Secundo cum Joannes Eleemosynarius obierit an. 616, jure Leontio Cyprio qui ejus Vitam scripsit, annum 620, aut potius 630, assignavimus; quippe in Ægyptum facta est irruptio Persarum anno 616. Captivitatem metuens Joannes archiepiscopus Alexandrinus fugam arripuit et in propriam patriam, hoc est, Cyprium reversus ibi animam reddidit.

Porro, Orationes quinque adversus Judæos recitavit Leontius Cyprius. Unius fragmentum amplissimum legitur in actione quarta concilii Nicæni (11), ad propugnationem cultus imaginum, a synodo merito laudatissimæ; quippe qui respondere conetur Judæis, Christianos Iconolatrias, velut idololatrias reos appellatibus. 2. Refert Lambecius (12) Fragmentum ejusdem Leontii, quod habetur in codice 248 bibliothecæ Cæsareæ, cujus titulus et principium: Ἀσονται Νεαπόλις; Κύπρου ἐκ τοῦ κατὰ Ἰουδαίων λόγου περὶ τοῦ προσκυνεῖν τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ καὶ τοῖς εἰκονισμοῖς τῶν ἁγίων καὶ περὶ τῶν λειψάνων τῶν ἁγίων. *Leontii Neapoleos Cypri episcopi ex Oratione contra Judæos de adoratione crucis Christi, imaginum et reliquiarum sanctorum.* Ἐάν μοι ἐγκαλεῖς πάλιν, ὦ Ἰουδαῖε, λέγων ὅτι ὡς Θεῷ προσκυνῶ τῷ ξύλῳ τοῦ σταυροῦ, etc. Si mihi, o Judæe, exprobras iterum me cruci cultum exhibere tanquam Deo; et revera palmariura fuit argumentum Leontii, se nec crucem, nec imagines, nec reliquias sanctorum colere ut deos.

Denique habetur hic Fragmentum ejusdem Leontii contra Hebræos, qui prophetarum oracula, regnum Messie pacificum describentia confutabant.

NOTÆ.

(11) Concil. Nic. II, apud Labb., p. 236.

(12) Lambecius, *Bibl. Vind.* l. v, p. 157.

LEONTI NEAPOLIS CYPRI EPISCOPI SERMONES.

A.

Ἀσονται ἐπισκόπου Νεαπόλεως τῆς Κύπρου, λόγος εἰς Συμῶνα, καὶ ὅτε ἐδέξατο τὸν Κύριον εἰς ἀγκάλας αὐτοῦ.

Εὐφραίνεται ὁ οὐρανὸς, καὶ ἀγαλλιάσθω ἡ γῆ. Δίκαιον γὰρ ἐπὶ τῇ παρουσίᾳ θεοῦ καὶ Δεσποτικῆς ἐορτῆς, διὰ τῶν Δαυϊτικῶν, μᾶλλον δὲ θείων ῥημάτων προοιμιάσασθαι· ἐπειδὴ καὶ ὁ προφήτης Δαβὶδ, οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἐκ Πνεύματος ἁγίου κινούμενος, τὰ τῆς μελωδίας ἀπεφθέγγετο ῥήματα. Εἰς εὐφροσύνην δὲ καὶ πνευματικὴν ἀγαλλίαν προσκαλεῖται Δαβὶδ, διὰ μὲν τὸ εἰπεῖν, οὐρανοῦς· τὰς ἀγγελικὰς δυνάμεις καὶ οὐρανοῦς· διὰ δὲ τῆς γῆς, τοὺς ἀνὰ πᾶσαν τὴν γῆν διεσπαρμένους ἀνθρώπους. Ἀλλοὶ τὰ ἐπιζητοῦν· *Χαρήσεται γὰρ τὰ πεδία, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς.* Πάντως οὖν καὶ ταῦτα πεδία πνευματικῶς καὶ ἀναγωγικῶς χρῆ ἐκλαβεῖν. Ποίαν γὰρ χαρὰν δύναται φέρειν ἡ ἀναίσθητος γῆ, εἰ δὲ καὶ τὰ ἐν αὐτῇ, οἷον δένδρα παντοῖα, καὶ τὰ πολλὰ εἶδη [γένη] τῶν βοτανῶν. Ἡ μὲλλον ἐστὶ νῦν εἰπεῖν, ὅς πεδία λέγει, τὰ οἰοῦναι ἡμερώτερα τῶν ἀνθρώπων

¹ Psal. xcvi, 2.

A

Leontii episcopi Neapolis Cypri in Symeonem, quando is Dominum in ulnas suas suscepit (13).

I.

Latentur cæli, et exsultet terra ¹. Æquum namque est, ut in divina hac ac Dominica solemnitate, a Davidicis verbis, seu potius divinis exordium ducamus; quando etiam propheta David, non a se ipse, sed sancto afflatus Spiritu, suavis cantici verba prolocutus est. ProvoCAT autem ad lætitiā ac spiritalem exultationem, dicendo quidem *cæles*, angelicas virtutes atque cælestes: dicendo vero *terram*, homines toto terræ ambita sparsos: quod et sequentia ostendunt: *Gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.* Omnino ergo hos quoque campos, spiritali ac anagogica ratione oportet accipere. Quod enim terra sensu carens gaudium ferre queat? sed et contenta in ea, puta omnis generis arbores, ac herbarum multæ species. Vel nunc potius dici possit, appellare campos, velut mansuetiora hominum genera, atque ad spiritalem sementem com-

NOTÆ.

(13) Superfluum videatur notis aliis clarum adeo tractatum conari illustrare. Multum est ut vel unum hunc Seguieriana nobis Bibliotheca protulerit, e

multis illis quas similes edidisse testatur Constantinus Constantiæ episcopus act. 4 concilii II Nicæni. Prodit se ubique recte de œconomia sentientem.

parata; vel etiam Israelitas, quod legis ac prophetarum doctrinis, velut quodammodo edomiti ac complanati essent: tametsi evangelicam sementem ex propria ipsi dementia non susceperunt. Tum subdit: *Tunc exsultabunt omnia ligna silvæ*: quæ ligna intelligenda sunt, quotquot ex gentibus Salvatore Christo crediderunt: qui quidem haud ita pridem, velut agrestes silvestresque arbores ab infidelitate erant, donec tandem, quod ait admirabilis Paulus, *ex oleastro inserti sunt in bonam olivam*¹. Cujus vero gratia ad lætitiæ ac exultationem provocat, coelos pariter ac terram: camposque item, et quæ in eis sunt, ac omnia ligna silvæ? Christi utique: *A facie enim, inquit, Domini, quia venit*. Jure plane merito propheta, cœlestem omnem ac terrestrem naturam ad spiritalem lætitiæ hortatur, ac exultationem. Cum enim terreno ac mortali rege urbem ingressuro, urbs quidem tota velis perornetur, coronisque ac aromatibus; omnesque, ut ita dicam, tum parvi, tum magni, varias mutantem stolas in occursum regis procedant; ac omne quidem aliud negotium spernant; hoc vero omni operæ longe anteponant: quam potiori jure, cœlesti Deo ac rege veniente, naturam omnem, ab eo conditam, tum quæ oculis subjecta est, tum quæ mente aspectabilis, lætari oporteat ac exultare; omnique gaudio ac veneratione occursum implere? γεννημένην ὄρατὴν τε καὶ ἀόρατον κτίσιν, εὐφραίνεσθαι καὶ ἀγαλλιάσθαι χρὴ· καὶ περιχαρῶς ἅμα καὶ σεβασμίως ἀποπληροῦν τὴν ὑπάντησιν.

Verum videamus, charissimi, quando cœlestis magnusque Deus ac rex advenerit. Quandonam vero? Uti que quando citra mutationem omnem, et alterationem, ac peccatum factus homo, similis nobis effectus est. Nam quia natura divina incorporea est, ac incircumscripita, estque in coelo, ac terram implet, juxta quod ait propheta². Hac itaque ratione, qua, inquam, Deus habuit antequam fieret homo, neque loco absens est, ut se eo conferat; neque iterum, ut jam diximus, spatiis circumscribitur, quæ omnia perinde impleat, sitque omnibus similiter præsens: Quomodo igitur ait propheta, *A facie Domini, quoniam venit*? Sane liquet impletam esse prophetiam sub tempus adventus Christi in carne.

Enimvero, summe admirabilem, præcelsamque, ac ineffabilem Salvatoris Christi nativitatem in carne, a Deo afflatorum Patrum sermonibus delectantes, ante jam celebravimus: cum angelis laudum cantica prompsimus; cum pastoribus glorificavimus: cum Magis obtulimus munera; tametsi non aurum, thusve, aut myrrham; sed horum loco, fidem in Christum, auro pretiosior, fragrantior thure; myrrhaque conservante corpora, eximie efficacior. Non enim mortua nostra corpora conservat; verum animas immortalitati consecrat. Nunc autem alius Christi adventus, alius occursum nobis causa existit. Venite ergo, charissimi, omni

Α γένῃ, καὶ πρὸς τὸν πνευματικὸν σπόρον ἐπιτρέψαι· ἢ καὶ τοὺς ἐξ Ἰσραὴλ, διὰ τὸ οἶόν πως καταλαίνεσθαι καὶ ἐξομαλίζεσθαι ταῖς νομικαῖς καὶ προφητικαῖς διδασκαλαῖς· εἰ καὶ τὸν εὐαγγελικὸν σπόρον ἐξ οἰκείας ἀνομιᾶς οὐκ ἐδέξαντο. Εἶτα ἐπάγει· Ἰδοὺ ἀγαλλιάσονται πάντα τὰ ξύλα τοῦ δρυμοῦ· ἔτινα ξύλα νοεῖσθαι προσήκει, ἅπαντας τοὺς ἐξ ἔθνων τῷ Σωτῆρι Χριστῷ πεπιστευκότας· οἱ τινες πρῶτον ξύλα ὡσπερ ἄγρια καὶ δρυμώδη τῇ ἀπιστίᾳ ὑπήρχον· μέχρις ὅτε κατὰ τὸν θεσπέσιον Παῦλον· Ἐνεκεν-τρίσθησαν ἐκ τῆς ἀγριολαίου, εἰς τὸν καλλιόλαιον. Τίνος δὲ ἔνεκεν εἰς εὐφροσύνην προσκαίεται καὶ ἀγαλλιάσιν, οὐρανοὺς τε καὶ γῆν· πεδία τε καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς, καὶ πάντα τὰ ξύλα τοῦ δρυμοῦ; τῷ Χριστοῦ δηλονότι· Ἀπὸ προσώπου γάρ, φησί, Κυρίου, ὅτι ἐρχεται. Ὅντως, δικαίως ὁ προφήτης, εἰς τρέπεται ἐπουράνιον πᾶσαν κτίσιν καὶ ἐπίγειον, εἰς πνευματικὴν εὐφροσύνην καὶ ἀγαλλιάσιν. Εἰ γὰρ βασιλέως ἐπιγείου καὶ θνητοῦ εἰς πόλιν εἰσέρχεται μέλλοντος, πᾶσα μὲν ἡ πόλις κατακοσμηταὶ βίβλου, καὶ στεφανώμασι, καὶ ἀρώμασι· πάντες δὲ ὡς τιπεῖν, μικροὶ τε καὶ μεγάλοι ποικίλας στολὰς ἐβάλλασσαντες, πρὸς τὴν τοῦ βασιλέως χωροῦσιν ὑπάντησιν· καὶ πάσης μὲν πραγματείας ἐτέρας περιφρονοῦντες· πάσης δὲ σπουδῆς προσημωτέραν ταύτην τιθέμενοι· πόσῳ μᾶλλον παραγινόμενου τοῦ ἐπουρανίου Θεοῦ τε καὶ βασιλέως, πᾶσαν τὴν ὑπ' αὐτοῦ γε-

Γ Ἄλλ' ἰδῶμεν, ἀγαπητοί, πότε ὁ ἐπουράνιος καὶ μέγας Θεός τε καὶ βασιλεὺς παραγίνεται. Πότε ἄρα; Εἰ μὴ ὅτε καθ' ἡμᾶς δι' ἡμᾶς, ἀτρέπτως καὶ ἀνάλουτως καὶ ἀναμαρτήτως ἐνανθρωπήσας, ἔγνω. Ἐπειδὴ γὰρ ἡ θεία φύσις ἀσώματός τε καὶ ἀπεριγραπτός, καὶ ἐν οὐρανῷ ἐστίν, καὶ τὴν γῆν περιήρωκε κατὰ τὸν εἰπόντα προφήτην. Τῷ οὖν τρόπῳ τούτῳ, λέγω δὴ, τῷ πρὸ τῆς ἐνανθρωπήσεως, ὡς ἀπέστη τόπου, ἵνα εἰς αὐτὸν παραγένηται· οὕτε πάλιν ὡς ἤδη εἶπομεν, περιγράφεται διαστήματι, πάντα ἐπίσης πληροῦσα, καὶ πᾶσιν ὁμοίως παρούσα· πῶς οὖν φησὶν ὁ προφήτης· Ἀπὸ προσώπου Κυρίου ὅτι ἐρχεται; Ἡ δὴλον, ὅτι κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἐνσάρκου τοῦ Χριστοῦ παρουσίας, ἡ προφητεία πληρωταί.

Δ Ἄλλὰ τῇ μὲν ὑπερφυσιάτῃ καὶ ὑπερκοσμίῳ, καὶ ἀβρότῳ τοῦ Σωτῆρος Χριστοῦ κατὰ σάρκα γεννηθῆαι τοῖς τῶν θεοφύρων Πατέρων ἐντρυφθέντες λόγοις, ἤδη προεορτάσαμεν· μετὰ ἀγγέλων ὑμνήσαντες· μετὰ ποιμένων δοξάσαντες· μετὰ μάγων δωροδοκήσαντες· εἰ καὶ μὴ χρυσοῦν καὶ λίθων καὶ σμύρνης ἀλλ' ἀντὶ τούτων, τὴν εἰς τὸν Χριστὸν πίστιν· χρυσοῦ μὲν οὐσαν τιμιωτέραν· λίθων δὲ, εὐωδωτέραν· σμύρνης δὲ τῆς φυλαττούσης τὰ νεκρὰ σώματα, ὑπερβαλλόντως ἐνεργεστέραν. Οὐ γὰρ τὰ θνητὰ ἡμῶν φυλάττει σώματα· ἀλλ' ἀθανάτους τὰς ψυχὰς ἀπεργάζεται. Νῦν δὲ ἐτέρα παρουσία Χριστοῦ, ἐτέρας ἡμῖν ἀπαντήσεως πρόξενος. Δεῦτε οὖν, ἀγαπητοί,

¹ Rom. II, 24. ² Jerem. xxiii, 24.

πάντα δυνον τῶν ψυχῶν ἀποβρίψαντες· λαμπροὶ λαμπρῶς τῷ βασιλεῖ τῶν αἰώνων καὶ Σωτῆρι Χριστῷ ὑπαντήσωμεν. Φησὶ γάρ ὁ εὐαγγελιστὴς Λουκάς, μετὰ τὴν ὀκταήμερον τοῦ νομοθέτου κατὰ νόμον περιτομῆν· Ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν κατὰ τὸν ῥόμον Μωυσέως· καθαρισμοῦ δηλονότι, τῆς τοῦ Μαρίας καὶ τοῦ βρέφους· καὶ τοῦ προσδοκωμένου εἶναι πατρός· λέγω δὴ τοῦ Ἰωσήφ. Ἄλλ' ἐκπληττόμενος ἐπὶ τοῖς ῥηθείαισι, πρὸς τὸν θεοπέσιον εὐαγγελιστὴν εἰποίμην ἄν· τί λέγεις, ὦ μακάριε Λουκά. Ἐπιλελησθαί μοι δοκεῖ; τῶν ἀνωτέρω παρὰ σοῦ συγγραφέντων, ἀναρμόδια γάρ πρὸς ἐκείνα τὰ νῦν παρὰ σοῦ λεγόμενα. Οὐκ ἐν τοῖς εὐαγγελίοις τῇ Θεομήτορι καὶ παναγῆ Παρθένῳ, τὸν θεῖον Γαβριὴλ εἰσάγεις λέγοντα· Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σέ, καὶ δύναμις Ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι; Πῶς οὖν ἡ ἐκ Πνεύματος ἁγίου καὶ δυνάμεως Ὑψίστου κηύσασα, καὶ μὴ κατὰ νόμον ἀνθρώπινης κηύσεως, καθαρισμοῦ δέεται. Πῶς δὲ ἡ πληρωθεῖσα τοῦ πᾶσαν κτίσιν ὀρωμένην καὶ οὐκ ὀρωμένην ἀγιάζοντος, Πνεύματος ἁγίου ὑπάρχει ἀμέτοχος. Πῶς δὲ ἡ ἐπισκιάσθεῖσα τῇ τοῦ Ὑψίστου δυνάμει, οὐ πάσης καθαρότητος καὶ ἀγιασμοῦ ὑπάρχει ἀνάπλευς; Ἄλλὰ τὰ ἐξῆς τοῦ ἀρχαγγέλου ῥήματα, τῶν ῥηθέντων εἶσι φοδερώτερα· λέγει γάρ· Αἰὶ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον, κληθήσεται Υἱὸς Θεοῦ. Τίς οὖν ἀκούσας πρῶτον παρὰ τοῦ ταῦτα, καὶ νῦν ἀκούων πάλιν βωῶντός σου· Ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν· οὐ δικαίως ἐκπλαγείς ἐγκαλέσει σοι. Εἰ γάρ Πνεῦμα ἅγιον τὴν Παρθένον ἐπλήρωσεν, καὶ ἡ τοῦ Ὑψίστου δύναμις ἐπ' αὐτῇ ἐπεσκίασεν· καὶ τὸ γεννώμενον ἐξ αὐτῆς, Υἱὸς μὲν ἐστὶ τοῦ πρὸ αἰώνων Θεοῦ· καὶ νῦν δὲ, διὰ τὴν οἰκονομίαν κληθήσεται· πῶς ἡ τῆς θείας καὶ ὁμοουσίου Τριάδος γεγεννημένη μέτοχος, οὐ μόνον οὐ λείπεται ἀγιασμοῦ καὶ καθάρσεως· ἀλλ' οὐκ καὶ πάση τῇ κτίσει ἀγιασμοῦ καὶ καθάρσεως γενήσεται πρῶξενος.

Τί δὲ πρὸς ταῦτα ὁ εὐαγγελιστὴς; Οὐδ', φησὶν, ἐπλήσθησαν τῶν ὑπ' ἐμοῦ ῥηθέντων ἀνωτέρω γέγονα· ἀλλ' οὕτε ἀνακόλουθα τοῖς προλαβοῦσι, τὰ ἐπὶ τοῦ παρόντος ῥηθέντα μοι. Εἰ μὲν γάρ ἐμεινεν παντάπασιν ὁ θεὸς Λόγος ἐν τοῖς θεοῖς ὀψύμασι, καὶ μὴ κατεδέξατο ἐκουσίως τὴν πρὸς τὴν ἡμετέραν ταπεινώσειν συγκατάθεσιν, καλῶς ἐξένιζεν ὑμᾶς νῦν, τὰ παρ' ἐμοῦ λεγόμενα· εἰ δὲ ἄσαρκος ὢν ὁ Θεὸς καὶ ἀσώματος, σῶμα μὲν ἐψυχωμένον ψυχῇ λογικῇ καὶ νοσφ' ἐξ ἀπειρογάμου κόρης δι' ἡμᾶς περιβάλλεται· οἶκει δὲ μήτραν ἀπειρογράφτως παρθενικὴν, ὁ πληρῶν τὰ σύμπαντα· γεννᾶται δὲ ἐν χρόνῳ διὰ τοὺς ὀπὸ χρόνον, ὁ χρόνων καὶ αἰώνων πρεσβύτερος· μᾶλλον δὲ, πικητής, ἀγκάλαις δὲ Μητρός Παρθένου περιλαμβάνεται, ὁ θρόνον ἔχων τὰ Χερουβίμ· τρέφεται δὲ γάλακτι, ὁ πάση τῇ κτίσει τὴν ζωὴν χαρίζόμενος· φεύγει δὲ καὶ Ἡρώδη εἰς Αἴγυπτον, ὁ τὰ πρωτότοκα Αἰγύπτου πατάξας, καὶ Φαραῶν καταποντίσας τὸν τύραννον· ὑποτάσσεται δὲ τοῖς γονεῦσιν

A animis abjecto torpore; læti læte occurramus Regi sæculorum, Salvatori Christo. Ait quippe evangelista Lucas, post legislatoris ex legis ratione octava die circumcisionem: *Postquam impleti sunt dies purgationis eorum secundum legem Moysis*. Purgationis utique, tum Mariæ, tum infantis, ejusque qui pater existimabatur esse, nempe Josephi. Cæterum stupens ad verba hæc, in hunc modum compellaverim admirabilem Lucam. Quid ais, o beate Luca? Videris oblitus eorum, quæ superius scripseras. Nam dissonant abs te modo dicta. Nonne in Evangeliiis divinum Gabrielem inducis, in hæc verba, Dei Genitricem ac sanctissimam Virginem affantem? *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*? Qua ergo ratione, quæ ex Spiritu sancto, ac Altissimi virtute concepit, non vero secundum legem humanæ conceptionis, purgatione eget? Quomodo autem, quæ eo impleta fuit, qui naturam omnem tum oculis subjectam, tum non aspectabilem sanctificat, Spiritus sancti expers existit? Qui demum, quam obumbravit virtus Altissimi, non omni munditia ac sanctitate plena sit? Verum quæ sequuntur verba archangeli, dictis terribiliora sunt; ait enim: *Et ideo quod nascetur ex te sanctum, Filius Dei vocabitur*. Quis ergo ubi hæc nuper ex te audisset, nunc iterum clamantem audiens, *Postquam impleti sunt dies purgationis eorum* [vulg. ejus], non merito stupens, te accuset? Siquidem enim Spiritus sanctus Virginem implevit, ac Altissimi virtus super eam obumbravit, quodque natum est in ea, Dei quidem Filius existit ante sæcula; nunc vero etiam *vocabitur*, ratione incarnationis; quomodo, quæ divinæ ac consubstantialis Trinitatis fuit effecta particeps, nedum non deficiet sanctitudine ac puritate, quin et creatorum universitati, sanctitudinis ac puritatis conciliatrix existet?

Quid vero ad hæc evangelista? Haudquaquam, inquit, oblitus sum eorum quæ dixi superius: at neque jam ante dictis, quæ modo dixi, minus consona sunt. Siquidem enim divinum Verbum in divinis omnino mansisset snblimitatibus, nec sponte sua ad nostram se humilitatem inclinare voluisset, merito nunc vos perturbassent, quæ a me dicuntur: sin autem, cum Deus esset, ac expers corporis, corpus quidem anima rationis ac intellectus facultate prædita animatum, ex innupta puella nostri causa induit, ac virginalem, qui omnia implet, in-circumscrip-ta ratione inhabitat uterum: atque is, qui est sæculis antiquior; quinimo conditor sæculorum, in tempore nascitur, propter eos qui essent sub tempore: Matris Virginis ulnis astringitur, qui sedet super Cherubim: lacte nutritur, qui creatis universis vitam largitur: in Ægyptum quoque Herodem fugit, qui percussit primogenita Ægypti, ac tyrannum Pharaonem submersit: subjicitur paren-

¹ I Tim. 1, 17. ² Luc. 11, 23.

tibus in morem infantis, qui universam subjecta A
habet : a Joanne baptizatur, qui donat remissionem peccatorum : tentator mei causa, qui major est quam ut tentari possit, ut eum vincat, quo tentatore e paradiso expulsus fui : atque ut verbo dicam, post omnia patrata miracula, qui immunis est a passione, passiones suscipit : qui est immortalis mori carne sustinet, ac sepeliri, ut me mortuum, sua resurrectione immortalem præstet : quid mirum, ut illorum omnium accessione, purus ille ac incontaminatus, una cum incontaminata ac innupta Virgine ac matre, lege perscriptam obeat purificationem ; quo factus sub lege, ut ait Apostolus, eos liberet, qui sub lege erant ⁴ ?

Verum nesciens quodammodo, charissimi, immenso me incarnationis Salvatoris mari permisi, trahente sermonis impetu. Quippe facilius quis, maris latitudinem volæ manus modulo complectatur, quam ut multos divinæ ad nos inclinationis modos ex incarnatione, prolatitio sermone edicat. Enimvero ad evangelicæ celsitudinis sublatum ignem recurramus, inque eum, Spiritus sancti gubernatione, sermonum onerariam dirigamus.

Postquam autem, inquit, impleti sunt dies purgationis eorum secundum legem Moysi, tulerunt puerum in Jersaalem, ut sisterent eum Domino. Bene exposuit evangelista. Omnia enim nobis lege præscripta prudenti quodam consilio, nostri causa suscipit. En enim, qui *caelos et terram implet* ¹, ministerium suscipit, quo e loco in locum feratur. Cuiam vero etiam Domino, puerum festinas sistere, o sanctissima Virgo? Audisti palam ex Gabriele, Dei Filium esse, qui in tuo utero conciperetur. Siquidem ergo Dei Filius est, qui non citra omnem dubitationem etiam Dominus est? Scio, inquit beata Virgo, Dei Filium pariter esse atque Dominum, qui idem simul meus fictor est ac filius, quem ut puerum, ob ejus clementiam ac benignitatem, ulnis amplector : verum illi sistere festino, de quo avus meus David, divini Spiritus afflatu, modulo cecinit, dicens : *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* ². En tibi Dominus Pater : en et Dominus Filius, ad quem factus est sermo. Tametsi vero duo Domini dicuntur, una tamen eorum dominatio est, uti et una quoque deitas. Illi ergo Domino, Dominum festino sistere, a quo, quod spectat ad Deitatem, neque odim antequam in meo utero conciperetur, neque modo, aut nunquam aliquando separabitur.

Subdit deinde evangelista : *Sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvæ, sanctum Domino vocabitur* ³. Bene fictor meus, et legislator ac Dominus, de iis masculis lege sanxit, qui vulvæ aperiant. At, non subiacet legibus, legumlator ; quando etiam ejus sine semine nativitas, supra humani partus rationem ex-

ως νήπιον, ὁ ἔχων ὑποταγμένα τὰ σύμπαντα· βα-
πτίζεται δὲ ὑπὸ Ἰωάννου, ὁ δωρούμενος τῶν ἁμαρ-
τημάτων τὴν ἀφεσιν· πειράζεται δὲ ὁ ἀπειράττος,
δι' ἐμὲ, ἵνα νικήσῃ τὸν ἐμὲ πειράσαντα, καὶ τοῦ
παραδείσου διώξιντα· καὶ, ἀπλῶς εἰπεῖν, μετὰ πᾶσαν
θαυματουργίαν, πάθη ὁ ἀπαθὴς καταδέχεται· καὶ
θάνατον καὶ ταφὴν ὑπομένει σαρκὶ ὁ ἀθάνατος, ἵνα
ἐμὲ τὸν θανατωθέντα ἀπαθανάτισῃ διὰ τῆς ἐαυτοῦ
ἀναστάσεως. Τί οὖν ξίνον, εἰ μετ' ἐκείνων ἀπάντων
καὶ τὸν κατὰ νόμον καθαρισμόν ὁ καθαρὸς καὶ ἀχραν-
τος, μετὰ τῆς ἀχράντου καὶ ἀπειρογάμου Παρθένου
καὶ Μητρὸς καταδέχεται· ἵνα γινόμενος ὑπὸ νόμου,
ὡς ὁ Ἀπόστολος ἔφησε, τοὺς ὑπὸ νόμον ἐλευθερώσῃ:

Ἄλλ' ἔλαθον, ἀγαπητοί, τῷ ἀπλήτῳ πλάγει τῆς τοῦ
B Σωτῆρος οἰκονομίας ἐαυτὸν ἐπιδοῦς, τῇ φορᾷ τοῦ λό-
γου ἐλκόμενος. Εὐχερέστερον γάρ ἐστι, τὸ κύτος τῆς
θαλάσσης παλάμη χειρὸς ἀνθρωπίνης περιλαβεῖν, ἢ
τὰς πολυτρόπους τῆς θείας οἰκονομίας συγκαταθέ-
σεις, λόγῳ προφορικῶ ἔξειπεῖν. Ἄλλ' ἐπὶ τὸν πυρὸν
τοῦ εὐαγγελικοῦ ὕψους ἐπαναδράμωμεν, καὶ πρὸς
αὐτὸν τὴν ἐκλάδα τῶν λόγων, τῇ κηδαιουσίᾳ τοῦ
Πνεύματος, ἀπευθύνομεν.

Ὅσα, φησὶν, ἐκλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρ-
ρισμοῦ αὐτῶν κατὰ τὸν νόμον Μωσέως. ἀτήρη-
τον τὸ παιδίον εἰς Ἱερουσόλυμα, παραστήσαι
τῷ Κυρίῳ. Καλῶς ὁ εὐαγγελιστὴς ἐσαζήνησεν. Ἐξ
οἰκονομίας γὰρ πάντα τὰ ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ νομοθε-
τηθέντα ὑπὲρ ἡμῶν καταδέχεται. Ἰδοὺ γὰρ Ὁ κλη-
ρων οὐρανούς τε καὶ γῆν, ὑπηρετεῖται τὴν ἐκ
C τόπων εἰς τόπους μεταβάσιν. Πόλις δὲ καὶ Κυρίῳ
παραστήσαι τὸ βρέφος ἐκείνη, ὃ παναγία Παρθένος ;
ἤκουσας σαφῶς ὑπὸ τοῦ Γαβριὴλ, ὡς γίδς Θεοῦ
ἐστὶν ὁ ἐν τῇ γαστρὶ σου κρυφοῦμενος. Εἰ οὖν
γίδς Θεοῦ ἐστὶν, πῶς οὐκ ἐστὶν ἀναμφιδέλωτος καὶ
Κύριος. Οἶδα, φησὶν ἡ μακαρία Παρθένος, ὅτι καὶ
γίδς Θεοῦ ἐστὶν καὶ Κύριος, ὁ ἐμὸς πλάστης ἐν ταῖς
τῷ καὶ υἱός, ὃν ὡς βρέφος διὰ τὴν αὐτοῦ φιλελευθε-
ρίαν ἀναγκαλιζομαι· ἀλλ' ἐκείνη τοῦτον παραστήσει
σπουδάζω, περὶ οὗ ὁ ἐμὸς προπάτωρ Δαβὶδ, διὰ τοῦ
Πνεύματος ἐμελώδησε λέγων· Ἐΐπεν ὁ Κύριος τῷ
Κυρίῳ μου, Κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἄν θῶ
τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.
Ἰδοὺ Κύριος ὁ Πατὴρ· Ἰδοὺ καὶ Κύριος ὁ γίδς, πρὸς
D ὃν ὁ λόγος ἐγένετο. Ἄλλ' εἰ καὶ δύο Κύριοι λέγονται,
μία τοῦτων ἡ κυριότης, ὡς περ οὖν καὶ μία ἡ θεότης.
Αὐτῷ οὖν τῷ Κυρίῳ παραστήσαι τὸν Κύριόν μου
σπουδάζω, οὗ κατὰ τὴν θεότητα, οὕτε πρὸ τῆς ἐν
γαστρὶ μου κρυφίας, οὕτε νῦν, ἀλλ' οὕτε πᾶποτε
χωρισθήσεται.

Εἶτα ἐξῆς προστίθησιν ὁ εὐαγγελιστὴς· Καθὼς
γέγραπται ἐν νόμῳ Κυρίου, ὅτι πᾶν ἄρσεν δεσ-
νοῖγον μήτραν, ἄγιον τῷ Κυρίῳ κληθήσεται.
Καλῶς ὁ ἐμὸς πλάστης καὶ νομοθέτης καὶ Κύριος,
περὶ τῶν διανοιγόντων μήτραν ἀρρένων ἐνομοθέτη-
σεν. Ἄλλ' οὐχ ὑπόκειται τοῖς νόμοις ὁ νομοθέτης·
ἐπιστῆ καὶ ὑπὲρ νόμον ἀνθρωπίνης κηρύσεως ὑπὲρ-

⁴ Galat. iv, 5. ¹ Jerem. xxiii, 24. ² Psal. cix, 2.

³ ibid. 2.

χει, ἡ τοῦτου ἄσπορος γέννησις. Ὁ γὰρ διήνοιξεν ἅπαντας ἄνθρωποις· ἀλλὰ καὶ κεκλεισμένην τῆς παρθενίας τὴν πύλην κατέλιπεν, κατὰ τὸν προφήτην Ἰεζεκιήλ τὸν εἰπόντα· Καὶ εἶπέν μοι Κύριος· Ἰδὲ ἀνθρώπου, ἡ πύλη αὕτη κεκλεισμένη ἔσται. Οὐδεὶς εἰσέλυσεται δι' αὐτῆς καὶ ἐξελεύσεται· καὶ ἔσται κεκλεισμένη. Πῶς οὖν ἐπὶ τοῦ μὴ διανοίξαντος, ἀλλ' ἐσφραγισμένην τὴν πύλην καταλιπόντος, τὰ ἐπὶ τῶν διανοιγόντων νομοθετηθέντα προδῆναι δύνησεται; Ἄλλ' οὔτε ἄγιον νῦν πρῶτως κληθῆναι δεήσεται, τὸ καὶ πρὸ τῆς συλλήψεως ἄγιον, καὶ Υἱὸς Θεοῦ, παρὰ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος μαρτυρούμενον. Ἄλλ' ἀκολουθῶν, καὶ ταῦτα πρέπει τῇ τοῦ Σωτῆρος οἰκονομίᾳ.

Καὶ οὐ δοῦναι θυσίαν κατὰ τὸ εἰρημένον ἐν νόμῳ Κυρίου· ζεύγος τρυγῶν, ἢ δύο νεοσσούς περιστερῶν. Πάντα ἀρμόδια τῇ τοῦ Σωτῆρος οἰκονομικῇ κατατάσει. Ἦσαν μὲν γὰρ καὶ ἄλλαι ταῖς τικτοῦσαις πολυτελέστεραι νομοθετημέναι θυσίαι, οἷον διὰ προβάτων καὶ ἄλλων τιῶν· ἀλλ' ἐπειδὴ ἅπαν τὸ τῆς ἐνανθρωπήσεως μυστήριον διὰ ἀνεϊκάστου συγκατατάσεως γέγονεν· ἀκολουθῶν καὶ τὰ περὶ τρυγῶν καὶ περιστερῶν νομοθετημένα νῦν, τεθίεται. Καὶ καλῶς ὁ θεοπέσιος Παῦλος πάντα τῇ διανοίᾳ περιλαβὼν, ἐκπληκτικῶς ἀνεδόξασεν· Ὅς δι' ἡμᾶς ἐπτώχευσεν, πλούσιος ὢν, ἵνα ἡμεῖς τῇ ἐκείνου πτωχείᾳ πλουτήσωμεν. Πλὴν ὅτι καὶ τὸ φαινόμενον, οὐκ ἀσυνητή; πρὸς τὸ μυστήριον ἡ προσφορὰ τοῦ Κυρίου ἐτύγχανεν. Αἱ μὲν γὰρ τρυγῶνες, τὴν σωφροσύνην καὶ τὴν ἀγνείαν τῆς ἁειπαρθένου καὶ Θεοτόκου ἐσήμαινον· αἱ δὲ περιστερὰ τὴν εἰς ἡμᾶς ἀφάτην φιλανθρωπίαν, καὶ τὴν ἐκ Πνεύματος ἁγίου οἰκονομίαν τῆς κνοφορίας ἐδήλουν.

Καὶ ἔξου ἦν ἀνθρωπικός ἐν Ἱερουσαλήμ, ᾧ δρομα Συμεὼν· καὶ ὁ ἀνθρωπος οὗτος, δίκαιος καὶ εὐδελύθης. Ἀρκεῖται βήματα τοῦ εὐαγγελιστοῦ, πρὸς τὸ παραστήσαι τὴν τοῦ Συμεὼν ἀγιότητα. Προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραὴλ· Ὅπερ ἡγοῦμαι σημαίνειν, φιλανθρωπίαν ἔσεσθαι ἐκ Θεοῦ μέλλουσαν τῷ Ἰσραὴλ. Ἡ καὶ ἄλλως πως. Ἐπειδὴ γὰρ Ἰσραὴλ τοὺς ὄρων Θεὸς ἐρμηνεύεται· ἐπὶνθεὶ δὲ νοητῶς πᾶς νοῦς θεωρητικῶς, διὰ τὴν κρατήσαν πλάνην τῆς ἀγνωσίας τοῦ ἀνθρώπου· εἰκότως ὁ Συμεὼν δίκαιος ὢν καὶ προφητικῶ προβλέπων νοήματι, ἀνέμενον τὴν μέλλουσαν ἔσεσθαι παράκλησιν τῷ νοητῷ Ἰσραὴλ, διὰ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἐπιδημίας. Καὶ Πνεῦμα ἄγιον ἦν ἐπ' αὐτῷ. Μακάριος εἶ, ὃ πρεσβύτερα, ὅτι Πνεύματος κατοικητήριον ἤξιώθης γενέσθαι.

Καὶ ἦν αὐτῷ κεχρηματισμένον ὁπὸ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου μὴ ἰδεῖν θάνατον, κριν ἂν ἰδῇ τὸν Χριστὸν Κυρίου. Οὐκ εἶπον ἀνωτέρω, ὅτι προφητικῶ δμῆματι ἀνέμενον ὁ πρεσβύτερος τὴν παρὰ τοῦ Σωτῆρος παράκλησιν; Ἰδοὺ σαφῆ; τῶν πρὸ τούτου βηθέντων ἀπόδειξις. Ἀπεκαλύφθη γὰρ τῷ προφήτῃ, φησὶν, ὡς οὐκ ἂν φθάσοι τοῦ βίου τὸ τέλος,

sistit. Nudum enim natus non aperuit vulvam pro more reliquorum hominum, quin etiam clausam virginittatis portam reliquit, juxta quod propheta Ezechiel dixit: *Et dixit mihi Dominus: Fili hominis, porta hæc clausa erit. Nemo per eam ingreditur, et egreditur: et erit clausa* ¹⁰. Qua ergo ratione in iis constituta qui aperiunt, in eo possint procedere, qui non aperuit, sed clausam portam reliquit? Ac neque nunc primum opus habebit sanctum appellari, quod ante etiam conceptionem, *Sanctum*, ac *Dei Filius*, cum Patris, tum Spiritus sancti testimonio, fuit declaratum. Enimvero hæc etiam consequenti ratione Salvatorem, pro ejus œconomia, ac qua ratione se nobis incarnatione inclinavit, decet.

Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini; parturturum, aut duos pullos columbarum ¹¹. Congruunt omnia, illi, quam se nobis Salvator inclinando, dispensationem gessit. Nam erant quidem etiam pretiosiores hostiæ aliæ parientibus præscriptæ; puta per oves, ac quædam alia: quia tamen universum Incarnationis mysterium, immensam quamdam inclinationem habuit, ei consentanee habentia modo etiam ostensa sunt, quæ de turturibus ac columbis erant lege præscripta. Bene autem admirabilis Paulus, animo cuncta complectens, stupore exclamavit: *Propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius nos inopia divites essemus* ¹². Cæterum, quod et palam res præferebat, fuit Dominica oblatio haud inutilis ad mysterium. Nam turtures quidem, pudicitiam ac castitatem semper Virginis ac Dei Genitricis significabant; columbæ autem, ineffabilem in nos Dei clementiam, quamque Spiritus sanctus fecunditatem dispensat, ac facit.

Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Symeon, et homo iste justus et timoratus ¹³. Sufficiunt Scripturæ ipsa verba ad Symeonis declarandam sanctitatem. *Expectans consolationem Israel*: quod putat significare, quam Deus Israeli clementiam ac benignitatem exhibiturus erat. Aut etiam alia ratione. Quia enim Israel, *meus Deum videns* exponitur; mens autem omnis contemplationi dedita, spiritaliter lugebat, propter errorem ac ignorantiam, que tenebatur humanum genus; merito Symeon, qui justus esset, ac prophetico sensu prospiceret, accessuram expectabat spiritali Israeli, per Salvatoris adventum consolationem. *Et Spiritus sanctus erat in eo*. Beatus es, o senex, qui sancti Spiritus habitaculum merueris effici.

Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini ¹⁴. Nonne bene superius dicebam, prophetico senem obtutu expectare futuram a Salvatore consolationem? En perspicua prius dictorum probatio. Nam, inquit, fuerat revelatum prophetæ, non prius venturum vitæ finem, quam videret Christum Do-

¹⁰ Ezech. xlv, 2. ¹¹ ibid. 24. ¹² II Cor. viii, 9.

¹³ ibid. 25. ¹⁴ ibid. 26.

mini. Plane Symeon, bonum es consecutus, quale A nemo unquam prophetarum consequi potuit. Beatus revera es, qui in tempus ejusmodi a Deo fueris reservatus.

Et venit in spiritu in templum. Nihil enim sancti velut a se impulsus agunt, sed movente sancto Spiritu. *Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo*¹⁵. O puer matre puerpera; quin et universis sæculis existens antiquior! O puer necdum sermoni habens expeditam linguam, tamen vero prophetis per Spiritum sermonem insones! O Mosis factor; ejusque te legi, quin ei magis, quam tulisses ipse, per benignitatem submitbens! O factor legis, Novique Testamenti conditor! Quemadmodum enim rex aliquis legem aliquam conscribi jubens, tum eam propria subscriptione munit; tum iterum, cum liberit, primam quidem legem antiquat, id est implet: ejus autem loco, sublimiorem legem aliam inducit: sic Dominus: Ubi veterem legem Mosis opera edidisset, ut vidit sic habere, ut ad perfectum nihil adduceret; eam quidem ipse implet, legitima omnia faciens: *Introductionem autem melioris legis fecit, per quam proximamus ad Deum*¹⁶, ut apostolus Paulus ait. *αρωγήν δὲ κρείττονος νομοθεσίας εἰργάσατο*, δι' Παῦλος.

Symeon autem accepit puerum in ulnas suas. Te iterum, o Symeon, beatum dicam. Revera enim dignus es, qui beatus dicaris. En enim, ipsum qui vehitur super Cherubim, in ulnas accepisti. En Seraphim inaspectabilem, senilibus oculis videns oblectaris. En eum, quem Ezechiel quadriformi sede sublimem vidit, intra ulnas pro more infantis positum, manibus astringis. Qui ergo non beatus, qui tot ac tantis bonis dignus habitus sis?

*Et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace*¹⁷. Fessus sum, Domine, præsentis sæculi carcerem habitans. Incolatus meus prolongatus est, lubensque migrabo, ubi habitatio est lætantium omnium¹⁸. Dimitte me, Domine. A rebus enim subjectis oculis liberari satago. Jam prophetia propinquavit. Ecce jam adest Salvator. *Viderunt enim oculi mei salutare tuum*¹⁹, de quo clamabat Isaias: *Ecce Sion civitas salutare nostrum*²⁰. Porro Sion Ecclesia est, in qua salutare, hoc est, Christus, demoratur. *Aitque rursus: Salutare meum ut lampas accendetur*²¹. In modum enim lampadis apparens Salvator, orbis terrarum fines illuminavit.

*Quod parasti, ante faciem omnium populorum*²². Non unius jam ingrati populi, Israelis, inquam: sed omnium populorum, juxta sacrum Psaltem, dicentem: *Laudate Dominum, omnes gentes; adlaudate eum, omnes populi*²³. Sed et Daniel ait: *Omnes populi, tribus, et linguæ servient ei*²⁴.

πρὶν ἂν ἴδῃ τὸν Χριστὸν Κυρίου. Ἐπίτυχες ἀληθῶς, ὦ Συμεὼν, ἐπιτυχίας, ἧς οὐδεὶς τῶν πάλαι προφητῶν ἐπιτυχεῖν δεδύνηται. Μακάριος εἰ ὧς ἀληθῶς, εἶς εἰς τοιοῦτον καιρὸν ἐκ Θεοῦ τετῆρησαι.

Καὶ ἦλθεν ἐν τῷ Πνεύματι εἰς τὸ ἱερὸν. Οὗ γὰρ αὐτοκινήτως οἱ ἄγιοι τι διαπράττονται, ἀλλ' ἐκ Πνεύματος ἁγίου κινούμενοι. *Καὶ ἐν τῷ εἰσαγαγεῖν τοὺς γονεῖς τὸ παιδίον Ἰησοῦν τοῦ ποιήσαι αὐτοὺς κατὰ τὸ εἰθισμένον τοῦ νόμου περὶ αὐτοῦ.* Ὁ παῖδρον τῆς τεκούσης σε μητρός· μᾶλλον δὲ, τῶν αἰώνων ἀπάντων, ὑπάρχον παλαιότερον. Ὁ παῖδρον μήπω τραυῶσαν τὴν γλῶσσαν, καὶ τοὶ δὲ προφήταις ἐνηχοῦν τὸν λόγον διὰ τοῦ Πνεύματος. Ὁ τοῦ Μωσέως πλάστα, καὶ τῷ τούτου νόμῳ· μᾶλλον δὲ τῷ οικεῖφ διὰ φιλανθρωπίαν αὐτὸν ὑποκλίαν. Ὁ τοῦ νόμου ποιητὰ, καὶ τῆς Καινῆς Διαθήκης νομοθέτα. Καθάπερ γὰρ βασιλεὺς τις νόμον τυπωθῆναι κελεύων, καὶ οικεῖα ὑποσημειώσει τοῦτον βεβαίως· καὶ πάλιν ὅταν βούληται, τὸν μὲν πρῶτον νόμον παύσει, ἤγουν πληροῖ· ἀντεισάγει δὲ τοῦτου ὑψηλότεραν νέαν νομοθεσίαν· οὕτως καὶ ὁ Κύριος, τὸν πάλαι νόμον διὰ Μωσέως ἐκθέμενος· ὡς οἶδεν τοῦτον μηδένα τελειοῦντα· τοῦτον μὲν αὐτουργίᾳ πληροῖ, διὰ τοῦ ποιῆσαι τὰ νομοθετηθέντα. *Ἐπεισῆς ἧς ἐγγίζομεν τῷ Θεῷ, ὡς φησιν ὁ ἀπόστολος;*

Ὁ δὲ Συμεὼν ἐδέξατο τὸ παιδίον εἰς τὰς ἀγκύλας αὐτοῦ. Πάλιν σὲ μακαρίσω, ὦ Συμεὼν. Μακαρισμοῦ γὰρ ἀληθῶς ἀξίως πέφυκας. Ἰδοὺ γὰρ τὸν ἐπὶ τῶν Χερουβὶμ ἐποχοῦμενον, ἐν ἀγκύλαις ἐδέξω. Ἰδοὺ τὸν τοῖς Σεραφίμ ἀθεώρητον, γηραιοῖς ἐσθλαμοῖς καθορῶν ἐπιτέρητη. Ἰδοὺ τὸν ὑπὸ Ἰεζεκιήλ, ἐπὶ τετραμόρφου θρόνου θεωρηθέντα, ἐν ταῖς χερσὶν ὡς βρέφος ἐναγκαλίστη. Πῶς οὖν οὐχ ὑπάρχεις μακάριος, τοιοῦτων καὶ τληκικῶν ἀξιοθεῖς ἀγαθῶν;

Καὶ ἠλόγησεν τὸν Θεόν, καὶ εἶπεν· Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, Δέσποτα, κατὰ τὸ ῥῆμά σου ἐν εἰρήνῃ. Κέκημηκα, Δέσποτα, τὸ δεσμοτῆριον οἰκῶν τοῦ παρόντος αἰῶνος. Ἐχρόνισα ἐν τῇ παρρησίᾳ, καὶ τὴν μετοικίαν ἀσπάζομαι, ἐνθα εὐφραίνομαι πᾶντων ἡ κατοικία. Ἀπόλυσόν με, Δέσποτα. Ἀπαλλαγῆναι γὰρ τῶν ὠρωμένων ἐπιθυμοῦμαι. Ἰδοὺ ἡ προφητεία ἤγγικεν. Ἰδοὺ τὸ σωτήριον πάρεστιν. *Εἶδον γὰρ οἱ ὀφθαλμοί μου τὸ σωτήριόν σου, περὶ οὗ Ἡσαίας εἶπεν· Ἰδοὺ Σιών πόλις τὸ σωτήριον ἡμῶν.* Σιών δὲ ἐστὶν ἡ Ἐκκλησία, ἐν ἣ τὸ σωτήριον, τοῦτέστιν ὁ Χριστός, ἐναυλιζέται. Καὶ πάλιν λέγει· *Τὸ σωτήριόν μου ὡς λαμπὰς καθήσεται.* Δίχην γὰρ λαμπάδος ἐπιφανεῖς ὁ Σωτῆρ, τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης ἐφώτισεν.

Ὁ ἠτοίμασεν κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν λαῶν. Οὐκ ἔστι [Ἰσ. εἶπ.] τοῦ ἐνδὸς λαοῦ, τοῦ ἀνώμοτος· λέγω δὲ τοῦ Ἰσραὴλ, ἀλλὰ πάντων τῶν λαῶν, κατὰ τὸν ἱεροψάλτην λέγοντα· *Ἀνείτε τὸν Κύριον, πάντα τὰ ἔθνη· ἐπαινέσατε αὐτὸν πάντες οἱ λαοί.* Καὶ ὁ Δανιὴλ φησιν· *Πάντες οἱ λαοί, ζυγαὶ καὶ γλώσσαι αὐτῷ δουλεύουσιν.*

¹⁵ II Cor. viii, 27. ¹⁶ Hebr. vii, 19. ¹⁷ Luc. ii, 52. ¹⁸ Psal. lxxxvi, 7. ¹⁹ ibid. 30. ²⁰ Isa. xlvii, 1. ²¹ Isa. lxxii, 1. ²² ibid. 51. ²³ Psal. cxvi, 1. ²⁴ Dan. vii, 14.

Φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἔθνῶν. Ὅπερ ἐστίν, εἰς Α ἀνάβλεψιν καὶ εἰς φωτισμὸν, τῶν καθημένων ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου, ἔθνῶν· Καὶ δόξαν λαοῦ σου Ἰσραὴλ. Εἰ γὰρ καὶ μὴ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραὴλ ἐπίστευσαν, ἀλλ' οὔν τὸ κατάλειμμα σέσωσται, ἐξ ὧν ὑπήρχον οἱ τε μακάριοι τοῦ Χριστοῦ ἀπόστολοι, καὶ ἕτεροί τινες τῶν πιστευσάντων. Καὶ οὐ μόνον τοῦτο, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὁ Κύριος; ἐκ τῆς Ἰουδαίας φυλῆς ἡμῖν ἀνατέταλκεν. Οὗτος γὰρ ὁ Σωτὴρ περὶ ἑαυτοῦ λέγων, ἔφασκεν· Ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν. Τοῦτου χάριν φησὶν· Καὶ δόξαν λαοῦ σου Ἰσραὴλ.

Καὶ ἦν ὁ πατήρ αὐτοῦ καὶ ἡ μήτηρ, θαυμάζοντες ἐπὶ τοῖς λεγομένοις περὶ αὐτοῦ. Εἰ γὰρ καὶ ἦσαν μεμυημένοι, ἦ τε Μαριάμ καὶ ὁ Ἰωσήφ τὸ περὶ τοῦ βρέφους μυστήριον· ἦ μὲν διὰ τοῦ Γαβριήλ, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ διὰ τοῦ Πνεύματος διδασχθεῖσα περὶ τῆς τοῦ τιχομένου θεότητος· ὁ δὲ διὰ τοῦ ἀρχαγγέλου· Μὴ φοβηθῆς παραλυθεῖν Μαριάμ τὴν γυναῖκά σου. Τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, ἐκ Πνεύματος ἐστίν ἁγίου· ἀλλ' ὁμως καὶ ταῦτα μεμυσταγωγημένοι, εὐαμαύζον ἐκπληττόμενοι ἐπὶ τοῖς λεγομένοις περὶ αὐτοῦ.

Καὶ εὐλόγησεν αὐτοὺς Συμεὼν. Ἀποδεχόμεθά σου τὴν ἐκ θείας ἀγάπης θερμοτάτην πρόθεσιν. ὦ Συμεὼν. Εἰ γὰρ καὶ ἀνώτεροι πάσης εὐλογίας ἐτύχχανον, ἦ τε τεκούσα μήτηρ ὁμοῦς καὶ τὸ βρέφος· ἀλλ' ἀντὶ δοξολογίας προσήγαγεν· ὡς περ ἀμέλει καὶ οἱ ἐν Βαβυλῶνι τρεῖς παῖδες. Καὶ γὰρ ἐκείνοι οὐ μόνον τὰς ἀγγελικὰς δυνάμεις, καὶ πᾶσαν ἀνθρωπότητα, ἀλλὰ καὶ τὴν ἄψυχον καὶ ἀναίσθητον κτίσιν, εἰς τὸ εὐλογεῖν τὸν Θεὸν προετρέψαντο, ἀποπληροῦσαν τὴν εὐλογίαν, ὡς εἴρηται, διὰ τοῦ εὐλογεῖν τὴν εἰς τὸ Θεῖον δοξολογίαν. Κατὰ τοῦτον τοῖνον τὴν τρόπον, καὶ ὁ Συμεὼν ἐπὶ τοῦ παρόντος εὐλόγησεν αὐτοὺς, καὶ εἶπεν πρὸς Μαριάμ τὴν μητέρα αὐτοῦ. Τίνι λόγῳ, μὴ τῷ νομιζομένῳ πατρὶ τῆς προφητείας εἶπεν ὁ Συμεὼν τὰ βήματα, ἀλλὰ μᾶλλον τῇ Μαριάμ; ἐπειδὴ ἦδει ὡς πνευματοφόρος, ἀληθῆ τοῦ βρέφους μητέρα τυγχάνειν τὴν Μαρίαν· τὸν Ἰωσήφ δὲ μέχρι ψιλοῦ καὶ μόνου ὀνόματος; τῆς τοῦ πατρὸς προσηγορία; ἀπολαύοντα· ἐπειδὴ οὐκ ἐκ σπέρματος ἀνδρός· ἀλλ' ἐκ Πνεύματος ἁγίου ἢ τῆς ἀπειρογάμου καὶ ἁγίας Παρθένου κυοφορία γέγονεν. Τοῦτου χάριν καταλιπὼν ὁ Συμεὼν τὴν δοκίμει καὶ δόματι πατέρα, πρὸς τὴν ἀληθῆ μητέρα τοῦς λόγους πεποιήται λέγων· Ἰδοὺ οὗτος κείται εἰς πτώσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραὴλ· καὶ εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον· εἰς πτώσιν μὲν τῶν ἀπίστων, εἰς ἀνάστασιν δὲ τῶν πιστευόντων· οὐ τοῦ βρέφους αἰτίου γενομένου τοῖς μὲν πτώσεως, τοῖς δὲ ἀναστάσεως, ἀλλὰ τῆς οικείας ἐκάστου προαιρέσεως, ὡς ἐστίν ἐκ πολλῶν μαρτυριῶν τὴν λόγον πιστώσασθαι. Τὰ μὲν οὖν πλήθη τῶν Ἰουδαίων, βλέποντα τὰς γινομένης θαυματουργίας, τῷ Σωτῆρι προσέτρεχον· οἱ δὲ ἀνόητοι ἀρχιερεῖς ἔλεγον· Δαιμόνιον ἔχει· τί ἀκούετε αὐτοῦ; Ἄρ' οὐχ οἱ μὲν ἔκουσιν

Lumen ad revelationem gentium⁴⁶. Nemo ad hoc ut gentes, quæ in tenebris ac umbra mortis sedent, visum ac lumen recipiant. Et gloriam plebis tuæ Israel. Quamquam enim non omnes orti ex Israele crediderunt, reliquæ tamen salvæ factæ sunt; ex quibus fuerunt, tum beati Christi apostoli, tum alii quidam fideles. Nec id modo, quin et ipse Dominus noster, ex tribu nobis Juda exortus est. Ipse namque Salvator de se ipse loquens, dicebat, Quia salus ex Judæis est. Idcirco ait: Et gloriam plebis tuæ Israel⁴⁷.

Et erant pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo⁴⁸. Quamquam enim didicerant Maria pariter ac Joseph, quod ad puerum sciebat mysterium: Maria quidem, Gabrielis voce: nec id modo, verum etiam a Spiritu sancto nascituræ prolis edocta divinitatem: Joseph autem, per archangelum dicentem: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est⁴⁹: tametsi, inquam, ista divinitus edocti erant, mirabantur tamen ac stupebant super his quæ dicebantur de illo.

Et benedixit illis Symeon⁵⁰. Laudamus probamurque tuam, o Symeon, ex ferventissima dilectione voluntatem. Quamquam enim etiam omni benedictione superiores erant, Mater pariter puerpera, ac Puer, laudationis tamen loco eam oblituit: ea nimirum ratione, qua pueri tres in Babylone. Nam et illi, nedum virtutes angelicas, universumque hominum genus, verum etiam ratione ac sensu destitutas res, ad benedicendum Deo hortabantur, benedictionem implentes, quemadmodum dictum est, proseguendo verbis divinas laudes. Hac itaque ratione etiam Symeon impræsentiarum illis benedixit, et dixit ad Mariam matrem ejus. Quorsum ille, non putato patri dixit prophetice verba, sed magis ad Mariam matrem ejus direxit? Quod nimirum tanquam divino Spiritu afflatus sciret, Mariam veram esse pueri matrem, Josephum autem, nomine tenus tantum, patris nuncupatione pollere: quod non ex viri semine, sed de Spiritu sancto, innupta ac sancta Virgo concepisset. Quamobrem relicto Symeon existimato ac nomine tenus patre, ad veram Matrem sermonem convertit, dicens: Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur. In ruinam quidem non creditum; in resurrectionem autem credentium. Non tanquam puer ipse causa futurus esset, qua ruinæ aliis, qua aliis resurrectionis, sed propria cujusque voluntas, ut et multis testimoniis licet probare. Nam Judæorum quidem vulgus, cum miracula quæ fiebant, aspicerent, ad Salvatorem accurrebant: at stulti pontifices dicebant: Dæmonium habet⁵¹: Quid eum auditis? nonne itaque hi quidem sponte resurgebant; hique vicissim nedum ipsi voluntate cadebant, quin

⁴⁶ Dan. vii, 52. ⁴⁷ Joan. iv, 22. ⁴⁸ ibid. 53. ⁴⁹ Matth. i, 20. ⁵⁰ ibid. 34. ⁵¹ Matth. ii, 18.

et alios pariter in ruinam impellebant? Item cæcus A cum miraculo lucis usuram recepisset, ejus, qui beneficio impertisset magnificentiam grato animo prædicabat: præfractæ vero audaciæ pontifices ac seniores, dicebant: *Da gloriam Deo: nos scimus quia hic homo peccator est* 22. Sed et iterum in filia archisynagogi, pater quidem, fide trahente, Jesum accessit 23; cæterum cum Vita perspicue sciret, suo adventu mortem in fugam vertendam, somnum appellavit mortem; non autem mortem: at stulti illi nihil deridere verebantur eum, qui mortem fugans, reducit ad vitam. Denique in ipsa salutari morte, alt' r quidem latronum exprobrabat dicens: *Si Filius Dei es, saluum fac te ipsum et nos* 24; e contra vero alter, alterum, ut par erat, increpabat: atque ad Dominum conversus dicebat: *Memento mei cum veneris in regnum tuum*. Idcirco merito, grati animi indicis confessionis ejusmodi præmio, paradisum refert. Vides ut voluntate ex infidelitate cadant; utque ex fide voluntate resurgant? Cæterum alia quoque ratione impleta est Simeonis prophetia. Salvatoris namque dispensatio in carne, diabolo quidem fuit ruina, ac immundis ejus spiritibus: resurrectio autem iis, quos ille profligasset, ac qui mortis tyrannidi mancipati fuissent. Vides ut puer positus sit in ruinam et resurrectionem multorum? Sed et *in signum cui contradicetur*. Huic quoque convenient dicta superius. Nam qui non credunt, omnino contradicunt: qui autem credunt, plane assentiuntur. Item contradicunt perversarum hæresum inventores, quique temere incarnationis mysterium, ac secus ac habeat, interpretantur. δηλονότι συγκατατίθενται. Ἀντιλέγουσι δὲ, καὶ οἱ παρερμηνεύοντες τὸ τῆς οἰκονομίας μυστήριον.

Et tuam ipsius animam, inquit, *pertransibit gladius*. Gladium porro, eam probationem dici existimo, quæ ex tristitia in cruce sanctæ Virgini accessit. Pertransiit enim eam sine læsione velut obiter, non gravius saucians. Et: *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. Omnium enim cogitationes salutaris Domini passio, probatione revelavit. Nam ii quidem qui firmiter credebant, quanquam forte humano more turbati fuerunt, haud tamen penitus desperarunt; expectabant siquidem Salvatoris resurrectionem; velut nimirum mulieres, quæ venerunt ad monumentum, ac divini discipuli: qui autem habebant fidem titubantem, velut seminati supra petrosa, non ferentes tentationum æstum, illas ipsas quæ supererant nonnullis fidei reliquias, angusti animi vitio amiserunt. Hactenus vero Symeonis prophetia finem habeat.

Et hac ipsa hora, inquit, *superveniens etiam prophetissa illa casta, ac templo in jejuniis et oratione assidue Anna*, corpore quidem vetula, at fide vegeta, *vicissim confitebatur Deo*, ipsa quoque gratias agens, quod talem ac tantam gratiam contulisset, ut et ipsa videret Christum Domini. Sed et alios ad

ἀνίσταντο, οἱ δὲ ἔκουσιως οὐ μόνον ἐπιπτον, ἀλλὰ καὶ ἑτέρους εἰς τὸ πτώμα συνελκοντο; Πάλιν ὁ τυφλὸς, παραδόξως τοῦ φωτὸς ἀπολαύσας, τὴν τοῦ εὐεργέτου μεγαλειότητα εὐχαριστῶν ἀνεκήρυτεν· ἀλλ' οἱ πάντολμοι ἀρχιερεῖς καὶ πρεσβύτεροι εἰεγον· Ἄδὸς δόξαν τῷ Θεῷ· ἡμεῖς οἴδαμεν ὅτι ὁ ἄνθρωπος οὗτος ἀμαρτωλὸς ἐστίν. Καὶ αὐτὸς δὲ ἐπὶ τῆ θυγατρὶ τοῦ ἀρχισυναγώγου, ὁ μὲν πατήρ τῆ; κόρης πίστει ἠλόκμενος, τὸν Ἰησοῦν μεταπέμψασαὶ ὡς δὲ γινώσκουσα ἡ ζωὴ, ὡς διὰ τῆς αὐτοῦ παρουσίας δραπέτευσαι ὁ θάνατος, ὕπνον ἀπεκάει· τὸ πάθος, καὶ οὐχὶ θάνατον· οἱ δὲ ἀνόητοι ὄντες, καταγελαῖν οὐ παρητοῦντο, τοῦ τὸν θάνατον φυγαδεύοντος, καὶ πρὸς ζωὴν ἐπανάγοντος. Καὶ ἐν αὐτῷ δὲ τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ, ὁ μὲν τῶν ληστῶν θνήσκων ἔλεγεν· *Εἰ Ἰῶδς εἶ τοῦ Θεοῦ, σώσον σεαυτὸν καὶ ἡμᾶς*· ὁ δὲ τοῦναντίον ἐκεῖνῳ μὲν ἐπετίμηκεν τὰ δέοντα· στραφείς δὲ πρὸς τὸν Κύριον, ἔλεγον· *Μνησθητέ μου, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου*. Ὅθεν δικαίως τῶν τῆς εὐγνωμοσύνης αὐτοῦ ῥημάτων κομιζέται τὸν παράδεισον. Βλέπετε ἔκουσιως εἰ ἀπιστίας πίπτοντας, καὶ ἔκουσιως ἀνισταμένους ἐκ πίστεως; Πλὴν καὶ ἑτέρως ἡ προφητεία τοῦ Συμεὼν πληρῶται. Ἡ γὰρ τοῦ Σωτῆρος κατὰ εἶμα οἰκονομία, πτώσις μὲν τῷ διαβόλῳ γέγονεν καὶ τοῖς ἀκαθάρτοις δαίμοσιν, ἀνάστασις δὲ τῶν ὑπ' αὐτοῦ καταβεβλημένων, καὶ ὑπὸ τὴν τοῦ θανάτου τυραννίδα γεγεννημένων. Βλέπετε πῶς κείται τὸ βρέφος εἰς πτώσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν; ἀλλὰ καὶ εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον. Καὶ ἐπὶ αὐτῷ δὲ ἀρμόσει τὰ ἀνωτέρω ῥηθέντα. Οἱ μὲν γὰρ ἀπιστοῦντες, ἀντιλέγουσι πάντως· οἱ δὲ πιστεύοντες, τὰς διεστραμμένας ἐφευρόντες αἰρέσεις, ἔλεγον ἄλλως

Καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν, φησὶν, *διελύσεται ῥομφαία*. Ῥομφαίαν δὲ οἶμαι λέγεσθαι, τὴν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ γενομένην τῇ ἁγίᾳ Παρθένῳ διὰ τῆς λύπης δοκιμασίαν. Διήλθεν γὰρ αὐτὴν ἀδελφῶς ὡς ἐν παρόδῳ, μὴ πλήξασα. Καὶ, Ὅπως δὲ ἀποκαλιφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί. Πάντων γὰρ τοῦς λογισμοῦς τὸ σωτήριον πάθος τοῦ Κυρίου, δοκιμαστικῶς ἐξεκάλυψεν. Οἱ μὲν γὰρ βεβαίωσται, εἰ καὶ τυχὸν ὡς ἄνθρωποι ἐκλονήθησαν, ἀλλ' οὐκ ἀπήλπισαν παντελῶς. Ἀνέμενον γὰρ τὴν τοῦ Σωτῆρος ἀνάστασιν· καθάπερ ἀμέλει αἱ τε γυναῖκες αἱ τὸ μνήμα καταλαθοῦσαι, καὶ οἱ θεσπέσιοι μαθηταί. Οἱ δὲ πεπλανημένην τὴν πίστιν ἔχοντες, καθάπερ οἱ ἐπὶ τὰ περὶ τὴν σπαράντες, μὴ ἐνέγκαντες τῶν περὶ τῶν ἀρμῶν τὸν καύσωνα, καὶ ὃ εἶχον μικρὸν τῆς πίστεως λείψανον, ἀπὸ μικροψυχίας ἀπόλεισαν. Καὶ πέρας μὲν ὡς ἐχέτω ἡ τοῦ Συμεὼν προφητεία.

Αὐτῇ δὲ, φησὶν, *τῇ ὥρᾳ ἐπιστάσα καὶ ἡ προφητις ἡ σφόδρων, καὶ ἐν ῥησείᾳ καὶ δεήσει ἀρεκαρτεροῦσα τῷ ῥαφ' Ἄννα*· ἡ γηραιά μὲν τῷ ὕματι· τῇ δὲ πίστει νεάζουσα· Ἀνωμολογῆτο τῷ Θεῷ, εὐχαριζοῦσα καὶ αὐτῇ δηλονότι, καθὸ τῆς τοιαύτης καὶ τοσαύτης ἡξιώθη χάριτος, εἰς τὸ καὶ

22 Joan. ix, 24. 23 Marc. v, 39. 24 Luc. xxiii, 39.

αὐτὴν κατιδεῖν τὸν Χριστὸν Κυρίου. Καὶ ἄλλοι; δὲ αἰς τοῦτο ἢ Ἄννα προστρέπετο· Ἐλάλει γάρ, φησί, περὶ αὐτοῦ πᾶσι τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλὴμ. Λύτρωσιν δὲ προσεδέχοντο, ἣν ὁ θεὸς Δαβὶδ προαναμίλων ἐκήρυττε λέγων· Λύτρωσιν ἀπέστειλεν Κύριος τῷ λαῷ αὐτοῦ. Καὶ πάλιν· Ἐλυτρώσω βράβδω κληρονομίαν σου. Τίς δὲ ἐστὶν ὁ λυτρωσάμενος; καὶ ἡ λύτρωσις, εἰ μὴ αὐτὸς ὁ Κύριος; ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, δι' οὗ πάντα ἐκ τῆς πλάνης; καὶ φθορᾶς; ἐλυτρώθημεν;

Τὸ δὲ παιδίον, φησὶν, ἠύξανε καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι· πληρούμενον σοφίας, καὶ χάρις Θεοῦ ἦν ἐπ' αὐτῷ. Πῶς τοίνυν ἠύξανε, ὁ πᾶσιν ἀνθρώποις, καὶ ζώοις, καὶ φυτοῖς, τὴν ζωὴν καὶ τὴν αὐξήσιν χαριζόμενος, ἢ δηλονότι κατὰ τὴν τοῦ σώματος αὐξήσιν; Πῶς δὲ καὶ ἐκραταιοῦτο Πνεύματι, ὁ πᾶσι προφήταις; καὶ δικαίοις; τὴν τοῦτο ἔμπνευσιν καὶ μετοχὴν δωρούμενος, καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς νηδύος τὴν θεοδόχον σάρκα ὑπὸ τούτου διαπλαττόμενος, εἰ μὴ ἐκραταιοῦτο πνεύματι, τῷ ὑπὲρ τὴν τοῦ σώματος ἡλικίαν ὑπερλάμπειν ἐν τῷ βρέφει, τῆς θείας φύσεως τὰ γνωρίσματα, εἰ γὰρ καὶ τὴν ἡμετέραν φύσιν, ὁ τῆς φύσεως πλάστης; ἐξ οικείας φιλανθρωπίας περιεβάλετο ἀδαιρέτως; ἅμα καὶ ἀσυγγύτως; ἀλλ' οὖν καὶ οὕτως ὑπερρύγαζεν καθ' ὑπερβολὴν τὴν ἀνθρωπίνην ταπεινώσιν τὸ τῆς θεότητος μέγεθος. Πῶς δὲ πάλιν ἐπληροῦτο σοφίας καὶ χάριτος, ἐν ᾧ εἰσιν πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς γνώσεως καὶ τῆς σοφίας ἀπόκρυφοι; Καὶ ὁ Παροιμιαστής; δὲ φησὶν· Ἡ σοφία ᾠκοδόμησεν ἑαυτῇ οἶκον. Σοφία δὲ ἐστὶν, ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος. Αὐτὸς γὰρ ἐδόθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ Θεοῦ, κατὰ τὴν μακάριον Παῦλον. Εἰ οὖν αὐτὴ ἡ σοφία ἐν τῇ νηδύϊ τῆς ἁγίας καὶ ἀειπαρθένου, ἑαυτῇ τὸ ἀχραντον καὶ ἅγιον σῶμα διὰ τοῦ Πνεύματος ᾠκοδόμησεν, πῶς νῦν λέγεται σοφία; πληροῦσθαι καὶ χάριτος; Ἡ πάντως κατὰ τὴν πολλάκις ἐν τοῖς ἀνωτέρω βηθίσαι ἀπόδοσιν, προσφόρων; καὶ ἀρμοδίως, τῇ κατὰ σάρκα ἑαυτοῦ παρουσίᾳ, πάντα ὁ Σωτὴρ καὶ Κύριος ἡμῶν ᾠκοδόμησεν· μεθ' οὗ τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ δόξα καὶ κράτος, καὶ ἡ ἀτελείτητος βασιλεία, σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ καὶ ζωοποιῷ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

B'

Λεοντίου ἐπισκόπου Νεαπόλεως τῆς Κύπρου, εἰς τὴν ἡμέραν τῆς ἁγίας Μεσοπεντηκοστῆς.

Πάντα τὰ ὑπὸ τοῦ Δεσπότου καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ ἐνσάρκῳ αὐτοῦ οἰκονομίᾳ, καὶ

²² Psal. cx, 6.

²⁴ Psal. lxxiii, 2.

²⁷ Coloss. ii, 3.

²⁸ Prov. ix, 1.

²⁹ I Cor. i, 30.

NOTÆ.

(14) Leontii plures fuere, iique episcopi, excepto Leontio Byzantino, qui ipse nobilis scriptor, præter alia, etiam ipso hoc argumento scripsit Orationem, quam damus. Noster hic Leontius, constanter Neapoleos Cypri episcopus legitur, citaturque eo titulo in 7 Synodo act. 4 relato ejus loco pro sacris imaginibus luculentissimo: post quem recitatum, sic de eo Constantinus Constantiæ Cypri episcopus, tamquam de gentili suo: Baron. an. 594, num. 5,

idem provocabat: *Loquebatur enim de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem in Jerusalem* [Vulg. *redemptionem Israel*]. Porro exspectabant resurrectionem, quam olim divinus David cantico prædicasset, dicens: *Redemptionem misit Dominus populo suo*²². Et iterum: *Redemit virga hæreditatem suam*²⁴. Quis vero est qui redemit, quæve redemptione præterquam ipse Dominus noster Jesus Christus? per quem omnes ab errore ac corruptione redempti sumus.

Puer autem, inquit, crescebat et confortabatur, plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo. Qua vero ratione crescebat, qui universis hominibus, animalibusque, ac plantis, vitam ac crementum tribuit? utique cremento corporis. Sed et quomodo spiritu confortabatur is, qui cunctis prophetis ac justis, ejusdem inspiratione ac participatione donavit? ac eujus desiderata caro ab ipso utero per Spiritum formata fuit? nisi certe ita spiritu confortabatur, quod supra corporis ætatem, magnifice in puero naturæ divinæ indicia ac notæ elucerent. Quamquam enim naturæ fictor, nostram naturam pro sua in humanum genus propensione induerat indivise simul ac inconfuse; nihilominus tamen sic quoque Deitatis magnitudo, humanæ vilitatem naturæ eximio quodam fulgore collustrabat. Quomodo vero iterum replebatur sapientia et gratia, *In quo sunt omnes thesauri scientiæ et sapientiæ absconditi*²⁷? Libri quoque Proverbiorum scriptor ait: *Sapientia ædificavit sibi domum*²⁸; atqui Sapientia est Dei Verbum: ipse enim nobis *datus est a Deo scientia*²⁹, juxta beatum Paulum. Siquidem ergo ipsa Sapientia, in sanctæ ac semper virginis utero, incontaminatum ac sanctum corpus, per Spiritum sanctum sibi ædificavit; quomodo nunc dicitur repleti sapientia atque gratia? Nonne plane juxta sæpius dictam in superioribus expositionem, quod Salvator ac Dominus noster congrue omnia ejus in carne adventui dispensaret? cum quo Deo ac Patri gloria ac potestas, regnumque immortale, cum sanctissimo, bonoque ac vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

II.

D Leontii episcopi Neapolis Cypri, in diem festum Mediepentecostes (14).

Nihil in iis, quæ Dominus ac Salvator noster Jesus Christus, in sua in carne dispensatione, ac agens

cum hominibus, gessit, frustra ac otiosum fuit: **A** quia potius, sunt omnia occultis quibusdam exhibitis sacramentis, eorum declarandis commodo, propter quos tota œconomia exstitit; eorum, inquam, qui in Christum crediderunt, et sunt credituri. Ita plane, ut Domini tunc ac Salvatoris gesta, lex quædam sincera sint, tanto Mosaicæ præstans, quantum Dominus servo: atque ut ait Apostolus, quantum *domo præstat, is qui fabricavit* ⁴⁰. Quamobrem qui Ecclesiæ sanxerunt leges, viri sancti, ac apostolorum successores, in rerum id temporis provide gestarum finem respicientes, celebrandas in posterum divinas solemnitates, quibus illæ in memoriam revocarentur, consequenter statuerunt. Operæ ergo pretium est, ut ostendam quid hoc mihi orationis exordium velit: id nimirum, sacræ hunc Mediæpentecostes diem, non otiose ac nulla ratione traditum celebrari; sed divina quadam traditione, siquidem ille nec hoc amisit, ut solemnitas ac dies festus esset. Et vero festus idem dies est, et festo prævious, et festum sequens. Post enim novam resurrectionis Dominicam, sive resurrectionis encænium, nos illa excipit, eoque titulo solemnitas est festum consequens. Post illam vero, festo nos Dominicæ in cælos Assumptionis, ac adventus Spiritus sancti admovet, sicque rursus, dies festus uti festæ diei pervigilium est. Utroque proinde titulo solemnitas præsens, merito a nobis honoranda est, quæ nimirum vivificæ resurrectionis post festiva ornamenta in se habeat; ut et sequentium divinarum quoque nihilominus celebritatum, ante festivas res. Quippe necesse est, ut quod quibusdam est medium, qua medium est, utrisque illis communicet. Cum itaque præsens solemnitas media existat, cum resurrectioni, tanquam illius media, ut respicias extremam, communicat; tum similiter sanctæ etiam diei Pentecostes, tanquam quæ ad eam transmittat: mediumque rursus invenitur, ut quis ex ipsa ad resurrectionis iterum diem velit repedare. Enimvero, ejusmodi sunt pretiosæ Mediæpentecostes privilegia; haudquaquam illa a casu, ac fortuita. Ne quis adeo desipiat, ut ita putaverit. Non enim humanæ hoc ambitionis munus, sed divinæ legislationis honor existit. Nec unius duntaxat legis, sive legis veteris sine nova; aut item novæ sine veteri

⁴⁰ Hebr. 11, 3.

ἐπὶ τῇ μετὰ τῶν ἀνθρώπων διατριβῇ πραγμάτων, οὐδὲ εἰκὴ καὶ μάτην, οὐδὲ ἀργῶς γεγονόσιν· ἀλλὰ μάλιν ἀποκεκρυμμένοις τισί, καὶ φανερωθῆναι θέου μυστηρίοις, ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν περὶ ὧν πᾶσα ἡ οἰκονομία γέγονε· φημί δὴ τῶν εἰς Χριστὸν πεπιστευμένων, καὶ πιστευέμεν μελλόντων· ὡς εἶναι τὰ ὑπὸ τοῦ Δεσπότη καὶ Σωτῆρος τότε γεγόμενα, νόμον τοῦ ἀπαράγραπτον, τοῦ Μωσαϊκοῦ καθ' ὑπερόχην μεζονα, καθ' ὅσον διαφέρει δούλου, Δεσπότης, καὶ ὡς εἶπεν ὁ Ἀπόστολος, *οἴκου, ὁ τοῦτο κατασκευάσας*. Ὅθεν οἱ τοὺς θεσμούς τῇ ἁγίᾳ Ἐκκλησίᾳ παραδεδοκότες ἅγιοι, καὶ τῶν ἀποστόλων διάδοχοι, πρὸς τὸν σκοπὸν τῶν τότε γεγεννημένων σωτηρίων οἰκονομιῶν ἀποβλέποντες, ἀκολούθως τελεῖσθαι μετέπειτα τὰς θείας; ἐορτὰς, εἰς ἀνάμνησιν ἡμᾶς ἀγούσας τῶν τότε γεγεννημένων, ἐθεσμοθέτησαν. Τί ὄν μοι βέλεται τοῦ λόγου τὸ προοίμιον, δεῖξαι καιρῶς. Οἷμαι ἡ παρούσα τῆς ἁγίας Μεσοπεντηκοστῆς ἡμέρα, οὐκ ἀργῶς οὐδ' ὡς ἔτυχεν ἐπιτελεῖσθαι παραδέδοται, ἀλλὰ θεία τις ὑπάρχει παράδοσις, εἰ τοι καὶ αὐτοῦ τοῦ εἶναι ἐορτῆ οὐκ ἐστέρηται. Ἀλλὰ προσόρτιος ἡ εὐχὴ καὶ μεθεόρτιος. Μετὰ γὰρ τὴν καινὴν τῆς ἀναστάσεως Κυριακῆν, ἦτοι τὸ τῆς ἀναστάσεως ἔγκαινον, αὕτη ἡμᾶς ὑποδέχεται· καὶ κατὰ τοῦτο, πέφυκε μεθεόρτιος. Μεθ' ἐαυτὴν δὲ προσάγει τῆδε τῆς Δεσοπεντηκοστῆς Ἀναλήψεως ἡμέρα, καὶ τῆ τοῦ Πνεύματος ἐνδομίᾳ· οὕτω τε χρηματίζει αὐτὴς προσόρτιος [καὶ μεθεόρτιος]· ὥστε κατ' ἀμφοτέρω τιμᾶσθαι παρ' ἡμῶν τὴν παρούσαν ἐορτὴν ἄξιον, ὡς ἔχουσιν ἐν αὐτῇ τῆς μὲν ζωηφόρου ἐγέρσεως τὰ μεθεόρτια καλλωπίσματα· τῶν δὲ μεθ' αὐτὴν θείων καὶ αὐτῶν τελετῶν τὰ προσόρτια πράγματα. Ἀνάγκη γὰρ τὸ μέσον τῶν ὑπάρχον, ἐκατέρων κοινωνεῖν ὧν πέφυκε μέσον. Μέση τοίνυν ὑπάρχουσα ἡ παρούσα ἐορτῆ, κοινωνεῖ καὶ τῇ Ἀναστάσει, ὡς ἐκείνης ὑπάρχουσα πρὸς τὴν τελευταίαν μέση· κοινωνεῖ δὲ ὡσαύτως καὶ τῇ ἁγίᾳ Πεντηκοστῇ, ὡς πρὸς αὐτὴν παραπέμποσα, καὶ εἰς αὐτῆς πάλιν ἐπὶ τὴν ἀναστασιμον ἡμέραν εἰς τὸ κατόπιν ἀναποδιζόντων, εὐρισκομένη μέση. Ἀλλὰ τῆς τιμᾶς Μεσοπεντηκοστῆς τὰ τοιαῦτα ἀξιώματα, οὐκ εἰς αὐτομάτου, οὐδ' ὡς ἔτυχε, μηδὲ τις τοῦτο νομισεῖν, ἐφευρεθεῖη. Οὐ γὰρ ἀνθρωπίνης φιλοτιμίας ὑπάρχει τοῦτο τὸ δῶρημα, ἀλλὰ θείας νομοθεσίας ἀξίωμα, καὶ οὐ μίς νομοθεσίας, ἦτοι τῆς παλαιᾶς, τῆς νέας χωρὶς ἡγουν τῆς νέας, θατέρας δίχα· ἀλλὰ παλαιᾶς τε καὶ νέας

NOTÆ.

tioneque propter Christum circa ea tempora in Ecclesia factas. Putem ego nova hæc, glossam esse ac paraphrasim τοῦ σαλοῦ, quod Græca Simeonem appellant, redditque Anastasius, *Simeonis simplicis*: velut nimirum fatui, ac emotæ mentis hominem agentis, qualem etiamnum illius vita prodit, quam habet Surius 1 Julii, ac quibus ea die adscriptus habetur, Romanæ Ecclesiæ tabulis: proindeque frustra Baronius Evagrii continuatorem quærit, Leontium Constantiæ Cypri, quique tribulationes, sive potius turbationes propter Christum in Ecclesia Mauritii annis posterioribus ac deinceps factas scribat. Nam quæso, quænam tunc in Ecclesia factæ tribulationes, ac turbationes propter Christum, ac Christi odio, Christianissimo imperatore Mauritio?

Atque ut dandum aliquid malo interpreti, referent hæc tempora sancti Simeonis, quem Vitæ auctor ponit claruisse sub Justiniano. Quod item Baronius Constantiæ episcopum facit Leontium, error est male confusa sed interloquens Constantini, cum sede Leontii, de quo is interloquitur. Plane ut novisset Constantiæ episcopum, suumque in ea sede decessorem, non dixisset, *in una urbem Cypri*: sed potius, in ipsa Constantia, in qua sum episcopus, vel quid simile. Nihil constantiæ cum Neapoli illa, Salamis, sive Salamina, ac novissime Famagosta: hæc nostro Lusignano, *Nemosia*, vel *Lemonce Græcis, Lemis nova*. Hæc obiter exscribandus, tot sub una fere periodo contentis erratis.

μετέχει, ὡς εἶναι τὴν ἡμέραν κατ' ἀμφοτέρα τιμᾶσθαι· ἄξιαν. Ὁ μὲν γὰρ Μωσῆος νόμος τῷ Ἰσραηλίτῃ λαῷ ἐρασσε· *Μεσοῦσης τῆς ἑορτῆς, ποιήσεις θυσιαν Κυρίῳ τῷ Θεῷ σου, καὶ τὰ ἐξῆς*· Ἐπειδὴ δὲ, καθὼς αὐτὸς ὁ Κύριος πρὸς τοὺς Ἰουδαίους ἐφῆσεν· *Εἰ ἐπιστεύσατε Μωσῆϊ, ἐπιστεύσατε ἂν ἐμοί· περὶ ἐμοῦ γὰρ ἐκείνος ἐγγράψεν*· ὡς ἀναγκαῖον ἐντεῦθεν πάντα τὰ τυπικῶς ἐν ἐκείνῳ γεγραμμένα, ἀλληγορικῶς, ἦτοι ἀληθινῶς, εἰς τὸν Κύριον ἀναφέρεσθαι· καὶ τοῦτο τὸ μέρος εἰς αὐτὸν γεγραμμένον, ἔδει καὶ ὑπ' αὐτοῦ τιμηθῆναι. *Οὐ γὰρ ἤθεε καταλύσαι τὸν νόμον, ἀλλὰ τοῦτον πληρῶσαι*, καὶ ἀντὶ στοιχειώδους καὶ ἀτελοῦς, πνευματικὸν καὶ τέλειον ἀπεργάσασθαι.

Τῆς τοίνυν ἑορτῆς μεσοῦσης, ὡς φησὶν Ἰωάννης ὁ εὐαγγελιστῆς, *ἀνέβη ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ ἱερὸν, καὶ ἐδίδασκεν*. Εἰ γὰρ καὶ τῆς Σκηνοπηγίας ἦν ἑορτὴ, ὅτε μεσοῦσης αὐτῆς ἀνέβη ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ ἱερὸν· ἀλλ' ἐμοὶ νῦν περὶ τοῦτο, μέσον πολλαχοῦ τῆς Παλαιᾶς καὶ Νέας διαθήκης τιμᾶσθαι, ὁ σκοπὸς, ὡς καὶ ἐπὶ τῷ τέλει προῦν ἔδειξεν ὁ λόγος· *Ἀνέβη τοίνυν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ ἱερὸν καὶ ἐδίδασκεν*. Πάντοτε πᾶσιν ἐπωφελεῖς καὶ σωτήριος ἡ Χριστοῦ παρουσία. Ἐν ἱερῷ διδάσκει, φωτίζων τοὺς ἀκούοντας· ἐν πλατείαις; θαυματουργεῖ, τοὺς ἀσθενούντας ἰόμενος· ἐν συμπόσις ὡς εἰ ἀμαρτωλοὺς ἐπιστρέφοντας· ἐν τελωνίοις ἀρπάζει πρὸς μαθητεῖαν τοὺς ἄρπαγας· ἐν πλοίοις καθυδύνει, κατακοιμίζει τῇ ἐπιτιμῆσει τὸν κλύδωνα· αἰετὶς ἰχθύων, σαγηνευτὰς ἀναδείκνυσσι κόσμου, οὗτοι ἐν παντὶ τῷ πάντοτε πᾶσιν ἐπωφελεῖς καὶ σωτήριος ἡ Χριστοῦ παρουσία. Ἄλλ' ἰδῶμεν τοὺς ἀγνώμονας Ἰουδαίους, τί ἄρα ἐκ τῆς τοῦ Σωτῆρος διδασκαλίας ὠφελήθησαν· μᾶλλον δὲ τοὺς τῶν Ἰουδαίων ἀρχοντας, *Ὅτινες τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων, ὑπὲρ τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, ἦτοι τὸ καλεῖσθαι Ῥαββί, ἀγαπήσαντες*, τῆς ἡντιῶς ἀναποδλήτου δόξης, λέγω δὴ, τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, ἑαυτοὺς ἀπεστέρησαν. Ἐπεὶ ὅτι ἐκ τοῦ πληθους αὐτῶν ἐπίστευσαν οὐκ ὀλίγοι, μετέπειτα ὁ εὐαγγελιστῆς σαφηνίζει φάσκων· *Ἐκ τοῦ οὖν ὄχλου, πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν*. Οἱ οὖν τὰ ἀπόστολα περὶ τοῦ διδασκάλου ἐνθυμούμενοι, τὸ θεομισῆς ὑπῆρχε τῶν ἀρχιερέων καὶ γραμματέων καὶ λοιπῶν ἀρχόντων συνέδριον, οἵτινες διδάσκοντες τοῦ Κυρίου ἐφασκον· *Πῶς οὗτος γράμματα οἶδεν μὴ μεμαθηκώς*; Ἡ δὲ τοιαύτη φωνὴ τε καὶ ἔνοια, κατηγορεῖ τῆς τῶν Ἰουδαίων ἀνηκούας, ὡς τοῖς νομικοῖς καὶ προφητικοῖς πραγμάμασι πάντοτε ἐνάντιοι γέγονασιν. Τὸ γὰρ φῆσαι αὐτούς· *Πῶς οὗτος γράμματα οἶδε μὴ μεμαθηκώς*; δείκνυσιν ὅτι ἐκ νομικῶν, ἦτοι προφητικῶν, γραμματέων τὴν διδασκαλίαν ὁ Σωτὴρ τὸ τμηκαῦτα ἐξύφηνεν. Ὅθεν ὡς ἐξ ἐγγράφων διδάσκοντος, καίπερ γράμματα μὴ μεμαθηκώς, περὶ αὐτὸν φθονεῶς (οὐ γὰρ θαυμαστικῶς), ἐξιστάμενοι ἐφασκον· *Πῶς οὗτος γράμματα οἶδεν μὴ μεμαθηκώς*; Εἰ γὰρ μὴ τοῦτο

A particeps est; sed et utriusque, veteris pariter ac novæ, ut merito ex utraque honorem habeat. Nam Moyses quidem in hunc modum populo Israelitico sanciens ait: *Media festiuitate facies victimam Domino Deo tuo*, etc. ⁴¹. Quia autem, sicut Dominus ipse Judæis ait: *Si credidissetis Moysi, mihi quoque utique credidissetis: de me enim ille scripsit* ⁴². Quem admodum inde necessarium conficitur, ut omnia in lege per figuram scripta, allegorice, seu ipsa veritate, in Dominum referantur, ita et partem hanc, quæ in eum scripta esset, ab eo quoque honorari oportuit: *Non enim venit solvere legem, sed adimplere* ⁴³, atque elementarem ac imperfectam, spiritalem atque perfectam efficere.

Die igitur festo mediante, inquit Joannes evangelista, *ascendit Jesus in templum, et docebat* ⁴⁴. Quamquam enim dies festus Scenopægiæ erat, cum eo mediante Jesus in templum ascendit, hoc tamen solum in præsentiarum velim ostensum, multis Veteris æque ac Novi Testamenti locis, honorem medio haberi, uti etiam oratio processu in finem ostendit. *Ascendit itaque Jesus in templum, et docebat*. Oranibus omni loco utilis est ac salubris Christi præsentia Docens in templo, auditores illuminat ⁴⁵, miracula in plateis patrans, infirmos sanat; conviuiis assistens ⁴⁶; peccatores ad meliorem conversos frugem salvat ⁴⁷; in teloniis raptos sibi in discipulos rapit ⁴⁸; in navigiis dormiens ⁴⁹, tempestatem increpando sedat: piscatores piscium, mundi piscatores facit ⁵⁰; sic ubique omnibus utilis ac salubris illa Christi præsentia est. Cæterum videamus improbos Judæos, quid ex Salvatoris doctrina commodi consecuti sint; seu magis Judæorum principes, qui nimirum, *hominum gloriam diligentes magis quam gloriam Dei* ⁵¹, hoc est, vocari *Rabbi* ⁵²; vere illa inaufertibilis gloria, fide, inquam, in Christum, se ipsos privarunt. Quod enim non pauci ex illo cœtu crediderint, declarat postmodum evangelista, dicens: *De turba autem multi crediderunt in eum* ⁵³. Ii ergo qui inconsona de præceptore cogitabant, Deo adhibile concilium illud erat, pontificum, scribarum, ac reliquorum principum; qui nimirum Domino docente, dicebant: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit* ⁵⁴? Ejusmodi autem vox et cogitatio Judæorum obedientiam accusat, qui legis semper ac prophetarum mandatis fuerint adversati. Dicendū enim, *Quomodo hic scit litteras, cum non didicerit*? aperte indicant, tunc Dominum ex scriptis legis ac prophetarum, contempsisse doctrinam. Quod itaque, ex Scripturis docebat, quanquam non didicerat litteras, invidia in ipsum (nec enim admiratione) obstupentes dixerunt: *Quomodo hic scit litteras, cum non didicerit*? Siquidem enim, secus res habebat, novamque, atque hactenus ignotam, neque Scripturis traditam doctrinam exponebat, frustra fuisset ille stupor, quod non sciret litteras. Ea vero cogi-

⁴¹ Exod. xix. 22. ⁴² Joan. v, 46. ⁴³ Matth. v, 18. ⁴⁴ Joan. vii, 14. ⁴⁵ Joan. vii, 14. ⁴⁶ Marc. vi, 56. ⁴⁷ Luc. vii, 48. ⁴⁸ Matth. xi, 9. ⁴⁹ Matth. viii, 26. ⁵⁰ Matth. vi, 9. ⁵¹ Joan. xii, 43. ⁵² Matth. xxiii, 7. ⁵³ Joan. vii, 51. ⁵⁴ Joan. vii, 15.

tatione relicta, dixerunt invicem : *Nos scimus quia A* *Moysi locutus est Deus* ⁵⁵ : *hunc autem nescimus unde sit.* Omnis enim iniquitatis modus, perinde illis expeditus est ; idcirco etiam utraque ratione permanserunt increduli Christo , cum quidem legalia ac prophetica documenta proponeret, calumniam inferentis, tanquam arte magica scientiam sine literis comparasset ; cum autem doceret sua, eidem contradicentes. *Tu de teipso testimonium perhibes ? testimonium tuum non est verum* ⁵⁶. Omni ergo ratione venia carent, Judæorum principes, nec quidquam omnino volunt juvari. Salvator nihilominus innata illa sua clementia victus, non statim ita loquentes aversatus est, sed respondit eis, aitque : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me* ⁵⁷. Qui enim eos sciret, *facientes irritam legem, ac docentes doctrinas ac mandata hominum* ⁵⁸ : repulisse quoque prophetas, dicendo huic : *Non nominabis non-nen Domini* ⁵⁹ : illi autem : *Qui vides recede, et vade in terram tuam, et ibi vive , et ibi prophetabis : in Bethel autem non prophetabis* ⁶⁰ : quin et eosdem occidisse, nec Christi doctrinam ullo modo recipere, qui dissuadentes turbis dicerent, *Quid eum auditis ? Insanit, et dæmonium habet* ⁶¹ ; jure plane merito, cum legis et prophetarum, tum sui ipse mentionem omittens, in Deum refert doctrinæ vim ; ut vel reverentia perculosos, ac linguam dolosam colibentes, percepta utilitate salvos faceret, vel palam Deum impugnantes convinceret. Sive enim legalia sunt, quæ doceo, sive prophetica, noveritis esse Dei, qui et locutus est ad illos, et me misit. Hactenus siquidem congruum assumptæ hominis naturæ modum retinet, ut ne statim occurrendo, impudenter dicant, quod et postea dixerunt : *Quid tu, homo cum sis, facis teipsum Deum* ⁶² ? Nam alioqui scimus nos fideles, quæ scripta sunt in prophetis et lege, Christi esse prænuntiationes : Nam ait ipse Salvator : *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* ⁶³. Iterum quoque per prophetam ait : *Ipse qui loquebar, ecce adsum* ⁶⁴. Subjungit deinceps dictis : *Si quis voluerit ejus voluntatem facere , nempe ejus qui misit me , cognoscat de doctrina utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar.* Quod ait, tale quid est. Qui quærit non suam, sed Dei voluntatem, utique attendit Scripturis sacris, in illis siquidem latet voluntas Dei ; atqui Scripturæ sacræ de me prænuntiant, meque Deum Verbum ex Patre procedentem prædicant ; atque hominem fore novissimis temporibus nulla mei mutatione, prophetant. Qui ergo impendio studet Dei facere voluntatem, me quidem ex Scripturis sacris agniturus est ; postmodum vero ex me recurret ad Patrem ; atque adeo, meam doctrinam, Patris esse doctrinam confitens, ubi ipse salutem paraturus est. *Qui a semetipso, inquit, loquitur, gloriam propriam quærit : qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est.* His, doctrinam Scribarum et Pharisæorum facite significat.

ἦν, ἀλλὰ καινὴν καὶ μὴπω ἐγνωσμένην, ἢ γεγραμμένην διδασκαλίαν ἐξέτιθετο, περιττὴ ἢ περὶ τοῦ μὴ εἶδέναι αὐτὸν γράμματα ἐκπληξίς. Εἶπον δὲ αὐτὸς πρὸς αὐτοὺς, ταύτην καταλείποντες τὴν ἔννοιαν· *Οἶδαμεν ὅτι Μωϋσῆϊ λελάληκεν ὁ θεός· τοῦτο δὲ οὐκ οἶδαμεν πόθεν ἐστὶ.* Πᾶς γὰρ αὐτοῖς ἱππλάτος παρανομίας τρόπος· διὸ καὶ κατ' ἀμφότερα ἀπιστοῦντες διαμεμενῆσθαι τῷ Χριστῷ νομικὰ μὲν, ἤτοι προφητικὰ, παρατιθέντος διδάγματα, συκοφαντίας προσάπτουτες, ὡς ἐκ τῆς μαγείας τινὸς τὴν εἰδῆσθαι ἄνευ γραμμάτων ἔχοντι· ἰδικὰς δὲ πτωμένου διδασκαλίας, ἀντιφθεγγόμενοι· *Σὺ περὶ σεαυτοῦ μαρτυρεῖς ; ἢ μαρτυρία σου οὐκ ἐστὶν ἀληθής.* Πάντοθεν οὖν ἀσύγγνωστοι, καὶ ὠφελίσθαι μηδέλω βουλευμένοι, οἱ τῶν Ἰουδαίων καθηγεῖσθαι λαχόντες. Ἄλλ' ὁμοῦς ὁ Σωτὴρ τῇ ἐμφύτῳ φιλοθροπία νικώμενος, οὐκ εὐθὺς ἀπεστράφη τοὺς ταῦτα λέγοντας, ἀλλ' ἀπεκρίθη αὐτοῖς καὶ εἶπεν· Ἡ ἐμὴ διδασχὴ, οὐκ ἐστὶν ἐμὴ, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με· Ἐπειδὴ γὰρ αὐτοὺς ἐγίνωσκα, νόμος μὲν ἀδεύοντις, διδάσκοντες δὲ διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων, προφήτας δὲ παρωσαμένους ἐκ τοῦ λίσγειν, πρὸς μὲν τὸν, *Μὴ ἐνομάσεις τὸ ὄνομα Κυρίου·* πρὸς δὲ τὸν, *Ἐκχώρησον, ὁ ἔρων, καὶ βάδιζε εἰς τὴν γῆν σου, καὶ ἐκεῖ καταβίῃ, καὶ ἐκεῖ προσητεύσεις·* εἰς δὲ Βεθὴλ *οὐ μὴ προσητεύσεις·* μᾶλλον δὲ καὶ προφητοκτόνους γεγενημένους· τὴν δὲ αὐτοῦ Χριστοῦ διδασκαλίαν μηδὲως ἀποδεχομένους, ἐκ τοῦ ἀναπειθεῖν τοὺς βίβλους λέγοντας· *Τὶ ἀκούετε αὐτοῦ ; Μαίρεται, καὶ θαμνίσκος ἔχει·* εἰκότως καὶ νόμου καὶ προφητικῶν, καὶ ἐαυτοῦ, ἐν τῷ πρὸς αὐτοὺς ἐλέγχῳ μὴ ἐπιμνησθεῖς, εἰς θεὸν ἀναπέμπετε τὴν τῆς διδασκαλίας ὄψιν· ἵνα ἢ ἀδυσθέντες καὶ παυσάμενοι τῆς δουλώσεως γλώσσης, ὠφελιθίντες σωθῶσιν, ἢ φανερώς θεολοχοῦντες ἐλεγχθῶσιν. Εἴτε γὰρ νομικὰ, εἴτε προφητικὰ εἰσι τὰ παρ' ἐμοῦ διδασκόμενα, γινώσκετε ὅτι θεοῦ εἰσι, τοῦ πρὸς ἐκείνους λαλήσαντος, καὶ ἐμὴ ἀποστελλαντος. Τέως γὰρ τὸ τῆς ἀνθρωπότητος μίστρον, ἵνα μὴ εὐθὺς ἀπαντήσωσιν, ἀδεῶς λέγοντες, ὅπερ καὶ εἰρήχασιν ὑστερον· *Τὶ δεῖ σὺ ἀνθρώπος ὦν, ποιεῖς ἐαυτὸν θεόν ;* Ἐπεὶ δὲ τὰ προφητῶν καὶ νόμου, Χριστοῦ εἰσι προαναγγέλματα, ἵμεν ἡμεῖς οἱ πεπιστευκότες. Αὐτὸς γὰρ ὁ Σωτὴρ ἐφίση· *Πῦρτα ἅσα ἔχει ὁ Πατήρ, ἐμὰ ἐστὶ.* Καὶ πάλιν διὰ τοῦ προφήτου φησὶν· Αὐτὸς ὁ λαλῶν, πάρεμι. Εἶτα ἐξῆς ἐπάγει τοῖς εἰρημένοις· *Ἐὸς τις θέλη τὸ θέλημα αὐτοῦ, τοῦ πέμψαντός με, λέγω, ποιῆσθαι, γινώσεται περὶ τῆς διδασχῆς, αὐτερον ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστὶν, ἢ ἐγὼ ἀφ' ἐαυτοῦ λαλῶ.* Ὁ δὲ λέγει τοιοῦτόν ἐστιν· Ὁ μὴ ζητῶν τὸ ἴδιον θέλημα, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, ταῖς θείαις πάντως προσανέχε· Γραφαὶς· ἐν γὰρ ταῦταις τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ ἐγκεινυται. Αἱ δὲ θείαι Γραφαὶ περὶ ἐμοῦ προαναγγέλουσι, καὶ θεὸς με λόγον κηρύττουσιν, ἐκ τοῦ Πατρὸς προελθόντα· καὶ ἀνθρώπων ἀτρέπτως ἐπεσχάτων γενέσθαι· τὸν αὐτὸν προφη-

⁵⁵ Joan. ix. 29. ⁵⁶ Joan. viii. 13. ⁵⁷ Joan. vii. 16. ⁵⁸ Matth. xv. 9. ⁵⁹ Amos. vi. 10. ⁶⁰ ibid. vii. 13. ⁶¹ Joan. x. 20. ⁶² Joan. x. 33. ⁶³ Joan. xvi. 15. ⁶⁴ Isa. lvi. 6

ταύσαι· ο τοίνυν τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ ποιεῖν ἐπει-
 γόμενος· ἐπιγνώσεται μὲν διὰ τῶν θείων Γραφῶν
 ἑμὲ· αὐθις δὲ ἐξ ἑμοῦ ἀναδραμεῖται πρὸς τὸν Πα-
 τέρα· καὶ οὕτως τὴν ἐμὴν διδασχὴν, τοῦ Πατρὸς εἴ-
 ναι· ἐμολογήσει ἂ καὶ ὁμολογῶν, τὴν σωτηρίαν πορῆ-
 σεται. Ὁ παρ' αὐτοῦ, φησὶ, λαλῶν, τὴν δόξαν
 τὴν ἰδίαν ζητεῖ· ὁ δὲ ζητῶν τὴν δόξαν τοῦ
 πέμψαντος αὐτὸν, οὗτος ἀληθὴς ἐστίν, καὶ ἀδι-
 κία ἐν αὐτῷ οὐκ ἐστι. Τὴν διδασχὴν τῶν Γραμμα-
 τέων καὶ Φαρισαίων διὰ τούτων αἰνιττεται. Ἐξεῖ-
 νοι γὰρ ἀπ' αὐτῶν ἐλάλουν, ἀδικοῦντες τὸν νόμον·
 καὶ τὰ μὲν εἰς Θεὸν συμφέροντα ἀφαιροῦντες· τὰ
 δὲ παρ' αὐτῶν προστιθέοντες, ἀνοδίαν βαδίζουσιν τοῖς
 αὐτοῖς ἐπομένους ἠνάγκαζον, ὡς φησὶ τὰ θεῖα
 Εὐαγγέλια· *Βαπτισμοὺς ἔστων, καὶ ποτηρίων,*
ἀπονήσεις τε χειρῶν, συμπτυγμῆ παραδιδόντες·
*καὶ τὰ βυρύτερα τοῦ νόμου, ὡς μηδὲ γεγραμ-
 μένα. παρατρέχοντες, τὴν τε εὐθειαν κρίσιν, καὶ*
τὸ πρὸς τοὺς πέλας ἔλεος. Ὅθεν καὶ τὸ οὐαὶ ἐπὶ
 ταῖς τοιαύταις ἀνομίαις πολλαπλασιαζόμενον ἐκο-
 μίσαντο. Οὐαὶ γὰρ ὑμῖν (οὐ μόνον ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ
 πολλάκις), τοῦτο, *Γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑπο-
 κριταί,* φησὶν ὁ Σωτὴρ· *ὅτι ἀθετεῖτε τὴν ἐντολὴν*
τοῦ Θεοῦ, διὰ τὴν παράδοσιν ἑμῶν. Οὐ μόνον
 γὰρ ἀθετεῖτε· ἀλλὰ καὶ ἀδικεῖτε αὐτήν, τὰ οἰκείων
 θελημάτων, ὡς ἐξ αὐτῆς προῖσχύμενοι· καὶ βλασ-
 φημεῖσθαι τὴν θεῖαν θεσμοθεσίαν, ταῖς ἀτόποις
 παραποιήσεσιν ὑμῶν καὶ προσθήκαις, παρασκευά-
 ζετε. Τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ μέχρι τῆμερον πράττου-
 σιν, οἱ τὴν Ἰουδαϊκὴν ἀγνομωσύνην, καὶ περὶ τὰ
 θεῖα καταφρόνησιν ἐκμιμούμενοι τῶν αἰρετικῶν
 παιδες, ἣ παραποιῶντες καὶ νοθεύοντες τὰ τῶν
 Θεοφώρων διδασκάλων δόγματα· ἣ, τὸ τούτου πρὸς
 ἀμαρτίαν οὐκ ἔλαττον, ψευδῶς· τὰ τῶν αἰρετικῶν
 τοῖς ἁγίοις Πατράσιν ἐπιφωμίζοντες, τοῖς ἐκείνων
 μοχθηροῖς καὶ δυσσεβείαις συγγράμμασι, τὰς αὐτῶν
 τιμίας προσηγορίας χραίνοντες· καὶ τὰ μὲν Ἀπολιναρίου τοῦ δυσσεβοῦς, ποτὲ μὲν Ἀθανασίῳ τῷ θεῷ
 ποτὲ δὲ, Ἰουλίῳ τῷ τῆς πρεσβυτέρει· Ρώμης προέδρῳ· ἣ Γρηγορίῳ τῷ Θαυματουργῷ, ἣ ἄλλῳ τινὶ
 τῶν ἐγκρίτων Πατέρων ἐπιγράφοντες· καὶ ἄλλα ἄλλοις, ὀρθοδόξων μὲν αἰρετικοῖς· αἰρετικῶν δ' ὀρθοδόξοις.
 Ὅθεν καὶ αὐτοὶ τὸ οὐαὶ ἐφ' αὐτοῦς ἔλκουσι· ποτίζοντες τοὺς πλησίον ἀνατροπῆν θολεράν, ἐκ τοῦ
 λέγειν· *Πικρὸν γλυκὺν, καὶ τούναντίον· τιθέντες τὸ σκότος εἰς φῶς, καὶ τὸ φῶς σκότος.* Ἀλλὰ
 τὴν πικρὰν τῶν Γραμματέων καὶ Φαρισαίων, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ αἰρετικῶν παρεξήγησιν καὶ νοθεῖαν κατα-
 λειπόντες, πρὸς τὴν σωτήριον διδασκαλίαν ἐπαναδράμωμεν.

Λέγει γὰρ πρὸς τοὺς Ἰουδαίους ὁ Κύριος· *Ὁὐ*
Μωϋσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν νόμον; καὶ οὐδεὶς ἐξ
ὑμῶν ποιεῖ τὸν νόμον. Ἰδοὺ σαφῶς διὰ τούτων,
 γνωθῶσι· ἀκριβέστερον, ἀγαπητέ, ὅτι καθὼς ἀνυπερέριον
 ἔφημεν, ἐκ νομικῶν καὶ προφητικῶν τὴν διδασκα-
 λίαν ὁ Κύριος πρὸς τοὺς Ἰουδαίους ἐποιεῖτο, ὅτε
 ἐκεῖνοι τῷ φθόνῳ κεντούμενοι ἐφασκον· *Πῶς οὗτος*
γράφματα, μὴ μεμαθηκώς, οἶδε; Τρανῶς γὰρ νῦν
 αὐτοῦ τοῦ νόμου καὶ τοῦ δεδωκέντος Μωσέως ὑπημι-
 μνήσκει, πᾶσαν αὐτοῖς ἀποκλείων ἐντεῦθεν ἀπολο-
 γίαν. Εἶτα, καὶ τὸν κεχυμένον καὶ ἔνδον μυ-
 χοῦντα, τῇ μαιφρόνῳ αὐτῶν καρδίᾳ δόλον ἀποκαλύπτει,
 φήσας· *Τί με ζητεῖτε ἀποκτεῖναι;* Οἱ δὲ πάνταλοι,
 καὶ τῆς παρανομίας σύντροφοι, δέον τὰ κρυπτά τῆς

illi enim, in legem injuriosi, a semetipsis loqueban-
 tur. Ea siquidem auferentes, quæ in Deum confu-
 rebant, ac sua adjicientes, per devia sequaces suos
 incedere cogebant, quemadmodum dicunt sacra
 Evangelia : *Baptismata calicum, et urceorum, ma-
 nuumque lotiones, crebro tradentes ; quæ autem sunt
 graviora legis* ⁶⁵, velut non essent scripta, *præter-
 euntes* ⁶⁶ : nempe rectum judicium, ac misericor-
 diam in proximos : Quamobrem etiam væ illud to-
 tics snper talibus iniquitatibus ingeminalum repor-
 tarunt. *Væ enim vobis* ⁶⁷ : nec id semel, sed et sæpius :
Væ Scribæ et Pharisei hypocritæ ⁶⁸, inquit Salvator ;
*qui irritum fecistis mandatum Dei, propter traditio-
 nem vestram* ⁶⁹. Nec solum vero facitis irritum, sed
 et injuriam facitis, qui vestræ voluntatis inventa,
 B tanquam ex ipso prætendatis, ac faciatis, ut absonis
 ejusmodi adulterationibus ac additamentis, divina
 lex blasphemetur. Hoc ipsum autem etiamnum hæ-
 retici faciunt, qui Judæorum improbitatem ac divi-
 norum contemptum æmulantes, vel falsent ac adul-
 terent deiferorum Doctorum sententias ; vel, quod
 nihil minus scelestum est, quæ sunt hæreticorum,
 falso sanctorum Patrum nomine publicent, ac e-
 orum pravis ac impiis scriptis, illorum veneranda
 nomina oblinant : impiaque Apollinariii dogmata,
 modo quidem divino Athanasio, modo autem Julio
 veteris Romæ episcopo, aut Gregorio Thaumaturgo,
 vel cuiquam alii probato Patri inscribant : aliaque aliis
 tribuant, quæ sunt orthodoxorum, hæreticis ; et quæ
 hæreticorum, orthodoxis. Quare et ipsi væ illud in
 suum caput accersunt, qui proximo propinent subver-
 sionem turbidam, dicendo, *Dulce amarum*, et e con-
 verso : *Qui ponunt tenebras lucem, et lucem tenebras* ⁷⁰.
 Verum amarum Scribarum et Phariseorum, quin
 et hæreticorum obliqum et adulterationem relin-
 quentes, ad salutarem doctrinam recurramus.

Ait siquidem Judæis Dominus : *Nonne Moyses dedit*
vobis legem ? et nemo ex vobis facit legem ⁷¹. En, di-
 lecte, unde accuratius noveris, ut quemadmodum
 superius diximus, tunc suam Dominus ad Judæos
 doctrinam ex legalibus ac propheticis institueret,
 cum illi stimulante invidia, dixerunt : *Quomodo hic*
scit litteras, cum non didicerit ? Perspicue enim,
 cum legis meminuit, tum Mosis legislatoris, omnem
 eis iude excusationem excludens. Deinde etiam oc-
 cultum, pronoque in cædes eorum corde latitantem
 dolum, detegit, dicens : *Quid me queritis interficere ?*
 Verum audacissimi homines, ac iniquitatis alumni,
 cum audientes secreta cordis, Deum quoque debuis-
 sent agnoscere, qui coram et renes scrutatur ⁷² :

⁶⁵ Marc. vii, 8. ⁶⁶ Matth. xxiii, 25. ⁶⁷ ibid. ⁶⁸ Matth. xvi, 16. ⁶⁹ Marc. vii, 9. ⁷⁰ Isa. v, 20.
⁷¹ J. JAN. vii, 19. ⁷² Psal. vii, 10.

cum abunde suppeteret, unde converterentur ac poenitentiam agerent, ii contra responderunt : *Dæmonium habes. Quis te querit interficere ?* O Judæorum impium animum ! O plenam temeritate Christidarum insaniam ! O blasphemam linguam semper Spiritui sancto resistentium ! *Dæmonium habes*, ei dicunt, qui eorum obsessos a dæmone curasset ; vere ipsi animis dæmoniacy, ac patris ipsorum diaboli voluntatem semper facientes. *Quis* vero, etiam addiderunt, *querit te interficere ?* nec arcanorum cordis testem timentes, at neque reveriti coargutiones. Enimvero humanitatis affectu condolens, ac vere natura misericors Jesus, non instat arguendo, nec cruentam eorum traducens voluntatem, sermone incalescit, sed ad aliam transit narrationem, universos erudiens, ut cum adversantes aliquos arguimus, siquidem illi molliuntur amoliri crimen, haudquam reprehensionem intendamus ; in majorem sæpius impudentiam abacturi eos, qui peccaverunt ; sed demus locum iis, qui fuerunt quidem deprehensi, sed volunt crimen depellere, ac excusare. Sæpe enim fiat, ut poenitudine conversi, meliores evadant. Hoc Dominus in præsentiarum fecisse dignoscitur : *Respondit enim, et dixit eis : Unum opus feci, et omnes admiramini.* Vides sermonem humanitate plenum ? Vides indeficientem bonitatis thesaurum ? Vides arcanæ illius sapientiæ fontem ? Eorum enim cœu homicidarum reprehensionem omit- tens, parum abest, ut ne tanquam prodigium exhibitum admirantes, qui omnium gerit curam salutis, etiam approbare studeat, ac laudet. *Unum enim, inquit, opus feci, et omnes admiramini.* Quanquam enim non omnes statim, pro eo quod acciderat, obstupuerunt ; rem tamen considerantes, ut Dei, non ut hominum proprium, miracula ejusmodi facere merito admirantur. At contra pontifices et Pharisæi conviciantes, nunquam a calumnia in Jesum destiterunt ; nec id solum in aliis ab eo patris miraculis, verum et in ipso quoque de quo nobis est sermo. Agimus enim de paralytico sanato in Probatica piscina, adversus quem Judæorum principes, indignantes dixerunt : *Sabbatum est : non licet tibi tollere grabatum tuum* ⁷⁵ ; multa in eum jactantes qui hoc fieri jusserat. Enimvero quanquam ita animis impie affecti erant, ipse nihilominus Salvator omnibus tribuit, quod opus admirentur.

προσσεταχότος ειρηκότες. Ἀλλὰ καίπερ οὕτως ἀφιλοθέως διατεθέντων, πᾶσιν ὁ Σωτὴρ τὸ θαυμάζειν τὸ γεγονός ἐπιγράφει.

Ad hæc autem, non tantum edicendo cogitationes, verum etiam exemplis nititur flectere, atque ad id quod rectum esset, reducere, cum ait : *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moysæ est, sed ex patribus* ⁷⁶. Quid enim adeo, inquit, videri vultis studere legi, qui semper legi contraria agatis ? Nam et circumcisio, primum illud post fidem signum fidei, quæ est in præputio ⁷⁸, data prout vestris, non ex Moysæ, sed ex patribus est.

καρδίας ἀκούσαντας, καὶ θεὸν ἐπιγόντας [Ἰσ. ἐπιγῶναι], τὸν καρδίας καὶ νεφροῦ ἐτάζοντα. Προσὼν αὐτοῖς ὁ λόγος [Ἰσ. ὄλω] ἐπιστρέφει, καὶ μετανοῆσαι, ἀπεκρίθησαν· *Δαιμόνιον ἔχεις· τίς σε ζητεῖ ἀποκτεῖναι ;* Ὡς τῆς ἀφιλοθέου τῶν Ἰουδαίων ψυχῆς ! Ὡς τῆς παντόλμου τῶν Χριστοκτόνων μανίας ! Ὡς τῆς βλασφημίου γλώττης, τῶν πάντοτε ἀντιπιπτόντων τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ ! *Δαιμόνιον ἔχεις*, λέγουσι τῷ τοῦ δαιμονιῶντος αὐτῶν θεραπεύσαντι· αὐτοὶ δαιμονῶντες ἀληθῶς ταῖς ψυχαῖς, καὶ τὰ θελήματα τοῦ πατρὸς αὐτῶν τοῦ διαβόλου ποιῶντες ἄετι. *Τίς δέ σε καὶ ἀποκτεῖναι ζητεῖ ;* προσπιθέασιν, οὐ βδοιχότες τὴν τῶν κρυφίων αὐτῶν λογισμῶν συνίστορα, ἀλλ' οὐδὲ τοῖς ἐλέγχους αἰδοῦμενοι. Ὁ δὲ συμπαθὴς, καὶ ὄντως φύσει οἰκτίρων Ἰησοῦς, οὐκ ἐπιμένει τοῖς ἐλέγχοις, οὐδὲ ἐπιζέει τῷ λόγῳ, τὴν μαιφόνον αὐτῶν στηλιτεύων προαίρεσιν, ἀλλ' ἐπ' ἑτέραν μεταβαίνει διήγησιν, παιδεύων ἅπαντας ἐν τοῖς πρὸς τινὰς τῶν ἀντιτεταγμένων ἐλέγχοις, ὅταν οἱ ἀμαρτάνοντες ἀπορρίπτειν πειρῶνται τὸ ἐγκλημα, μὴ ἐπιτελεῖν τὸν ἔλεγχον, ἀναιδεστέρους ὡς τὰ πολλὰ τοῦς προσκεκροκότας ἀποτελοῦντας· ἀλλὰ διδίνει χώραν τοῖς φωραθεῖσι μὲν, ἀποδύεσθαι ἐξ βουλομένοις τὸ ἐγκλημα. Πολλάκις γὰρ ἐπιστρέψαντες τῇ μεταγνώσει, βελτίους γενήσονται. Τοῦτο πεποιηκῶς ὁ Δεσπότης τὸ τριηκοῦτα δεικνύται. Ἀπεκρίθη γὰρ καὶ εἶπεν αὐτοῖς· *Ἐν ἔργῳ ἐποίησα, καὶ πάντες θαυμάζετε.* Ὁρᾷς φιλανθρωπίας ῥῆμα ; Ὁρᾷς ἀγαθοσύνης ἀνεπίλειπτον θησαυρὸν ; Ὁρᾷς τῆς σοφίας τῆς ἀπορρήτου τὴν πηγὴν ; Ἀγέμενος τοῦτο ὡς μαιφόνος ἐγκαλεῖν, ὡς θαυμάζοντες τὸ γεγεννημένον τεράστιον μικροῦ καὶ ἀποδέχεσθαι, ὁ τῆς σωτηρίας πάντων κηδύμενος, κατεπαίγεται. *Ἐν γὰρ, φησὶν, ἔργῳ ἐποίησα, καὶ πάντες θαυμάζετε.* Καίπερ γὰρ οὐ πάντες ἐξ αὐτῆς περὶ τὸ γενόμενον ἐξεπλήσσαντο· περὶ τοῦ γεγονότος, λαχρῆζόμενοι, εἰκότως ὡς Θεοῦ καὶ οὐκ ἀνθρώπων ἔειον τὰ τοιαῦτα θαυματουργεῖν, ὑπεραίρονται. Οἱ δὲ ἀρχιερεῖς καὶ Φαρισαῖοι, τοῦναντίον λοιδοροῦντες τὸν Ἰησοῦν οὐ διαλελοίπασιν, οὐ μόνον ἐν τοῖς ἄλλοις ὑπ' αὐτοῦ γεγεννημένοις θαύμασιν, ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτῷ περὶ οὗ ὁ λόγος. Τὸ γὰρ κατὰ τὸν παράλυτον ἦν, τὸν ἐν τῇ Προβατικῇ κλυμῶθῳρα, πρὸς ὃν ἀγανακτοῦντες ἔφασκον οἱ τῶν Ἰουδαίων ἄρχοντες·

Ἡ Σάββατόν ἐστι, καὶ οὐκ ἐξῆσει σοι ἄραι τὸν κρῆβατόν σου, κάμπολλα κατὰ τοῦ τοῦτο πρᾶξει

Εἶτα, οὐ μόνον ἐξεπῶν τὰ λογισμῶν, ἀλλὰ καὶ ἐκ παραδειγμάτων περιᾶται δυσωπεῖν, καὶ πρὸς τὴ εὐθὲς ἐπαναγαγεῖν· διὰ τοῦτο λέγων, *Μωϋσῆς ἐέδωκεν ὑμῖν τὴν περιτομὴν, οὐχ ὅτι ἐκ τοῦ Μωϋσῆος ἐστίν, ἀλλ' ἐκ τῶν πατέρων.* Τί γὰρ φησὶ, τοσοῦτον τοῦ νόμου δοκεῖτε ἀντιποιεῖσθαι, καίπερ τάναντία τοῦ νόμου πάντοτε πράττοντες ; Αὕτη γὰρ ἡ περιτομή, τὸ πρῶτον μετὰ τὴν πρᾶξιν σημεῖον τοῖς προπάτορσιν ὑμῶν δεδομένον τῆς ἐκ

⁷⁵ Joann. viii, 41. ⁷⁶ Joann. vii, 22. ⁷⁸ Rom. iv, 11.

ἀμφοῦστί πιστεως, οὐκ ἐκ τοῦ Μωϋσεως ἐστίν, ἀλλ' ἐκ τῶν Πατέρων. Καὶ ἐν Σαββάτῳ, φησὶ, περιτέμνετε ἀνθρώπων. Εἰ περιτομῆν λαμβάνει ἀνθρώπος ἐν Σαββάτῳ, ἴνα μὴ λυθῆ ὁ νόμος Μωϋσεως· ἔμοι χολῶτε, ὅτι ὄλον ἀνθρώπων ὑγιῆ ἐποίησα ἐν Σαββάτῳ; Μὴ κρίνετε κατ' ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε. Ἐν Σαββάτῳ περιτέμνεται ἀνθρώπων, φησὶν, οὐ παραιτεῖσθε, καίπερ καὶ αὐτὸ ἔργον ἐστίν. Ἀλλ' ὅμως διὰ τὸν νόμον τοῦτο πράττειν διαγορευόντα, εἰ τύχοι γεννηθῆναι βρέφος ἐν Σαββάτῳ, τοῦτο περιτέμνετε τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ, τουτέστι τῷ ἐργομένῳ Σαββάτῳ, καίπερ τοῦ νόμου λέγοντος, πᾶν ἔργον μὴ ποιεῖν ἐν Σαββάτῳ, ἢ τὸν τοῦτο πράττοντα ἐξολοθρεύεσθαι ἐκ τοῦ λαοῦ, ὅπερ καὶ πέποιθεν ὁ ἐν τῇ ἐρήμῳ τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Σαββάτου συναγαγὼν τὰ ξυλάρια, λιθόλευστος γενόμενος· ὑμεῖς δὲ περιτέμνεσθε ἀδεῶς, διὰ τὸ μέρος τῆς περιτομῆς, ἑλικῶς ἀθετοῦντες τὸν νόμον. Ὁ γὰρ πτεῦσαι, φησὶν, ἐν ἐρί, γέρονε πάντων ἐργοχρ. Μὴ κρίνετε τοῖνον κατ' ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε. Μὴ γάρ ὅτι τῇ προλήψει τοῦ νόμου κεκράτησθε, καίπερ τὰ λοιπὰ παρωθόμενοι, πρὸς τὸ παρ' ἑμῶ γενόμενον ἀγανακτεῖτε. Εἰ γὰρ διὰ τὸ μερικῶς ἐν ἀνθρώπῳ διὰ τῆς περιτομῆς γενόμενον, παραλύετε δυνάμει τὸν νόμον, ἵνα μὴ δῆθεν λυθῆ ὁ νόμος Μωϋσεως· Ἐμοι χολῶτε ὅτι ὄλον ἀνθρώπων ὑγιῆ ἐποίησα ἐν Σαββάτῳ; Μὴ κρίνετε κατ' ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε. Εἰ γὰρ ὁ μέρος ἀνθρώπου λατρεύον, ἐπαινετός, μᾶλλον ὁ ὄλον ἀνθρώπων ὑγιῆ καθιστάς, οὐ ψεκτός· ἀλλ' εὐφημῆσθαι δεῖος. Καὶ ἄλλο δὲ τι βαθύτερον ὑπὲρ τὸν πρόχειρον νοῦν σημαίνειν οἶμαι τοῦ Κυρίου τὰ ῥήματα. Τῷ γὰρ εἰπεῖν, ὅτι ὄλον ἀνθρώπων ὑγιῆ ἐποίησα ἐν τῷ Σαββάτῳ, οὐ μόνον τὸ ὄλον σώματος νοεῖν τὸ παράλυτον σημαίνει, ἀλλ' ὅτι καὶ ψυχικῶς ἐξ ἁμαρτιῶν νοσοῦντα τοῦτον, κατ' ἀμφοτέρα ἐξίασατο. ὄλον γὰρ, φησὶν, ἀνθρώπων ἐποίησα ὑγιῆ. Τὸ δὲ σῶμα πᾶν, κἂν ἄρτιον ἢ καὶ ἀνελλιπές, ἀλλ' οὐχ ὄλον ἐστίν ἀνθρώπος· ὄλος δὲ ἀνθρώπος· μᾶλλον ἐστίν, ὁ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος συνεστώς, ὃν καὶ ἰσθῆσαι ἔφησεν ὀλικῶς ὁ Κύριος, κατὰ τὴν ψυχὴν καὶ σῶμα. Ὅτι δὲ ταῦτα οὕτως ἐστίν, ἐκ τῶν αὐτοῦ τοῦ Σωτῆρος ῥημάτων πρὸς τὸν πρῶτον παράλυτον ἔστι μαθεῖν. Εὐρῶν γὰρ αὐτὸν, φησὶν, ὁ Ἰησοῦς, ἔπειτα αὐτῷ· Ἴδε ὑγιῆς γέγονας, μηκέτι ἀμάρτανε, ἵνα μὴ χειρόν τί σοι γένηται. Τοῖνον καὶ ψυχὴν ἐξ ἁμαρτιῶν, καὶ σῶμα ἐκ παρέσεως λασάμενος, ὄλον ὑγιῆ ἀνθρώπων ἐποίησε. Μὴ οὖν κρίνετε κατ' ὄψιν, ὡς Φαρισαῖοι, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνετε. Ταῦτα τοῦ Χριστοῦ εἰρηκότος, τινὲς, φησὶ, τῶν Ἱεροσολυμιτῶν ἐθαύμαζον τῶν ῥημάτων τὴν παρουσίαν [ἢ παρρησίαν], καὶ τῶν Φαρισαίων τὴν ἡτυλίαν, λέγοντες· Οὐχ οὕτως ἔστιν ὃν ζητοῦσιν ἀποκτεῖναι; Καὶ ἴδε παρρησία λαλεῖ, καὶ οὐδὲν αὐτῷ λέγουσι. Μήποτε ἔγνωσαν οἱ ἄρχοντες, ὅτι οὕτως ἔστιν ἀληθῶς ὁ Χριστός; Οἷς ἐπισυνάπτει· Τοῦ οὖν δαίμονος ποιεῖσθαι εἰς αὐ-

A *Et in Sabbato, inquit, circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, ut non solvatur lex Moysi : mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato ? Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Nihil, inquit, recusatis circumcidere hominem in Sabbato, quantum ipsum circumcidere opus est. Propter nihilominus legem mandantem hæc fieri, si contingat nasci infantem Sabbato, eum circumciditis die octava ; hoc est, proxime sequenti Sabbato, quantum lex vetat, ne quod opus Sabbato faciatis ⁷⁶ ; sive ut qui facit, exterminetur de populo, quod etiam ei accidit, qui in deserto lignula colligens die Sabbati, lapidatus est ⁷⁷. Vos autem nullo timore circumcidentes, propter partem illam circumcisionis, legem totam irritam facitis : *Qui enim, inquit, offendit in uno, factus est omnium reus. Nolite ergo judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate* ⁷⁸. Ne enim quia legis præsumptione tenemini, quantum reliqua rejicitis, adversus id quod gestum est, indignemini. Si enim propter hoc, quod in parte circumcisio in homine facit, legem virtute vacuatis, ut ne nimirum solvatur Moysi lex, *Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato ? Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Cum enim is, qui parti medetur laudem habeat, potiori jure non fuerit culpandus, qui hominem totum sanum facit, sed et celebri potius fama celebrandus. Arbitror tamen Dominica verba profundius aliquid, quam quod primo statim occurrit sensu, significare. Nam dicendo : *Totum hominem sanum feci in Sabbato*, non id tantum ingerit, ut corpus quod erat paralyti resolutum, intelligamus ; sed quod etiam animo a peccatis laborans, utroque sanatus sit. *Totum enim hominem*, inquit, *sanum feci in Sabbato.* Atqui corpus totum, quantum integrum ac nulla mutilum parte, non est totus homo ; sed magis totus homo est, qui ex animo et corpore constituitur, quem se totum Dominus curasse profestetur ; quod nimirum ad animam spectat, et corpus. Ut enim ea sic habeant, ex ipsius Domini Salvatoris verbis ad eum qui fuisset paralyticus, facile noverimus : *Cum enim, inquit, invenisset eum Jesus, dixit illi : Ecce sanus factus es ; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* ⁷⁹. Cum itaque animam a peccatis, tum corpus sanans a paralyti, totum hominem sanum fecit. *Nolite ergo judicare secundum hominem*, o Pharisei ; *sed justum judicium judicate.* Cum hæc Christus locutus esset, quidam, inquit, ex Jerosolymis verborum Christi libertatem mirantes, ac Phariseorum silentium, dixerunt : *Nonne hic est, quem quærunter interficere ? Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Nunquid cognoverunt principes, quia hic est vere Christus* ⁸⁰ ? Subditque : *De turba ergo multi crediderunt in eum, postquam hæc ille locutus esset : nimirum prudenter cogitantes, non fuisse laturos principes, qui sic in eum*

⁷⁶ Exod. xx, 40. ⁷⁷ Num. 15, 36. ⁷⁸ Jacob. II, 10. ⁷⁹ Jean. v, 14. ⁸⁰ Joan. vii, 25.

mentis proposito instructi essent, reprehensionum libertatem, nisi esse vere Christum cognovissent; non ea quæ dicerentur fuisse silentio ac sine strepitu suscepturos; non tardos adeo futuros ad iram⁸¹, qui sic *veloces erant ad effundendum sanguinem*⁸². Quamobrem cognito quod e re erat, ac supra modum admirati doctrinam, multi crediderunt. Vides, dilecte, præsentis Christi in templo finem? Vides doctrinam quam proposuit fructum? Vides quid is negotiatus egerit, qui *vult omnes salvos fieri*⁸³? Idcirco, *qui omnia novit priusquam fiant*⁸⁴, festo illo die mediante, qui erat Scenopægiæ, propere ad templum venit, cum jam eos qui salvandi essent, præscia divinitatis sagena, ante suum in illud adventum, conclusisset.

ἦτις ἦν τῆς Σκηνοπηγίας, τοὺς σωθῆναι μέλλοντας τῆ προγνωστικῆ σαγήνης τῆς θεότητος, πρὸ τοῦ ἀνιθεῖν εἰς τὸ ἱερὸν περικλεισας.

Hunc quoque nos modum, præsentem Mediæpentecostes diem celebremus, suscipientes Salvatoris doctrinam, ac aversati nequitiam principum Judæorum, eosque tandem imitati, qui Christo Domino crediderunt. Ut autem majori honoris cumulo dignum noverimus Mediæpentecostes diem, ubi pauca de medio dixerimus, finem dicendi facimus.

Ait itaque David ad Deum: *In medio Ecclesiæ laudabo te*⁸⁵. Et, *Operatus est salutem in medio terræ*⁸⁶. Salomon vero didicisse se ait a sapientia, *Initium et consummationem, et medietatem temporum*⁸⁷. Habacuc etiam in cantico: *In medio duorum animalium cognosceris*⁸⁸. Alius item propheta: *Ecce ego venio et habitabo in medio tui*⁸⁹. Et iterum: *Ero in gloria in medio*⁹⁰. Dominus vero: *Ego sum in medio vestrum sicut qui ministrat*⁹¹. Ipse etiam, *cum essent discipuli congregati, stetit in medio eorum*⁹²; neque id semel, sed et iterum. Joannes quoque Baptista: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis*⁹³; Quibus non id tantum significat, esse Jesum, in medio turbæ, sed, inquit, medius vestrum est et Dei, in utraque substantia, in quibus existit, divinitatis ac humanitatis, simili ambas complexus virtute: atque ut ait Apostolus: *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*⁹⁴. Idcirco igitur Deus est. Non enim esset mediator, ut esset tantum homo; ac nec e converso, ut tantum Deus esset. Ideo autem est mediator, quia est et Deus et homo; seu potius, Deus factus homo. Quamobrem etiam utrisque illis communicat, quibus mediatorem agit; Deo quidem, ut qui Deus existat, per divinitatis naturam; hominibus autem, ut qui existat homo, per humanitatis substantiam. Verum hactenus sistenda oratio, ut mediocritas consistat, ubi satis jam ostendit, dignam esse cui honorem habeamus diem Mediæpentecostes. Quin etiam virtutem docent doctores medio hæ-

τορ. Ταῦτα εἰρηκότος, σώφρονι λογισμῷ ἐννοήσαντες, ὅτι οὕτως πρὸς τὸν κατ' αὐτοῦ φόνον ἐξωπιούμενοι τῇ προαιρέσει οἱ ἄρχοντες, εἰ μὴ ἔγκωσιν αὐτὸν τὸν Χριστὸν ἀληθῶς εἶναι, οὐκ ἂν ἤνεγκαν τῶν ἐλέγχων τὴν παρῆρησιαν· οὐκ ἂν ἠσυχῆ κατεδέξαντο τὰ λεγόμενα· οὐκ ἂν ταχεῖς ὄντες πρὸς αἱμάτων ἔκχυσιν, οὕτως βραδεῖς πρὸς ὀργῆς διπέδησαν. Ὅθεν τὸ δέον ἐπιγινόντες, καὶ τὴν διδασκαλίαν ὑπερβαυμάσαντες, πολλοὶ ἐπίστευσαν. Ὁρᾷς, ἀγαπητὲ, τὸ πέρασ τῆς ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Χριστοῦ παρουσίας; ὄρᾷς τὴν καρπὸν τῆς παρατεθείσης διδασκαλίας; βλέπεις τὴν πραγματείαν τοῦ πάντοτε πάντας θέλοντος σωθῆναι; Τοῦτου χάριν ὁ πάντα γνώσκων πρὶν γενέσεως αὐτῶν, ἐπέιχθη καταλαβεῖν τὸ ἱερὸν τῆς τότε ἑορτῆς μεσοσύης, τῆ προγνωστικῆ σαγήνης τῆς θεότητος, πρὸ τοῦ ἀνι-

θεῖν εἰς τὸ ἱερὸν περικλεισας. Οὕτω καὶ ἡμεῖς τὴν παρούσαν ἡμέραν τῆς Μεσοπεντηκοστῆς ἑορτάσωμεν, τὴν τοῦ Σωτῆρος διδασκαλίαν προσιέμενοι, τὴν φαυλότητα τῶν ἀρχόντων τῶν Ἰουδαίων ἀποστρεφόμενοι, τοὺς πεπιστευκότας τῷ Δεσπότη Χριστῷ ἐκμιμούμενοι. Ἴνα δὲ ἐπιπλέον γνῶμεν τιμῆς ἀξίαν τὴν τῆς Μεσοπεντηκοστῆς ἡμέραν, ὀλίγα περὶ μεσότητος εἰπόντες, τὸν λόγον καταπαύσωμεν.

Λέγει τοίνυν Δαβὶδ πρὸς τὸν Θεόν· Ἐν μέσῳ Ἐκκλησίας ἐμνήσω σε. Καὶ, *Εἰργάσατο σωτηρίαν ἐν μέσῳ τῆς γῆς*. Φησὶ δὲ ὁ Σαλομών, ἐεδάχθαι παρὰ τῆς σοφίας, Ἄρχῆν καὶ τέλος καὶ μεσοτέτα χρόνια. Ὁ δὲ Ἀμβακούμ ἐν τῇ ᾠδῇ· Ἐν μέσῳ δύο ζωῶν γνωσθήσῃ. Πρεφῆτης δὲ Ἴσαῖρος· Ἰδοὺ ἐρχομαι καὶ κατασκευάσω ἐν μέσῳ σου, λέγει Κύριος. Καὶ πάλιν· *Εἰς ἔδξαν ἔσομαι ἐν μέσῳ αὐτῆς*. Καὶ ὁ Κύριος· Ἐγὼ εἰμι ἐν μέσῳ ὑμῶν ὡς ὁ διακονῶν. Ὁ δ' αὐτοῦ, τῶν μαθητῶν συνηγμένων, ἔστη ἐν μέσῳ αὐτῶν· καὶ οὐχ ἄπαξ, ἀλλὰ καὶ δεύτερον. Καὶ ὁ Βαπτιστῆς Ἰωάννης· Μέσος δὲ ὑμῶν ἔστηκεν, ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε. Οὐχ ἄπλῶς τὸ εἶναι ἐν μέσῳ τοῦ δχλου τὸν Ἰησοῦν, εἰς τοῦτο σημαίνων· ἀλλὰ, Μέσος ὑμῶν τε, φησὶ, καὶ Θεοῦ, ἐν ἐκατέραις αἷς ἔστιν οὐσίαις, θεότητος τε καὶ ἀνθρωπότητος, ἐκατέρων ἐπιειλημένος, ὁμοῖα δυνάμει. Καὶ ὡς Ἀπόστολος φησιν· *Εἰς Θεός, εἰς καὶ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἀνθρώπος Ἰησοῦς Χριστός*. Διὰ τοῦτο οὖν Θεός. Οὐδὲ γὰρ μεσίτης ἦ, μόνον ἀνθρώπος· οὐδὲ ἑμπάλιν, εἰ μόνον Θεός· ἀλλὰ διὰ τοῦτο μεσίτης, ἐπειδὴ Θεός τε καὶ ἀνθρώπος, μᾶλλον δὲ ἐνανθρωπήσας Θεός. Ὅθεν καὶ ἐν ἐκατέροις κοινωνεῖ, ὧν ἐστὶ μεσίτης· Θεῷ μὲν, Θεὸς ὧν, κατὰ τὴν φύσιν τῆς θεότητος· ἀνθρώποις δὲ, ὧν ἀνθρώπος, κατὰ τὴν φύσιν τῆς ἀνθρωπότητος. Ἀλλὰ μέχρι τοῦτου τὸν λόγον στήσαι θέσω, διὰ τὴν συμμετριαν, εἰςξαντα αὐτάρκως ἐκ τῶν θείων Γραφῶν, τιμᾶσθαι ἀξίαν τὴν τῆς Μεσοπεντηκοστῆς ἡμέραν. Μεσότητος δὲ φασιν οἱ διδάσκαλοι καὶ τὴν ἀρετὴν ἔχουσαι. Πάση οὖν ἀρετῇ ἑαυτοὺς κα-

⁸¹ Jac. 1, ⁸² Psal. xiii, 3. ⁸³ I Tim. ii, 4. ⁸⁴ Sap. vii, 18. ⁸⁵ Hab. iii, 2. ⁸⁶ Zach. ii, 10. ⁸⁷ Joan. i, 26. ⁸⁸ I Tim. ii, 5.

⁸⁹ Dan. ii, 1. ⁹⁰ Psal. xxi, 23. ⁹¹ Psal. lxxiii, 1-2. ⁹² ibid. v, 5. ⁹³ Luc. xii, 27. ⁹⁴ Joan. xi, 19.

τακομοῦντες, νῦν μὲν τὴν τιμίαν ἡμέραν τῆς Με- A
 σσεντηχοστῆς ἑορτάσωμεν· ἑαυτοὺς δὲ ἐπιτιθεῖσα
 δοχεῖα καὶ καθαρὰ ἀπὸ παντὸς ρύπου κατασκευάσω-
 μεν, ἵνα καὶ ἡμέραν τῆς Πεντηχοστῆς θεοφιλῶς φθά-
 σαντες ἑορτάσωμεν, καὶ παρουσίας καὶ ἐπιφοιτή-
 σεως ἀξιωθῶμεν τοῦ ἁγίου Πνεύματος, χάριτι καὶ
 φιλοφροσύνῃ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χρι-
 στοῦ· ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰῶνων.
 Ἀμήν.

Γ.

Λεοντίου ἐπισκόπου Νεαπόλεως τῆς Κύπρου,
 ἐκ τοῦ πέμπτου λόγου ὑπὲρ τῆς Χριστιανῶν
 ἀπολογίας κατὰ Ἰουδαίων, καὶ περὶ εἰκόνων
 τῶν ἁγίων.

(Mansi Conc. t. XIII, p. 45.)

Φέρε δὴ λοιπὸν περὶ τῶν σεπτογράφων εἰκόνων B
 ἀπολογία ποιήσωμεν, ὅπως ἐμφραγῶσι στόματα
 λαλούντων ἀδικίαν. Νομικὴ γὰρ καὶ αὐτὴ ἡ παρά-
 δοσις. Καὶ ἀκουσον τοῦ Θεοῦ λέγοντος πρὸς Μωσῆν·
 Εἰκόνας δύο Χερουβὶμ χρυσογλύπτων κατα-
 σκεύασαι, κατασκιαζόντων τὸ Ἰλουστήριον. Καὶ
 πάλιν, κατὰ τὸν ναόν, ὃν ἔδειξεν ὁ Θεὸς τῷ Ἰεζε-
 κιῆλ· Πρόσωπα, εἶπε, φοινίκων, καὶ λεόντων,
 καὶ ἀνθρώπων, καὶ Χερουβὶμ ἀπὸ ἐδάφους αὐτοῦ
 ἕως τοῦ φαινώματος τῆς στέγης. Ὅπως φοβε-
 ρῆς ὁ λόγος ὁ ἐντειλάμενος τῷ Ἰσραὴλ μὴ ποιῆσαι
 παντοῖον γλυπτὸν, μηδὲ εἰκόνα, μηδὲ ὁμοίωμα, ὅσα
 ἐστὶν ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ὅσα ἐστὶν ἐπὶ τῆς γῆς· καὶ
 αὐτὸς προστάσσει τῷ Μωϋσεὶ ποιῆσαι γλυπτὰ
 ζῶδια, Χερουβὶμ, δς καὶ τῷ Ἰεζεκιῆλ πλήρη εἰκό-
 νων καὶ ὁμοιωμάτων γλυπτῶν, λεόντων, φοινίκων, C
 καὶ ἀνθρώπων δείκνυσι τὸν ναόν. Ὅθεν καὶ ὁ Σολο-
 μὼν ἐκ νόμου λαθῶν τὸν τύπον, πλήρη πεποίηκε τὸν
 ναὸν χαλκῶν, καὶ γλυπτῶν, καὶ χωνευτῶν λεόντων,
 καὶ βοῶν, καὶ φοινίκων, καὶ ἀνθρώπων· καὶ οὐ κατε-
 γνώσθη ἐν αὐτῷ ὑπὸ Θεοῦ. Εἰ τοίνυν ἐμοὶ καταγι-
 νώσκεις θέλεις περὶ εἰκόνων, κατὰ γνῶσιν τοῦ Θεοῦ τοῦ
 ταῦτα ποιεῖν κελεύσαντος εἰς ὑπόμνησιν αὐτοῦ εἶναι
 παρ' ἡμῖν. Ὁ Ἰουδαῖος ἔφη· Ἄλλ' οὐ προσεκυνού-
 ντο ἐκεῖνα ὡς θεοὶ τὰ ὁμοιώματα, ἀλλ' ὑπομνήσεως
 μόνης χάριν ἐγένοντο. Ὁ Χριστιανὸς ἔφη· Καλῶς
 εἶπας· οὐδὲ παρ' ἡμῖν ὡς θεοὶ προσκυνοῦνται οἱ τῶν
 ἁγίων χαρακτήρες, καὶ εἰκόνας, καὶ τύποι. Εἰ γὰρ
 ὡς θεὸν προσεκύνουν τὸ ξύλον τῆς εἰκόνας, ἔμιλλον
 πάντως καὶ τὰ λοιπὰ ξύλα προσκυνεῖν. Εἰ γὰρ ὡς D
 θεὸν προσεκύνουν τὸ ξύλον τῆς εἰκόνας, οὐκ ἂν πάν-
 τως λειανθέντος τοῦ χαρακτήρος, τὴν εἰκόνα κατ-
 ἔκκαιον. Καὶ πάλιν ἕως μὲν ἐστὶ συμπεπεδημένα τὰ
 δύο ξύλα τοῦ σταυροῦ, προσκυνῶ τὸν τύπον διὰ Χρι-
 στὸν τὸν ἐν αὐτῷ σταυρωθέντα· ἐπὶ δὲ διαιρεθῶ-
 σιν ἐξ ἀλλήλων, βλέπω αὐτὰ καὶ κατακαίω. Καὶ
 ὡς περὶ ὁ κέλευσεν βασιλῆως δεξάμενος, καὶ ἀσπασά-
 μενος τὴν σφραγίδα, οὐ τὸν πηλὸν ἐτίμησεν, ἢ τὸν
 χάρτην, ἢ τὸν μύλυθρον, ἀλλὰ τῷ βασιλεῖ τὴν προσ-
 κύνησιν καὶ τὸ σέβας ἀπένειμεν· οὕτως καὶ Χρι-
 στιανῶν παῖδες τὸν τύπον τοῦ σταυροῦ προσκυνού-
 ντες, οὐ φύσιν τοῦ ξύλου τιμῶμεν, ἀλλὰ σφραγίδα

Leontii episcopi Neupoleos Cypri, ex quinto sermone
 pro Christianorum apologia contra Judæos, ac de
 imaginibus sanctorum.

III.

Eia nunc ac cætero super veneranter pictis ima-
 ginibus apologiam faciamus, quo obstruantur ora
 loquentium injustitiam. Legalis enim est hæc tradi-
 tio : et audi Deum dicentem ad Moysen : *Ima-
 gines duorum Cherubim aureorum sculptilium construe,
 obumbrantium propitiatorium* 95. Et iterum : *Tem-
 plum [forte, circa templum] quod Deus ostendit
 Ezechieli : [al. habebat] Facies, dixit, palmarum et
 leonum et hominum et Cherubim a pavimento ejus
 usque ad laquear tecti* 96. Vere terribilis sermo, qui
 mandat Israeli non facere omne sculptile, neque
 iconam, neque similitudinem eorum quæcunque
 sunt in cælo, et quæcunque sunt super terram 97 ;
 et ipse præcipit Moysi facere sculptilia animalia,
 Cherubim, qui et Ezechieli plenum similitudinibus
 sculptilium, leonum, palmarum et hominum templum
 ostendit. Unde et Salomon ex lege accepta figura,
 plenum fecit templum æneis et sculptilibus et fusi-
 libus leonibus, et bobus, et palmis, et hominibus ;
 et tamen non est in his reprehensus a Deo. Si igitur
 me reprehendere vis super imaginibus, reprehende
 Deum qui hæc facere jussit, ut in recordationem
 ejus essent apud nos. Judæus dixit : Sed non adora-
 bantur illæ similitudines sicut dii, sed ad recorda-
 tionem solam efficiebantur. Christianus dixit : Bene
 dixisti, quia et penes nos sicut dii non adorantur
 sanctorum characieres et iconæ vel formæ. Si enim
 ut Deum adorarem lignum imaginis, possem profe-
 cto et ligna reliqua adorare. Nam si ut Deum lignum
 adorarem, minime utique deleto caractere iconam
 incenderem. Et iterum, usquequo compacta sunt
 duo ligna crucis, adoro figuram propter Christum,
 qui in ipsa crucifixus est ; postquam autem ab in-
 vicem separata fuerunt, projicio ea et incendio. Et
 sicut is qui jussionem imperatoris suscepit et salu-
 tavit sigillum, non lutum adoravit, aut chartam, aut
 plumbum, sed imperatori adorationem et cultum
 impendit, ita et nos Christianorum pueri figuram
 crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, sed
 signum et annulum et characterem Christi, cum
 aspicientes, per eum illum qui in eo crucifixus est,
 salutamus et adoramus : et sicut pueri proprii patris

95 Exod. xxv. 18. 96 Ezech. xli. 18. 97 Exod. xx, 4.

cujusdam, qui peregre profectus est ad tempus ab illis, multo erga eum affectu ex anima flagrantes, sive virgam ejus in domo videant, sive sedem, sive chlamydem; hæc cum lacrymis deosculantes amplectuntur, et non illa adorant, sed patrem desiderant et honorant; ita et nos omnes fideles ut virgam Christi, crucem adoramus; ut sedem vero et cubile, ipsius sanctissimum monumentum; ut domum, præsepe et Bethleem, et sancta ejus cætera tabernacula: porro ut amicos, ejus apostolos et sanctos martyres ac reliquos sanctos ejus: at vero ut civitatem ejus colimus Sion, ut autem villam ejus iterum Nazareth salutamus; atque ut divinum ejus lavacrum, Jordanem amplectimur.

ἀγίου· μάρτυρας καὶ λοιποὺς ἁγίους· ὡς δὲ πόλιν ἁγίου· μάρτυρας καὶ λοιποὺς ἁγίους· ὡς δὲ πόλιν Ναζαρεθ ἄσπαζόμεθα, καὶ ὡς θείον αὐτοῦ λουτρὸν

Μulta quippe et ineffabili erga ipsum affectione ubi ascendit, vel sedit, vel illuxit, vel tetigit, aut omnino obumbravit; colimus et adoramus ut locum Dei: non locum, neque domum, neque regionem, vel civitatem aut lapides honorantes, sed eum qui in illis conversatus est, et illuxit, et in carne innouit, atque ab errore liberavit, Christum videlicet Dominum nostrum; et per Christum ea quæ sunt Christi, passionem in ecclesiis, et donibus, et plateis, et in imaginibus, et in sindonibus, et in penetrabilibus, et in vestimentis, et in omni loco formamus: ut incessanter aspicientes hæc commoneamur, et non obliviscamur, ut tu es oblitus Domini Dei tui. Et sicut tu adorans librum legis, non naturam pellicium vel atramenti, quæ in ipso est, adoras, sed verba Dei quæ jacent in eo, ita et ego imaginem Christi adorans, non naturam lignorum et colorum adoro (absit!) sed inanimatum characterem Christi tenens, per eum Christum tenere spero [Gr. mihi videor,] et adorare. Et sicut Jacob acceptam a filiis tuis tunicam variam et sanguinolentam Joseph deosculatus est cum lacrymis, et propriis oculis hanc circumposuit, et non vestimentum amans vel honorans, hoc fecit, sed per id æstimans Joseph osculari, et in manibus eum habere⁹⁹, ita et Christiani universi imaginem Christi vel apostolorum aut martyrum tenentes aut salutantes carne, anima ipsum Christum æstimamus vel martyrem ejus habitum retinere. Dic ergo mihi tu, qui opinaris nihil manu factum, vel nihil omnino creatum adorandum, nunquamne multotiens, muliere tua, vel filiis mortuis, tunicam, vel ornamentum ejus visum in cubiculo tuo osculatus es, et lacrymis illud infudisti, et in hoc non es condemnatus? non enim ut Deum vestimenta adorasti, sed amorem per osculum circa illum ostendisti, qui hoc aliquando fuerat circumamictus. Nam et ipsi natos nostros et patres creatos existentes et peccatores multotiens salutamus, et in hoc minime condemnatur; non enim ut Deos salutamus eos, sed affectionem naturæ nostræ erga illos per osculum demonstramus. Ut ergo sæpe dixi, intentio

καὶ δακτύλιον καὶ χαρακτηριστὴν Χριστοῦ αὐτὸν βλέποντες, δι' αὐτοῦ τὸν ἐν αὐτῷ σταυρωθέντα ἄσπαζόμεθα καὶ προσκυνούμεν. Καὶ ὡσπερ παῖδες γνήσιοι, πατέρας τινὸς ἀποδημήσαντος πρὸς καιρὸν ἀπ' αὐτῶν, πολλῇ τῇ στοργῇ πρὸς αὐτὸν ἐκ ψυχῆς διακίμμενοι, κἀν τὴν βάρδον αὐτοῦ ἐν τῷ οἴκῳ θεάσονται, κἀν τὴν χλαμύδα, ταῦτα μετὰ δακρύων καταφιλοῦντες ἄσπάζονται· καὶ οὐκ ἐκεῖνα τιμῶντες, ἀλλὰ τὴν πατέρα ποθοῦντες καὶ τιμῶντες· οὕτως καὶ ἡμεῖς οἱ πιστοὶ ἅπαντες, ὡς μὲν βάρδον Χριστοῦ τὸν σταυρὸν προσκυνούμεν, ὡς δὲ θρίνον καὶ κοίτην αὐτοῦ τὸ πανάγιον μνημα, ὡς δὲ οἶκον τὴν φάτιν καὶ τὴν Βηθλεὲμ, καὶ τὰ λοιπὰ ἅγια αὐτοῦ σκηνώματα· ὡς δὲ φίλους αὐτοῦ, τοὺς ἀποστόλους αὐτοῦ καὶ τοὺς αὐτοῦ σεβόμεθα τὴν Σιών. ὡς δὲ χώραν αὐτοῦ τὴν Ἰερδάνην περιπτυσσόμεθα.

pam cadentibus, hoc est, manum in alterutrum injicientibus, hos excommunicavit canonice per aliquot dies. Horum quidem unus libenter suscepit increpationem, et cognovit culpam suam; alter vero malitiosus existens, gaudens præceptum suscepit. Occasionem enim quærebat miser, ne ingrederetur ecclesiam, sed licentiam haberet perseverandi in nefandis actibus suis. Irascebatur autem contra sanctum patriarcham, et quantum in se erat, minabatur ei nocere. Quidam vero dicebant, et ipsum esse qui prodiderat pecunias Ecclesiæ ad patricium Nicetam (*sup.*, c. 41), quas et rapuit manu, ut præscriptum est. Nuntiatum est igitur quod ille mali memor malitiam reservaret, et non rectam erga beatum hunc voluntatem haberet. Ille autem vere pastor, memor dicti illius: Quis infirmatur, et ego non infirmor (*II Cor. xi*)? et iterum: Vos qui potentes estis, debetis infirmitates impotentium portare (*Gal. vi*; *Rom. xv*), voluit hunc accersire, et decenter admonere, et solvere eum ab excommunicatione; videbat enim lupum conantem rapere ovem. Dispensatione vero Dei actum est ut innolesceret omnibus patriarchæ immemor mali animus. Oblitus est accersire eum, et solvere ab excommunicatione. Cum ergo ad sanctum Dominicum diem pervenisset, et sancto altari astitisset (42), ut incruentum sacrificium offerret, jam diacono generalem orationem pene consummante, sanctum velum exaltaturo (43), in mentem malitiæ immemoris venit; et statim divini præcepti recordans, asserentis: Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum (*Math. v*), etc., intimat diacono facienti orationem, quam diaconus solitus facere erat, ut reinciperet a capite (44); et si impletur, iterum recapitularet, usque dum perveniat ejus sanctificatio. Finxit enim se, tanquam si eum ventris necessitas compulisset. Et veniens in honorabile cimiliarchium (45), misit statim fere viginti hebdomadarios, quærentes jam dictum mali modi clericum (46). Intentio enim pastoris hæc erat, ut educeret de ore leonis ovem. Deus vero, qui voluntatem timentium se facit, fecit præmanibus inveniri mox clericum. Et veniente eo, et veritati testimonium perhibente, prior patriarcha genu flexit, dicens: Indulge mihi, frater. Veritas ergo illius honorabile pontificium, et eorum qui aderant præsentiam, magis vero timens iudicium Dei, et horrens ne forte descenderet ignis de cælo eadem hora et consumeret eum, videntem honorandam illam canitiem lumi jacentem, genu flexit et ipse, petens veniam et misericordiam. Et dicente patriarcha: Deus nobis omnibus indulgeat, surrexerunt et ingressi sunt ambo ecclesiam; et tunc cum multo gaudio et lætitia astitit sancto altari, cum munda conscientia valens dicere Deo: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*Math. vi*). Ita autem sana ex tunc et compuncta mente factus est lector ille, ut presbyterii consecratione potiri mereretur.

CAP. XIV. — Deiferi quidam sanctorum Patrum (47) dixerunt: Angelorum quidem est nullatenus litigare, sed in omnimoda et perpetua pace consistere; hominum vero est altercari quidem, sed statim reconciliari; dæmonum autem est litigare, et totum diem transire irreconciliatos. Hoc propterea præfatus sumus, amatores Christi, propter præsentem narrationem. Placuit huic aliquando nobili, una cum commemorato Niceta patricio, de quadam publica re altercari. Modus autem litigii erat talis; necessarium est enim dicere, cum sit animæ utilis: Patricius quidem disponere volebat forum propter lucra publica; patriarcha autem id non patiebatur, pauperum in hoc procurans salutem. Multum ergo contra se secreto contententes (48), et inflexibiles manentes, recesserunt ambo ab invicem irati et irreconciliati. Erat autem hora quinta, et quidem patriarchæ erat refragatio et amaritudo pro mandato Dei, patricii autem propter pecuniaria lucra erat. Tamen ait ille justus: neque pro rationabili, neque pro irrationabili occasione debet homo irasci. Adveniente ergo hora undecima, mandat per archipresbyterum una cum clero patriarcha patricio hoc dignum memoria verbum: Domine, sol ad occasum est. Cum autem hoc verbum ille audisset, non tolerans cordis sui ardorem, sed tanquam divino igne inflammatus, sancti sermone compunctus est, infectusque lacrymis statim totus factus est; et surgens, venit ad beatum hunc. Quem cum vidisset, ait: Bene venisti, fili Ecclesiæ, obediens voci ejus (*Ephes. iv*). Mittentibus igitur ambobus metanctam (49), et amplexantibus alterutrum, sederunt. Et aperiens os suum patriarcha, dixit: Crede mihi, domine, nisi quia vidi te valde tribulatum de hoc, jam non pigritarer ego venire ad claritatem tuam. Etenim Dominus et Deus noster ipse circuibat civitates et castella et domos, visitando homines. Omnibus autem humilitate summi sacerdotis ædificatis, et admiratione plenis, respondit ad eum patricius: Crede, Pater, quia ulterius non capient aures meæ eorum verba, qui litigiosas mihi suggerunt res. Tunc sapiens doctor dixit et: Crede, fili et frater, si omnibus his voluerimus credere, multorum peccatorum erimus domini, maxime in tempore hoc, quando facti sunt multi hominum invicem odientes. Multoties enim et mihi suadere tentaverunt hi qui suggerebant mihi dispositiones rerum; et cum facerem sæpe floem, ut seductus fueram, postmodum alii quidam suggerebant mihi, quod fuerim deceptus in capitulo; cum ergo secundo et tertio hoc fuissem perpeusus, dedi terminum mihi: mihi ipsi absque utrorumque parte, ne darem definitionem alio in capitulo. Quod si qui suggererant mihi, mentirentur, ipsi pœnam solverent, quam accusatus ferret, si contra eum calumnia veraciter fuisset injecta. Et ex eadem die improvide suggerere mihi contra aliquem omnino aliquid nullus jam ausum habet, quod deposco et moneo magnum decorem tuum, fili, similiter facere. Sæpe enim et cædes injustas faciunt, qui sublimitatem creditam habeant,

egestate esse sanctum Modestum patriarcham Jerosolymorum (53), ad horum revelationem et reedificationem mittit ei numismata mille, et mille saccos plenos frumento, et mille legumina, mille libras ferri, mille restes siccatorum piscium, qui menomenæ (54) dicuntur, mille vascula vini, et mille Ægyptios operarios, mittens ei per litteras : « Da mihi veniam, vere Christi operator, nihil dignum templis Christi mittenti. Vellem enim, crede mihi, si esset conveniens, et ipse eo venire, et ipse operari in domo sanctæ Christi resurrectionis. Verumtamen illud rogo honorandum caput tuum, ut nullatenus hoc imputes minimo nomini exiguitatis meæ, sed hoc potius petas a Christo, ut ibi me conscribat ubi veraciter conscriptio beata consistit. »

CAP. XX. — Arripit ille sanctus et hoc, bonum dico, videlicet quod infimo stratu recumberet, et vilibus operimentis in cellula sua uteretur. Quod cum audisset quidam possessorum civitatis, ascendens ad eum, et videns quod opertorio scisso et laneo tegeretur, transmisit ei coopertorium numismatum triginta sex, rogans multum eum ut eo cooperiretur ad memoriam, inquit, mittentis. Ille vero hoc suscipiens, propter multam viri postulationem coopertus est hoc una nocte, per totam pene noctem dicebat ad semetipsum, ut recitabat cubicularii ejus : Quis dicet, quod humilis Joannes (habebat enim semper verbum istud in ore) pallio triginta sex numismatum tegatur, et fratres Christi frigore necentur? Quanti sunt modo qui dentibus strident præ glacie? quanti sunt modo qui psialthum (55) habentes subtus dimidium, et supra dimidium, et non possunt extendere pedes suos, sed dormiunt ut glomus trementes (56)? Quanti in monte dormierunt incœnati, et sine lucerna, habentes duplicem cruciatum tam ex frigore quam ex jejunio? Quanti desiderant saturari de foliis olerum, quæ projiciuntur de coquina mea? Quanti vellent tingere panem suum in zemate (57) quod projiciunt coqui mei? Quanti cupiunt vel odorare vinum, quod funditur in cellario meo? Quanti sunt in civitate ista in hac hora peregrini, non habentes ubi hospitentur, et in foro jacent, fortasse et pluvia madefacti? Quanti, putas, habent totum mensem, vel etiam duos, non gustantes oleum. Quanti sunt qui non habent alterum vestimentum in æstate, et alterum in hieme, et ita miseriis affliguntur? Tu vero exspectans etiam æternam jucunditatem assequi, et vinum bibis, et pisces immaues devoras, et in cubiculis demoraris, modo autem cum omnibus malis et in coopertorio triginta sex numismatum te calefacis? Veraciter ita vivens et in tali laxatione conversans, non exspectabis illic præparatis gaudiis frui, sed audies utique quod et dives ille audivit (*Lucæ xvi*) : Recepisti quona in vita tua, pauperes vero mala; nunc ergo consolantur, tu vero cruciaris. Benedictus Deus, humilis Joannes alia nocte non cooperietur illo. Justum est enim, et bene acceptum Deo, ut tegantur centum potius quadraginta quatuor fratres et domini tui, quam tu infelix. Venundabantur enim quatuor

A rachanellæ (58) numismate uno. Mox ergo transmisit illud in crastinum, ut venundaretur. Et videns is qui obtulerat, emit illud triginta sex numismatibus, et rursus obtulit patriarchæ. Cum vero in crastinum vidisset illud, emit hoc similiter, et rursus obtulit patriarchæ, deposcens ut tegeteretur ab eo. Cum autem tertio hoc fecisset, dicit ei gratulabundus ille sanctus : Videbimus quis deficiet, ego an tu. Erat enim opulentus valde, et suaviter quasi vindemiabat eum ille sanctus, paulatim ab eo multa auferens; et dicebat semper quod posset aliquis intentione dandi pauperibus exspoliare divites, et ipsum etiam hypocamismum (59) ab eis benevole auferre, et non peccare, et maxime si sunt aliqui immisericordes et avari. Duo enim lucratur talis : unum quidem, quia animas illorum servat; alterum autem, quoniam et ipse ex hoc mercedem non modicam habet. Attulit autem ad credulitatem verbi et testimonium verax, quod circa sanctum Epiphanium et Joannem (60) episcopum Jerosolymorum factum est, quomodo sanctus Epiphanius per artem tulit argentum patriarchæ, videlicet Joannis ejusdem, et dedit egentibus.

CAP. XXI. — Dignum et congruum prædicto capitulo referebat semel coram omnibus iste sanctus, dicens : Habebam, inquit, quemdam ministrum in apotheca mea in Cypro, fidelem valde, et virginem usque ad obitum suum. Hic ergo narrabat mihi quia in Africa existente me facta est res hujusmodi : Permanebam enim, ait, cum quodam teloneario, divite vehementer et immisericordi. Semel ergo pauperibus in hieme sedentibus ad solem, sequæ calefacientibus, cœperunt singuli domos eleemosynarum collaudare, et pro eis orare per singulos eorum, similiter et domos eleemosynam non facientium vituperare. Inter quæ venit in medium eorum et nomen senioris mei telonearii, et cœperunt singuli interrogare proximum : Vere tu, frater, accepisti aliquando de domo illa benedictionem? Et omnibus interrogantibus invicem, nullus inventus est accepisse aliquando de domo ejus aliquid. Dicit ergo unus ex eis : Quid dabitis mihi, et ego accipiam hodie ex eo benedictionem? Et facientibus cum eo pactum, venit et stat foris portam domus, exspectans quando ad domum suam reverteretur. Ex dispensatione Dei pervenerunt simul, ipse ingrediens portam, et animam portans siliginem a mancipio (61), causa prandii ipsius. Videns igitur egenum, non inveniens lapidem, per turorem arripit siliginem de clivella, et jacavit in faciem ejus. Ille vero suscepit eam, et abiit ut satisficeret confratribus suis, quod ex eisdem manibus accepisset eam. Itaque post duos dies ægrotavit infirmitate ad mortem idem telonearius, et vidit in somnis seipsum rationem ponentem, et omnes actus suos super stateram appendere : in una quidem acie (62) congregabantur Mauri quidam deformes, altera autem acies aliorum quorundam erat candidiorum et terribilium specie. Qui nihil inveniendes boni, ut et ipsi appenderent econtra adversum mala opera quæ collecta erant a Mauris in acie ipsorum.

mine, Domine. Porro omnibus qui in eadem domo erant perterritis, quoniam audiebant eum loquentem, iterum dicit ille quondam mutus : Ille qui coquinam faciebat, exiit currens, sed videte ne forte fuga lapsus sit, magnus enim servus Dei est. Quando discebat, dixit mihi : Tibi dico in nomine Domini; et mox vidi de ore ejus exeuntem flammam, et tangentem aures meas; et statim audivi, et locutus sum. Et exsistentes et sequentes eum cuncti, ulterius non viderunt eum. Tunc pœnitentiam omnes agebant, qui in domo illa erant, et ipse dominus ejus qui Petrum emerat, quia in tali exhonorantia humiliasset eum, et maxime hi qui vocabant eum Amen-tem.

Hæ sunt beatissimi a Deo honorati Joannis patriarchæ narrationes. Non solum enim de vita sua contentus erat volentem proficere ædificare, verum etiam de Deo acceptis et veracibus relationibus suis, et dicebat semper hæc audientibus : Si proprio sanguini non pepererunt quidam hominum, sed hunc dederunt in manus fratrum, imo Christi, quomodo putas nos cum alicritate et humilitate debemus de facultatibus nostris dare Christo et egenis atque pauperibus, ut recompensationem recipiamus a justo et mercedum redditore Deo, in illa timenda et horrenda retributionis die? Qui nunc seminat parce, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, id est, large et magnanimiter, multipliciter et metet (*II Cor. IX*); hoc est, bona illa hæreditabit quæ omnem mentem transcendunt.

CAP. XXII. — Omnibus ergo rectis moribus iste sanctus adornatus, nec hoc carebat; valde enim diligebat eloqui de actibus sanctorum Patrum, et eorum qui eleemosynæ cultores fuerunt. Unde cum una dierum recitaret de vita sancti Serapionis, qui vocabatur Sindonius, et inveniret eum (ut fertur) amictum suum dedisse egeno (*Pallad., cap. 83*), et iterum paululum processisse illinc, et frigus patienti obviasse, et illi tunicam præbuisse, et quia nudus sedebat, tenens sanctum Evangelium; et interrogatus a quodam : Quis te expoliavit, abba? demonstrans sanctum Evangelium, ait : Iste; et alio tempore hoc ipsum Evangelium vendidisse, et dedisse eleemosynam, et discipulo suo dicente : Abba, Evangelium ubi est? et illo dicente ad eum : Crede, fili, qui dixit mihi : Vende quæ habes, et da pauperibus (*Matth. XIII*), ipsum vendidi et dedi eis, ut in die judicii habeamus fiduciam abundantioram apud Deum; et quia alias iterum vidua mulier petisset ab eodem sancto Serapione eleemosynam, quoniam esuriebant filii ejus, et non habente eo aliquid omnino, tradidit se ei, ut venderet eum ad mimos Græcos, quos et Christianos fecit in paucis diebus.

Hæc legens sanctus de sancto Serapione, stupefactus et miratus sancti industriam, totas lacrymis infectus vocavit omnes dispensatores proprios, legit et eis omnia de sancto Serapione, et dicit ad eos : Vavæ, o philochristi, quid prodest homini colloquenti de actibus sanctorum Patrum? Credite mihi,

quia usque hodie putabam quod vel aliquid facerem, datis quas habere possem pecuniis; nesciebam autem quod et seipsum venderent, quadam compassione superati.

CAP. XXIII. — Semper quidem honorabat monachicum schema sanctus hic, et colebat et compatiebatur, ubi maxime aspiciebat monachum corporalibus utilitatibus angustatum. Habebat autem et hoc super multos præcipuum, quia accusationem qualemcumque, sive mendacem, sive veracem, non suscipiebat contra aliquem circumamictum monachico habitu. Semel enim evenit ex inmissione quorundam criminorum, pertulisse eum aliquid tale : Quodam monacho gyrante in civitate cum puella una juvencula, et petente eleemosynam per dies aliquot, quidam qui hoc viderant, scandalizati, et existimantes quod mulier ejus esset, attulerunt patriarchæ contra eum querelas, dicentes : Propter quid, a Deo honorate, derogat talis angelicæ monachicæ vitæ schemati, puellam quamdam habens mulierem? Mox ergo Dei famulus, putans prohibere contra Deum commissa peccata, tanquam qui ad hoc ab eo esset proventus, præcepit mulierem quidem flagellis cædi, et separari ab eo; ipsum autem verberari, et in carcere secreto recludi. Dum ergo cum omni celeritate jussio sancti in opus procederet, apparuit ei nocte per visum monachus, ostendens ei dorsum suum patrefactum (non parentes enim ceciderant eum Ecclesiæ defensores) dicens ei : Ita placet tibi, domine patriarcha; hac una vice errasti ut homo; crede mihi, quia de proximo est vita et mors. Et hæc dicens, discessit ab eo. Mane autem facto, recordatus est ille beatus visionis nocturnæ, et sedebat super lectum suum mœstus; mittitque statim, et convocat per cancellarium suum monachum de loco in quo erat reclusus, cogitans intra se beatus ille patriarcha si similis esset illi qui nocte sibi apparuerat. Cum ergo venisset cum labore multo (neque enim propter plagas moveri poterat), cumque vultum ejus vidisset patriarcha, remansit sine voce immotus, non valens loqui : sola autem manu sua innuit ut sederet prope se in lectulo suo. In semetipsum vero reversus et signatus, rogavit monachum, præcinctum liateo, ut sine verecundia despoliaret se, quatenus videret dorsum ejus, si ita esset sicut et in somnis viderat. Vix ergo suasus ut id ageret, despoliavit se. Cum vero despoliaretur ut monstraret dorsum suum viro sancto, per admirandum Dei consilium solutus est quo erat indutus amictus, et cecidit in terram, et viderunt eum omnes esse eunuchum. Sed quia recens erat, nulli hoc existeret manifestum. Videntibus ergo eum omnibus et sancto pontifice, et maxime dorsi ejus perniciosa verbera, mittens mox, segregavit illos qui hunc inconsiderate tractaverunt. Venerabilissimo autem monacho complura rationabatur, in ignorantia dicens se in eum peccasse, et in Deum verum. Et in hoc admonebat eum ille sanctus : Non, inquit, o fili, ita sine custodia in civitatibus conversari oportet eos qui sancto

pedit, quod nos ignoramus. Ergo ut non perdat mercedem, quam fecit in septem et dimidia libra auri, et fidem quam possidebat circa sanctum patriarcham; jam vero ut et nos in tentationibus, quæ nobis eveniunt, quando aliquid boni fecerimus, imperturbati et gratias referentes ad Deum permaneamus; vidit in somnis jam dictus vir philochristus postera nocte quemdam, quasi in habitu sanctissimi patriarchæ, dicentem sibi: Ut quid tribularis, frater, et mœrore dissolveris? Nonne tu me rogasti ut peterem a Deo, ut salvus fieret filius tuus? Ecce salvus factus est. Crede mihi, si viveret, pravus et immundus homo fieret. Et de navi tua, vere, nisi Deus placaretur pro bono quod fecisti parvitati meæ, sententia erat data, quatenus tota, ut jacet, cum animabus in profundum pergeret, et perderes fratrem tuum. Sed surge, et glorifica Deum, qui dedit tibi eum, et salvavit filium tuum mundum de hoc sæculo vano. Evigilans itaque vir, invenit cor suum consolatum, et universam tristitiam ejus ejectam; et indutus vestimenta sua, venit cursim ad honorabilissimum patriarcham, et jactat se ad pedes ejus, gratias agens Deo et ei, et narrans visionem quam viderat. Quam audiens justissimus, dixit: Gloria tibi, benigne et misericors Deus, qui et deprecationem peccatorum exaudis. Iterumque ad hominem dixit: Nequaquam, o filii, gratiam hanc orationi meæ ascribas, sed Deo et fidei tuæ, hæc enim omnia ista impetrare valuit. Erat enim valde humiliter sentiens sanctus, verbis scilicet atque prudentia.

CAP. XXVI. — Pergebat aliquando hic beatus ad visitandos pauperes, in locum qui dicitur Cæsarium; illic enim eis fecerat quasi tholos (69) quosdam prolixos, ligneis tabulis pavimento strato ad requiescendos eos, et simul cum storeis et rachanis (70) per totam hiemem, cum quodam episcoporum eorum qui cum eo erant, amatore pecuniæ, passibili modo presso. Dixitque beatus patriarcha ad eum: Ama ac honora, frater Troile, fratres Christi; hoc enim ei erat nomen. Nuntiaverunt enim quidam patriarchæ quod triginta libras auri portaret in ipsa hora domesticus ejusdem episcopi Troili, ut emeret speciem argenti anaglyphi, gratia mensæ suæ. Episcopus autem tanquam veritus sermonem patriarchæ, imo ad horam calefactus, singula dari omnibus fratribus præcepit ei qui triginta libras illas portabat. Celeriter ergo hujusmodi auri quantitas erogata est. Recedentibus itaque utrisque, patriarcha scilicet, et qui invitam (ut ita dicam) eleemosynam fecerat, episcopo Troilo in propriis episcopis velut quædam amens et animæ periculosa in eum cogitatio irriti, propter pecuniarum dationem; horroris et amoris pecuniæ, et crudelitatis et negligentia genimen eum sequebatur, febre extra naturam mista, propter quod ægrotus invitatus in lectum cecidit. Hebdomadario ergo a sanctissimo patriarcha ad eum veniente, et ad mensam ejusdem patriarchæ eum invitante, recusavit, frigore enim et febre se vexari pro quadam causa dicebat. Igitur cum hoc audisset patriarcha, mox agnovit cau-

sam, quia propter exitum viginti librarum, infirmatus est ille invitatus eleemosynator. Erat enim (ut prædictum est) valde immisericors, et amator pecuniæ. Non sufferens ergo beatus se quidem super mensam reficere, illum autem super lectum cruciari graviter, pervenit celeriter ad eum ille vere sine superbia, et dixit ad eum hilari vultu: Fac caritatem, filii Troile. Estimas quod in veritate dixerim tibi fratribus hujusmodi dare? crede mihi, per jocum dixi tibi dare. Ego enim volui præstare eis singula nemismata propter sanctam festivitatem; sed quia non habebat distributor meus secum sufficientem quantitatem, hujus rei gratia mutam dedisti eam mihi, et ecce attuli tibi illas triginta libras. Ut vero vidit quantitatem episcopus in honorabili manu sapientis existentis medici et pastoris, febris quidem subito disperebat, frigus etiam recedebat, fortitudo quoque et corporis ejus calor ad eum revertebantur; et ex hoc non posset latere hanc esse causam repente comprehendentis eum commutationis. Suscipiens ergo aurum ab honorandis manibus patriarchæ, et nihil omnino contradicens, exspectabat ab eo patriarcha conscriptionem abrenuntiationis mercedis earum quæ datæ sunt triginta auri librarum. Fecit autem hoc cum gaudio Troilus episcopus, scribens propriis manibus ita: Deus, domino meo Joanni beatissimo patriarchæ hujus Alexandrinorum magne civitatis, da mercedem triginta librarum quæ data sunt tibi, quoniam ego recepi mea. Hoc scriptum itaque sanctus accipiens, sumpsit secum et eundem episcopum ad prandium, ut enim jam dictum est, statim sanus factus est. Volens ergo mercedis redditor Deus corripere eum, simul autem et ad miserationem contribulatorum et compassionem erigere, ostendit ei eadem die dormienti post prandium patriarchæ in somnis, qua mercede privatus esset. Vidit enim (ut ait) domum, cujus pulchritudinem atque magnitudinem non potest ars hominum imitari, et januam hujus totam auream, et super januam titulum conscriptum: MANSIO AETERNA, ET REQUIES TROILI EPISCOPI. Cum ergo hoc, inquit, legissem, gavisus sum, sciebam enim donandam mihi ab imperatore talis domus epulationem. Nondum autem hujusmodi tituli superscriptionem perlegeram, et ecce quidam regius cubicularius, habens secum et alios obsequii divini; et cum pervenisset ad talem nitentis domus januam, dixit ad proprios officiales: Deponite mihi titulum. Et cum deposuissent, iterum dixit: Mutate eum, et ponite quem misit orbis terrarum rex. Et attulerunt et affixerunt aliud aspiciente me, superscriptum ita: MANSIO AETERNA AC REQUIES JOANNIS ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ, EMPTA LIBRIS TRIGINTA. Et cum hoc vidisset, surrexit a somno, et magno summoque pastori quæ visa sunt ei in somnis enarravit. Proficiens ea de causa Troilus episcopus, factus ex tunc eleemosynator magnificus.

CAP. XXVII. — Dominus qui divitias in tempore quodam beato Job abstulit, fecit simile et huic omni bonitate pleno, sancto patriarchæ Joanni. Navibus

ulum. Constiliarii enim erant veraciter boni, quibus et tanquam patribus indiscrete obediebat, et gratias agebat, tanquam constantibus maxime et viriliter agentibus militibus pro pietate religionis. Etenim sancti Spiritus virtute freti, et cum Severianitis (73) ac cæteris circa regionem existentibus immundis hæreticis sapientia sua ac disputationibus pugnam habentes et conflictum, multa quidem castella, pluresque ecclesias, similiter et monasteria ab ore talium bestiarum, tanquam boni pastores, evellere studuerunt, propter quod et maxime plurimum honorabat sanctos hos ille vere sanctissimus.

CAP. XXXII. — Si vero alicubi aliquem durum et inhumanum et percussorem circa proprios servos sentiebat ille beatus, hunc primo convocabat, et cum multa lenitate rogabat, dicens: Fili, venit quidem ad aures peccatrices meas quod ex operatione inimici modicum durius circa proprios pueros tuos feraris; sed, rogo, des locum iræ. Non enim ut percutiamus eos, dedit nobis hos Deus, sed ut serviant. Fortasse vero nec propter hoc, sed ut sustententur a nobis, ex quibus Deus præstitit nobis. Quid enim (edic mihi) et dedit homo, et emit eum qui ad imaginem et similitudinem Dei creatus et honoratus est? Nunquid enim tu, dominus ejus, aliquid plus possides in proprio corpore, manum aut pedem, vel auditum, aut animam? Nunquid non similis est tibi per omnia? Audi lumen gloriosum, Paulum dicentem: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis (Gal. iii). Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, omnes enim vos unum estis in Christo. Si ergo apud Christum æquales sumus, et ad invicem æquales efficiamur. Etenim Christus formam servi assumpsit, docens nos non superbire contra servos nostros. Unus enim est Dominus omnium, in cælis habitans, et humilia respiciens (Psal. cxii); non dixit sublimia, sed humilia. Quantum enim aurum dedimus, ut honorificatam et emptam nobiscum eum sanguine divino et Dominico, nobis servituti subjiciamus? Propter eum cælum, propter eum terra, propter eum stellæ, propter eum sol, propter eum mare et quæ in eo sunt. Est autem verum, quia et angeli ei ministrant, propter eum Christus pedes servorum lavit, propter eum crucifixus est, et cætera omnia propter eum passus est. Tu autem eum qui a Deo honoratur in honores, et quasi non sis ejusdem naturæ, non parens feris? Dic, obsecro, velles, quoties culpam admittis, ut mox redderet tibi Deus? Nequaquam. Dic, quomodo oras quotidie, dicens: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (Matth. vi)? His et his similibus verbis de habitante in se thesauro monens hunc absolvit; et nisi didicisset istum emendatum, præparabat et instruebat servum afflictum, ut fugam arriperet, et venditionem peteret; et hunc comparans justus, statim liberum statuebat.

CAP. XXXIII. — Audiens aliquando cujusdam elemosynatoris puerum orphanam derelictam, parentibus suis morientibus, et in multa paupertate con-

versari hunc; dicebant enim hi qui in testamento patris ejus inventi sunt testes, quia non dimisit ei, domine, pater ejus moriens usque ad unam minimam; sed habens decem libras auri, addedit eum ipsa hora quando testamentum scribebat, et dicit ei: Has decem libras habe, fili mi. Quid, vis dimittam tibi istas, an vis Dominam meam Dei genitricem curatorem et provisorem? Pueri vero eligente sanctum Dei genitricem, præcepit dare cuncta pauperibus. Et ecce, inquam, sanctissime, in multa inopia consistit, nocte ac die domum Domine nostræ non deserens. Cum ergo hæc audisset a scientibus sanctum hic, nemini aliquid dicens, adducit quendam tabellionem; et narrabat ei rem, dans ei terminum ut nulli crederet quam præcepit ei facere rem, dicens ei: Vade, et in veteribus chartulis scribe testamentum ejusdem nomine Theopenti; et fac in eadem charta me et patrem pueri consobrinos fratres, et vade, et dic juveni: Seis, frater, quod genus existens patriarchæ, non debueras ita in paupertate versari? et ostende ei chartam, et dic: Quoniam si erubescis, ego ordino causam tuam apud patriarcham, et vade quid tibi dicit. Cum ergo omnia quæ jussa sunt ei a patriarcha tabellio fecisset, venit ad eum dicens: Quia pactus est puer mihi, ut ego loquar causam suam domino, et magnas gratiarum actiones refererebatur mihi. Dixit itaque sanctus: Vade et dic ei: Quia locutus sum patriarchæ. Et dixi: Quoniam et ego scio quia habuit consobrinos meus filium, sed ex volta hæc non recognosco. Bene ergo facis, adducens hunc ad me. Adducens ergo eum, porta et chartam tecum. Cum vero pervenissent, tulit eum secreto illo justus, et cepit deosculari eum, et dicere: Bene venit filius consobrini mei. Dicitur igitur eum, et uxori tradidit in Alexandria, et donum et omnia quibus opus habuit donavit ei, demonstrare festinas quoniam non derelinquet Dominus sperantes in se (Judith. vi).

CAP. XXXIV. — Imprætermisse autem et hujus mandati curam habuit hic admirabilis, legem ponentis: Volenti mutare a te ne avertas aliquando (Deut. xv; Luc. vi), non prohibuit aliquem hujusmodi ab eo suffragium postulante. Unde hoc sciens quidam malignus et impostor, petiit ab eo ut sibi mutuas daret viginti libras auri. Erat autem de his qui dicuntur Gallodromi (74). Contemnens ergo sanctum quem admodum et alios multos, dicebat: Quia nihil mihi dedit. Quæsierunt itaque Ecclesiæ pastores et ordinatores ut in carcerem hunc mitterent, et publicarent ejus substantiam. At imitator dicentis, Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est (Lucæ vi), qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos, nequaquam illis consentit, et eum affligent. His autem turbantibus contra eum, utpote qui patriarcham illuserat, et dicentibus ad eundem sanctum: Non justum est, domine, ut quod pauperes acciperent, hic luxuriosus accipiat, respondit e contra ille ter beatus, dicens: Credite, fratres, quia si extra voluntatem acciperetis aliquid ab eo, duo mandata transgrederemini, et

illusor Christi, non emendas te ab his nequitiis tuis? **A** Gaza, et suscepit cellulam abbatis Vitalii secundum
 Qui dixit ad eum: Crede mihi, accipies alampam
 a me humili, ut tota Alexandria colligatur ad clamores
 tuos. Nondum brevi tempore transacto, dormivit
 cum pace in cellula sua sanctus Vitalius, nemine
 sciente omnino. Habebat enim valde pusillam cellu-
 lam, super locum qui dicitur Porta solis (79). Unde
 et plerumque, cum collecta celebraretur juxta cellu-
 lam ejus in ecclesia Metræ (80), convenientes quæ-
 dam muliercularum harum, ad alterutras dicebant:
 Eamus, eamus, iterum abbas Vitalius collectam ha-
 bet. Et venientibus eis, curabat eas. Igitur dormiente
 eo, ut prædictum est, in propria cellula, et nullo
 sciente, mor quidam demon tanquam Æthiops de-
 formis, astat ei qui dederat alampam abbati Vitalio,
 et dat ei alampam, dicens: Suscipe alampam quam mi-
 sit tibi abbas Vitalius. Et cadens, statim coepit spu-
 mare. Congregata est igitur, secundum prophetiam
 Vitalii, pene tota Alexandria in violentiam quam
 patiebatur a dæmone; et maxime quia sonitum datæ
 et alampæ audierunt quidam, quasi ad unius jactum
 sagittæ. Post aliquantas vero horas in mentem re-
 veniens is qui patiebatur, scidit vestimenta pectoris
 sui, et cucurrit ad cellulam, clamans et dicens:
 Culpam feci tibi, serve Dei Vitali, miserere mei.
 Concurrerunt vero eum eo omnes audientes. Cum
 pervenisset ad cellulam sancti, exiit iterum dæmo-
 nium, jactans eum omnibus aspicientibus. Et cum
 Ingredenter Intro hi qui cum eo cucurrerunt, in-
 venerunt sanctum stantem in geniculis suis, et oran-
 tem, et animam Domino tradentem, et in pavimento
 scripturam hujusmodi: *Viri Alexandrini, nolite ante
 tempus aliquid judicare, quoadusque veniat Dominus
 (I Cor. iv)*. Constitit vero et homo, qui a dæmo-
 nio vexabatur, quod sancto fecerat, et quod dixerat
 sanctus ei. Recitata sunt ergo beatissimo Joanni
 patriarchæ omnia quæ circa sanctum Vitalium acta
 sunt; et descendens cum clero, venit ad corpus
 sancti Vitalii; et cum vidisset superscriptionem,
 dixit: Vere hanc humilis Joannes per Deum evasit,
 non alampam quam accepit qui patitur ego accipe-
 rem.

Tunc itaque omnes fornicariæ, et quæ abrenun-
 tiaverunt ex eis, et viros susceperant, cum cereis et
 lampadibus præibant eum flentes, et dicentes: Per-
 didimus salutem nostram et doctrinam. Enarrabant
 enim jam conversationem ejus omnibus, et, Quoniam
 non propter turpem rem ad nos intrabat; et
 quia nunquam aliquando vidimus eum super latas
 dormientem, aut unam ex nobis tenentem manu
 sua. Et reprehendentibus eas quibusdam et dicenti-
 bus: Quare hæc non omnibus dicebatis, sed scanda-
 lizabatur in eo tota civitas? enarrabant jam capitu-
 lum, quod circa eam gestum est, quæ a dæmonio
 vexationem sustinuit, et quia hæc timentes taceba-
 mus. Sepulto ergo eo in multo honore, permansit is
 qui ab eo correctus et sanus factus est, faciens me-
 moriam ejus. Postmodum autem et renuntiavit sæ-
 culo, ingressus monasterium abbatis Seridonis in

fidem, et in ea permanavit usque ad mortem suam.
 Et sanctissimus patriarcha multas gratias egit Deo,
 quia non permisit eum peccare in servum suum Vi-
 talium. Multi autem multum ex tunc in Alexandria
 profuerunt sibi, et hospitio recipiebant monachos:
 et monebantur ut non condemnaretur aliquis ab eis
 sicut evenerat. Fecit autem et sanitates post mortem
 honorabile nomen sancti Vitalii per divinam gra-
 tiam: cujus orationibus det nobis Dominus bonam
 conversationem, et misericordiam in die, quando
 manifestabit abscondita hominum, et nuda faciet
 consilia cordium (*I Cor. iv*).

CAP. XXXVI. — Præcipiens aliquando dari cui-
 dam petenti elemosynam, decem nummos æreos
 tantum, convicia ab eo patiebatur in facie atrociter
 ille beatus, quia non dederat ei quotquot voluit. His
 autem qui de obsequio erant, querentibus cadere
 eum qui conviciabatur, increpavit eos vehementer
 patriarcha, dicens: Sinite eum, fratres: habeo
 ego sexaginta annos, blasphemans per opera
 mea Christum, et unum convicium non portabo ab
 isto? Et præcepit datori solvere sacculum, ut sine-
 ret pauperem tollere quantum vellet pretium.

CAP. XXXVII. Si vero aliquando audiebat sapien-
 tissimus, quoniam elemosynator est talis, adduce-
 bat eum in hilaritate seorsum, et dicebat ei: Quo-
 modo factus es elemosynator? naturaliter, an teipsum
 violenter cogens? Unde quidam qui ab eo interro-
 gabatur, verecundati, occultabant quidem, quidam
 autem dicebant ei. Propter quod unus interrogatus
 a sancto, respondit ita: Crede mihi, domine, quia
 nihil do aut facio boni; verumtamen ipsum quod fa-
 cio et præbeo, ex quibus Deus et orationes tææ
 largiuntur, ita facere assuevi. Eram priusvalde immi-
 sericors et crudelis, et semel damna pertuli, et in
 subtilitatem deveni: coepit cogitatio mea dicere
 mihi: Vere si esses elemosynator, non relinqueret
 te Deus. Statui ergo per singulos dies dare quinque
 æreos nummos pauperibus; et cum coepissem dare,
 statim Satanas prohibebat me, dicens: Vere quinque
 nummi isti sufficiunt domui ad olera, aut ad bal-
 neum percipiendum; et statim, tanquam si de
 faucibus natorum meorum privarem eos, nihil
 dabam. Cum ergo vidissem quod superarer a vitio,
 dico puero meo: Per singulos dies furare, me ne-
 sciente, quinque nummos, et da elemosynam. Sum
 ego enim trapezita, domine. Ille vero benefaciens,
 coepit furari denos (81). Erat autem quando et sili-
 quam. Cum ergo vidisset quia benedicebamur, et
 divitiis abundabamus, coepit et tremisses furari, et
 dare. Semel itaque admirans benedictiones Dei, dixi ei:
 Vere multum profuerunt, illi, quinque nummi illi,
 volo ergo ut des decem. Tunc dicit mihi et puer su-
 bridendo: Vade, ora furtis meis. Nam vere hodie
 non haberemus quem manducassemus panem. Sed si
 est fur justus, ego sum. Tuvo ergo dixit, quoniam
 tremissa dabat et siliquas etiam, ex fide illius, as-
 suevi, domine, de animo dare. Edificatus ergo san-

memoria semper retinebat quod sancto Simoni, qui in columnis stetit (85), per revelationem factum est notum : Quia (ut ait) exeunte anima e corpore, obviat ei cum ascenderit a terra in cœlum, chori dæmonum, singuli in proprio ordine. Obviat ei chorus dæmoniorum superbiz, investigat eam, si habeat opera eorum. Obviat chorus spirituum detractionis : aspiciunt si quando oblocuta sit, et pœnitentiam non egerit. Obviat iterum superius dæmones fornicationis : scrutantur si recognoscant in ea voluptates suas. Et quando a terra usque ad cœlum misera anima positura rationem pervenerit, seorsum ab ea sancti angeli stabunt, et non adjuvabunt eam nisi bonitates suæ. Hæc considerans hic nobilis, perterritus pro tali hora et sollicitus factus est, ferens in memoriam et sancti Hilarionis eloquium (*Vita Hilarionis*, c. 38) ; quia cum e vita egressurus esset, formidavit et dixit animæ suæ : Octoginta annos, o humilis anima, habes serviens Christo, et times exire? Exi, quia misericors est. Et dicebat sibi patriarcha : Si is, qui octoginta annos servivit Christo, et mortuos suscitavit, et signa fecit, timuit amaram horam, quid habes tu, humilis Joannes, dicere aut facere, quando obviaverint in faciem tuam crudeles illi et immisericordes exactores et inquisitores? Ad quantos poteris rationem reddere, ad eos qui exquirunt de mendacio, ad eos qui de detractone, ad eos qui de crudelitate, ad eos qui de avaritia, ad eos qui de memoria mali, ad eos qui de odio, ad eos qui exquirunt de perjurio? Et dementatus dicebat : Deus, tu eos increpa, nam omnis fortitudo hominum eis resistere non valet. Tu, Domine, da nobis ductores sanctos angelos, qui custodiant et gubernent nos ; multa enim est contra nos eorum insania, multus tremor, multus timor, multum periculum pelagi aeris hujus. Si enim de civitate in civitatem super terram ambulantes, deprecamur eos qui nobis ductores sunt, ne in præcipitia cadamus, aut in agrestium bestiarum loca, aut in flumina infinita, aut in inaccessibiles et invios montes, aut in satronum manus aut in eremum incomprehensibilem aut inaquosam, et pereamus. Quot ductoribus fortibus et divinis custodibus opus habemus, pergentes longa via hac et æterna, videlicet, quæ ex corpore est egressio, et ad cœlam ascensio? Hæ sunt sapientia plenæ beati ad se et ad omnes doctrinæ ; hæ sunt ejus quotidianæ curæ atque meditationes.

CAP. XLI. — Multam autem et de sancta statione curam habebat, et sollicitudinem demonstrabat. Una enim dierum volens multos rescere, ut non egrederentur post solutionem sancti Evangelii de ecclesia, et otiosis sermonibus pro oratione vacarent, quid fecit? Reliquit mox, postquam lectum est sanctum Evangelium, ecclesiam ; et ipse exiit, et sedit cum turba. Omnibus vero obstupentibus, dixit ad eos justus : Fidei, ubi oras, illic et pastor. Aut intrate intro, et ingrediemur ; aut manete hic, et hic manebo. Ego propter vos descendo in sanctam ecclesiam, nam poteram facere mihimet missas in epi-

scopio. Semel ergo et bis fecit hoc ipsum schema ille beatus. Erudit et in hoc plebem magnifice, et emendavit ; timebant enim, ne verum idipsum schema faceret eis ille semper memorandus.

CAP. XLII. — Loqui autem in sacrario omnino non permittebat, sed in conspectu omnium foras mittebat eum, dicens : Si quidem ut orares venisti huc, in hoc mentem tuam et os tuum vacare exopta ; si vero propter locationem, scriptum est : Domus Dei domus orationis vocabitur (*Math. xxi*) ; non ergo facere eam speluncam latronum.

CAP. XLIII. — Hoc autem erat admirabilis sanctissimi hujus patriarchæ, quoniam nec monachicam vitam duceus, neque in clero moratus in ecclesia, sed et femine legitime dudum conjunctus (86), ita tenuit vigorem ecclesiæ ab ipso initio quo patriarcha consecratus est, et in talem sublimitatem exaltatus est, ut multos eremitarum et in arcta vita degentium superaret.

CAP. XLIV. — Volens autem nec hujus boni esse inexpers, videlicet monachicæ vitæ connumerationis, studet rem talem : congregans duos ordines sanctorum monachorum, statuit in eis omnem utilitatem tribui de villis suis in civitate sua : et faciens eis cellulas in duobus oratoriis Domine nostræ sanctæ Dei genitricis, et sancti Joannis, quæ ipse a fundamentis ædificaverat, dicens amantissimis Deo monachis ita : Ego post Deum utilitatem corporalem vestram procurabo, vos autem spiritualis habetote meæ curam salutis. Vespertina et nocturna vigilia mihi apud Deum imputetur : quidquid vero in cellulis vestris officii feceritis, pro vestris sit animabus. Hoc autem fecit, volens sollicitiores efficere Dei amicos monachos. Unde et permansit Deo talis grata constitutio ordinum ; et ad similitudinem monasterii ex his civitas pene vivit, in diversis locis pervigiles hymnodias Deo referens.

CAP. XLV. — Et hoc beatus iste ita omnes docebat, et contestabatur dicens : Nullatenus aliquando hæreticorum communionis, imo coinquinationis participemini, etiam si omni vita vestra ex aliqua impulsione vel necessitate communionem catholicam Ecclesiæ non invenientes, sine communionem permanseritis. Si enim, ait, uxorem corporalem legitime possidentes, in regione aliqua longinqua absque ista tempore multo morantes, relinquere hanc et alii copulari, a Deo et legibus prohibemur, si vero hoc egerimus, punimur ; quomodo putas, Deo per rectam fidem et catholicam Ecclesiam conjuncti, ut ait Apostolus : Aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo (*II Cor. xi*), si orthodoxam et sanctam fidem adulteraveritis per communionem hæreticorum, non in futuro sæculo tormenti, quod expectat hæreticos, erimus facti participes? Communio enim, ait, ideo dicitur, eo quod communem faciat, et firmet communicantem quibus communicat. Ne igitur, quæso, ait, o filii, hujusmodi oratoriis applicetis.

CAP. XLVI. — Cum omnibus bonis suis et hoc

Cyprum, in civitatem suam. Unde occasione accepta, praefatus Niceta patricius dixit ad sanctum: Obsecro, si inveni gratiam ante te, ne dedigneris fatigari usque ad regiam civitatem, et bene acceptas preces tuas donare piissimis imperatoribus. Ille vero multae fidei viri consentiens, obediens ad hoc factus est Deo et voluntati ejus, et a se datum honorem quantum erat circa beatum ostendere volente. Fatigata igitur navi multipliciter a ventorum, in qua sanctus cum patricio erat, et in profundum mittenda, videt saepe memoratus patricius, et optimates qui cum eo erant, una nocte, in qua tempestas facta est, patriarcham modo quidem cum pauperibus per navim ubique circumcurrentem, modo autem iterum cum eis manus in caelum extendentem, et ab alto adiutorium abstrahentem. Cumque in Rhodum (90) pervenissent ascendentes, videt expergefactus a Deo vocatus hic quemdam eunuchum coruscantem forma, et aureum sceptrum in dextra tenentem, assistentem sibi et dicentem: Veni, jube (91), Rex regnantium quaerit te. Nihil ergo statim negligens, advocat patricium Nicetam, et dicit ei cum multis lacrymis: Tu quidem, o domine, ad terrenum imperatorem me vocasti; sed praeveniens caelestis, ante vocavit exigitatem meam. Et retulit ei eunuchi, imo angeli visionem, quae apparuerat sibi. Gavisus ergo et tristis factus idem gloriosissimus vir, impedire sanctum non potuit. Abunde igitur sanctis ejus repletus orationibus, et imperatoribus has deferens, cum multo honore redire ei in Cyprum iussit.

CAP. XLIX. — Adveniente ergo eo in propriam civitatem, quae Amathunta (92) vocabatur, testamentum proprium scribere cito ministris suis praecipit. Velociter vero et sine dilatione chartam et calamus praesentantibus, praecipit sacrum illud os scribere sic: « Joannes servus, propter eam vero quae supposita est mihi sacerdotii dignitatem, Dei gratia liber. Gratias ago, Deus, tibi, quoniam exaudisti miseriam meam, rogantem bonitatem tuam, ne inveniretur morientis mihi nisi unus tremissis. Inveniente enim me in honorabili episcopio sanctissimae Ecclesiae Alexandrinorum magnae civitatis, quam per indulgentiam Dei suscepi, quando in ea consecratus sum episcopus, circiter octoginta centenaria auri, et quae intraverunt mihi ab amicis Christi, pene numerum hominis transcendunt; in seipsam mentem colligens, et cognoscens haec omnia dominatoris omnium esse, festinavi ea quae Dei erant Deo dare. Unde et quod remansit mihi hoc tremisse, Dei et hoc existens, jubeo dari his qui sunt Dei. » O gloriosa res! o devotionem sancti! Non attendit, sicut debuisset, suis; quod faciunt multi qui in divitiis sunt, qui Dei dona aut ex injustitia collecta, tanquam propria, et tanquam si ea secum ferre possunt, thesaurizant, et non large egenis praebent; sed illa quaerebat quae semper manent, et aliquando non minuuntur. Unde sine mendacio repositionibus non est fraudatus, quae asseverant, ex persona Dei, quoniam qui glorificant me,

A glorificabo (*I Reg. II*). Vere enim magnifice glorificavit sanctum hunc, qui in suis semper bonis glorificatus est Dominus. Non enim ferens nobilis hic, temporali vita sua conquiescere sancta et digna laude bona, quid egit? Xenodochia, gerontocomia, atque monasteria a fundamentis aedificans, et choros sanctorum monachorum statuens, incessabilem verae justitiae memoriam possidet, per ea quae celebrantur in eis bona opera. Quod enim de his qui mala agunt, et successores propriorum malorum post mortem in vita hac relinquunt, ait Dominus plenus Apostolus: Quoniam quorundam peccata manifesta sunt, praecedentia ad judicium; quosdam autem et subsequuntur. Hoc econtra (93) de hoc beato dicendum est: Quoniam quorundam justitiae manifestae sunt praecedentes in regnum caelorum (*I Tim., v*), quosdam autem et subsequuntur, de quibus unus et iste existit. Et quoniam non fabula, neque ad gratiam est, quod dictam constat, testimonium nobis perhibeat plane quod mox in pretiosa ejus dormitione gestum est prodigium. Tradente enim eo et commendante propriam animam in manu Domini, ut ait alicubi sacra Littera: Justorum animae in manu Dei sunt (*Sap. III*), et hanc ei ut sacrificium immolatum offerente, cum recondendum esset honorabile ejus corpus honorifice, et cum congruo sacerdotibus ritu in quodam oratorio sancti miraculorum factoris Tychonis (94), et quoddam tale signum gloriosum.

CAP. L. — Jacebant in quodam tumulo, ubi et justus hic reponendus erat, duorum quondam episcoporum, qui ante dormierant, sancta veraciter corpora sanctorum: quae et in natura exanimi interim degentia, tanquam si viva revera essent, aequalem sancto honorem tribuerunt. Cum enim beati corpus inter duos illos componendum esset, honorantes summum pastorem pastores, et multam ejus fiduciam apud Deum reverentes, simul et mirantes, Dei jussione tanquam vivi corpora sua separantes (95), in medio sacrum hunc susceperunt, honorem et ipsi ei praeeptione Dei sicut a Deo honorato offerentes, et omnibus statim ostendentes quae a Deo ei donata est gloriam atque sublimitatem. Quod maximum et gloriosissimum miraculum, non unus, neque decem, neque centum viderunt, sed omnis turba quae convenit ad pretiosam ejus sepulturam.

D CAP. LI. — Aliud autem ejus gloriosius, quod quidem adhuc vivens in carne cepit miraculum, sed postquam migravit ad Deum, complevit, sermo commemorare tentabit. Mulier quaedam de ea quae sanctum protulit civitate existens, cum audisset eum venisse a Rhodo (96), et angelum ei ibidem apparuisse, et vocationem ad communem Dominum ei denuntiasse, peccamen gravissimum in se recognoscens, quod nec auditus hominum posse intrare affirmabat, fidem inambiguam sumens, ad sanctum cursim pervenit; et pedes ejus comprehendens, cum lacrymis multis clamabat, et dicens secreto sancto: Peccatum, o ter beate, habeo misera, quod ad aures hominum venire non potest, et scio quod, si vis,

CAP. LIV.—Hymnodia enim anniversaria post multum temporis dormitionis sancti celebrata, in templo superius memorati sancti Tychonis (Sup., c. 49), ubi pretiosam lipsanum beatissimi patriarchæ Joannis repositum est : erat autem quæ colebatur sacra vigilis hymnodia annuæ recordationis sancti miraculorum factoris Tychonis. Is qui est miraculorum Dominus, volens ostendere omnibus quali honore servum suum sanctum Joannem dignum fecerit, placuit de honorabili ejus lipsano unguenti saniferam suavitatem emanare, qua universi in lætitia freti gloriam retulerunt Patri et Filio et Spiritui sancto ; vero scilicet Deo nostro, qui proprios sanctos gloria glorificat infinita.

